




369
K
48









Histoire du Papisme p. Jean Henry Heydegger,

Richer. de Pot. Eccl.ae T. I. in fin. p. 20.

Coeffeteau Reponse au Mystere d'Iniquité,

Gretser in Examine Mysterij Plessiani,


R. Abarbanel bekennet und beweist, daß der römisch. Pabst der AntiChrist seye: in seiner Außlegung über den Propheten Daniel, und hat er als ein hochgelehrter Mann, eh die Reformation geschehen, viel unterschiedl. beweißgründ dargethan.

Dieses buch, Mysterium Iniquitatis sive Historia Papatus ist ao: 1611. mit 2. Kupferbildern, deren eines mit d. Unterschrift: Paulo V. Vice Deo, Christianae Reipublicae Monarchae Invictissimo et Pontificiae omnipotentiae Conservatori acerrimo, vid. Ludolffs Histor. Schaubühne T. 1. c. 5. p. 364.

III H 22

[illegible] d. 2 [illegible] 53

Was der Ursprung d. Polaritaet ist der Pol der Magn[illegible]
[illegible] andre Mag.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
antimagnet
[illegible]
[illegible]
[illegible]



Le Monde meme est un vray Ante Christ et sa conduite un Mystere d'iniquité. Quenel ad II. Thes. 2. 7.

Quand les Ministres de J. C. se rendent esclaves du monde et de ses maximes, et entrainent par leurs artifices et leur exemple les enfans de la terre à cette espece d'idolatrie, c'est vraiment le Mystere d'iniquité. Id. ad Apoc. c. 17. 12.

vid. Gretser. Examen Mysterii Plessiani.

MYSTERIUM INIQUITATIS,

SEU,

HISTORIA PAPATUS.

Quibus gradibus ad id fastigij enisus sit, quámque acriter omni tempore ubique à piis contrà intercessum.

Asseruntur etiam jura Imperatorum, Regum, & Principum Christianorum adversus Bellarminum & Baronium Cardinales.

Auctore PHILIPPO MORNAYO PLESSIACI MARLIANI, &c. *Domino, Christianissimi Regis in sacro Consistorio Consiliario, Cataphractorum turmæ Ductore, Salmuriensis ditionis Præside, Domus Regiæ Navarrenæ Præfecto.*


Editio tertia & ultima recognita.





GORICHEMI,
Ex Officinâ PAULI VINK, Bibliopolæ.

Anno M. DC. LXII. - 1662





Gravissimo Prudentissimoq; Viro,

D. ARNOLDO AB HOEY,

Ex-Consuli, & Reipubl: Gorinch: ejusdemque tractûs Tribuno ærario.

N*On multas*, Amplissime Domine, *conquiram causas, cur librum hunc tibi inscriptum iverim: ita nempè jussit ejusdem præstantia, atque apud omnes æquos rerum judices æstimatio. Heic ad oculum videre datur* Mysterium *illud* iniquitatis *(uti habet Titulus) de quo Prophetæ & postea Apostoli vaticinati fuêre; & quid quæso suavius piæ menti accidere potest, quàm agnoscere vaticinia de rebus gravissimis, Ecclesiam* Jesu Christi, *Filii Dei, concernentibus, olim edita, hodiè eventu ipso esse comprobata, & suum singulis constare complementum? Accedit & affectus in me tuus, cujus eximia non semel expertus sum speci-*

mina; ſed de quibus præſtat tacere, quàm operoſè quicquam dicere, omnis quippe laudatio contraria eſt modeſtiæ tuæ, neque eam, (ut nudato loquar capite) fert mea ruſticitas. Accipe igitur hoc, quicquid eſt muneris, eo, quo offertur, animo, id eſt, grato, atq; ab

Amplitud: tuæ addictiſsimo

PAULO VINCK.

Cla-

Clarissimo ac celeberrimo Theologo

D. GISBERTO VOETIO

S. Litterarum in Ecclesiâ, & Academiâ Ultrajectinâ Doctori.

Clarissime ac Celeberrime Vir,



Uantus vir fuerit illustris Mornæus Plessiaci Dominus, quantumque ille consilio, gladio, calamo, pro tuendâ veræ religionis & patriæ libertate sub ductu serenissimi regis Navarreni, postea Galliarum Henrici IV. gesserit, neminem ignorare arbitror; cui historiæ rerum Gallicarum jam inde à lanienâ Parisiensi aº. 1572. & deinceps, adhæc tam multa ac varia Herôis illius scripta partim latina partim gallica æternitati consecrata, si non perspecta, saltem inspecta fuerint: Ne quid dicam de vitâ ejusdem non ita pridem a viro erudito & diserto gallicè descriptâ.

Inter scripta omni exceptione majora, materiæ congestæ & laboris immensitate, autorum ac testimoniorum adductorum multitudine, usus quasi universalis ad quoscunque literatorum ordines & status, ad quæcunque Reipublicæ & ecclesiæ negotia ac consilia extensione, styli gravitate, se maximè commendare videtur *Mysterium iniquitatis* seu *Historia Papatus*: cujus lectio tam avidè certatim frequentata, ut omnium editionum exemplaribus distractis, solum

 desi-

desiderium quamplurimis lucem hanc quærentibus relictum sit. Ego cum viderem aliunde, defectum hunc non suppleri, putavi me publico non ingratam operam præstiturum, si indicia & judicia eruditorum de hoc opere secutus, accuratam ejusdem editionem denuo adornarem; & votis eorum, quorum bibliothecæ hactenus tanto thesauro carere coguntur, quam primum satisfacerem.

Cum autem tu vir clarissime rogatus a me hujus novæ editionis author mihi fueris, & assiduâ tuâ commendatione excitati φιλομαθεῖς quamplurimi ex vestrâ Academiâ quotidiè prodeuntes, exemplaria passim quærerent, plerique tamen non invenirent: non putavi me absonum quid commissurum, si tibi non vulgari magni & celeberrimi Plessæi admiratori & apud tuos encomiastæ, hanc qualemcunque operam nostram dedicarem. Tu, quæso pro humanitate tuâ, & erga studia hæc affectu, eo animo suscipe, quo offertur; meque nominis tui cultorem favore tuo vicissim dignare. Gorinchemii Kal: Octobr. A°. 1661.

Tui observantissimus.

PAULUS VINCK.

SE-

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO JACOBO I. BRITANNIÆ & Hyberniæ Regi,

PHILIPPUS MORNÆUS,

Salutem in Christo.

PROGRESSUM *Mysterij illius, piósque obnitentium conatus tot retrò seculis sigillatim executus, cui dicâre debeam ambigere nefas. Sementem tu,* Rex Serenissime, *ultrò dedisti, Messem quasi Coloni tui accipe: sed æquus, sed facilis, quia tua ex tuis. Vindicem enim te præterea ego indignus experior, cui toties ab adversariis crimini datum, quod Laicus, quod militiam professus, Theologica tractare, Papatum aggredi non sim veritus. Quid igitur, cum tu,* ποιμὴν *ipse* λαῶν, *tot sceptris decorus, sacróque baltheo divinitus accinctus, stylum in eum tuum stringere non dedignaris, operæ tuæ pretium putas? quem calamo tam fœliciter confixisti, quidni propediem ultore gladio gloriosè transfixurus? Liceat enim mihi augustam illam tuam Præfationem ita interpretari, eo aliàs nomine non censendam, quam utique* ποίημα *ipsum, Opus* ἀνάλογον *mox sit consecuturum. Venatio illa, tanto Munerario orbi exhibenda, Belluæ illius Apocalypticæ, quæ sane Regiâ indagine, regiis plagis, venabulo demum tuo digna jam sola. Arduum opus, ajunt, Arduum verè, Sed Carni & sanguini, sed Homini: At ei minimè qui Verbum Caro factus, qui Homo Deus, qui dixit, cui dixisse satis. Arduum olim nec diffiteor: At jam proclive. Quia maturum, quia die interpellante, quia ipsâ rerum natûra obstetricante, quia Fatis sibi viam aperientibus, quia Deo auspice, auctore, adjutore, impulsore. Adsit modo qui conetur, qui ausit, qui velit, in irritum neutiquam casurum, Cum post tot tantaque veneficia, parricidia, ad truculentiæ cumulum nihil desit, supersit ad impietatis fastigium planè nihil. Ergo, Apage, Rex magne, calamos. Hunc ego meum jam appendo satur. Alios mores hæc ætas postulat, aliis posthac telis opus, Novus nobis prodeat ex Britanniâ Constantinus, Maxentium, Pharaonem alterum in Ponte Milvio calcaturus, pessumdatûrus. Ambiguos ille consilij Principes ac populos firmet, studijs scissos adglutinet, palantes colligat, alacres exacuat, Alpibus inde succollantibus, Eridano sese sponte diffindente, dissiliente Apennino, multis ad Libertatis signum concurrentibus, cæteris in eventum cernuis, Romam intrepidus, nunquam frustrà tentatam rectà ducat. Quis ad ipsum tubârum clangorem, subsessuros colles, procubituros muros, Molem adeò ipsam du-*

dubitet? At pergat ille porrò, Iudiciorum Dei *rigidus exactor, Iovem* Capitolinum *de ſede nunquam reponendum, excuſsis fulminibus exturbet, Babylonem ipſam refuſo Tyberi, reſtagnante ipſo Averno, nunquam emerſuram, molæ inſtar demergat. Hanc tu Rex potentiſsime laudem, hanc lauream, abſit ut tibi præripi patiaris, cuiquam alij ſervatam velis, non ſanguine, non vitâ, non carioribus cæteris redemptam mâlis. At tu Iehova Deus, cujus res, cujus gloria hîc propriè agitur, cujus abſque ope, fruſtra ſint vota, ſuſpiria, molimina noſtra, evigila, exurge, robur indue, juſtitiam ut loricam, Voca ſervum tuum per nomen ſuum, prehende dexteram Uncti tui, ambula ante faciem ejus: complanentur valles, ſubſidant montes, conſternantur fluvij, pateant januæ, conterantur vectes, contremiſcant populi, corruat Iericho illa in ſpiritu oris tui, in conſpectu ejus. Ego ſexagenario licet jam major, lateri tunc ipſius hæream indivulſus, inter anguſta, inter aſpera Alpium ſenectam exuam, inter principia prælium miſceam, inter Triumphos, præcinente Angelo* Cecidit *illud congeminem, ſanctæ huic lætetiæ totus immergar, æternæ côntiguus immoriar raptus. At te* Rex Sereniſsime *interea, Deus Opt. Max. ad ſacram illam militiam ſepoſitum, accingendum, ab hoſtibus tuis tutum, Eccleſiæ ſuæ, Regno tuo, piis omnibus ſalvum & incolumem ſervet; Amen.*

Salmurij Anno M. DC. XI.

AD
ECCLESIÆ ROMANÆ
SECTATORES

PRÆFATIO.

VOs iterum compello, Domini ac Fratres; Importunus for-
tè, sed ab illâ importunitate, quam discipulo commendat
Apostolus: *Insta* εὐκαίρως ἀκαίρως, salutari illâ & peroppor- 2.Tim.4.v.2.
tunâ, quâ chariores quosque etiam capillis arreptos, incen-
dio aut gurgiti eripimus: quâ veterno aliâs immoritûros vellicamus, lan-
cinamus, tantumnon laceramus. Ergo, quid vobis dicam? Plerisque
inter tot dogmata pugnantia, natantibus an nutantibus, nonnullis &
pedem extra Babylonis limen efferre parantibus, Papatus moles, tan-
quam μορμολυκεῖον aliquod obtenditur; Vetus illa & quo annis gravior,
ut in ventrem undique procumbat, eo stupenda magis. Reformata con-
tra Ecclesia, cum & pusilla & nupera sit, ipsâ seu novitate, seu tenuitate
contemnenda. Et hîc illud Iudæorum ad Christum Dominum, Philoso- Marc.1.v.
phorum ad Paulum, ad ravim usque ingeminatur: *Quænam est hac nova* 27.
doctrina? Nos scimus, quia Mosi locutus est Deus, Hunc autem unde sit ignoramus. Act.17.v.19.
Quibus, servatoris ipsius verbis, antiquitatem præposterè ostentantibus, Mat.16.8.
respondêre promptum. *Non sic fuit ab initio: Si Mosi crederetis*, si *scriptis*, Ioh.9.v.29.
inquit, *Mosis, crederetis & mihi:* si veræ antiquitati, si sacro Dei verbo, si Ioh.5.v.46.47.
scripturis divinitus inspiratis, Quæ solæ Archivæ Christianis. At sane
utrique scrupulo, unâ hac operâ vobis, nî duriores creditores estis, fa-
ctum hîc satis. Papas perpetuò quales jam adoratis vobis ne fingant.
En eorum hîc ortum, progressum, auctum, furtivos, obreptitios, effe-
ros, immanes gradatim ausus, impetus, insultus; Mysterium utique
ministerij prætextu, in Portentum hoc tandem desinens, in biceps hoc
Monstrum: Dum Euangelij Ministri, Presbyteri, Episcopi, Archiepis-
copi, Patriarchæ, partim sub Ethnicis Principibus dira pro Christi no-
mine patiuntur, partim sub Christianis ditati licet & dotati humiliter &
ex animo primum, mox retractanter & perfunctoriè, verendi magis illis
quàm reverendi obsequuntur. Inde per apertum ambitum nonnullorum
sceleribus, Phocæ in primis parricidio adblandientes, Universales Epis-
copi fiunt, mox & Principes terreni, exclusis Cæsaribus, in Italiâ eva-
dunt, Eorum se obsequio subducere non contenti, Proceres & populos

sacramenti & fidei vinculo sibi devinciendos absolvunt. Tandem utroque gladio minaces, sacris profana miscent, sacra in profanis absorbent: Reges inter se commissos atterunt, conterunt: per eorum stragem ad summum potentiæ fastigium sibi viam, sibi gradum faciunt; Cęsares coronant, constituunt, destituunt, conculcant: Imperatoribus imperitant, jam Cæsares & Pontifices simul, jam orbis Domini, jam mundi Monarchæ, jam Angelis superiores, jam Deo ipsi pares, Dij & ipsi Optimi Maximi, Dei summi mandata surrogantes, abrogantes, Dei ipsius ad nutum, cum suis adeò creaturis, creatores. Jam extrema duo copula tu, quisquis dubitas, & compone, Ministrum Dei, Presbyterum olim, jam Deum factum, jam Dei ipsius solio imminentem, jam Deo, si fas credere, satellite utentem; olim humilem, mitem, servorum servum, quibuscumque Principibus obsequiosum: Jam superbum, trucem, augustiorum quorumque Augustorum colla prementem; Olim sanctimoniâ conspicuum, pro Christi nomine nihil non passurum: Iam vano sanctitatis titulo prætumidum, profanum, sanctorum Christi sanguine tinctum, ebrium. Quæ hic, rogo, inter tam diversa, tam adversa aut ratio, aut commensuratio? Et quid non hic attoniti exclamemus: Mysterium Babylon magna! Et porro nobis in tantâ novitate, tam multiplici novatione, objiciatur Papatus antiquitas, ubi Satan sub Petri nudo nomine non amplius larva?

Ecclesiæ etiam nomen ne vobis dolosè reponant, Catholicæ utique, ut Romanam supponant. Non Romana Ecclesia, Ecclesia Universalis tota, Catholica: Pars illa hujus olim aliquanta, dum stetit: At aliquanta, at cum cæteris, at non præ cæteris: Ut in ejus seu labe, seu interitu non pereat sanè grex Christi, licet depereat: non ejus defectione deficiat, deficere possit. Fuit & Romana olim casta, sponsę pars non minima, dũ sponsi voci adhæret & alienã aversatur, Tabularũ dotaliũ memor: Sed obrepsit adulteratis clavibus adulter thalamo, fortè an & ab ipsâ per posticum admissus. Thorũ ejus commaculavit, luridam ex contagioso concubitu, pro lucidâ faciẽ induxit, pigmentis suis nativum colorem, figmentis germanã doctrinam infecit, immutavit, ut in fucum illa tota & mendacium ferè abierit. Et occlamatũ quidem fortiter à cæteris Ecclesijs, Africanâ, Gallicâ, Germanicâ, Græcâ, orientalibus alijs. Nec defuerunt apud ipsammet canes fidi, qui & gliscenti, & parietem fodienti, & perrumpenti, dum licuit etiam vitæ periculo oblatrarent, interpellarent, inquam, intercederent: caput ruinam pandenti, invadenti, ad summum enitenti objectarent: Donec tandem colludente Clero Romano compos factus, omnia pro libidine agens, ferens, Domum Domini & Augiæ simul stabulum & Caci spelun-

luncam fecit, pios pene omnes, pietatem fere universam miserè oppressit. Exinde tamen, compressos bonorum gemitus, passim erumpere videas: Inter hæc, Mulieris à dracone fugientis, Columbæ nostræ, purioris Ecclesiæ, querulos accentus audias; Vestigia nonnunquam, avolantis licet à persecutorum facie, internoscas: At hęc sanè à persequentium turbâ inarata, proscissa, semiobruta. Hos inter Salmonea Paparum tonitrua ægrè exaudiendos, & crepitantibus undique flammis interceptos, & tamquam in Phalaridis Tauro, in Monachorum scriptis, in adversariorum ore (ne piorum supplicijs ingemiscas) in mugitum versos.

Rogas tu igitur, tot retrò seculis, ubinam Ecclesia nostra? *Ubi pascat, ubi cubare faciat in meridie.* Audi sodes. Dicitur à Iohanne Euangelista, *Mulier illa* Ecclesia à facie draconis in eremum, in solitudinem fugisse, *ubi locus ei à Deo paratus, in quo pasceretur diebus mille ducentis sexaginta:* Propheticis nempe, definito spatio nec eo quidem brevi. Non igitur illa nobis in Papatu, in luce mundi, inter luxum illum & fastum invenienda, investiganda. Dicitur & draco ille, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, *qui seducit totum orbem habitabilem*, irâ intumescere, Mulierem persequi, quò totam deglutiat ingens flumen effundere: *datas* verò tum *Mulieri duas alas ingentis Aquilæ, ut in Eremum volaret*: Et volatus in aere nulla uestigia, ut illa sanè indagare, multo minus indicare teneamur, Scripturæ sacræ credere satis habentes, Notos Deo suos, Notam Deo, ut Eliæ tempore, Ecclesiam suam, Prophetę licet ignotam, à nobis tot interjectis seculis, nullo jam jure reposcendam. Apo. c.12. v.6. & 16.

At sanè summo tecum jure agere nolim: Vin tu scire, ubi & quę nostra olim Ecclesia? Nostra erat Primitiva Apostolica illa, divino Spiritu afflata, divino Verbo pasta, quę nobis sacrarum Scripturarum Canonem, fidei vitæque normam, Symbolum Apostolicum, Christianę militiæ tesseram reliquit. Hæc, qui rejectis hominum commentis amplectimur, alienam vocem longè amolimur, Ecclesiæ illi toto orbe diffusæ, ad extremum usque mundi diem, Domino attestante, perduraturæ, quidni consociemur? Quidni verò interminante Paulo, Anathema tu ab illa, qui præter hoc Euangelium euangelizas, de quo ipse, Gal. 1.v. 7.8.9.
Si nos aut Angelus de Cœlo, præter illud, Anathema esto. Nostra illa huic continua, nedum contigua Ecclesia tot tantisque miraculis corusca, tot tantorumque Martyrum sanguine purpurata, Miracula quandoquidem illa Euangelij hujus fidem attestantur; Martyria Christo unigenito Dei Filio, soli generis humani redemptori, Mediatori, servatori, soli novi Fœderis verè Sacerdoti, testimonium perhibent: Quod nos

ſolum urgemus, impugnatis cæteris, ſanguine noſtro obſignare parati ſumus. Noſtra proinde & Miracula & Martyria illa, quatenus ejus Commilitones, concorpores ſumus. Cedò vero: Num traditiones tuas illis Miraculis confirmatas: Num pro Papatu, pro Papali doctrinâ, imaginum adoratione, Sanctorum cultu, Purgatorij nundinatione, Miſſæ ſacrificio, Tranſubſtantiatione, Martyrium illos ſubiiſſe, dicere ſuſtineas. Et quo igitur jure Eccleſiæ illius aut Miracula aut Martyria tibi arroges, quâ non injuriâ nobis ſuæ fidei, utinam & conſtantiæ, hæredibus auferas? Noſtra demum illa Eccleſia, quæ hæreticos olim pervicit, Arium, Macedonium, Neſtorium, Eutychen, Pyrrhum, addamus & Papam Honorium, Qui unigeniti Filij & Spiritus ſancti divinitatem, utramque etiam tum naturam, tum voluntatem Chriſti controvertebant. Noſtra Concilia illa Univerſalia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, alia, In quibus damnati illi cum ſuis & profligati; Quippe cum ea nos arctiſſimè complectamur, Eccleſiam proinde, quam repræſentabant univerſam; ut ab eorum doctrinâ nuſquam devij, ita nec ab ejus corpore divellendi. Cedo rurſum: Nunquid idem audeas? Et ſi præ pudôre fortè audêre videri vis, Annon Papam tuum in ordinem cogendum vides? Annon Papatum illicò ruiturum? Inventis verò illis tuis, num in illis probatiſſimis & antiquiſſimis Conciliis uſquam locus? Et tamen hæc ad ſexcenteſimum uſque à Chriſti natali annum nos perducunt: Quo univerſo utique temporis ſpacio, ſi quæ nos affirmamus dogmata Scripturis ſacris, Symbolis, Miraculis, Martyriis, Conciliorum Decretis paſſim obſignantur, quæ nos negamus contrà, nuſquam comparent, nedum ut aſſerantur, Annon meritiſſimo jure profitemur noſtram fuiſſe Eccleſiam illam? Ut nobis longè æquius regerere vobis liceat: Totis illis ſexcentis annis veſtra Eccleſia, ubinam gentium (& ſane gentium) *paſcebat, vegetabat?* Quæ cum non in monte Sion, certè in collibus & lucis Gariſim, in montanis Seir, in paſcuis Ethnicorum: Unde corraſum à vobis, quicquid aut in Synagogam ſuperciliosa Phariſæorum ſchola, aut in Academiam inanis Græcorum Philoſophorum ſuperſtitio contulerat.

Iam igitur invaleſcente unius Hominis in Eccleſiâ Romanâ, per divini Verbi contemptum, authoritate; Principibus etiam, quod prædictum erat, potentiam ſuam ei certatim accommodantibus, Leges ille pro arbitrio figere, refigere, Commenta humana divinis oraculis, Decreta ſua conciliorum canonibus, nova veteribus, profana ſacris, undecunque mutuata propriis & germanis, adulterata genuinis, ſuperſtitionem religioni, Helleniſmi apparatum Chriſtianæ ſimplicitati, anteferre; Et hinc por-

porrò illa in labem, in tabem paulatim dilabi, diffluere. Ita tamen ut in mediâ illa & oppressione & confusione, pars adhuc nostri, & duplici quidem ratione extet adhuc, & subsistat. Pars nostri, Ecclesia illa, corrupta licet, ligno, fœno, stipulâ involuta, tantumnon obruta, dum θεμέλιον illud, fundamentum unicum Christus Jesus in eâ stetit: Dum in eo solo constituta hominis salus, in ejus merito, in sanguine Crucis ejus: Non in operibus seu nostris, seu alienis: non in Papalibus aut absolutionibus, aut indulgentiis, aliisque ejus generis blasphemis nugamentis. Et ut mutante vento, nutantibus nubibus contingit, pependit aliquandiu res quasi in æquilibrio, donec præponderante impietate, prono ex philautiâ, in humana figmenta hominis animo, vera pietas tolleretur. Pars itidem nostri, & purior multò, quatenus emergunt & caput attollunt identidem insigniores pietate & doctrinâ in singulis ferè Nationibus viri; Cœtus interdum aut Episcoporum, aut Universitatum integri, qui rapidissimo huic flumini velis remisque obnatant, novum opus subinde nuntiant; Ut frustra sunt, in gemitus, in clamores, in obtestationes strenuè erumpunt, Testes Cœlum & Terram in Papas eorumque Asseclas cient; qui profectò, cum tam clarè, tam sonorè loquantur, tot numero, tot in locis, nec quidem ex compacto, sed ex communi calamitatis sensu, quam multos præ metu labia compressisse, animas suas in silentio puras possedisse verisimile est? Quales illi sanè, de quibus Dominus Eliæ: *Reliqui mihi ipsi* ἐμαυτῷ *septem mille viros, qui non incurvaverunt genua Baali*, Mihi ipsi, inquit, stant illi Domino suo, ut de iis non sit quod labores. Et plures sanè septies septuaginta mille, innumeri, inquam, toto orbe, quando serior hîc quam illîc Tyrannis aut corruptio, quando solus falso cultui obnititur in Israële Elias: In tot regionibus tam multi, quando non alij nobis supersunt testes quam adversarij, quam Paparum mancipia, quos, quæ ad purioris fidei seriem pertinebant, partim reticuisse, partim interpolasse, vel Iesuitarum hodiernorum exemplo & argumento, dubitet jam nemo.

1. Cor. 3.

Rom. 11. v. 2.

Et hæc in septimum, octavum, nonum seculum incurrunt, quibus & Oriens cum Occidente ex diametro pugnat, & in Occidente ipso Concilia alternant, & in eodem Concilio, dubia sæpè subsellia, Crepusculum quasi Ecclesiæ in tenebras paulatim devergentis, demergentis. Nox illunis, raræ stellæ & quæ rutilant errabundæ, pleræque nostro firmamento, Verbo Dei minimè affixæ: Ut supremam illam, seu doctrinam seu mores spectes, occumbere verè existimes, transverberato Ecclesię pectore, transfixo pene corde, secato vere jugulo: Doctrina de unico Mediatore, redemptore, servatore Christo, de unico ejus sacrificio propitiatorio, pene extincta, apud paucos, si rerum faciem spectes, reservata.

 Tem-

Tempus haud dubiè illud, quo *Mulier* illa, purior Ecclesia à Dracone fu-
Deut. 32. v. 11. gata, alis Aquilæ ingentis subvecta, eremum petere cogitur; Aquilæ illius, utique Iehovæ omnipotentis, qui Ecclesiam suam, cum opus, ut pullitiem suam Aquila servaturus circumfert. Quo & Draco ille, aquam
Apoc. 12. v. 5. fluminis instar *ex ore post Mulierem*, Ecclesiam, *evomit*, ut eam ποταμοφόρητον ποιήσει, vorticibus suis involvat. At illa sane, quam sublatam ex oculis circumspicis & jugulaturus persequeris, aërem pennis secat, prærupta montium quærit, ibi sub alis omnipotentis delitescit, conquiescit, Et quam, miser, periisse putas, provolat, exinde duodecimo seculo ineunte, in planitiem, promovente, præeunte Deo, in Aquitaniam, Galliam Narbonensem, Transalpinam se affatim effundit, inter Alpes & Pyrenæos, omnia Euangelij præconio complet, desævientibus demum suis hostibus Pontificibus tuis post multiplicem stragem, totâ Europâ, non tam disseminatur, quam proseminatur: In Germaniâ, Illyrico, Pannoniâ, Brittanniâ adeo ipsâ, in Colonias, in Ecclesias, propagatur; Apostolicæ utique illius primigeniæ sortem experta, quæ Hierosolymis à furentibus Sacerdotibus pulsa, in omnes mundi plagas summâ Dei providentiâ pervolitans, Euangelii vocem, toto orbe omnibus exaudiendam circumgerit. Lege, mi Homo, historias hujus temporis, authoribus licet tuis, testes nos ex tuo sinu producimus, non alios vestro beneficio an maleficio possumus: Vestigia ejus tibi connotare facile: Hîc catervatim, agminatim cæduntur, illic gregatim uruntur, ustulantur: Iter illa tibi suum, ne fallaris, ne aberres, perennibus cineribus, recenti in ævum Martyrum suorum sanguine conspersit, consignavit, ut aliâ tibi indagine, aliis viæ indicibus non sit opus.

At enim annosam illam & pannosam, licet minus rugosam aspernaris, & nativum colorem, quanquam niveum fastuosè fastidis, & ostro muriceque superbam, stibio cærusaque nitentem, juveniliter ad omnia nova prurientem, mollis tu & delicatulus malles. Non mirum si Babylonicam illam Meretricem amplexatus sis, arctè amplectaris, quæ tota coccus merè & fucus. Vineam tu Domini selectam, maleferiatus Vinitor, arborescentem & in pampinum luxuriantem tibi proponis, in labruscas abeat an in uvas parum sollicitus. At hanc & in se humilem & in humilitate continendam subinde putat Agricola optimus, ocello uno aut altero interdum relicto, eoque lachrymabundo, ut fructus eò uberiores, eò meliores ferat: folia etiam identidem destringit, ut solis sui radiis pateat magis, & quasi insolata, maturiores uvas in generosissimum vinum exprimendas producat. Et Ecclesia ergo nostra, ubi toto illo tempore sedes habuerit jam tenes. Solem tibi Occiduum cum Oceano se tingere videtur,

tur, Barbarus tu extinctum putas: At ille universo orbi natus & datus, aliis gentibus, ad te stato tempore, reversurus enascitur, facem præfert. Rhodanum tu cum in Lemanum Lacum sese condit, obrutum cogitas: At aqua illa viva & perennis stagnantem & emortuam findit, viam sibi per gurgites facit, Ecclesia utique nostra per seculorum volumina sibi aperit, Infusus ille & ἀσύγχυτος, inconfusus permeat; inde superbior triumphabundus, terras latè pervagatur, undequaque occurrentibus fluvijs turgidus in Oceanum, (Ecclesia Christi in Deum omnium bonorum pelagus devolvitur) tandem & demergitur.

Ionam attende corporis Dominici in sepulchro, proinde & Ecclesiæ figuram, A cæto illo immani, quia absorptum vides, devoratum protinus credis; Et verè: *Circundabant me*, inquit, *aquæ usque ad animam, Abyssus adeo ipsa, & alligata erat alga capiti meo, ut ego dicerem, ejectus sum à conspectu oculorum tuorum*, Iehovæ ipsius, si fas dicere, nedum hominum, nedum hostium. At, *ego*, inquit, *pergam nihilominus intueri in Templum sanctitatis tuæ, è ventre illo sepulchrali*, è mediis Belluæ illius visceribus, *vociferatus sum, & exaudisti tu vocem meam:* ad Dei omnipotentis nutum evomit Bellua Jonam, *in aridam*, Ninivitis mox etiam, ab Ecclesiâ alienis pœnitentiæ Præconem dandum. Et quid jam mirum, si quam Papatus absorpserat dicente Domino, postremis hisce temporibus, & quidem Euangelium suum tantò augustius promulgaturam invitus evomat? Ion. 2. & 3.

Rogo verò te vicissim, toto illo tanti temporis tractu, ubinam Ecclesia tua? Et responde sodes. Totis illis à Christo Domino sexcentis annis, toto orbe num ulla tua? Quę imagines coleret, vestiret, perfumigaret, adoleret, adoraret, invocaret? Nisi tu illam fortè inter ethnicos quæris, Simonis Magi saltem non Petri prolem. Totis mille annis, quę hostiolam illam tuam, Dominum appellaret, Deum putaret, adoraret; totis mille ducentis, quę includeret, circumgestaret, officium ei proprium destinaret, populo obstipis oculis spectandam Theatricâ Pompâ exhiberet. Num etiam totis mille annis, quę Christum Dei filium, inter Presbyteri manus sisteret, imo crearet, sacrificium ejus singulis momentis sexcenties iterandum certo pretio addiceret; eliminatâ antiquâ & Domini institutione & Christianorum synaxi, solitarias Missas, pro vivis & mortuis in angulis demurmurandas, frustrato populo, adempto etiam sacro calice, aut admitteret, aut hactenus induxisset. His abusuum portentis ut porta patêret, quâ semel data ingruerent, Scripturam insufficientię aut imperfectionis, libris in eam rem scriptis, argueret, ejus lectione, periculosâ quippe & lethali, fidelibus, indictis gravissimis pœnis, publico Decreto interdiceret? Rursum: Num quæ usquam

to-

toto orbe, totis sexcentis annis Papam Romanum Universalem Episcopum, Principem terrenum, utroque gladio succinctum crederet: Totis mille, extra Romam, Papam simul & Cæsarem, orbis Dominum, verum Ecclesię sponsum, agnosceret? Totis mille & ducentis, Conciliis Oecumenicis, Ecclesia universa, Scriptura ipsa sacra superiorem assereret; Et porrò de animarum statu, pro Indulgentiarum suarum modo statuere, Purgatorium claudere, Cœlum aperire, hos aut illos, pro libito, aut in Sanctorum numerum referre, aut inferno addicere, Angelis imperitare, Leges Dei pro arbitrio an libidine revellere posse, Deus proinde & supra Deum ipse aut crederet, aut credi juberet? Adde si vis ad extremum apparatum, quę Monachorum tot tantaque examina, quæ mendicantium ordines, quę Cardinales purpuratos, quę totam illam Pontificum pompam, Ianizeros adeò & Mammalucos, suos tandem Iesuitas Papalis exercitus quasi Triarios usquam nosset? Et in his tamen jam Ecclesiæ vestrę cardo, quę de necessitate salutis credi oporteat, à quibus vel tantillum discedere nefas. In his Bellarminus & Baronius toti: ut qui de apicibus illis suis vel apiculum decusserit Ethnicus & publicanus habeatur. His (pręcipuè quę Papam spectant) qui acquieverit, quod cuivis notum, hęreticus alias licet, prophanus, Atheus, Catholicus & Orthodoxus audiat. Et in Ecclesiâ igitur ista tua, ex Patribus, Concilijs, historijs etiam vestris, probanda, (neminem recuso) est quod jam desudes nobis.

At pergis tu interrogare contrà disputandi rationem, Ecclesiam nostram errasse, Et ita quidem, ut Christi hostem pro Christi Vicario exceperit, cui fiat verisimile? Et lues illa porrò quam dicis, quandonam & quâ parte obrepsit? Audi, mi homo, ne te hęc prępostera fiducia decipiat: Erraverunt Angeli in cœlo: erravit primus parens in Paradiso: erravit Iacob inter ipsas Dei visiones, Israel inter quotidiana miracula in deserto: Erravit Ecclesia Dei sponsa sub judicibus, sub Regibus, in conspectu Arcę Domini, increpantibus licet Prophetis in terrâ illâ sacrâ, sub primo sępissimè Templo, nec minus sub secundo. Erravit denique Legalis doctrinę studio tumida, in Christo Domino rejiciendo, crucifigendo, proinde in salute ipsâ. Quidni jam, cum utrumque ab eodem genio, ingenio, cum utrumque ejusdem fidei ab eodem ore profectum, in Antichristo, in Homine illo peccati, perditionis Filio, admittendo, adorando? Et verò ut erravit verbo Dei neglecto, errabit porrò quotiescumque pyxidem hanc nauticam omittet, incerto illi protinus cœlo, salo, solo: Ut jam quod erraverit, quod erret, suis cogitationibus permissa nil mirum sit, mirum sit & supra miraculum, si absque illâ, vel momentum cursum teneat

at ſuum, non illicò aut ſcopulis allidatur aut in malè fidum littus, defixâ prorâ, ſolutâ puppi impellatur potius quàm adpellatur. Momentum verò ipſum quo id contigit tibi aſſignari cum flagitas, Myſterium hoc, amice, in tenebris peragebatur; Et Furi comparatur Antichriſtus, qui parietem intempeſtâ nocte fodit: Quâ igitur vigiliâ opus aggreſſus ſit, veſtrûm propriè ſcire, indicare: quos tanto ante tempore à Domino præmonitos, quin & in excubiis collocatos fallere non debuit: quorum proinde, aut lata negligentia, aut malo dolo Arcem Romanam, proinde & Eccleſiam veſtram invaſit. Ridiculus verò Hydropicus fortè tu, & tibi ipſe iniquus, qui in utrem intumeſcis totus, totus jam in aquam abis, nec prius tamen medico auſcultare, vitæ rationem immutare vis, quam tibi temporis punctum adſignarit ille, quo jecur incaleſcere, ardere, arere, quo occalleſcere, quo in Scirrhum durari cœpit, quandoquidem hoc ſcire primus debuiſti, ſi ſciri potuit, tibi intimus ipſe: Et id morborum genus Hippocrati primò cognitu difficile, facile curatu: tractu temporis, ingruente multiplici ſymptomate, cognitu perquam facile, curatu difficillimum evadit.

Sed pedem hic adhuc conferre non recuſem. Vin ſcire ex quo Antichriſtus Eccleſiam, quam jam inſidet, cui pridem imminebat, invaſerit: Surreptum ſanè ante Palladium Eccleſiæ oportuit, quàm equus ille fatalis admitti poſſet: Verbum Dei, Scripturæ ſacræ Candelabrum ſub modio ante abſcondi, quàm fur ille obrepere primum, inde graſſari auderet: quo ſtante, circumſideat fruſtra Eccleſiam ſuperſtitionum colluvies, à Troiâ noſtrâ, vallo & pomœrijs, nedum ab Atrio, Templo, adyto, procul faceſſere juſſa. Draco igitur ille antiquus, Traditionem verbi *ἀγράφε non ſcripti* ſpecie, Eccleſiam tradituram proponere furtim inſinuare; Hanc prudentia carnis carni affinem, philautiæ nativę congenerem gratanter excipere: *Verbo* ſcripto, oraculis ſacris adæquare: παρέδρον & παραβάτην contradere. Legem hanc ſæpius tentatam ſeptimo ſeculo, in ſeptimâ illâ Idololatricâ Synodo rogare, ſancire, Anteponere, demum & ſupponere, opponere. Simonis tum nomine magis quam ſpecie Sinon emergere, variis artibus imponere, machinam illam Palladij loco recipiendam, Græcarum impietatum Epitomen ſuadere. *Capys* certè tum, & plures alij, *quorum melior ſententia menti*, inſidias veriti, ſubodorati, comburendam inclamare, inſigniores Eccleſię toto orbe Patres, dira inde ominari, minari, reclamare, refragari, reluctari. At incauti vos, an malè cauti, ita ferentibus fatis, divinis utique Vaticinijs, definito tempore implendis.

*** *Di-*

Dividitis muros, & mœnia panditis Urbis,
Et licet ——— *Utero ſonitum quater arma dedêre*

ſuis ſeſe indiciis inſidiæ illæ proderent, nil morati præmonitores Apoſtolos, monitores tot tantoſque Eccleſiæ proceres,

Inſtantes operi immemores cæcique furore
Hoc Monſtrum infœlix ſacratâ ſiſtitis Arce.

Inde igitur ille in Urbem, in Eccleſiam igni ferroque graſſari, ſacra omnia contemerare, ab Harpyarum ſuarum manibus nil intactum relinquere, Superſtitiones omnis generis ex equo illo effundere, non jam Argivo, ſed quia ita libet jam Troiano, Catholicas jam, Orthodoxas, quippe à Pontificibus (ſunt hæc veſtrorum verba) conſecratas, ſanctificatas. Et in hoc tu incendio, in hac rerum omnium confuſione, proximo jam ardente Ucalegone, οὐκ ἀλέγιστος ſanè, conflagrante arce, adlambentibus jam ora tua flammis, oſcitaris tu & pandicularis, cavillaris, argutaris: qua parte primùm immiſſus ignis anxius, cæterum ſecurus hæres hîc concremandus & ſtupes totus? Non ita prudens Antenor, non pius Æneas: Perruptis illi Achivorum globis, urbe ſeſe cum ſociis, partim proripiunt, partim prorumpunt: ut quiſque ignem ſemiambuſtus evaſit, manum faciunt, rates qua poſſunt conſcendunt, ſedes novas quęrunt, inveniunt, conſtituunt. Troiani perpetuò illi, quocumque migrent, quemcunque locum inſideant, qui Penates, qui patria ſigna ſecum ferant, Chriſtiani, Orthodoxi, qui Verbum Dei à Græcorum ignibus intactum, Sacramenta Domini integra, illibata ſecum aſportent, venerantur, cuſtodiunt. Non Græci, Ilio licet potiantur, Ilio incubent, quoquo tandem titulo ſuperbiant, non tu ipſe jam dedititius, jam transfuga, jam patriæ deſertor: cum hoſtis *ubi Troia fuit*, Antichriſtus ubi olim Chriſtus: furibundus ut olim in medio Templo Antiochus, inter ipſa altaria, ipſas adeò vittas & victimas ſane ſacrilegus.

Apoc. 13. v. 5. Theſſ. 2. c. 2. v. 4. Lib. Benedicti de Benedictis Bononiæ excuſus, An. 1608. Item Theſ. Caraffæ. Neapoli excuſæ 1609.

Ambigitis adhuc, Fratres ac Domini: Audite Iohannem: *Et datum eſt illi os loquens grandia & blaſphemias*; Paulum quoque: *Sedet in Templo Dei tanquam Deus, præſe ferens ſe eſſe Deum.* Audite jam & videte Paulum V. Pontificem huncce veſtrum. Præfigitur ſuorum libris, heri aut nudius tertius excuſis ad vivum, quaſi in Tabellâ depictus, hac inſcriptione: PAULO V. VICEDEO, CHRISTIANÆ REIPUBLICÆ MONARCHÆ INVICTISSIMO: ET PONTIFICIÆ OMNIPOTENTIÆ CONSERVATORI ACERRIMO. Quo & pridem ſtilo Tolentini legitur, PAULO III. OPT. MAX. IN TERRIS DEO.

Deo. Substernuntur Principum, Regum, Cæsarum sceptra, diademata: Circuustant illum, VULTU IMPERIUM PORTENDENTEM: (capiti imminet hæc inscriptio) principes, Reges, Cæsares ipsi cernui, fulguriti, attoniti, adorabundi: Circumsonat denique Verbum Dei, at quam præposterè usurpatum, detortum! *Gens & Regnum quod non servierit illi, in gladio & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus.* Ieremias capite vicesimo septimo. Quod de Nabuchadnezar Ecclesiæ devastatore olim prędictum, alter Caiphas, ipse sibi accommodat, in se ipse Christianæ Ecclesiæ Alastore impletum vult. Item, *dedit ei Dominus potestatem & Regnum, & omnes Populi ipsi servient, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpetur.* Daniel. 7. *Vultu in terram demisso pulverem pedum tuorum lingent,* Esai. 49. Quæ de uno Christo æterno Dei Filio in Ecclesiâ suâ regnante enuntiata, enuntianda nemini homini, citra blasphemiam communicantur. Hæc *jussu superiorum* Bononiæ, Neapoli, typis mandata: Nec temerè quidem, aut privato quorumdam studio, sed ex Senatus consulto Pontificio, re deliberatâ, solenni more, in loco Majorum, in congregatione publicâ, in Æde Minervæ, in Pauli ipsius conspectu, in celebri Cardinalium consessu, magno populi concursu, disputata, definita. Contrahis hîc frontem, Lector: Non arcana loquor, Novit hæc Roma, & prostant hęc Monstra cuivis monstranda, ostentanda: Et tu peregrinus verè in Ecclesiâ tuâ, si ignoras: tui proditor, si conscius dissimulas. Et nobis inter hęc Agyrtę isti, Antichristum Babylone natum, libellis consultò editis, nuntiare non erubescunt: felis dentibus, rotantibus oculis, momento adultum, miraculis jam inclarescentem, cum copioso exercitu mox adfuturum. Et vos, quæ illis de vestrâ vecordiâ an de suâ solertiâ opinio, his gerris ludificandos etiamnum putant: Usque quò aut illis impunè tam ferrea frons, aut vobis cum animarum dispendio mens tam plumbea? Et sopiendi vos perpetuò, nunquam sapiendi tempus?

Vos itaque jam appello, Populi, Quid amplius cunctamini? toties delusi, quin voci cælitus intonanti actutum obtemperetis. *Exite ex eâ Populi mei, ne de peccatis, plagisque ejus participetis:* Vos itidem Reges, tam diu inebriati: Quid circumspicitis: quin omnipotentis consilium, haud irritum, impletum accurritis: quin Belluam illam *desolatam & nudam facitis, carne devoratâ, igni comburitis? Plancturi*, alias, *super illa*, pœnas cum illâ luituri, qui cum illâ tamdiu delitiati, fornicati estis. At tu Christe Domine inter hanc cunctationem dicam an ignaviam, evigila, exurge, descende & vide Sodomę hujusce spiritualis peccatum כי עשו כלה quia consummatum plene & cumulatum. *Torcular calca solus, etiam si nemo ex*

Apoc. 18. v. 4. & 5.

Apoc. 17. v. 16.

Gen. 18. v. 21.

popu-

populis ex Regibus *nemo* auxiliator tecum. Accingere romphæâ tuâ, gladio tuo bisacuto, quo interficiendus impius ille, *spiritu oris tui*, verbo tuo:
Esai.63. 2. Thess.2. Ac tandem dicant Impij *à longè stantes propter timorem tormentorum ejus: Væ*
Apoc. 18. v. 10. *Væ Civitas illa Babylon Magna, Civitas fortis, quoniam in unâ horâ venit judicium ejus.* Concinant Pij & ingeminent. *Halleluiah, Salus & virtus & gloria Dei*
Apoc. 19. v.1.&c.2. *nostri, quia vera & justa judicia ejus: quia judicavit Meretricem magnam, quæ corrupit terram in fornicatione suâ & vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus.* Accinam & ego Domine secli pertæsus, annorum satur, tui
Luc. 2. v. 29.& 30. sitiens, cum Simeone tuo: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum:* Salutem Ecclesię
Apoc. 19. v.6. & 17. tuę ab hostibus suis: Agnum victorem, triumphantem propediem cum sponsâ immaculatâ, prędestinatorum cœtu celebraturum: Cui cum Patre & Spiritu sancto, honor & gloria in æternum, Amen.



MYSTE-

MYSTERIUM INIQUITATIS,

sive,

HISTORIA PAPATUS, QUIBUS GRADIBUS AD id fastigij enisus sit, quamque acriter omni tempore ubique à pijs contrà intercessum.



MYSTERII illius progressum describere consilium hîc nobis, quod ab Apostolo Paulo 2. ad Thes. 2. prædictum, à D. Ioanne in Apocalypsi 13. 14. 17. 18. capitibus, sigillatim expressum: series inde temporum, Prophetarum verè interpres, ex facto demum non tam exposuit, quàm re præstitit: ut id nostro hoc seculo & ad fastigium, rebus perpetuò in pejus ruentibus, perductum, & eventuum cum vaticiniis consensu an concursu planissimè & plenissimè retectum, inque apertam lucem productum, conspici possit. Paulus igitur, *Dies illa Christi*, inquit, gloriosus ille dies supremi adventus
Domini, non expectandus, *nisi venerit illa discessio primùm*, defectio illa insignis, 2. Thess 2. v.2.
ἡ ἀποστασία, nisi prius à puro Dei Christique sui cultu, pleraque pars Ecclesiæ descı-
verit, nisi etiam revelatus fuerit ἀποκαλυφθῇ, *Homo ille peccati : Filius ille perditio-* Apoc. 9.
nis : Caput ipse & Dux perniciosæ & factionis, & defectionis futurus, perditus ip- v.11.
se & alios perditurus: ut à Paulo υἱὸς ἀπωλείας, ita & à Ioanne idcirco, ἀπολλύων, meritissimo jure nuncupatus. Cujus interim, ne ex improviso offendiculo sit, portento similem potentiam nos celatos noluit: quippe qui Babylonis nomine, immanem illam confusionem designet, caput ei affingat *Mulierem sedentem super bestiam*, seu Apoc. 17.
feram coccineam θηρίον ostro, auro, & purpurâ conspicuam, omnibus terræ incolis, v.3.
non tam supereminentem, quàm imminentem, ac proinde non tam admirandam, quàm formidandam: At iis sanè, quorum nomina scripta non sunt ab ipsâ mundi constitutione in libro vitæ. Nimirum quando Reges, quos illa *vino suarum abominationum inebriaverit, authoritatem & potentiam ei suam accommodaturi sint*: opem operamque suam præstituri, certatim contributuri: unde bellum inferat Sanctis: Populi adeo ipsi, gestandæ huic meretrici cervicem summissuri, pedibus tantum non ipsius conculcandi, de quibus Ioannes, *Aquæ, quas vides ubi meretrix* κάθηται *sedet* (ut antea de Bestia καθημένην *sedentem) sunt populi, & turbæ, & gentes, & linguæ &c.* Ut Apostasia illa & Homo peccati imperium propriè constituant, cujus utique ἡ ἀποστασία defectio illa sit corpus: Paparum factio à verâ Christi doctrinâ, & degener ipsa, & sequaces suos, superstitione & idololatriâ fascinatos, subducens: At caput Homo peccati, Papa ipse seu Pontifex Romanus, in quem universa illa potentia sese quasi contrahit, ejusque sub nomine suas illas facultates exerit, exporri-

 git.

git. Quare Paulus & defectionem & hominem peccati memorat: Ioannes quoque & ſecundam Beſtiam & meretricem, ſecundam nempe Beſtiam, *quæ primæ authoritatem exercet*: Hierarchiam utique Romanam, quæ univerſam veteris Reipublicæ authoritatem ad ſe trahit, *dum terram & incolas ejus primam Beſtiam adorare* veterem Romam in ſe agnoſcere compellit. At mulierem meretricem, in quam tota illa abominatio ſeſe quaſi incorporata recolligit, quæ calicem in manu tenet, Gentibus & Regibus inebriandis propinat: Et ſicuti de Homine peccati Paulus,
2. Theſ. 2. v. 4. ὁ ἀντικείμενος, *Ille eſt oppoſitus & elatus ſupra omnem qui dicitur Deus aut Numen*: Ita de Muliere Meretrice ejuſque ornatu Ioannes, *plena nominibus blaſphemiæ*: Blaſphemia autem, num ulla atrocior, quam cum ſe Deum dicit, ſupra Deum, ſupra ipſius verbum & aſſurgit & inſurgit? *Plenus & calix abominationibus & immunditiis fornicationis ſuæ*: Et fornicatio rurſum num ulla execrabilior, quàm Idololatria, eo nomine in ſcriptura Sacra tam nota, tam inſignis? Hæc interim ſub religionis ſpecie ὑποκρίσεως larvâ, divini cultus prætextu: Adeo ut *Homo ille peccati* his ſuffultus εἰς τ̀ ναὸν τοῦ θεοῦ *in Templo*, vel *in Templum Dei, tanquam Deus*, ſeſſurus ſit, *ſeſe oſtentans quod ſit Deus*: *duo cornua*, inquit Ioannes, *Agno ſimilia* geſtaturus: doctri-
2. ad Theſ. 2. V. 4. nam utique Chriſti præ ſe laturus, *loquatur* licet *ut Draco*: Papatus licet & Papa Satanæ & Dæmoniorum doctrinam verè tueantur. Et talis igitur hic Antichriſtus nobis deſcribitur futurus. Sedem jam ubinam collocaturus, hoc enim ei vulgo no-
Apoc. 13. v. 11. men, ibidem clarum nobis. Paulus: Sedebit *in Templo Dei*, in loco viſibilis Eccleſiæ maximè conſpicuo: Ioannes expreſsius: *ſupra ſeptem montes ſeu colles*, Romæ utique, quæ paſsim ἑπτάλοφος ſeptem collibus inſignis: exinde verò dominabitur in plurimas Gentes, & quidem authoritate propriè hujuſce ſedis: quandoquidem, inquit, *Magna illa meretrix ſedet ſupra multas aquas. Aquæ verò quas tu vidiſti*, inquit Angelus, *ſuper quas ſedet Meretrix, Populi ſunt, & turbæ, & gentes, & linguæ*: Quo-
Apoc. 13. v. 3. & 12. v. 15, 2. Theſſ. 2. v. 6. nam etiam tempore, quod imprimis quærebatur, ibidem Paulus: & nunc τὸ κατέχον οἴδατε, *quid detineat ſcitis, ut reveletur ſuo ipſius tempore*, quid obſtet, quid remoretur: Romanum utique Imperium, cujus in locum obrepturus ſit, diſsipandum nempe prius, quàm in apertum prodeat: quod ſequenti verſu innuit: μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται *tantum ut qui tenet nunc, donec è medio fiat*, de medio tollatur, ejus nimirum ruderibus inædificandus: Quo loco per τὸ κατέχον expreſſum nobis voluit imperium Romanum, per ὁ κατέχων ipſius imperij formam, utique *monarchicam*: Non ſecus ac ſupra, in ἀποστασίᾳ ſeu defectione, Papatum: Eccleſiam Romanam: in Homine peccati, Papam papatus Caput deſignaverat, Ioannes ſimiliter & clarius: quippe qui eam conſpicatus, *poteſtatem* inquit *prioris Beſtiæ omnem facit*, exercet *in præſentiâ ejus*, ſibi vendicat, ad ſe contrahit, renitente licet imperio: adeo ut *primæ Beſtiæ plaga mortis ejus* quantumvis lethalis, *curata* videatur: primæ denique Beſtiæ *& ſpiritum reſtituit & vocem*, Imperij Romani ſtatus, ut in ſe quaſi reviviſcat, tandem obtinet. Quod ſanè nec homo quiſquam, nec humanæ vitæ curriculum præſtare unquam potuerit: Cum imperia, ex quo ad ipſam ruinam vergunt (quæ eorum moles,) multa ſæpe ſecula obruant: longo proinde temporis progreſſu perficiendum, prout ex fatiſcentis & ruentis imperij macerijs aliud paulatim gignitur, formatur, aſſurgit. Id verò ex Paulo perſpicuum: *Nam myſterium*, inquit, *illud ini-*
2. ad Theſ. 2. v. 7. *quitatis* ἤδη ἐνεργεῖται *jam operatur*, paulatim telam hanc ſuam orditur Satan: non,
v. 9. & 10. inquam, apertâ vi, ſed uti ſubjungit κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, *ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute & ſignis & prodigijs mendacij, & in omni deceptione injuſtitiæ.*

Quod & Ioannes, *Seducit incolas terræ propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestię*, Et, *potavit omnes gentes ex vino iræ fornicationis suæ*, superstitione & idololatriâ fascinavit, dementavit. Sicuti etiam ἀναλόγως pestilens hoc imperium, hostis iste Dei & Christi, non ullâ armorum vi debellatur: Quin, ait Paulus, *interficitur Spiritu oris Dei, destruitur illustratione adventus sui*, prædicatione primùm verbi, inde & veræ doctrinæ fulgore, qui postremis temporibus effulsurus, nempe quæ Satanæ præstigiis & tenebris opponantur, *adventus* sanè Christi *in claritate*, & veritate adventui Hominis peccati *in omni potentiâ mendacij*: promulgante, inquit Ioannes, Domino, per Angelum, per ministerium servorum suorum *toto orbe contentâ voce, Si quis adoraverit Bestiam & imaginem ejus, & acceperit Characterem in fronte suâ, aut in manu suâ, bibet etiam de vino iræ Dei mixto mero in poculo iræ ipsius, & cruciabitur in igne, in conspectu sanctorum Angelorum, & in conspectu Agni.* At mox subdit, *hic patientia Sanctorum est*: Quod Paulus ab ipso capitis limine, *nolite citò turbari sensu, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos, quasi instet dies ille Christi.* Mysterium hoc licet jam cœptum, jam in actu cursum suum teneat, suos habeat progressus, necesse est: interea verò patiantur fideles, dum Meretrix illa dicit *in corde suo, sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum nequaquam videbo*, auditura postmodùm, *in unâ die*, imò *horâ*, imò *puncto*, *cum venient plagæ ejus, & mors, & luctus, & fames*, Cùm in igne comburetur, vocem illam Angeli cœlitùs detonantis, *Cecedit, cecidit Babylon magna &c.* Ut hîc rursùm non agatur, aut ætas cujusquam hominis, aut sæculi spatium, quin sæculorum multorum series, magni imperij temporalis cursus, decursus, ad senium, ad silicernium gradatim devergentis, Spiritualis etiam Tyrannidis ortus, auctus, status, nutus adeò ipse & casus: Ne verò hæc à nostrâ aut mente aut interpretatione esse putes, Patrum hæc vox & quidem Seniorum quorumque, quos eandem à majoribus accepisse verisimile: Etenim de imperij Romani excidio tunc temporis disertè loqui crimen, unde Paulus: *Non meministis, quod, adhuc existens apud vos, hęc dicebā vobis:* clarè hæc coràm, quæ nunc absens quasi per notas scribo. Ioannes etiā: *Mysteriū, Babylon magna &c. hîc sapientia est, qui habet mentem computet nomen Bestiæ, hîc sensus ei*, qui habet sapientiā: Vox itidem & cæterorum deinceps, qui, ut rerū eventus subinde vaticinia explicuerunt, & Prophetiarū quasi vela reduxerunt, propius etiam & clarius rem aspexerunt.

Ad primam igitur Quæstionem: Antichristus, num Homo an hominum cœtus: Tertullianus vocat (a) *Civitatem prostitutam*, spiritualem fornicationem intelligens idolorum cultum. Ambrosius (b) *Civitatem Diaboli, Romam fornicariam:* Hieronymus *Babylonem*, nec modò (c) *Romam* sed & *Ecclesiam Romanam*: Augustinus (d) *Civitatem impiam, Corpus impiorum militantium contra Agnum, & hoc totum Babylon* (e), *populum infidelium contrarium populo Dei, qui simul cum principe intelligatur Antichristus, Romam secundam Babylonem, Ecclesiam hæreticam, sub nomine populi Christiani, populum infidelem.* Gregorius (f) *multitudinem prędicantium Antichristum.* Adduntur in neotericis Thomas (g) *Corpus*, inquit, *& non homo*: Glossa ordinaria (h) *Antichristus integer caput & corpus*: Cardinalis Hugo (i) *Universitas*: Et sic plerique. Ad secundam: Quandonam revelandus: sub Romani imperii occasum, ajunt, cujus ruderibus sit inædificandus: Tertullianus, *Non veniet donec de medio fiat: quis? nisi Romanus status, cujus abscessio in decem Reges dispersa Antichristum superducet, & tunc revelabitur iniquus*: & hinc priscis Christianis mos, ut funesta illa Anti-

Apoc. 13. v. 14. & 14. v. 8.
2. ad Thess. 2. v. 8.
Apoc. 9. v. 9. & 10.
v. 12.
2. ad Thess. 2. v. 2.
Apoc. 18. v. 7. & 8.
2. ad Thess. 2. v. 5.
Apoc. 13. v. 8.
a Tert. de resurr. carnis c. 25.
b Amb. in Apoc. 17.
c. Hier. ad Marcellam viduam.
d Aug. homil. 10. in Apocal.
e Idem ho. 31. & 13. & de ci. Dei. l. 18 c. 2. & 20. c. 9.
f Greg. in moralib. 33. c. 26.
g Tho. in Apo. c. 13. h Gloss or. dinar. ib. i Hug. C. ibidem. Tert. de resurr. c. 24. Tertul. in. Apol. 32. & ad Scap. c. 1. Hiero. ad Algasiam.

christi tempora procul facerent, orandi Deum, *pro morâ finis*, nempe status Romani. Hieronymus, *usque dum gentes, quæ Romano imperio subiacent, recedant ab eis*: Et totidem fere verbis Ambrosius, in 2. ad Thessal. Augustinus quoque eundum locum enarrans de Civit. Dei lib. 20. Addit verò rationem Chrysostomus: *Quando Romanum Imperium è medio sublatum fuerit, donec enim illius imperij timor fuerit, nemo Antichristo statim subdetur. Quando verò istud erit destructum Imperium, vacantem imperij principatum inuadet, & tentabit ad se rapere & Dei & hominum imperium*: Spiritualis jurisdictionis obtentu, temporalem etiam invadet.

Amb. in 2. ad Thess. cap. 2. August. de civit. Dei l. 20. c. 19. Chr. 2. ad Thess. c. 2.

Ad tertiam: ubi nam illius sedes, quam nos cum Apostolo, in Ecclesiæ visibilis eminentiori loco seu umbilico: Origenes, *Sedet*, inquit, *super cathedram Scripturarum, proferens testimonia impiorum de Scripturis, & super ædificationem eorum sedet, ostendens se quasi sit Deus*. Nempe qui inde sua argumenta elicere videri vult: inde omnimodam sibi potestatem in cœlo & in terrâ datam contendit. Hieronymus eundem locum exponens, *Sedebit in Templo Dei, vel Hierosolymis, ut quidam putant*: At nos, verbo Salvatoris edocti, lapidem super lapidem non relinquendum scimus, *vel in Ecclesiâ*, inquit, *ut verè arbitramur* & nos cum illo: Chrysostomus absolutè: *In Templo Dei, non in eo quod est Hierosolymis, sed in templo Ecclesiæ*: Et Scholiastes eodem sensu. Item. *Hæresis impia, quę est exercitus Antichristi, stabit in locis Sanctis Ecclesiæ, obtinens Ecclesias, & volens quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia, unde cognoscat in tanta confusionis similitudine, nisi tantum modo ex Scripturis?* Hilarius, *Unum moneo, cavete Antichristum, malè enim vos parietum amor cepit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis: An ne ambiguum est in his Antichristum esse cessurum? Montes mihi, & sylvę, & lacus, & carceres, & vorágines sunt tutiores: In his enim Prophetę aut manentes, aut demersi Dei Spiritu prophetabant*: Theodoretus clarius quàm eo seculo credibile, *Dei Templum appellavit Ecclesias, in quibus primam sedem arripiet, seipsum Deum conans ostendere*. Et Oecumenius eâdem mente, ut & Theophilactus. *Non propriè in templo Hierosolymitano, sed simpliciter in Ecclesiis, & in omni Templo divino*. Thomas ipse, *In Templo, id est, in Ecclesiâ potius, quàm Hierosolymis*: At Augustinus sanè penitius, *Sed in quo Templo Dei ut Deus sit sessurus incertum, utrum in illâ ruinâ Templi, quod à Salomone Rege constructum, an verò in Ecclesiâ, non enim Templum alicujus Idoli, aut Dæmonis, Templum dei Apostolus diceret: unde nonnulli, non ipsum Principem, sed universum quodam modo corpus ejus, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo Principe, hoc loco Antichristum intelligi volunt. Rectiusque putant etiam latinè dici, sicut in græco est, non in Templo Dei, sed in Templum Dei sedeat, tanquam ipse sit Templum Dei, quod est Ecclesia*, nimirum ex solenni illâ adulatorum suorum Thesi, *quod in Pontificis Romani personâ, universa consistit & subsistit Ecclesia*.

Origen. in Matt. tr. 27. Hier. ad Algasiam. Chrys. in 2. ad Thess. c. 2. Idē, in opere imperf. hom. 49. Hil. contr. Auxētiū. Theod. in epit. divi. decr. l. 5. & in 2. ad 2Thess. c. 2. Oecume. ibidem. Thom. ib. Augu. de Ciu. Dei, l. 20. c. 19.

Ergo in Ecclesiâ Christianâ sessurus Antichristus: sed sequitur an in Latinâ? Et verò cum Irenæus in voce λατεῖνος numerum illum Bestiæ 666. scrutatur, & si in re obscurâ adeò nihil affirmat, non obscurè tamen se de eâ cogitasse indicat nobis: Etenim, inquit, *Valde verisimile est quia verissimum regnum hoc habet vocabulum, Latini enim sunt qui nunc regnant, Non in hoc nos gloriabimur*. Tertullianus etiam, Hieronymus, Eusebius, Ambrosius, Augustinus, Andreas Cæsariensis, Beda, Oecumenius, Liranus, Thomas, Cajetanus, cum per Babylonem Romam intelligunt, tum in primâ Petri epistolâ cap. ultimo, tum in ipsâ Apocalypsi, Quæ & Bellarmini & Baronij mens, asserentium in iis locis omninò Romam significari:

Iræn. li. 5. c. 25. Tertull. adversus Iudæos, & l. 3. contra Marcio. Hieron. in Catalog. & Esai, c. 47. Eus. l. 2. histor. 28. Amb in 2 Thess. c. 2. Aug. de Civitat. Dei l. 18. c. 2. And. Cæs. in Apoc. c. 17. Beda, Oecumenius, Liran. Cai. in 1. Petri, ca. ult. Bellar. de Rom. Pontif. l. 2. c. 2. Baron. An. nal. ann. 45. art. 17. & 18.

tanto magis cum Meretricem illam coccineam, quæ Reges terræ inebriat, Romam indigitant: (*a*) Tertullianus, (*b*) Hieronymus, (*c*) Aretas, Andreas Cæsariensis, (*d*) Glossa ordinaria, alij: Bellarminus adeò & Baronius ipsi: Quin dicamus & ipsam Ecclesiam Romanam, cujus jam tum corruptelam vires acquirere cernebant. (*e*) Hieronymus presbyter Romanus, *Lege Apocalypsim Ioannis, & quid de muliere purpuratâ & scriptâ in ejus fronte blasphemiâ, septem montibus, aquis multis & Babylonis cantetur exitu contuere: exite, inquit Dominus, de illâ populus meus, & ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis, fugite de medio Babylonis & salvate unusquisque animam suam, cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmonum, & custodia Spiritus immundi:* quatenus nimirum inquit, *Est quidem ibi sancta* Ecclesia, *sunt trophæa Apostolorum & Martyrum & Christi vera confessio.* Et sane *ambitio & potentia, luxuria etiam ventris & gutturis, quâ subuertere nititur fortitudinem crucis, cujus vexillum austeritas sustulerat prædicationis:* Et eo quidem tempore quo Imperium Romanum Christi nomen professum. Quare & pios quosq; ex eâ abscedere jubet, *fundata licet Petri doctrina super petram Christum,* Prophetæ licet sui eam decepturi, *ingeminent perpetuò pax, pax, Templum Domini, Templum Domini:* Unde secura suis corruptelis indormiat, Jam tum, quod mireris, Presbyter licet Romanus Hierarchiam suam impetere visus, qui in præfatione in libros Didymi, *cum*, inquit, *in Babylone versarer & purpuratæ meretricis essem colonus, & jure Quiritum viverem, volui garrire aliquid de Speritu Sancto, & cœptum opusculum ejusdem urbis Pontifici dedicare. Et ecce olla illa, quæ in Hieremia post baculum cernitur à facie Aquilonis, cœpit ardere, & Phariseorum conclamavit Senatus & nullus Scriba vel fictus, sed omnis quasi indicto sibi prelio doctrinarum, aduersus me imperitiæ factio conjuravit. Illicò ego velut postliminio Hierosolymam sum reversus, & post Romuli casam & ludorum lupercalia, diversorium Mariæ & Salvatoris speluncam aspexi:* Patrum nostrorū secula si vidisset quid dicturus an non dicturus? Et sanè locos illos in Apocalypsi, qui ad Romam Ethnicam, non ad Romanā Ecclesiam referat, ex mysteriosissimâ Prophetiâ, qualis ab omnibus agnoscitur, frigidissimam narrationem nobis faciat. Quid enim opus, tanta cum majestate, in Dei nomine, in Spiritus sui virtute præfatum, cuivis nota profari? Imperium Romanum Christianis infestum esse, qui Jacobi fratris necem viderat, cujus in oculis, tot Christianorum myriades toto orbe cæsæ, Stante verò Româ Ethnicâ, decem illos Reges ab eâ inebriatos, quis nobis commonstret? qui nusquam gentium sint? Quare Iesuitarum primarii manus hic dare coguntur. Ribera. *De Româ intelligendum non solùm qualis sub Ethnicis imperatoribus olim fuit, sed etiam qualis in fine seculi futura est.* Viega quoque, *Omnia quę in his capitibus commemorantur, in Romanam urbem apertissimè quadrant. Cæterum nomen Babylonis, ad eam Romam transferendum, quæ antequam reciperet fidem Christi, Idolis serviebat, & ad eam etiam quæ erit tempore Antichristi.* Quod cui melius quàm Papatui, quàm Synagogæ Romanæ conveniat?

At occurrit hic objectio: Num Pontifex sese Deum unquam dixit? Et sese quidem in terris Deum satis liberè profatur, & hunc ipsi titulum Canonistæ non illiberaliter tribuunt, qui & divinæ naturæ participem volunt, & cœlo inferisque cum omnimodâ potestate imperare profitentur. Quod & in hujus operis progressu patebit nimis, & in tractatu de Ecclesiâ nostro, capite nono locupletius probatum, quàm ut hic à nobis repetatur: Verum hoc jam agitur, & Spiritus Dei nos ipse præmonuerat, Templum Dei Ecclesiam Dei falsis clavibus fretum, subiturum

a Tertull. adversus. Iudæos, & l. 3. contra Marcion.
b Hier. ad Algas. quæst. 17.
c Aretas & Andreas in Apo. c. 17.
d Glossa ordinaria ibidem.
e Hier. ad Marcellam viduam. Idem cōtr. Iovin. l. 1.
Hieron. in Præf. in li. Didymi, de Spiritu sancto.

Ribera Iesuita in Apoc. cap. 14. nū. 42.
Viega, in 17. Apoc. com. 7. Sect. 3.
C. proposuit. extra. de conces. præbēd. & ibi Glossa & Doctores.
Lib. 1. ceremo, Pontifi. c. 1.

Antichriſtum, *in omni ſeductione iniquitatis*, dicebat Paulus, *Cornua agni habentem*, inquit Ioannes, mentitum ſe ſeruum Dei, cultum ipſius ementitum: Alioqui quis non ei valuas occluſurus? Et hoc quoque optimè viderunt Patres. Origenes, *Solum nomen Chriſti Antichriſtus ſuſcipit nec opera facit, nec verba veritatis ejus, &c. Chriſtus veritas, & ſimulata veritas Antichriſtus*: Item, *Antichriſtus falſus eſt ſermo, qui in ſcripturis habetur, qui ſimulat veritatem, proferens teſtimonia impiorū dogmatum ex ſcripturis placari aliunde nolentibus: Et ipſe eſt qui adverſatur, & ſuper cathedram ſcripturarum ſedet & ſuper ædificationem earum, oſtendens ſe quaſi Deum.* Num non hîc rogo, Papam ſuum illud, Tibi dabo, Paſce oves meas, Oravi pro te Petre &c. crepantem audimus? Cyprianus eodem ſenſu, *Aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti*, Unde & Auguſtinus ait: Beſtiam duo cornua ad ſimillitudinem Agni habentem legimus, *Duo*, inquit, *Teſtamenta ad ſimilitudinem Eccleſiæ & loquebatur ut Draco, ſub nomine Chriſtiano Agnum præfert, ut Draconis venena latenter infundat.* Hieronymus verò enucleatius, *Sermones contra excelſum loquetur: ſive, ut interpretatur Symmachus, Sermones quaſi Deus loquetur, ut qui Dei aſſumit potentiam, verba quoque divinę ſibi vindicet majeſtatis. Leges Dei & ceremonias mutare, & Religionem omnem ſuæ ſubjicere poteſtati, conabitur.* Item. *Mutabit, & augere tentabit Sacramenta Eccleſiæ*: Cum ſe Pontifex Sanctiſſimum Patrem nuncupari jubet, Reges pro libidine Solio exturbat, Religionem, præcepta divina, Sacramenta à Deo inſtituta, pro arbitrio fingit & refingit, an non Hieronymum hic prophetaſſe dixerimus? Et hactenus præfationis loco ſunto hæc nobis: unde inſignes illos Pauli & Iohannis locos, in quem ſenſum Patres expoſuerint, intelligamus.

Origen. in Matt. tr. 27. Idem in Matt. tr. 24. Cypr. ep. 7. Auguſt. in Apocal. Hom. 11. Hiero. in Dan. cap. 11. Idem in 2. Theſſ. cap. 2.

Myſterium igitur illud *iniquitatis*, cujus Patres noſtri faſtigium viderunt, jam pridem operabatur, Pauli adeo ipſius tempore, jam tum monſtrum illud ſuperbiæ concipiebat animo Satan, ambitione hominum haud dubiè fretus, quorum apud Paulum contentiones habemus, *Ego quidem ſum Pauli, ego verò Apello, ego verò Cephę, ego Chriſti*, *Ergo ne Chriſtus*, reſpondet ipſe, *diviſus eſt? Paulus crucifixus eſt pro vobis?* Idem de Cepha dicturus, de ſe ipſo Cephas: Unde etiam Paulus, ut uni Chriſto omnia vindicet, præfractè, *Qui plantat nihil eſt, neque qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum:* Uterque interim miniſterio idem, miniſtri ambo eodem gradu: Cum imparitati viam omnem præcluſurus, non veretur Paulus dicere: *Ab ipſis qui videntur eſſe aliquid, nihil mihi diſcrepat*: Et hi verò qui? *Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui putantur eſſe columnæ, Qui quidem*, inquit, *videntes quod creditum eſt mihi Euangelium Præputii, ſicut Petro Circumciſionis, & cognoſcentes gratiam datam mihi, dextram dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis.* Et hic igitur, ubi eſt prærogativa, nedum, uti loquuntur, ſuperioritas? Uſque adeo dicit ipſe alibi, *Ut ab Hieruſalem uſque ad Illiricum impleverim Euangelii Chriſti prædicandi munus, Et non ubi nominatus eſſet Chriſtus, ut ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*: Cum etiam Cephas, Petrus ipſe, hanc & à ſe, & à quovis alio longè amoliatur, *Presbyteros*, inquit, *qui inter vos ſunt, precor unà Presbyter*, συμπρεσβύτερος, *Paſcite Dei gregem, qui penes vos eſt, Neque ut dominantes Cleris, ſed ut qui ſitis exemplaria gregis, Omnes alii aliis ſubditi, humilitatem animi inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*, Nempe monitorum Domini apprimè tenax, *Scitis quia Principes gentium* κατακυριεύουσιν αὐτῶν, *dominantur ipſis, verum non ita erit inter vos*, In Eccleſiam, in hæreditatem, ſeu ſortem meam eadem ibi voce uſus,

1 ad Cor. 1. v. 12. & 13. 1. ad Cor. 3. v. 7. & 8. Gal. 2. v. 6. & 9. Rom. 15. v 19. & 20. 1. Petr. 5. v. 1. 2. 3. 5. Mat. 20. v. 25. & 26.

Hoc à Baronii sententiâ quam longè, qui Christum, statim ab ipsâ resurrectione, Sacerdotium, & regnum ad Papas transtulisse contendit, Et eo porrò argumento, quod Actorum 5. umbra Petri ægros sanasse dicatur, Unde eandem Papas, quam ipse Christus, potestatem habituros, moribus licit diversos, appareat, quatenus utique ipsius umbram retinerent: sed ab umbrâ Petri; ad Christi umbram, ad Christi adeò potestatem, quæ consequutio? & id quidem non ut homines sanent, sed occidant, sed Reges, sed Regna perdant: Paparum enim num alia, ab hinc mille jam annis, miracula?

Matt. 20. v 25. & 26. Baron. Annal. To. 1. ann. 34. art. 275. ann. 57. art. 39.

At post Apostolorum decessum, non diu otiata est ambitio, quin primis vestigiis insisteret. Ut quod nobis apud Eusebium Hegesippus, non minus in hoc capite, quam in cæteris verum deprehendatur. *Ad tempora usque Trajani, Ecclesia integra & incorrupta permanserat, At postquam sacer Apostolorum chorus, varium vitæ exitum, & diversa mortis genera pertulerat, tunc certè falsa, & veteratoria impii erroris conspiratio exordium cæpit, idque illorum fraude, & astutiâ, qui doctrinam à veritate penitus alienam disseminare laborarent: Quique cùm nemini Apostolorum vita suppeteret, jam nudo capite, sincero veritatis sermoni, falsam & commentitiam doctrinam, ex adverso opponere, pro viribus niterentur.* Quæ periodus in annum Domini incidit circiter centesimum: Labis autem hujusce progressum, ex his quæ nobis historia suppeditat, deinceps prosequemur.

Euseb. lib. 3. cap 26. & lib. 4. ca. 21.

PROGRESSUS.

ANno igitur 195. de Paschate controversum, Num decimâ quartâ Lunâ Iudaico more, Dominicâ sequente celebrandum, Et diversæ Synodi in diversas partes abierunt, Palæstina, Romana, Corinthia, Gallica, Osrœna, Pontica, Dominicam præferebant; Decimam quartam Asiæ minoris Ecclesiæ omnino omnes; Illi traditione innixi, quam Apostolicam dicebant, Hi observatione perpetua, quam Apostolo Ioanni ferebant acceptam, Ephesi, & totâ demum Asia receptam. Quod quidem discrimen, omninò sine crimine, quandoquidem non de fide: non proinde ejus generis, quod Ecclesiæ unionem & concordiam turbare debuisset. Polycrates igitur Ephesinus in Asiâ Episcopus, cum suis, per Epistolam causam suam tuetur, cujus apud Eusebium exemplar, fultus, inquit, Scripturâ, S. D. Ioannis exemplo, multorum insignium Martyrum, & porrò perpetuo, & uniformi Asianarum Ecclesiarum usu. Nec deerat Victori Episcopo Romano quod responderet, quod exciperet. Hic igitur quid? *Victor*, inquit, *qui tunc Romæ Ecclesiæ præerat*, τῆς ῥωμαίων προεστώς (non inquam Ecclesiæ universali) *totius Asiæ* παροικίας, *Ecclesias* cum aliis finitimis, tanquam ἑτεροδόξους *alterius fidei & opinionis simul omnes* στηλιτεύει, *per literas criminatur, & traducit, omnesque fratres, eam incolentes regionem, prorsus à communione excludendos edicit.*

Euseb. Hist. Eccles. lib. 5. edit. Latinæ, cap. 22. 23. 24.

OPPOSITIO.

AT subjungit, *Ista cæteris omnibus parum placebant Episcopis*, protervia nempe hæc Victoris in Asiaticas Ecclesias: Ac si innuere velit author, non hoc Victorem Synodi Romanæ authoritate, sed pro suâ pervicaciâ ausum, *Contra*, inquit, *illum magnopere adhortabantur:* Ruffinus. *Inhibebant ut pacis, concordiæ, & charitatis*

erga proximos diligentem curam haberet. Quorum verba, utpote *Victorem acrius & acerbius coarguentium, ſcriptis prodita adhuc extant: Inter quos Irenęus, quanquam per literas ſcriptas, ex perſonâ fratrum in Gallia, quibus pręerat, tradit, Myſterium reſurrectionis Domini ſolo die Dominico recolendum quidem eſſe:* Et de re igitur conveniebant, *Attamen Victorem non debuiſſe, propter obſervationem traditionis ex antiquâ conſuetudine, Eccleſias Dei amputare:* In quo, poteſtate ſuâ propriè abutentem & coarguunt & damnant. Nec omittendum interpretem hîc Irenęum inducere quaſi dicat admonitum Victorem, *Ne Eccleſias Dei integras à corpore univerſę Chriſti Eccleſię amputaret*, Ut ſtatuamus Irenæum Eccleſiam Romanam, pro Eccleſiâ univerſali habuiſſe: cum Auctor ſimpliciter dicat, τὰς ὅλας ἐκκλησίας θεοῦ *integras* Dei *Eccleſias*. Et verò de ipſius mente, ex ipſo Epiſtolę contextu conſtat. *Presbyteri*, inquit, ad Victorem ſcribens, *qui ante Soterem Eccleſiæ, quam tu regis pręfuerunt, Anicetus, dicimus nos, Pius, Hyginus, Teleſphorus, & Sixtus, non ſic obſervarunt, neque poſteris obſervare permiſerunt, nec eo minus tamen, qui non obſervabant*, (nempe decimã quartam Lunam) *cũ ijs, qui ex parochiis*, id eſt, Eccleſiis, *in quibus obſervabatur, ad eos accedebant, pacem cuſtodiebant, nec unqnam* διὰ τὸ εἶδος τοῦτο *propter hanc formulam*, Id eſt, propter varium hunc obſervandi modum, *ulli rejecti ſunt: Quin Presbyteri illi, qui te anteiuerunt ætate, tametſi illud non obſervabant, Epiſcopis in alijs Eccleſiis id obſervantibus, Euchariſtiam mittebant*, eadem Sacramenta participabant. *Et ſic Polycarpus cum Aniceto Presbytero*, id eſt, Epiſcopo Romano, licet perſuadere non potuiſſet, ut à more ſuo diſcederet, cum D. Ioannis Diſcipulus eſſet. *Itaque ab invicem diſceſſerunt cum pace, manente univerſâ Eccleſiâ in concordiâ, tum ij qui obſervabant* (decimam quartam Lunam) *tum qui minus. Atqui iſta aliáque iiſdem congrua non ad Victorem ſolùm, ſed etiam ad alios pleroſque & diverſos Eccleſiarum præſides, de hac controverſiâ ſcribebat Irenæus.*

Bellar. lib. 2. c.19. de Pont. Ro. Hîc interim Bellarminus; *Probè & prudenter Victor ut Iudaiſmo occurreret*: At cum bonâ ipſius veniâ, pluris certè Irenæus nobis, quàm ipſe, pluris & Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ, & tot aliæ, quæ in reipſâ Victori aſſentientes, Victoris
Iren. lib. 4. cap. 4. nihilominus facinus damnant. Euſebius ipſe extra contentionis ardorem: Irenæus, inquit, *Victorem objurgavit* πρεπόντως, *opportunè*, quin & Vvicelius apertè, hoc ſeculo carnem Spiritui in Victore jam prævalere non invitus agnoſcit. Irenæus verò ipſe eò alludere videtur, cum de iis loquitur: *Qui principalis confeſſionis tumore*
Baron. to. 2 ann. 198. art. 2. 3. 4. 5. 9. elati ſunt, à quibus nobis ſit abſcedendum. At ridiculum ſeſe hic exhibet Baronius, qui Theophilum Cæſareæ Epiſcopum, Paleſtinæ Synodum ex Epiſcopi Romani decreto & mandato convocaſſe, aſſerere non veretur: Et Bedam in libro de Æquinoctio verno ſeptingentis pòſt annis authorem laudat: Iudicet Lector
Euſ. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 25. quàm veriſimiliter, quâ imo fide contra Irenæum, Polycratem, Euſebium: Polycratem, inquam, qui diſertè: *Invenitur ad hoc uſque tempus ſcriptum Epiſcoporum tunc convocatorum*, συγκεκροτημένων, *in Paleſtinâ*, ὧν προυτέτακτο Θεόφιλος, *quibus præſidebat Theophilus*: Quo etiam ſenſu ſubjungit, *ut & aliud eorum qui Romę*, ἐπίσκοπον Βίκτορα δηλοῦσα, *quod Epiſcopi Victoris mentionem facit*. Ubi ſanè nulla omnino prærogativa: Audet imò idem de Synodo Aſianâ aſſeverare, in eâ Polycratem, Victoris nomine, legationis munere functum, ſcilicet quia Epiſcopos ſe ob hanc controverſiam ejus rogatu convocaſſe ſcribit: οὓς ἠξιώσατε inquit, *quos poſtu-*
Euſ. lib. 5. cap. 21. & 22. *laſtis, rogaſtis*: Ergò ne omnes Epiſcoporum Romanorum preces, mandata, imperia. Et de plena quidem poteſtate deinceps nobis? Et hæc perpetuò, hoc

præ-

præſuppoſito abſurdo, quod jam tum ab omnibus agnoſcebatur Epiſcopus Romanus, univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, quin & Pontifex maximus: Quod quàm probè ab eo probetur videamus.

Bar. Tom. 2. ann. 198. art. 2. 3. 4. 9.

Sixti ergo primi epiſtolam profert, in quâ inſcribitur, *Eccleſię Apoſtolicę univerſalis Epiſcopus*: At cui non notum has Epiſtolas falſi manifeſtas pridem ab omnibus doctis exploſas, hanc præſertim, adulterii notis inſignem, latiniſſimo ſeculo, Latinorum Epiſcopi parum latinam, Adriano & Vero conſulibus, qui ſub Teleſphoro, anno 137. proinde aut poſt mortem Sixti, aut ab ipſo mortuo ſcriptam: Et magnnm iſtum annalium conditorem hujus erroris an fraudis non pudeat? Succurreret verò nobis regerenda Eleutherii Papæ ad Epiſcopos Galliæ ejuſdem notæ Epiſtola, *Eccleſia univerſalis Chriſti*, inquit, vobis eſt commiſſa, Quidni igitur univerſales Epiſcopi etiam ipſi? Adde Sixtum hunc in præcedente epiſtolâ, Archiepiſcopi titulo contentum, ut omittam jus ſibi dicere neminem, nemini in ſuâ cauſâ fidem deberi. Rurſum locum Tertulliani adducit ex libro de pudicitiâ, ubi Victoris edictum quoddam exagitat, quo mœchos ad pœnitentiam admittebat, & hujus in primis ſugillat inſcriptionem, *Audio etiam Edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Et cujus inſolens in omnes Aſiæ Eccleſias facinus jam vidimus, non eſt quod in pari cauſâ ſuperbiam diffiteamur. At quis non videt Tertullianum hoc Victoris Edictum ridere, Zephirini non minus decretum, *ubi nam proponetur liberalitas iſta? Sed hoc in Eccleſiâ pronuntiatur & virgo eſt?* Verùm rem ſeriò aggreſſus, & eodem quidem libro nervum argumentationis præſcindit, *Si quia dixerit Petro Dominus, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Tibi dabo claves regni cęleſtis, idcirco pręſumis, & ad te derivaſſe ſolvendi & alligandi poteſtatem, id eſt, ad omnem Eccleſiam Petri propinquam: Qualis es evertens atque commutans manifeſtam Domini intentionem, perſonaliter hoc Petro conferentem?* Non proinde tibi Victor, aut Eleuthere, niſi quatenus non jam Petri umbram, quod vult Baronius, ſed Petri veritatem repræſentatis. Demus verò, Epiſcopum univerſalem nuncupari, num non & cæteris idem jus, & munus idem, numnon & plęrique ex perſonarum merito potiori jure, quos tamen in ſui præjudicium hoc titulo ſuperbientes num ferret? Clemens certè, quem Petri ſucceſſorem volunt, hujuſce juriſprudentiæ ignarus, cujus in conſtitutionibus verba: *Scripſimus vobis hanc catholicam doctrinam ad vos confirmandos, quibus univerſalis Epiſcopatus creditus eſt & commiſſus.* Epiſcopis omnibus. Ignatius quoque Epiſcopum ſuâ ætate Philadelphenſem à Deo vocatum dicit, qui ſuſciperet, τὴν διακονίαν τὴν εἰς τὸ κοινὸν vertit ipſe Baronius, *myſterium communis Eccleſiæ*: Et de Cypriano Nazianzenus, *Neque Carthaginenſi tantùm Eccleſiæ, nec Africæ perficitur, verùm etiam Occiduis omnibus regionibus, ac propè etiam ipſi Orienti, necnon Auſtrali & ſeptentrionali oræ*, Ut de Athanaſio, *Alexandrino populo, quod idem eſt acſi dixiſſem, univerſo terrarũ orbi præficitur*: At de illo inquit, *Quocunque illius fama & admiratio vagata eſt.* De hoc, *Alexandriæ eccleſię pręfuit, ut toti univerſali Eccleſię prodeſſet*: Quod utinam idem feciſſent Epiſcopi Romani, eundem nos illis titulum non invidi concederemus. Conſtantinus ipſe Euſebio reſcribens, Antiochenum Epiſcopatum ſibi delatum recuſanti, *In hoc ipſo*, inquit, *beatus es, quod totius orbis terrarum teſtimonio dignus judicatus ſis, qui univerſę Eccleſię Epiſcopatu perfungaris.* Nẽpe ex ipſius Cypriani mente, *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*: Et Baronium cer-

Onuphr. in Faſt. Pontif.

Eleutherii epiſt. ad Epiſcop. Galliæ.

Tertull. de pudic. ca. 1. Baro. tom. 2. an. 142. art. 4.

Tertul. de pudicitiâ. cap. 1.

Tertul. de pudicitiâ. cap. 21.

Clemens in conſtit. lib. 6. ca. 14.

Nazianz. in laudem Cypriani. Idem in laudem. Athanaſii.

Euſeb. de vitâ Conſtant. lib. 3. cap. 59.

Cypria. de unit. Eccl.

Baron. to. 2. ann. 216. art. 9. & 10.

Festus in verbo ordo.

certè hic probasse opportuerat, quà aut differrent, aut præferendi essent. Ad summi Pontificis porrò titulum, præter judaicæ Legis imitationem nihil profert, cui summus Sacerdos præerat, aut Ethnicæ superstitionis, cui Pontifex maximus: Et in hoc postremo præcipuam vim facit, *Qui judiciariâ potestate cæteris emineret, solus Pontifex Maximus dicebatur. Hinc Festus, Quod judex habetur rerum divinarum, humanarumque.* Et eò inducit & revocat bonus Cardinalis, quicquid in sacris Scripturis de regali Christi sacerdotio, tam exili basi quantum Colossum superstruens: Qui meliori jure à Rege Sacrificulo Pontificem suum derivare debuit, de quo idem Festus: *Maximus videtur Rex, nempe Sacrificus: deinde Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto Pontifex Maximus*: Et quidem in dictione, *Ordo*, unde & ordinum nomen in Ecclesiâ ab Ethnicis mutuatum intelligamus.

PROGRESSUS.

ANno circiter 250. Stephanus urbis Episcopus, in Ecclesias Hispaniæ & Africæ idem quod Victor usurpare ausus, In Hispaniâ Basilides Episcopus Asturiensis, & Martialis Melidensis, sæviente persecutione idolis sacrificaverant, idcirco ministerio exauctorati: Obrepunt isti Stephano, cujus favore restituendos se existimant, nec ipse occasioni deest, Ecclesiis Hispaniæ gnaviter rescribens.

OPPOSITIO.

Cypria. in Edi. Turn. ep. 35. Pameli, 68.

AT non hic illæ causam suam deserunt: Africanis imò injuriam sibi factam significant: & in Synodum simul coeunt, cujus epistolam apud Cyprianum integram habemus, summa est, *Non tam humana consilia, quàm divina præcepta hic agi, quibus necesse est obsequia nostra deserviant, Personam in ejusmodi rebus accipere, ubi legem tribuit divina præscriptio, aut aliquid quidquam largiri, humanam indulgentiam non posse. Cæterum quod Romam pergens Basilides, Stephanum collegam*, ajunt, *nostrum longè positum & gestæ rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi in Episcopatum, hæc eò pertinere, ut ejus non tam abolita sint, quàm cumulata delicta:* Non igitur rescindendam Sabini, in ejus locum ritè electi, ordinationem, Etenim *obrepere*, ajunt, *si hominibus Basilides potuit, Deo non potest, cum scriptum sit, Deus non diridetur*, Et de Martiali idem. Quare decreto standum, quod *jam pridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis, in toto mundo constitutus, etiam Collega noster Cornelius decreverit, Ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi:* Ubi perpetuò Cornelius & Stephanus Romani Episcopi *collegæ*. Quâ ratione etiam, cum paulò ante Pseudoepiscopi quidam Africani, Ecclesiæ Affricanæ censuras declinaturi, ad Cornelium Episcopum Romanum confugissent, Cyprianum graviter apud eum conquestum legimus, extra metas excurrenti frænum injecisse: Et hi pseudoepiscopi, *navigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum de s, Apostolo prædicante, laudata est,) ad quos perfidia habere non possit accessum. Nam cùm statutum sit ab omnibus nobis, nobis*, inquit, *& æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, ratio-*

Cypr. Edi. Paris. epist. 18. Pam. 55. Bellarm. de Pontif. Rom. lib. 2. cap. 33.

nem ſui actus Domino redditurus: oportet utique eos, quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere. Cornelii & Cypriani nimirum, *Sed agere illic cauſam ſuam, ubi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſunt, Niſi ſi paucis deſperatis & perditis minor videtur eſſe authoritas Epiſcoporum in Africâ conſtitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conſcientiam, multis delictorum laqueis vinctam, judicij ſui nuper gravitate damnarunt:* Nempe quàm ipſius Cornelij, ad quem confugiunt. Ut Cyprianus ſanè Romam appellare iis fas eſſe nullatenus exiſtimet. Quod enim Bellarminus ſtatutum illud, quod Cyprianus, *ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum*, ad primam, ut loquuntur, inſtantiam pertinere contendit, clariora verba, quàm ut huic ſuffugio locus, *Iam cauſa eorum cognita eſt, jam de eis dicta ſententia eſt, nec cenſuræ congruit Sacerdotum, mobilis atque inconſtantis animi levitate reprehendi:* Nec minus riſu dignum quod in his verbis, *Niſi paucis deſperatis & perditis videtur eſſe minor authoritas Epiſcoporum in Africâ conſtitutorum:* Vocem, *minor*, ludificatur, non dici conparatè ad Romam, ſed ad cauſam, quâ de agitur, cum ipſa verba planè adverſentur, *Epiſcoporum,* inquit, *in Africâ:* quæ omnino comparationem inducunt cum alijs Epiſcopis, comparationem, inquam, Africanorum Epiſcoporum, de quibus Pſeudoepiſcopi illi conquerebantur, cum eo, *ad quem navigabant*, Epiſcopo utique Romano: Et hæc profectò Cypriani verba, quæ in Tractatu *De unitate Eccleſiæ* paſsim obvia: *Hoc utique erant & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur.* Quo loco tamen ut primatum retinerent, contra manuſcriptorum fidem, in Editione Pariſienſi, ab ipſo doctiſsimo Turnebo repræſentatam, multifariam hunc textum corruperunt: Namque inter hæc verba, *Paſce oves meas: Et, & quamvis Apoſtolis*, Pamelius & ante eum nonnulli inſeruerunt, *Super unum illum ædificat Eccleſiam, & illi paſcendas mandat oves ſuas.* Item ibi Turnebus, *tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem, ab uno incipientem, ſuâ authoritate depoſuit*, Pamelius eâdem fide, inter *manifeſtaret*, & *unius* infercit, *unam Cathedram conſtituit:* Item in illis verbis, *hoc erant utique & cęteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, &c.* poſt vocem *proficiſcitur*, adjunxit, *Primatus Petro datur*, Item, *& Cathedra una*, Denique dicebat Cyprianus, *Qui Eccleſię renititur & reſiſtit, & in Eccleſiâ ſe eſſe confidit?* Pamelius inter *reſiſtit*, &, *in Eccleſiâ, qui Cathedram,* inquit, *Petri & ſuper quam fundata eſt, deſerit.* Et ſic in hoc ſolo Tractatu pluribus locis. Quæ quidem adſumenta, quî cum ipſius contextus mente conveniant? *Dominus omnibus Apoſtolis, poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuit, erant cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis.* Quî etiam cum illâ Cypriani ſententiâ, quâ omnes transmarinas appellationes, ad ipſam Petri Cathedram irritas pronuntiat, imò cum tot alijs ejuſdem Authoris locis? a *Nemo noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico errore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit:* b *Divina & paterna pietas nobis Apoſtolatus ducatum contulit:* Ipſi adeo Cypriano Epiſcopo Carthaginenſi: *Et vicariam Domini ſedem cęleſti dignatione ornavit*, c *Chriſtus dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicariâ ordinatione ſuccedunt: Qui audit vos, me audit:* adeo ut, d *habeat omnis Epiſcopus, pro licentiâ libertatis ſuæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, quàm nec ipſe poteſt alterum judicare, Sed expectemus nuiverſi judicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui unus & ſolus habet*

Cypr. Edit. Pariſ. epi. 7. Pamel. pag. 231.

a Cypr. in Conc. Carthag. ſive, de ſent. Epiſc. epiſt. 73. Edi. Pariſienſ.
b Idem de Aleatorib. epi. 96. Edit. Pariſ.
c Idem ad Pupien. epiſt. 66. Edit. Pariſ.
d Idem in Conc. Carthag. epiſt. 73. Edi. Pariſienſ. Concil. Africa. att. 6.

habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi. Unde etiam convenit; ut post ipsius decessum Ecclesia Africana huic usurpationi præversura decerneret: *Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi*, Et hinc judicet Lector, Cypriani sententiæ utra editio magis consonans, Pameliine, an Turnebi? proinde an non Harpyarum verè manus hîc agnoscendæ, quæ Patres tam turpiter suo contactu contaminent? Ecquis verò fide jubere ausit: quin & complures alios locos, & in hoc, & in cæteris Patribus eâdem audaciâ temerarint?

Hîc interim prodit frontem suam Baronius, contrarium omnino ex ipso Cypriano & asserere & tueri non veritus. Primò agnovisse Cyprianum Petri Cathedram, omnium orbis Ecclesiarum supremum judicem: Et vidimus nos ex ipsius epistolis quæ ejus mens: Quod commentum eo loco subnixum, quem evidenter corruptum evicimus: Baronius verò pluribus locis repetere non erubescit, corruptelâ pro veriore lectione abusus: hoc si licet, quid non evincere cuiq; facile? Secundò in hoc Ecclesiarum Africanarum contra transmarina judicia statuto, Ecclesiam Romanam perpetuò exceptam fuisse, cum sanè manifestum sit Ecclesiam Africanam, hoc sibi decreto propriè & peculiariter, contra Ecclesiam Romanam cavisse. Huc verò adducit decretalem Fabiani Romani Episcopi ad Hilarium epistolam, hac exceptione: *Salvâ in omnibus Apostolicâ auctoritate*, Excepto, si credere fas, eo nominatim casu, qui occasionem edicto dederat. Ecquid ridiculum magis? Adde quod has epistolas ad Syricium usque, nullam fidem facere pridem inter omnes doctos convenit, in ipsâ adeò Ecclesiâ Romanâ, cujus in Codice omninò non habentur. Demus verò facere, num Fabianus in suâ causâ audiendus testis, credendus? At huic Epistolæ peculiare præter barbariem falsitatis signum, cum Africano & Decio Consulibus data legitur, quorum in Fastis Pontificalibus, non apud Onuphrium ipsum mentio ulla, unde & in margine notatum, partem ejus, in decretis Sixti tertij, ipsissimis verbis legi, qui 200. post annis vixit, quod in tanto Chronologo non ferendum. Tertiò Cyprianum, inquit, nihilominus supremam Episcopi Romani authoritatem agnovisse: Etenim in Epistolâ ad Clerum Romanum de Fabiani morte, collegam quidem ministerij ratione appellare, at superioris gradus respectu, *præpositum*: Quæ stropha homine literato planè indigna, ne dicam Theologo, Cardinali: Ergòne præpositus idem quod Papa? Annon is verò, quem eadem Epistola Episcopum vocat? Et præpositum num non apertè dicit, ut ad eos relationem habeat, ad quos scribit, non ad seipsum? Quin, numnon idem nominis tribuit cuivis Episcopo, sibi ipsi, quando Rogatiano, Ecclesiæ Carthaginensis Diacono, constantem Cleri sui confessionem congratulatus: *Ecclesiæ enim*, inquit, *gloria, præpositi gloria est*, quod in clausulâ præcedenti: *In gaudio communi maior est Episcopi portio*: Cypriani adeò ipsiùs, in parochianorum suorum laude: quando iterum Epistolâ undecimâ: *Præpositorum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere: ne qui ovium Pastores esse debent, lanij fiant.* Ne, inquam, in confessione Christi lapsi, temerè Sacramenta inuadant: ubi *præpositos* Pastores interpretatur: Et sic in Epistolâ 13 15. 23. 27. Et Pamelius ipse assentitur: Ut ad creandum Pontificem nostro Cardinali vel levicula quæque sunt satis. Quartò, Omnes, inquit, saltem quæstiones de hæresi, à solo Episcopo Romano judicatas: cæteri nonnisi dicis causâ vocati: Exemplum ab Origene hæreseos accusato: *Ad Fabianum Romanum Pontificem, tum ad alios Episcopos rectæ fidei scripsit* con-

In 1. Volum. Conc. epist. Fabiani ad Hilariũ 3. Baron. an no 55. to. 1. art. 2.

Baron. to. 2. an. 53. art. 27.

Cypria. in Edi. Pamelij. epi. 7. ad Rogatianum.

Idem epist. 11. ad Martyr. & confes. ex edi. Pamelij. & epist. 13. 15. 23. 27.

confessionem? Et huc Eusebium testem ciet. At is sanè causam non dividit, *Scribit*, inquit, *Fabiano Romano Episcopo, aliisque permultis ἄρχουσιν ἐκκλησιῶν Ecclesiarum præsidibus, de rectâ confessione suâ:* Et sic interpres ipse. Quis vero ambigit, quin Fabiano & pro suâ dignitate,& pro urbis prærogativâ,suus deferretur honos? Quintò denique, Fabiano mortuo, sede vacante, Clerus, inquit, Romanus, (quidni & collegium Cardinalium) omnium Ecclesiarum curam suscipit: & hic perpetuò firmamenta ejusdem roboris: namque, addit, Cyprianum de morte Fabiani Episcopi Romani admonet, quod ex ejus epistolâ tertiâ liquet. Et quia Cyprianum Carthagine abscessisse intelligit, ad Clerum Carthaginensem scribit & hortatur, advertant ne quis à rectâ viâ declinet, nempe vice pastoris, inquit, demortui Fabiani munere functus: mittit etiam Ecclesiis, quod in lapsorum negotio decretum: Ergone mutua hæc charitas, hæc consiliorum communicatio plenitudinem potestatis evincet? præsupponet? Ecclesia verò aliqua, si aliam consuluerit, libertatem suam perdiderit, prodiderit? Quæ consilium alteri dederit, suam fecerit, in servitutem mancipariit? Consilium porrò ultrò dedisse, nobis dominationis usurpandæ prætextus, jus: vicinis servitutis præjudicium erit? Ergòne tot Cypriani epistolæ, in diversis causis iisque magni momenti,ad Episcopum, ad Clerum Romanum scriptæ, quibus eos instruit, hortatur, interdum & graviter & gnaviter coarguit, successoribus Cypriani, Ecclesiæ Carthaginensi, documenta totidem, unde in alias Ecclesias, in Romanam adeò ipsam insurgant? Et hîc perpetuò advertat Lector præstigiarum seriem, quem obiter celatum nolumus, Baronium hîc dissimulare hanc apud Cyprianum epistolam tertiam Cleri Romani ad Clerum Carthaginensem, in quâ præcipuè vim facit, non in editione Manutianâ, non in plerisque etiam manuscriptis, quod ipsè Pamelius agnoscit, reperiri.

Baron. ann. 248.

Baro. ann. 153 art. 26. 27. 32. 33. 34. 77. 78. 81.

Cyp. Ep. 3. ed. Pam.

Pa. apud Cypri. epist. 3. in notis.

PROGRESSUS.

NOn multo post alia exoritur quæstio, baptizati ab Hæreticis ad Ecclesiam orthodoxam revertentes, utrum rebaptizandi, quod Stephanus Episcopus Romanus negabat, affirmabat Cyprianus: Et causa quidem Stephani, quàm Cypriani melior, si eam modestè egisset: ratione potius quàm potestate certasset. Etenim ad Epistolam Synodalem Episcoporum 71. in Africâ congregatorum præcisè respondet: *Si quis à quacunque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur in pœnitentiam:* absolutè imperanti sibi alias Ecclesias illicò parere debere, apud se coustituens: Quod cum non faciunt, Africanas primò à communione amputat, mox & Orientales, quæ eis adhærebant.

Ann. 258.

OPPOSITIO.

HIc ergo quid Cyprianus? quid & cæteræ Ecclesiæ? ille certè in Epistolâ ad Pompeium: *Inter cætera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè atque improvidè scripsit,* (*Stephanus*) *etiã illud adjunxit: Siquis ergo à quacunquè heresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur in pœnitentiam:* (distinctionem posteà adhibuit Nicæna Synodus, quam Stephanus non attendit) *quin*, inquit, *in tantum Stephani obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini, & Appelletis contendat fili-*

Cypr. in ep. ad Pompe. Edit. Paris. & Pamel. epist. 74.

filios Deo nasci? Ut contentionis æstus eum abripuerat, contra quam Ecclesia apertè definivit, quatenus baptismi non retinebat formam: At, inquit, *Oportet Episcopum non tantùm docere, sed & discere: quia & ille melius docet, qui quotidie crescit, & proficit discendo meliora.* Quasi dicat, præstaret Stephanum, communicato cum Collegis consilio, Religionem discere, quam consuetudinis prætextu impotenter imperare: cum præsertim, inquit, *Consuetudo absque veritate vetustas erroris sit. Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de Circumcisione postmodum disceptaret, non vindicavit sibi aliquid insolenter, & arroganter assumpsit: ut diceret se primatum tenere & obtemperari à Novellis & posteris sibi potius oportere: Nec despexit Paulum quòd Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit: documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quę aliquando à fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggerentur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus:* Et eo semper Stephanum loco habet. Non sat Stephano Africanis superbè rescripsisse, Orientalibus etiam Cypriani sententiam tuentibus, dum in eâ persisterent, se communicare non posse, significarat, quod ex Epistolâ Dionysii Alexandrini ad Sixtum Stephani successorem patet: Firmiliano in primis, Heleno, & aliis, ad quos etiam Cyprianus Rogatianum Diaconum delegaverat: Quâ quidem arrogantiâ Orientales vehementer offenduntur: Extat igitur apud Cyprianum eorum responsio: *Nos*, ajunt, *Stephano gratiam referre in isto possumus: quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei & sapientiæ vestræ experimentum caperemus: Sed non enim si nos propter Stephanum hanc beneficij gratiam cepimus; statim Stephanus beneficio & gratiâ digna commisit. Neque enim & Iudas perfidiâ suâ & proditione, quæ sceleratè circa salvatorem operatus est, dignus videri potest, quasi causam bonorum tantoperè ipse præstiterit, ut per illum mundus, & gentium populus passione Domini liberaretur: sed hæc interim, quæ ab Stephano gesta sunt, prætereantur, ne dum audaciæ & insolentiæ ejus meminimus, de rebus ab eo improbè gestis longiorem mœstitiam nobis inferamus.* Tum rem ipsam aggressus: *In cæteris quoque plurimis provinciis multa, pro locorum & nominum diversitate, variantur: nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est: Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt: Nec intelligit offuscari à se & quodammodo aboleri Christianæ Petræ veritatem: qui sic prodit & deserit unitatem: Stephanus tamen*, inquiunt, *per successionem Cathedram Petri habere se prædicat:* Et hoc haud dubiè prætextu alias Ecclesias à communione depellebat. Excommunicationis ergo hujusce quam rationem habent? Certè sese ipsum eo facto excommunicasse apertè significant: *Homo*, ajunt, *animosus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata: Lites enim & dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? peccatum verò quàm magnum tibi exaggerasti, quando te à tot gregibus scidisti, excidisti enim teipsum: noli te fallere, si quidem ille est verè schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas à te omnes abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Ambulate dignè vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate sensus, & lenitate, cum patientiâ sustinentes invicem in dilectione, satagentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis. Hæc Apostoli mandata, & monita salutaria quàm diligenter Stephanus implevit,*

[Margin: Euseb. histor. lib. 7. cap. 4. Cypr. Edit. Paris. epi. 43. Pamel. 75.]

[Margin: Ephes. 4. v. 1. 2. 3.]

vit, humilitatem sensus & lenitatem primo in loco servans? Quid enim humilius, aut lenius, quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in Meridie estis, à quibus legatos Episcopos patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquij communis admitteret? Adhuc insuper præcepit, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax, & communio, sed & tectum, & hospitium negaretur. Apud talem hominem potest esse unum corpus, & unus spiritus, apud quem fortasse ipsa anima una non est, sic lubrica, mobilis & incerta? Videte interim quousque abreptus fuerat: *Et tamen non pudet Stephanum talibus adversus Ecclesiam patrocinium præstare, & propter hæreticos asserendos fraternitatem scindere: insuper & Cyprianum Pseudochristum, & Pseudoapostolum, & dolosum operarium dicere? Quę omnia in se esse conscius, prævenit, ut alteri ea per mendacium objiceret, quæ ipse ex merito audire deberet.* Ecclesiarum ergo Orientalium hæc ad Cyprianum oratio, quâ Stephani in hoc negotio insolentiam, mirum quàm perculerat, ut non absque ratione Pamelius fateatur, se lubenter hanc Epistolam Manutij exemplo omissurum fuisse, ni Morellius, Turnebus nempe ipse, eam in lucem produxisset. At Cyprianus Stephano quanto modestior, *Nos*, inquit, *quantum in nobis est, propter hæreticos, cum collegis & Episcopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam & dominicam pacem tenemus, servatur à nobis patienter & leniter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotij: propter hoc etiam nunc libellum de bono patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino, & inspirante, conscripsimus:* Quo etiam fine, ut contentionem leniret, alium *de Zelo & invidiâ* edidit. Et hi igitur Episcoporum Romanorum in ipso persecutionum ardore, de Primatu in alias Ecclesias, conatus: quorum, in bonâ licet causâ, ambitione, & pravitate, ad suum illud mysterium provehendum, Satan non segniter jam tum abusus: Qui sanè, ex quo Constantinus Magnus Ecclesiæ Christianæ pacem reddidit, iisque favêre cœpit, ambitionis hujusce igniculos, ipsius liberalitate invalescentes, & à consueto illo rigore minus repressos, immane quantum flatu suo accendit. Baronius interim nom tàm propositi, quàm præsuppositi tenax, hanc actionem ut ejurare non potest Episcopos Romanos nihilo secius absolutè imperasse contendit: Et imperabant forte nonnulli: de eorum enim ambitione nimis quàm constet, sed, quàm illis parum obtemperatum, & jam vidimus, & multis dejnceps sæculis animadversuri sumus. Cum igitur, inquit, Dionysium Episcopum Alexandrinum, Sabellij hæresim oppugnantem, Pentapolitani apud Dionysium Episcopum Romanum, tanquam de Dei Filio minus rectè loquutum, accusassent, sese per litteras apud eum purgat. Quid mirum, sanctus hic Episcopus, ut se tantâ calumniâ liberaret? Apud eos præsertim, apud quos eo nomine traductus? At hæc in illo animi promptitudo, num tibi forum Ecclesiasticum fiat? Et Athanasius, num hîc forensem actionem agnovit? *Sanè*, inquit, *quidam ignari ejus causæ, cur ita ab eo scriptum esset, Romam ascenderunt*, καὶ κατειρήκασιν αὐτοῦ *ibique eum apud Dionysium ejusdem nominis pręsulem Romanum vituperarunt.* Non dicit, juridicè accusarunt, imo Zelum illum suum notat levitatis: Dionysius verò Episcopus Romanus Alexandrinum, quid contrà ipsum proponatur, certiorem facit, qui illicò Apologiâ missâ omnibus facit satis. Hoc totum quid nisi duq-

Cypr. epist. ad Iubaianum, quæ est in Edit. Paris. 70. in Pamel. 73.

Athan. de Sentent. Dionysitij.

si duorum Episcoporum fraterna communicatio? Secundò, in Samosateni negotio, ut primùm hæresim suam in Antiochiâ in lucem profert: *Statim*, inquit, *Romanus aditur Episcopus*: Imò Athanasius ambos hujus laudis consortes facit: *Dionysii duo*, inquit, *Samosatensem sustulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Presul erat*: Num ullum hîc discrimen notet? Eusebius: *In Synodo innumerorum Episcoporum, qui convenerunt Antiochiæ*: Mandatum utique Romani Pontificis non expectabant: *damnatus fuit hæreseos, ab universa & Catholicâ Ecclesiâ, quæ sub cœlo est, penitus exturbatus*: Sed enim, inquit, omnes si Pastores συνκεκρωτημένοι (quæ vox antiqua) εἰς πρόσωπον *in personâ Dionysij Episcopi Romani, & Maximi Alexandrini*, (qui recens alteri Dionysio successerat) *Epistolam* scribunt, ἐπὶ πάσαις τὰς ἐπαρχίας, ad omnes provincias *unde certiores fiant, quantâ sollicitudine in eam rem incubuissent*, quàm egregiam operam in extinguendâ illâ hæresi navassent. Notetur inscriptio, *Dionysio, Maximo, omnibus, ubicumque terrarum*, συλλειτουργοῖς ἡμῶν, *collegis Episcopis, & universæ ac catholicæ sub cœlo Ecclesiæ*: Primatus hic sui num vestigium vel exiguum? Tertiò, Hæreticus iste, inquit, (Paulus) quia domum Episcopalem in Dumno in ejus locum à Synodo suffecto, tradere non vult, recurrit Synodus ad Aurelianum Imperatorem, nondum Christianorum sanguine tinctum, eâ de re quid agendum, decreturum: Et is, inquit Baronius referente Eusebio, *Sanctissimè præcepit, ut Domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Episcopi ejusdem doctrinæ in Italiâ, & in urbe Româ, tribuendam præscriberent*: Quæ ipsa Authoris verba. Ergo, Baronius inquit, *Imperator, licet Ethnicus, Romani pontificis toto orbe potestatem agnoscebat*: Quin attendatur hic textus: Non utique dicit, cui Episcopus Romanus adjudicaverit, sed cui Episcopi κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ Ῥωμαίων πόλιν, *qui per Italiam, & Civitatem Romanorum*: Qui proindè hactenus æquales: illi haud dubiè qui Romæ vicini, quos hujusce controversiæ facit arbitros, potius quam aut Alexandrinum, aut remotiores: Quippe qui ad preces Romæ oblatas respondebat: Advertat verò obiter Lector, interpretem, ut hinc rem faceret, locum corrupisse, quem Baronius lubenter secutus: *Quibus*, inquit, *Christiani Italiæ & urbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent*. Ubi Eusebius, *Episcopi per Italiam & urbem Romanorum*: quos proinde cum Episcopis Romanis concurrentes inducit: imò si ordinem spectes, præponit: Quartò, Quid si igitur jam tum oscula Paparum pedibus infigi solita, (mirum ni ctepidis) persuadeat nobis? certè ex nescio quâ Legendâ Præpedignam quandam nobis eruit, Claudii Cujusdam uxorem, quem Susanna, neptis Diocletiani Imperatoris agnata, ad Christum converterat. Hæc præ summo gaudio (quippe quæ jam Christiana) ad Cajum Episcopum Romanum accurrit, ad ejus pedes provolvitur, & *pro more*, inquit Legenda, *eos exosculatur*: Non verò illi Authores melioris notæ? cum hos ipse alibi cum tot aliis ejusdem generis eodem obelo jugulet? Et unde nam Cajus iste Diocletiani nepos? Susanna proneptis? quod nomen Romanis incognitum, dicamus & Ethnicis. Quin, num non & ipse in hoc eodem articulo Claudium Gabinij *Sacerdotis pedes exosculantem inducit?* Et Episcopus igitur Romanus Sacerdoti hîc quid præstat? quid præpollet? Et si hîc ardorem zeli causaris: illic cur adorationem? cur Hominium plenitudini potestatis debitum interpretaris?

Athanas. in lib. de Synodis.

Euseb. lib. 7. cap. 29. & 30. Edit. Græc. & 23. & 24. Lat.

Baron. to. 2. ann. 272.

Euseb. Edi. Lat. lib. 7. cap. 24. & Græc. 30.

Baro. ann. 294. art. 8. & sequent.

PRO-

PROGRESSUS.

Anno 310.

JAm Eccleſiam Chriſtianam, per illa otii intervalla, labem contraxiſſe nemo ſanè inficias eat: Cyprianus vel in ipſo perſecutionis æſtu non negat, cauſamque affert, quod ſuæ cupiditati quiſque indormiat: unde cenſurâ cœleſti expergefieri habeat opus: De Paſtoribus Eccleſiæ in primis: *Non in Sacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina: Quin, Epiſcopi plurimi, quos & ornamento eſſe oportet cæteris, & exemplo, divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum ſecularium fieri, derelictâ cathedrâ, plebe deſertâ, per alienas provincias oberrantes negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari. Eſurientibus in Eccleſiâ fratribus, habere argentum largiter, velle fundos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis hujuſmodi mereremur?* Et hoc quidem anno circiter 253. Ut verò malum naturâ in pejus perpetuò ruit, ni Deus ſuâ providentiâ ſubinde reprimat, perſecutionem Diocletiani, annũ circa 302. Euſebius eidem cauſæ tribuit. *Inter nos,* inquit, *petulantibus linguis, tanquam mutuis armis oppugnare, & caſu aliquando verborũ contumelias velut haſtas unius in aliũ intorquere,* ἀρχόντων τε καὶ ἄρχουσι προσρηγνυώντων, *& præſides eccleſiarum, alter alterius vires infringere, & populus in populum ſeditionem concitare,* οἵτε δοκοῦντες ἡμῶν ποιμένες, *& Paſtores noſtri depulſâ repudiatâque pietatis regulâ, diſſidio & contentione inter ſe exardeſcere,* αὐτὰ δὴ ταῦτα μόνα, *quin etiam nullas alias res præterquam diſcordias, minas, æmulationem, & inimicitias, & odium inter ipſos mutuò adaugere, &* τὰς φιλαρχίας *tyrannorum more principatum obtinere.* Ut jam mirum videri non debeat, ſi Conſtantini magni tempore, cum otio indulgere datũ, multi inveniantur, qui miſero huic myſterio manum obſtetricem præbeant. Conſtantinus igitur religionem Chriſtianam amplexus, anno circiter 310. Eccleſiis multa magnáque dona largitur, Rom. in primis, quæ & ab Urbis dominæ authoritate, & ab imperatorum ſede commendabatur: Dona, inquam, hæreditaria prædia, fundos, ornamenta magnifica, quorum in vitâ Sylveſtri per Damaſum, an per Anaſtaſium ſcripta, habetur nomenclatura. Et hoc ejus exemplo magnates, quique ad Chriſtum converſi, factitaſſe veriſimile; Adde inoleviſſe tunc legata in Eccleſiarum favorem, & quidem lege permiſſa: Inde rerum potitus, ut gentes Chriſtianiſmo paulatim aſſuevit, annum circa 330. ex ruinis idololatriæ Eccleſias extruit, Sacerdotum Ethnicorum reditus in uſum Eccleſiæ Chriſtianæ convertit, Romanam ut exiguo tempore in immenſum opibus auctam videas. Cedreni in hiſtoriâ ſunt hæc verba, *Viceſimo ſexto & ſeptimo annis Conſtantinus ſimulacris eorúmque fanis evertendis operam dedit, redituſq́, eorum Eccleſiis Dei tranſcripſit:* Gliſcebat etiam primatus cupiditas, cujus in Epiſcoporum Romanorum Epiſtolis, Sylveſtri in primis characteres, ſi modò his aliqua fides, quandoquidem, uti ſæpius dictum, ante Syricium, id eſt, ante annum 400. à doctiſſimis quibuſque, à Cuſano ipſo Cardinali ſpuriæ habentur. Ut & donatio illa Conſtantini, tantoperè decantata in favorem Eccleſiæ Romanæ, Sylveſtro collata, qui tum Romanam urbem, tum potiorem Italiæ partem ei donaſſe dicitur. Cui idcircò non viſum diutius inſiſtere nobis. Quia hanc univerſa ejurat Hiſtoria, & quartus Conſtantini filii & Gallicani Conſulatus non repertus: & Damaſus Epiſcopus Romanus, in vitâ Sylveſtri, accuratâ adeò, ut nec Anaſtaſius meminêre nuſquam. Quia in hercíſcundâ Conſtantini familiâ, † Euſebio, a Zo-

Cypria. de lapſis.

Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 1. & 2.

Damaſ. & Anaſtaſ. in Sylveſtro. Lib. 4. de Epiſc. & Cler. in C. Theod.

Greg. Cedrenus p. 243.

† Euſeb. de vitâ. Conſtant. lib. 4. ca. 49. 50. 51.

[a]Zozimo, [b]Victore, [c]Zonara teſtibus, Italia & Roma adeò ipſa, recenſentur: Qu Iſidorus, Burchardus, Yvo eam uti Apocrypham decretis ſuis excluſerunt Quia [d]Agatho Pontifex, multis poſt ſeculis ad Conſtantinum Pogonatu ſcribens: *Urbem Imperatoris ſervilem* vocat: Quia inſigniores viri quiqu Eccleſiæ Romanæ licet fautores, eam refutarunt: [e]Antonius Archiep ſcopus, [f]Volaterranus, [g]Hieronymus Catalanus Alexandri 6. Cubicularius [h]Otho Friſingenſis Epiſcopus, [i]Cardinalis Cuſanus, [k]Laurentius Valla Pa tritius Romanus, [l]Franciſcus Guicciardinus, Æneas Sylvius ipſe qui poſt Piu 2. libro in eam rem edito, quem citat Catalanus. Quia Platina Pontificum Hiſto riographus eam ipſe tacuit pudore ſuffuſus: Denique in eo, quod oſtentant, Au tographo, in Vaticanâ Bibliothecâ literis aureis conſcripto, notarij ma nu ad calcem minus latinè adjicitur, *Quam fabulam longi temporis mendacia finxit* Finxit interim quàm aut impudenter aut imprudenter, cum ibi ſcribitur: *Conſtanti nus Imperator quartâ die ſui baptiſmi privilegium Romanæ eccleſiæ Pontifici contulit ut in toto orbe Romano Sacerdotes ita hunc caput habeant, ſicut Iudices Regem* Non probè ſanè à Sylveſtro edoctus Imperator, qui hoc privilegium è cœlo manare ignoret: Sylveſter ipſe, qui hæc Imperatori non Petro accepta ferat: *Et Sylveſtro ejusque ſucceſſoribus Pontificibus donaſſe dicitur principatum ſuper qua tuor ſedes præcipuas, Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, Conſtantinopolitanam, tum etiam ſuper omnes in univerſo orbe terrarum Eccleſias Dei*: In ſcholâ rurſum Ieſuiticâ nondum perſuaſus, Sylveſtrum pro ſuo jure Imperium Conſtantino donare, ſummámque hanc in univerſam Eccleſiam poteſtatem Sylveſtro in ipſo Euangelio conceſſam: Et, ut vacuam poſſeſſionem Sylveſtro relinqueret, Conſtantinopolim exædificaſſe: *Quia*, inquit, *ubi principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cœleſti conſtitutum eſt, juſtum eſt, ut illic Imperator terrenus habeat poteſtatem*: Cum ipſe tamen Romam in partem hæreditatis filio aſſignet: Et multi Imperatores ſedem exinde Romæ collocarint: Hoc porrò Privilegium ut ſemel finiamus locum habiturum: *uſque ad mundi finem, cũ diademate, & phrygio, & purpurâ imperiali &c. Damnatus verò ad inferos, à Conſtantino, qui contradixerit, nullâ ſpe veniæ.* Quis de Decreto, noſtris diebus reformato, benè ſentiat, in quo Gregorius 13. non jam talem paleam, ſed tantum ſterquilinium intactum reliquerit? Et Baronius interim hîc quàm effrons, advertat Lector, qui hanc donationem tanquam ignem prætervolat, quam nihilominus rei judicatæ nobis inſtar eſſe vult: *De vulgatâ illâ omnium ore ageremus ejuſdem Conſtantini donatione, tot tantíſque controverſiis agitatâ: ſed parcimus, quòd nihil præter illa, quæ ab alijs dicta ſint, afferre poſſumus, & eadem repetere ſit onerosum atque pariter otioſum*: At miſer ille quàm multa repetit leviora multo? ab innumeris tractata licet: Et Annales illi ſui unde alias conflati? Nondum igitur ad hoc faſtigium Epiſcopi Romani venerant, gradibus illis opus, quos ſuo quoque ordine notabimus: Et verum ſanè, ex quo in Eccleſiam ingruerunt opes, corruptelam in ipſam Religionem unà obrepſiſſe, quæ hoc tempore ex Ethnicorum admixtione adulterari cœpta: Quod Baronius ipſe non diffitetur, cum ceremonias Ethnicas in Eccleſiam Chriſtianam inductas, eâ ratione ſanctificatas aliquoties repetit.

[a] Zozimus lib. 2.
[b] Victor in Conſtãt.
[c] Zonaras to. 3.
[d] Agatho in epiſt. ad Conſtant. Pogon. in Actis ſextæ Synodi.
[e] Anton. Archiep. 1. part. 6. tit. 8. cap. 2. Sic inquit
[f] Volaterr. in vitâ Conſtant.
[g] Hier. Catalan. in practicâ Cancell. Apoſt.
[h] Otho Friſingenſ. in Annal.
[i] Card. Cuſan. de concord. Cathol. lib. 3.
[k] Laurent. Valla de fictâ donatione.
[l] Franciſc. Guicciard. in locis duobus.
D. 96. c. 13. Palea.
Baron. to. 3. ann. 324. art. 117.
Baro. anno 44. to. 1. art. 86. & ſequentib. Idem paſſim.

OPPOSITIO.

AUcta tantis opibus affatim Ecclesia, sinistrum piis plerisque augurium fuit: Sylvestri Legenda auditam tunc vocem de cœlo tradit: *Hodiè effusum est venenum in Ecclesiam:* At certum nihilominus, cum de Donato ab Ecclesiis Africanis damnato ageretur, Constantinum Miltiadi Episcopo Romano judicandum non reliquisse, sed judices pro suâ authoritate dedisse Episcopos, Maternum Coloniensem, Rheticium Augustodunensem, & Marinum Arelatensem, quibus post adjunctus ejusdem diplomate Miltiades Episcopus Romanus: Quod ex Optato & Augustino discere proclive. Quin, cum judicato non acquiesceret Donatus, appellationis judicem constituisse Arelatensem Synodum primam, cui, à se utique convocatæ, ipse præsidebat, tandémque Mediolani sententiam tulisse, ut Episcopum Romanum tribus illis coæquari, in hoc negotio manifestum sit. In Arrij controversiâ nihilo secius: Convocat ipse universalem Niceæ Synodum, adest, preest: Testes, Eusebius, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Cyzicenus, Patres ipsi Synodi in Synodalibus Epistolis: Episcopo verò Romano præscripti sui disertè limites, canone in eam rem decreto. At is, quia controvertitur, meritò hîc nobis examinandus.

Legenda B. Sylvest.

Optat. cont. Parmen. li. 1. August. epist. 162. & 166.

Theodor. lib. 1. Hist. Eccl. c. 7.

Canon igitur sextus Nicænæ Synodi primę, anno circiter 325. quo Episcoporum fines reguntur, his verbis legitur. *Mores antiqui teneant*, τὰ ἀρχαῖα ἔθη *Qui sunt in Ægypto, Libyâ & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus*, πάντων τούτων ἐξουσίαν ἔχῃ, *horum omniũ habeat potestatem, quoniam quidẽ & Episcopo Romano parilis mos est*, συνηθὲς, inquit, non igitur lex: decretũ divinum multo minus, sed mos tantùm: *Similiter & apud Antiochiam, cæterásque provincias, honos suus unicuique servetur Ecclesiæ:* Et de Hierosolymitano, Canone 7. idem: *Quia mos antiquus obtinuit & vetusta traditio, ut Æliæ*, (id enim ei nomen, ex quo aliò translatam restauravit Adrianus) *Honor deferatur, habeat consequenter honorem, manente tamen Metropolitanæ Civitatis propriâ dignitate:* Et Gelasius Cyzicenus in actis Synodi ex Bibliothecâ Vaticanâ prolatis, idem: Ubi notemus eos omnes consuetudine niti, quæ in Canone ἔθη, συνηθὲς, συνηθεία, mos, consuetum, consuetudo: Et Romanum quidem inter Alexandrinũ & Antiochenum collocari, quibus ad instar Romani, portionem assignat. Epiphanius verò de hac consuetudine iisdem verbis: Ruffinus Hieronymi contemporaneus, annis post Nicænam Synodum plus minus 60. ejus canones nobis exhibet, & sextum quidem, qui nostro respondet: *Et ut apud Alexandriam, & in urbe Româ vetusta consuetudo servetur.* Et porrò qualis? *ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarũ sollicitudinem gerat:* Etenim ejus tempore, ut ut fimbrias suas extendisset, nondum Mediolanũ, aut Ravennã usque jurisdictionem suam protenderat. Imago hujusce rei adhuc Romæ, ubi Lateranensis Ecclesia πατριαρχεῖον, in quâ solenni quoque die septem Episcopi destinati, qui aut coram Pontifice celebrent, aut celebranti adsistant: *Episcopi*, inquit Onuphrius, *vicinarum Civitatum, Ostiensis, Portuensis, Silvæcandidæ, Sabinensis, Prænestinensis, Tusculanensis, Albanensis*, quas hîc Ruffinus *Suburbicarias* appellare videatur, *urbi subiacentes* dixeris: Et hæ fortè in Picenum usque & Tusciam ex Codice Theodosiano porrigebantur: At Balsamon, Canonem Græcum exponens, Episcopi Romani auctoritatem in universum Occidentem diffundit, quippe qui suo tempore, sub annũ 800 ulterius ambitione grassatus erat, ut illi satis fuerit, Ecclesiarum nostrarum dispendio, Orientem ejus diti-

Ann. 325. Canones Græcæ. Conc. Nicæn. 1. can. 6. & 7.

Gelas. Cyzicen. in Actis Synodi 1. Nicænæ p. 61.

Epiph. hæresi. 68. in principio. Ruffinus li. 1. cap. 6.

Onuph. de Episcopat. Titul. & de Diaconis. Car.

Balsam. in can. Nice. Syno. can. 6. & 7.

Diſt. 65. c. 6. ditioni exemiſſe. Hunc porrò Canonem Gratianus ipſe eodem ſenſu inſeruit & quidem diſertiùs: *Mos antiquus perdurat in Ægypto vel Lybiâ & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quandoquidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt:* Quod enim ex Nicolao. 1.500. poſt annis, Gregorius 13. & Bellarminus proferunt: *Synodi Nicenæ præcepta non aliud teſtantur, & noverat omnia Eccleſiæ Romanæ Domini ſermone conceſſa eſſe, adeo ut non aliquid ſuper eam conſtituere auſa ſit, ex ejus enim diſciplinâ Eccleſiaſticâ per omnes Eccleſias fons emanavit:* præterquam quod ridiculum eſt, judicem in propriâ cauſâ Romanum Epiſcopum faciunt, & quod in quæſtione præſupponunt, quo elencho non manifeſtior ullus. Bellarmino hoc eximium, quod in vulgatis hujus Synodi exemplaribus Canonis principium deſiderari vult his verbis: *Eccleſia Romana ſemper primatum habuit ſed conſuetudo durat: &c.* Verùm exemplaria vulgata quænam illi? Et unde nobis certiores canones, quàm ex Conciliis Græcis, ex Ruffino, Balſamone Patriarcha Antiocheno, Gratiani decreto apud eos authentico, Cyziceno ex Bibliothecâ Pontificiâ deprompto? Et hunc verò unde nobis eruit, ut amplior ei conſtet fides? Ex Synodo Chalcedonenſi, inquit, ubi legitur Actione 16. Quid ſi verò rejecerimus, hæc in Græco non haberi, Balſamoni ignota eſſe, quid reſponſurus? cum præſertim hæc Synodus in Græciâ habita ſit, Græcè primùm prodierit? Et Nicæni demùm canones, num apud Chalcedonenſem quærendi, numnon potius apud Nicænam? Et cum nos celatos noluerit, Paſchaſinum Leonis Romani legatum ea proponere, num ejus fidem præſtare auſit? num fideliorem illo aſſerere, qui eundem, ut deinceps videbimus, in Carthaginenſi Synodo falſavit? Dicamus amplius: Ipſe enim Bellarminus hunc ipſum nobis adulterat, & ubi Paſchaſinus dicebat. *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit principatum, teneat autem & Ægyptus:* ut hæc verba: *Quod Eccleſia*, tituli loco ſint, proponit illi deciſivè, *Eccleſia Romana ſemper habuit principatum, mos autem perduret:* Sicque patrum illorum mentem nobis invertit: Paſchaſinus enim, quæ citavimus verba, recitat quidem, verùm retinet nobis Bellarminus, Ælium Archidiaconum Conſtantinopolitanū, Codicem Canonum Conſtantino Synodi ſecretario, legendum tradidiſſe, qui canonem ſextum iiſdem quibus nos verbis ex eo legit: Et quidem ab his exorſus, *Antiquę conſuetudines teneant: in Ægypto &c.* Non autem, *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit principatum:* Decernit verò Synodus: *Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod ſit nova Roma:* Et de hoc nulla inter nos lis: Verum *propter principalitatem urbis*, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν, non ex Chriſti præſcripto, non ex authoritate Petri: nihilo magis Conſtantini, aut Nicænæ Synodi, tantum propter *Primatum urbis:* Et ita quidem, ut Conſtantinopolis nullis ejus generis prærogativis freta, *eiſdem primatibus honoris, & æquis privilegijs utatur:* nempe quia *nova Roma*: Quod illi in hac Synodo nomen: Quod ſi verò Eccleſiæ Romanæ privilegia ab Euangelio, à Petri primatu profecta, æquales quo tandem jure? aut ſi æquales, nonne aliunde, nonne alio prorſus, quam eo quo contendunt jure? Et cur igitur Petri abutuntur nomine? Euangelij nos ludificantur prætextu? Ex facto, Lucentius Epiſcopi Romani legatus proinde quiritatur, cancellari hunc Canonem poſtulat, & proteſtationis ſuæ authoritatem conſignatam poſcit: At ab ipſis Imperatoris legatis repulſam fert: *Viri illuſtriſsimi judices dixerunt: Quod interlocuti ſumus, tota Synodus approbavit:* nempe, unde conquerebatur: tantum abeſt, ut Paſchaſini interceſſioni, quod vult Bellarminus, acquieſcerent; Et hæc in

Nicolaus, in Epiſt. ad Michaelem Imperat.

Cóncil. Chalced. Actor. 16.

Bellar. li. 2. de Rom. Pōti. c. 13.

in citandis Conciliis passim eorum fides. Quæ ei suprema anchora, *Veram expositionem* appellat, plusquam ridicula: *Episcopus Alexandriæ curam Ægypti, & Lybiæ habeat, quoniam Episcopus Romanus ita consuevit*: Hæc verba, conscientiam tundant ἐπειδὴ καὶ ἐν ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθὲς ἐςὶν, *Quia Romanus Episcopus ita consuevit*, *Quia Romano Episcopo parilis mos est*: Ut omnibus linguis vim facias, hanccine interpretationem admittere usquam possint? Nedum ut cum Ruffino conveniat? Bellarminus imò ipse tantæ absurditatis sibi conscius, vel sine teste, non pudore suffundi? Addamus in celeberrimâ hac Nicænâ Synodo Episcopi Romani legatos non præsedisse, quartum tantum locum obtinuisse: Ut Cardinalis Cusanus, Canonem hunc nobiscum interpretatus, meritissimo jure hæc verba subjungat: *Et hinc videmus quantum Romanus Pontifex, ultra sacras antiquas observationes, ex usu & consuetudine subjectionalis obedientiæ hodie acquisivit.*

Cardinal. Cusan. de concord. Cathol. li. 2. cap. 12.

Hæc ex universâ historiâ manifesta, quæ tamen Baronius, simplicioribus fucum facturus, mirum quantum interpolet, quasi ab ipsis Ecclesiæ Christianæ incunabulis Papa Romæ sederit, Ecclesiæ universæ præsederit, qualem cernimus. Quòd igitur Constantinus Christianis Ecclesiis, Romanæ in primis, multa largiretur, purpuram eum deposuisse, exuisse, unde eam vestiret, persuadeat nobis libens: & quibus jam gradibus, videamus: Primò, Constantinus, inquit, ne supremus Christianorum Episcopus domum privatam habitaret, Miltiadi Episcopo Romano & successoribus Palatium Lateranense donavit. Hoc verò undenam habet? Et Epistolam quidem Isidori Mercatoris proferre erubescit: Num igitur ei aliquid melius ad manum? Præmissis quibusdam nugis: *A certo, planè antiquo, dignóque authore accipimus, cujus fides probata sit omnibus, nempe ab Optato Milevitano, qui agens de Romano Concilio, sequenti anno Romæ sub Melchiade celebrato, Constantino & Licinio tertiùm Consulibus collectum illud fuisse tradit, in domo Faustæ in Laterano, ubi fuisse Pontificis Romani sedem nemo jure poterit dubitare*: Mirum, quin & Iubileum ibi celebrasse asserat: Ædes illas aut Miltiadis fuisse, aut ei donatas ex his verbis, quis inferat? Cum igitur Sylvestrum legamus Concilium Romæ non multo post intra Thermas Domitianas habuisse, Thermæ ne illæ ipsius ædes? & si tunc Lateranum Romani Episcopi palatium spatiosum adeò & magnificum, quid alienò ei opus? Quod tamen adiaphoron utique, ni alterius urgeret: At donationem hanc *evidenter demonstrari* contendit: Quin, ut ei mos vento superstruere, inde colligere non veretur: Imperator cum Miltiadem in Palatium suum reciperet, credere consentaneum: *Etiamsi nulla alia suppeterent testimonia, quem domibus Imperatorijs excipiat, imperatorio quoque cultu, ut par erat, dignatum esse*: Levem sanè hanc conjecturam quis vel minimo flatu discuti non videt? Secundò, Constantinus, inquit, anno Imperij sui 24. statuit: *Assumant Christianæ legis Antistites privilegia, quæ Sacerdotes Idolorum habuisse noscuntur.* At non hîc videt causæ suæ quantum noceat, cum sua omnia privilegia ab Ethnicis deducit: Verùm quo tandem authore? Acta Sylvestri Latina nobis laudat, quæ tot locis explodit, falsi convincit, & inde tamen omnes Pontificum & Sacerdotum & idololatrarum prærogativas corradit, quas Christianis accommodet: *Inter eos eminebat Rex Sacrorum, qui in conviviis super omnes excubare solebat, erat & Pontifex Maximus, arbiter humanarum atque divinarum rerum omnium: Passurus ne Constantinus æquo animo esset, idolorum Christianis semper adversarios Sacerdotes, honorum gloriâ super extolli, Christia-*

Baron. to. 3. an. 312. Art. 81. 82. 83. 84. 85. 12. q. 1. c. futurum §. denique.

Optat. Milevit. advers. Parmen. lib. 1. 1. Volum. Concil. Rom. 1.

Baron. to. 3. ann. 324. art. 78. & seq.

Ann. 311. art. 59. & an. 315. ar. 10.

Ann. 324. art. 79.

næ verò religionis Antistites, quibus ipse caput subjiceret, humi jacere depressos? Hæccine, rogo, authoritatis Pontificiæ plenæ illius potestatis documenta expectabantur? Et superbiæ tamen Papalis originem ab eo discere non injucundum, qui si in temporis ratione hallucinatur, non saltem in re. *Sacerdotum (idolorum) peculiaris mos*, inquit, quod affirmat Tacitus, *Carpento Capitolium ingredi, sic & videas Romanos Pontifices per urbem Carrucis vehi: nunquam etiam*, Plutarchus ait, *pileum deponebant, flaminum insigne, cum cæteri solerent occurrentibus caput detegere, observat hoc ipsum in hunc diem Romanus Pontifex. Demum*, inquit Cicero, *Deorum Sacerdotes purpuram induebant, eandemque pretiosam, διβαφον, bis tinctam:* Sic & Papa ejusque Cardinales: *Denique mos, cum dedicaretur summus eorum Sacerdos, vittâ & coronâ aureâ caput ornari:* Unde Prudentius.

Tacit. lib. 12. Plutarc. in quæst. Ro. q. 9. & 10. Cicero ad Attic. lib. 2. Epist. 24 Prud. περὶ στεφανῶν. Hymn. 10.

Mire infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino sericam fultus togam.

Quid non debeamus Baronio, qui eum nobis in hanc scenam à capite ad calcem Ethnico prorsus habitu producit? At certè si verum seriò volumus, nondum eo superbiæ devenerant, nec ullum ipse Authorem proferre possit: quin majestatis haud dubiè rei habiti fuissent, si vel Pontificis Maximi titulum sibi arrogassent, quandoquidem Author Zozimus, Constantinum ipsum & cæteros deinceps Imperatores, ad Gratianum usque, dictos esse Pontifices Maximos, amictum Sacerdotalem induisse, Pontificalia insignia à Pontificibus simul ac imperium summum accepisse, quod Baronius non agnoscit tantùm, sed ex multis antiquis inscriptionibus probat. Porrò hanc rationem inter cæteras addit, ex arcanis imperij petitam: *Imperatoriæ dignitati summum Pontificatum adjunctum, ne in Imperatorem Senatus populusque Romanus Gentilitiæ factionis, facilè conspirarent, quem non viderent patriâ religione firmatum:* Ac proinde cui fiat credibile quenquam alium, eo tempore, quocumque prætextu, Pontificem Maximum sese dicere ausum? Tertiò, tuetur Baronius, Episcopum Romanum, si minùs nomine, saltem reipsâ hac authoritate usum, supremum religionis, rerum divinarum, hæreseωn, agnitum fuisse & judicem, & arbitrum: Quare malè eum habet, quod Constantinus de Donatistarum causâ cognoverit, judices ei dederit, appellationem eorum susceperit, de re totâ tandem statuerit: Quæ omnia qui neget, universam historiam abolitam velit. Certè Donatistæ, ab Anulino Proconsule, Imperatoris mandato, admoniti, ut cum Cæciliano Episcopo Carthaginensi in gratiam redirent, per libellum supplicem Imperatorem adeunt, & quia illis Africæ Episcopi suspecti, judices ex Galliâ sibi dari obsecrant; Unde excanduisse Imperatorem Optatus dicit: *Petitis à me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem:* Horum utique Episcoporum iris, discordiis, vitiligationibus meritò offensus, quos charitas fraterna, nullo arbitro, nedum judice, reconciliare debuerat: At num idcirco judices dat minus? Audi Optatum, *Tamen dati sunt judices, Maternus ex Agrippinâ civitate, Reticus ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis:* Hîc Baronius, *Constantinus tum rudis adhuc in fide, judiciorum Ecclesiasticorum ignarus:* Verùm melius postea edoctus; *absque primariæ sedis Antistite nefas esse de his rebus cognosci*, culpam emendat; Quod, inquit, *ipse testatur post hæc ad Miltiadem scribens:* Nempe, cum Anulino curante causam hanc in Sy-

Zozimus Hist. lib. 4.

Baron. to. 3, ann. 324.

Optat. Milevit. contr. Parm. lib. 1.

Baron. to. 3. ann. 313. art. 21.

Synodô Romanâ, cum tribus illis ei judicandam committit: Et hanc igitur Epistolam examinare operæ pretium. Titulus habet; *Exemplar Epistolæ Constantini Imperatoris, per quam Episcoporum concilium Romæ præcipit fieri, pro Ecclesiarum unitate & concordiâ*; Superscriptio sequitur, μιλτιαδῃ ἐπισκόπῳ ῥωμαίων κὴ μάρκῳ, *Miltiadæ Romanorum Episcopo, & Marco:* Ubi Baronius consortem dari impatiens ut summum Pontificem nobis creet, ἐκ μάρκῳ ἱεράρχῳ, facit. Quâ authoritate, quo exemplo? Et ut contra omnium librorum fidem hoc demus, ἱεράρχης apud antiquos, apud ipsum Dionysium, quem Areopagitam volunt, quis, nisi Episcopus quilibet, nisi Sacrorum officiorum Choragus? Cum sanè, si conjecturæ hîc locus, verisimilius sit, scriptum fuisse, Materno seu Marino: Quod in Formatis & Sacris, quæ ad plures dirigebantur, familiare, in quarum exemplaribus primus aliquis nominabatur: addito κὴ λοιποῖς & cæteris. Quare illud apud Eusebium; Verum ut ad rem veniamus, quid ipsum diploma? ἔδοξε μοι, vox in judiciis solemnis: *Visum est mihi, ut idem Cæcilianus cum decem Episcopis Romam navigio trajiciat, ut ibi coram vobis* ἀλλὰ μὴν, *& Rheticio, & Materno, & Marino* τῶν κολλήγων ὑμῶν, *collegis vestris, (quos de eâ causâ Romam maturare jusserim)* προστέταξα *possit audiri:* Quod Augustinus, *Tum deinde lectæ sunt etiam literæ Imperatoris, ad Episcopos datæ, ubi eis causam* Cæciliani *injunxit audiendam*: sequitur, *atque ut de omnibus hisce plenissimam accuratissimamque noticiam possitis habere, exemplaria literarum, ad me ab Anulino missarum, literis meis subscripta ad vestros collegas misi, ut cum vestra gravitas*, ὑμετέρα σεμνότης *illas perlegerit*, (inurbanus ille sanctitatem nondum noverat) *exquisitè ponderet, quomodo, quâve ratione lis illa diligentissimè rectissiméque dirimatur.*: Et hinc judicet Lector, penes quem authoritas maneat, & ubinam tunc Papalis illa omnipotestas: Nec pudet eum interim ex Miltiadis suffragio sententiam facere: *Hâc ergo Romani Pontificis sententiâ causa est terminata*: eo obtentu, quod dixerit postremus: Ubi auctor, *Cæcilianus omnium supra memoratorum sententijs innocens est pronunciatus, etiam Miltiadis sententiâ, quâ judicium clausum est*: Quippe qui huic Synodo, nec abs re quidem, præsidebat. Nondum hîc tamen acquiescere Donatistæ, unde Optatus: *Et tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit*: Non dicit à Miltiade, ab Episcopo Romano: Et hîc rursum commovetur Constantinus; *O rabida furoris audacia, sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt*: Adeò displicebat illi in Ecclesiasticis hominibus litigandi studium. At quid tandem statuit? sanè ut disrumpantur ilia Baronio, appellatione receptâ, Synodum Arelate de toto negotio cognituram decernit: Et ad plures Episcopos & Metropolitanos, ut eò conveniant, scribit. Diplomatum verò illorum apud Eusebium superest nobis exemplar, quod ad Chrestum Episcopum Syracusanum: Titulus ut superioris illius Epistolæ: quo προστάττει, *mandat haberi secundam Synodum &c.* Demùm postquam primum judicium enarravit, quod certis Galliarum & Africæ Episcopis demandarat, παρόντος τε κὴ τ ῥώμης ἐπισκόπου, *præsente etiam*, non quidem præsidente, *Episcopo Romano*: Nos inquit, ἐκελεύσαμεν *aliquos Episcopos in urbem Arelatesiorum ad Calendas Augusti convenire mandavimus*; Eique idem mandat, ut διὰ τ σῆς σεμνότητος *per tuam gravitatem* (quem suprà titulum Episcopo Romano tribuerat) & *aliorum prudentiam*, eò accersitorum, hoc negotium componatur; Quo etiam fine ad Ablavium Præfectum Prætorio scribit, ut sedulò rem eam curet; Et his perpetuò verbis;

Euseb. lib. 10. cap. 5.

August. in Brevic. collation.

Baron. eodem ann. art. 26.

Optat. Milevit. contr. Parm. li. 1.

Euseb. lib. 10. ca. 5. Edict. Lat.

Præ-

Epist. Constant. ad Ablavium ab ipso Baron. citata. ex Biblioth. P. Pithœi. Aug. ep. 68. Aug. cont. epist. Parmen. lib. 5. cap. 5. Baro. ann. 314. art. 53. Euseb. de vitâ Const. lib. 1. cap. 37. 38. Baro. an. 314. art. 67. 68. 69. 70.

Præceperam venire, iniungendum duxi, facias navigare, &c. Ut meritò Augustinus: *Alterum judicium dedit habendum*; Nobis verò jam dubium esse non possit, cujus authoritate hæc Synodus convenerit: Itaque ejus sollicitudine ex Augustino ducenti Episcopi, ex Italiâ, Galliâ, Hispaniâ Arelate congregantur, adest Constantinus ipse, præsidet, inque Catholicorum favorem sententiam fert. Baronius adeò ipse Eusebij locum refert, ex 1. de vitâ Constantini: *Peculiarem curam Ecclesiæ Dei adhibens, cum quidam inter se in diversis locis dissensione discordarent, tanquam communis Episcopus à Deo constitutus,* συνόδους των λειτουργῶν συνεκρότει *ministrorum Dei coëgit Concilium*, ac proindè, quod jam sibi arrogat Pontifex, unus præstabat. Quicquid sit, inquit Baronius, Patres hujus Synodi Episcopo Romano Epistolam Synodalem scribunt, ut ejus acta confirmet, & hinc Corollarium assumit: Moris jam tum fuisse in Ecclesiâ, *Ut leges Ecclesiæ in frequenti Patrum consessu sancitæ cum essent, eas ad Romanum Pontificem mitterent: cujus authoritate probatæ, ab eodem in universas Ecclesias promulgarentur:* Et hanc igitur Epistolam examinemus, seu ut in Synodis habetur, seu qualem ex Pithoei V. C. Bibliothecâ producit: Et in illâ certè titulus notatu dignus: *Domino, & sanctissimo fratri Sylvestro Episcopo:* Inde exordium: *Quæ decrevimus communi consilio, charitati tuæ significamus, ut omnes sciant, quid in futurum observare debeant:* Decrevimus inquit, quo verbo non suspenditur rerum decretarum authoritas: nec rursum ut ab eo discant, sed ut ipse inter cæteros ab illis. In hâc verò alterâ eodem sensu: *Communi copulâ charitatis cohærentes ad Arelatensium Civitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te religiosissime Papa cum meritâ reverentiâ salutamus: Et utinam Frater dilectissime ad hoc tantum spectaculum interesses, quia in eos severior fuisset sententia prolata: & te pariter nobiscum judicante cœtus noster majori lætitiâ exultasset:* pariter nobiscum, inquit. Demùm, ubi quæ ibi acta exposuerunt, *placuit*, ajunt, *præsente spiritu sancto, & Angelis ejus:* Hoccine est confirmationem postulare? hoccine spiritum Sanctum Româ accersere? in cistulâ mittendum expectare? Annon potius inexpectato Papâ absolutè decernere? *Item, Placuit, etiam antequam *... à te qui majores diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari:* Majores diœceses, non igiter universus orbis, quod volunt, ejus diœcesis: Et porrò idemne illis *insinuare* quod confirmare? Denique pergunt in contumaciâ Donatistæ, Constantinum denuò appellant ipsum, qui importunarum quærelarũ pertæsus Mediolani partes occurrere jubet: & quæ supra judicia confirmat: Author Augustinus pluribus locis:

Aug. Epist. 162. 68. & lib. 3. cont. Cresconium.

De illâ causâ post Episcopos judicare coactus, jussit ut ei partes ad agendam causam occurrerent, cognitâque causâ qua diligentia, qua cautela, qua provisione, Cæcilianum innocentissimum, illos improbissimos judicavit: Et rursum: *post Episcopalia judicia:* Tum in Synodo Romanâ, tum in Arelatensi. Imperator si quid hodie tale audeat, num laturus impune? numnon protinus excommunicandus? Et tamen Sylvester Romanus Episcopus num commovetur quicquam? num conqueritur? Et sic perpetuò orbem ludificâri Baronio ludus. Quartò, in Arrij causâ num ei melius succedat, videamus: Hic igitur cum venenum suum Alexandriæ primùm vomuisset, indeque per literas encyclicas orbe diffudisset, Alexander tunc Episcopus intercedit, & encyclicas etiam

Baro. ann. 318. art. 59.

suas, ad septuaginta, inquit Epiphanius, quoquo versus mittit: Ubi interim Baronius nullo authore: *Constat in primis eundem Alexandrum de his, quæ ab ipso gesta essent contra Arrium, scripsisse literas ad primariæ sedis Episcopum Sylvestrum Romanum Pontificem:* Ergo ne fidem ei vel injurato debemus? Sed, inquit, nonne Li-

ber-

berius in Epistolâ: *Manent literæ Alexandri Episcopi olim ad Sylvestrum sanctę memoriæ destinatæ:* Quid mirum? Imò, non habemus & nos ejusdem apud Socratem encyclicam τοῖς τιμιωτάτοις συλλειτουργοῖς τῆς ἁπανταχοῦ ἐκκλησίας, *honoratissimis comministris Ecclesiæ ubicumque sint?* Ad Constantinopolitanum quoque Episcopum, apud Theodoretum in eadam causâ: Authores utique fide digniores. Et has igitur si urgemus, quid non consequamur? Quin dicamus, Alexander Alexandriæ Episcopus, inexpectato Sylvestri consilio, Arrium excommunicat, ex ecclesiâ pellit, quod in suis ad Sylvestrum literis significat, confessionem orthodoxam, venenatæ doctrinæ antidotum, promulgat, Orientem, Occidentem, qua potest in eum concitat: In his omnibus de Sylvestro num verbulum? Hîc Baronius ad suas verisimilitudines confugere: *Cum*, inquit, *omnes Orientis Episcopi Alexandro suppetias laturi surgant*, operam ei suam gnaviter præstent, haud par est credere, *Sylvestrum Romanum Pontificem quievisse, sed quod ejus muneris præcipue esset, obortas hæreses condemnare, & discordias inter fratres coepiscopos conciliare: nequaquam id agere prætermisisse: sed egregiam, in his componendis discordijs, & erroribus pullulantibus evellendis, navasse operam, æquum quidem est existimare, imò etiam omnimodè affirmare:* Ergo, non illi validiora documenta? Addit porrò: *Osium idcircò Cordubensem Episcopum legatum mittit in Ægyptum:* Et hoc rursum quo authore? producat vel syllabam: Quin hîc nobis Ecclesiæ historici, Socrates & Sozomenus: *Imperator illud discordiæ incendium, quo inter ipsos exardescebant, restinguere seriò aggreditur: Literásque per virum spectatum & fidelem, Osium nomine, (quem summo honore prosequebatur) ad Alexandrum & Arrium mittit:* Eusebius: *virum ex numero piorum, quos habuit circa se, quem modestâ fide, virtute satis spectatum intelligebat, mittit:* Et capitis titulus habet: *Legatum de pace componendâ mittit*, περὶ εἰρήνης πέμψας. Et Theodoretus idem. Extat autem ibidem Epistolæ exemplar, quâ eos hortatur, ut ejusmodi quæstiones prudenter, reverenter & pacatè tractent: De Sylvestro ejusve mandato altum illis silentium. Et Baronius, cum Eusebium malignè id præteriisse conjicit, nobis erit satis? Iam, ut grassantem hanc flammam antevertere visum, convocatur Synodus illa universalis Nicęam. Quo rogo authore? Certè omnibus historicis una vox, Eusebius, σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει, *Synodum Oecumenicam Nicæę congregat Constantinus: undecumque Episcopos advocans:* Idque disertè Imperatoris ἐπίταγμα, παράγγελμα, *mandatum, præceptum* vocat. Et in titulo, προσέταξεν *injunxit*. Theodoretus, *ubi spes eum fefellit discordiam & tumultũ Alexandriæ extinguendi.* τὴν πολυθρύλλητον ἐκείνην πιστὴν συνήγειρε σύνοδον, *celebrem illã, fidelem, coegit Synodum*. Sozomenus, συνεκάλεσεν *convocavit*, Synodus ipsa Ecclesiis scribens: *Dei gratiâ & Constantini Principis nostri Deo charissimi congregati:* Ecclesiis nominatim Ægypti, *Gratiâ Dei & Imperatoris mandato:* Socrates, Gelasius Cyzicenus ut Eusebius, συνεκρότησεν: nec aliter ullus: Et hoc porrò ex quo tempore, Constantinus, inquit Baronius, *Visus interdum anteà fluctuasse, se in omnibus ac coram omnibus, maximè verò Gentilibus, perfectissimum Christianum exhibebat, & in propagandâ Christianâ fide ardentissimum animum declarabat:* Nempe ex quo baptisatus, ex quo, si Donationi illi fides, in Ecclesiam Romanam tam munificus: Hic igitur quid dicturus, cùm hanc Synodum sanctissimam, maximè legitimam, Ecclesia perpetuò judicarit? Ad conjecturas rursum illi refugium: Habita, inquit, fuerat, sub Sylvestro in Thermis Trajani anno proximè præcedenti, Romana Synodus; Meminerit, quæ ante dixit, cur non jam Laterani? si Latera-

Epist. Liberii. to. 9. Bibliot. S. Socrat. lib. 1. cap. 3.

Ann. 318. art. 88. 89.

Socrat. li. 1. cap. 4. & Sozomen. l. 1. c. 15. Euseb. de vitâ Const. li. 2. ca. 63. Theodor. li. 1. cap. 7.

Euseb. de vitâ Const. Edit. Lat. cap. 6. li. 3. Theod. li. 1. cap. 7. Sozom. li. 1. ca. 16. Acta Con. Nicæ. in 1. Vol. Conc. Socrat. lib. 1. cap. 5. Gela. Cyzic. lib. 1. Baro. ann. 324. art. 131. to. 3.

Concil. Rom. 2, cap. 1. ranum, ut voluit, ſuum? Aderant Conſtantinus & Helena mater. Ergone, conſcientiam conſulat Cardinalis ipſe, Synodum hanc judicem ferat? in quâ Presbyteri Romani hodie Cardinales à tergo Epiſcoporum ſtare leguntur? Adde in primo Canone 139. Epiſcopos adfuiſſe, *ex urbe Româ, vel non longe ab illâ.* Num igitur Romæ plures, & ex viciniâ tot numero, ubinam repertu? Et in Can. ultimo, vetitum Regibus de Epiſcopo Ramano cognoſcere. Si Ethnicis, quàm rediculum? Si Chriſtianis, eo ſæculo, quò planè nulli, quàm inane? Denique contra Apoſtoli pręceptum ſubſcribit Helena, fœmina utique, Actis Synodi; Et Conſtantinus barbarè paſsim Domnus contra morem appellitatur; Et Coſſ. data dicitur, Conſtantino tertiùm & Priſco; Conſulat Ammianum, Caſſiodorum, Onuphrium ipſum, alios; Num quis unquam Conſtantino Priſcum Collegam dedit; Sed ad rem; *Quis audebit dubitare*, inquit, *hæc de Nicæno congregando ſequenti anno Concilio, inter Sylveſtrum & Conſtantinum eſſe communicata, examinata, pari conſenſu firmata?* Nos verò potius, quis affirmare auſit, negare cunctetur, cum Concilium ipſum de his nihil, ne de Arrianis quidem vel verbulum; ineptum ſi aliud ullum. Quod ſi hoc tibi divinare fas, cur non eodem jure & nobis, inter eos conveniſſe, ut Conſtantinus Concilium convocaret, cum hoc fecerit, atteſtante univerſâ hiſtoriâ, Sylveſtro non obſtante, non intercedente, quod legas, uſquam. Nec tamen Baronium deinceps pudet, huic, tanquam ſolido & inconcuſſo fundamento, Romanam illam molem ſuperſtruere. *Saltem*, inquit, *Oſius tanquam primarius Sylveſtri Legatus Synodo præfuit*: quem jam legationem ejus nomine in Ægypto objiſſe aſſerebat, in hâc Synodo utrum meliori fide videamus. Euſebius certè in vitâ Conſtantini, de Civitate regnante, τῆς βασιλευούσης πόλεως (Roma) ὁ μὲν προέστως, (non aliud ei quam cæteris tribuit nomen) *in hoc cœtu Epiſcopus deerat, ingraveſcente ætatè præpeditus, ejus tamen Presbyteri, qui aderant, illius locum ſuppleverunt*: Victor & Vincentius, in Actis Concilij nominati, de Oſio Epiſcopo, viro percelebri, tanto minus prætereundo, planè nihil. Rogat Baronius, cur igitur primus ſubſcribit? Sanè quia ob egregia ſua merita Imperatoris nomine, ut tantum negotium & exponeret & componeret legatione functus. Quare & in Synodo Sardicenſi idem honos ei delatus, ut non immeritò dicat ex Athanaſio Theodoretus; ποίας δὲ οὐχ ἡγήσατο συνόδου, ποία ἐκκλησία τῆς τούτου προστασίας οὐκ ἔχει μνημόσυνα τὰ κάλλιστα: *Cui non pręfuit Synodo, quæ non Eccleſiæ ſuæ præſidentiæ habet pulcherrima monumenta*: Nempe cujus pietati, doctrinæ, prudentię, perſonæ id propriè delatũ, quod & author inibi innuit, cum, μεγαν & συγηρό-τατον, & ἀληθῶς ὅσιον, παντων μάλιστα περιφανῆ, *magnum, venerandum ſenem, verè pium, præcęteris illuſtrem vocat.* Etenim, cum Victor & Vincentius ſubnotent in actis, *Pro venerabili viro Papâ, & Epiſcopo noſtro Sylveſtro ſubſcripſimus*: Cur minus Oſius? Num fortè eum puduit? & cur ſimpliciter; *Ego Oſius Epiſcopus Cordubenſis provincię Hiſpanię ſic credo*: Et ſic porrò in ipſo Codice Romano habetur. Titulum jam Epiſtolæ cujuſdam Legatorum ad Sylveſtrum urget, *mendoſæ*, inquit, *& depravatę*, ubi manifeſtè principium petit; Titulus eſt, *Beatiſſimo Papę urbis Romæ, omni reverentiâ colendo Sylveſtro, Oſius Epiſcopus, provincię Hiſpanię, civitatis Cordubenſis, & Macarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romę ordinati ex directione tuâ.* Mittimus, quod in Actis notatum, hanc Epiſtolam & ſequentem dubiæ eſſe fidei; hunc ne igitur Macarium Sylveſtri legatum faciet? Et hæc proinde directio numnon ad duos

Ann. 324. art. 127.

Baro. an. 325. art 13. & ſeq.

Euſeb. de vitâ Conſtant. li. 3. Edit. Lat. cap. 7. Idem. cap. 11. lib. 3.

Theod. li. 2. ca. 15. ex Athanaſ.

Baro. an. 325. ar. 20.

illos

illos Presbyteros restringenda juxta Eusebium? Advertamus verò consultò hic omisisse *Macarium*, ut à tantâ absurditate sese vindicaret. Cæterum si Osius Sylvestri legatus, annon ejus erat aperire Synodum? & tamen Eusebius si auditur; *Episcopus, qui in dextero ordine primam sedem occupabat, assurgens perbrevi oratione Imperatorem affatus est, hymnúmque, quo Deo omnipotenti gratias ageret, recitavit*: Et si ejus nomen Baronium ipsum roges, is ex Theodoreto, Eustathius Episcopus Antiochenus, nempe quia in hâc causâ Actoris partes sustinebat Alexandrinus: Quintò, Angit Baronium, quod Episcopum Romanum Sextus hujus Synodi canon, non minus quàm alios, in ordinem cogat: Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum: Quare sese vehementer cruciat ut persuadeat nobis, mutilos esse hos canones, hunc præsertim ex Chalcedonensi emendandum, qui tamen nihilo magis in suam rem faciat, ut adversus Bellarminum jam disseruimus: Ruffino verò præ cæteris infensus est, qui Episcopi Romani majestatem longè imminuere videatur his verbis, *Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*: Ubi si ei fides, *suburbicariæ, & urbicariæ regiones*, in legibus Imperatorum hujus sæculi idem sonent; Regiones verò urbicariæ non Italiam tantum complectuntur, sed etiam Siciliam, Africam, Ægyptum, & alias complures: In hoc concilij ipsius canoni apertè contrarius, qui Ægyptum Alexandrino Episcopo tribuit, proinde hoc numero excludit, ut nec ullum ipse Authorem adducit: Et urbicarias porro has provincias appellari dicit: *Quod certum frumenti modum urbi* (Romanæ) secundum urbicarium caconem, de quo in Codice Theodosiano, quotannis penderent. Iam ut demus urbicarias & suburbicarias idem esse, eo nomine in legibus imperialibus quænam provinciæ venirent videndum: Proindè suburbicariarum illarum Ecclesiarũ sollicitudo quam latè pateret: Certè Constantinus in lege tertiâ de Annonâ & tributo, in Codice Theodosiano, apertè regiones suburbicarias intrà Italiam collocat, nempe viciniores quasque Romæ, cum dicit: *Tabulariorum fraudes se resecasse per suburbicarias regiones vir clarissimus Anatolius consularis, missâ ratione testatus est*: Subjungit verò; *Quod jubemus ut etiam per omnes Italiæ regiones pari ratione servetur*: Ut Italia non jam in his regionibus censeatur, sed eâdem lege uti debeat; Africam etiam & Siciliam comprehensas volebat, cùm lex Constantij & Constantis in eodem Codice eum refellat; *Ab extraordinarijs omnibus, fundi patrimoniales, atque Emphyteuticarij per Italiam nostram constituti habeantur immunes, ut canonica tantum & consueta dependant, ad similitudinem per Africam possessorum*: Sequitur ratio, *Non enim per Italiam tantùm, sed etiam per urbicarias regiones, & Siciliam patrimonialium & Emphyteuticorum fundorum vires servandas esse perspeximus*: Italia igitur Africæ exemplo sublevanda; Africa etiam, Italia, Sicilia à regionibus illis urbicariis evidenter distinguendæ. Sicuti rursum in lege Gratiani, Valentiniani & Theodosij; *Sinceritas tua*, ajunt, Probum Præfectum Prætorio compellantes, *æqualitatem observet*, scilicet contra privilegia nonnullis concessa, *per totam Italiam, similiter per urbicarias, Africanasque regiones.* Quas igitur denuò ab Africâ, & Italiâ dirimit, & *per omnem Illyricum*: Quod si, quænam illæ fuerint, roges, Gratiani & Theodosiani lex nos doceat; *Picenum verò, & Thusciam, suburbicarias regiones, septimam tributorum, ad supputationem professionis antiquæ, per universos titulos jubemus agnoscere.* Companiam adeò ipsam, quæ hodie regni Neapolitani partem facit, non complectitur; Et nonnullæ fortè aliæ

Baron. an. 325. art 54.

Theodor. lib. 1. ca. 7.

Ruffin. li. 1. cap. 6.

Lib. 14. C. Theodos. lib. 6. Tit. de Cano. frumentari. urbis Romæ.

Lic. 8, de Annonâ. & tribut. leg. 8. in C. Theodos.

Lib. 11. de extraord. & sordidis muncrib. le.

L. Unica: per obreptionem fuerunt Impetrata in Conci. Theod.

L. 11. de indulgentiis debitor C. Theod.

 æqui-

æquidistantes, in his recensitæ. En tibi Lector, in Ruffini loco perperam exponendo, quid lucrifecerit Baronius. Verùm ut illas pro libito extendat, num negare possit potestatem & jurisdictionem Episcopi Romani hoc canone non minus, quàm cæterorum definiri, limitari? Quod enim Canonem nobis ibi conditum oggerit, quo ab omnibus Ecclesiis Romam appellare fas esset, præterquam quod universa historia nihil tale habet, nihil Gelasius Cyzicenus ipse, qui Acta collegit, Canon iste sextus an non contrarius planè? Cum verò ex Archivis Ecclesiarum, Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, tam sollicitè conquireretur, unde de appellationibus inter Ecclesiam Romanam, & Carthaginensem judicium ferretur, quî fit ut repertus sit nusquam? Quin & hujus, quam ostentat, appellationis, cedo num ullum toto hoc tempore protulit exemplum? Ad lepidum enim illum Concilij Romani Canonem, quo superbire videtur: *Nemo etiam primam sedem dijudicet: quoniam omnes sedes à primâ sede justitiam desiderant temperari: Neque quoque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur:* Quis in propriâ causâ testem audiat? quis manifestam imposturam, uti diximus, non olfaciat? Quos enim hîc Reges intelligat? Et in Nicænâ Synodo, quæ subsecuta est, annon contra & factitatum, & statutum? Denique adulterinæ hujus monetæ, apud omnes doctos pridem reprobæ, contra universæ historiæ seriem non eum pudet? Cum sola Barbaries ad hanc Synodum falsi convincendam cuique sit satis? Tandem Patres Nicæni, inquit, Sylvestro scribunt, decretorum suorum confirmationem impetraturi: Sic disertè habent Acta Sylvestri: Et hæc non meminit quàm multipliciter falsi convicerit ipse? Imò, si de doctrinâ agitur, Patres ad omnes orbis Christiani Ecclesias Synodicam scribere olim sueti, particulares etiam Epistolas ad primarios quosdam Episcopos, quibus & Acta sua exponant, & suffragiis suis comprobari desiderant: Hoc illis vulgo ἐπιψηφίζειν. Ad Imperatorem quoque alteram, quâ confirmari, quâ robur Actis suis addi rogant, quod eis propriè βεβαιῶσαι. Et utriusque nobis in Nicænâ Synodo exemplum: Illius quidem in Synodicâ ad Ecclesiam Alexandriæ, & alias in Ægypto, quâ eas summo affectu monent, ut veram doctrinam in Synodo constitutam amplectantur, eandémque viam unanimiter ineant: & Concilium hîc à Romanis non expectent. Hujus etiam in Sacris ipsius Constantini, quas apud Eusebium, Socratem, Gelasium, Theodoretum legimus: quibus jubentur omnes Pascha die statuto celebrare, Arij libros incendere, quod Canonum exequutionem spectat: & eæ quidem Sacræ interdum ad Episcopos & ad Populum directæ, interdum ad Ecclesias ipsis: Sylvestri certè confirmationem ab illis requisitam nusquam legas: & quæ in primo Conciliorum Tomo habetur Epistola, præterquam quod ineptissima, neutiquam Synodica, vel ipso titulo judice, ab Osio Episcopo Cordubensi, Macario Constantinopolitano, Vito, & Vincentio Presbyteris Romanis, scripta, cum sanè Synodales Epistolæ *Sacri Concilij* nomen interdum etiam insigniorum Episcoporum magno numero disertè præferant: At hîc quorsum hoc tempore Macarius, quo vix Constantinopolitanis incunabula? Et si Baronius Episcopum Hierosolymitanũ pro Constantinopolitano legit, quo jure, contrà Concilij decretum, antelatus ei Osius? aut cur ipse rursum Victori, & Vincentio vicem gerentibus Sylvestri? aut cur denique non ante omnes nominatus Eustathius Antiochenus Episcopus? Ad Sylvestri verò Epistolam, quâ Synodi Acta confirmat: Baronius sanè ipse confictam fatetur, & ex Consulibus convincit: Nec Felix 3. hîc audiendus, 160 post annis in propriâ causâ judex, aut fallens ipse, aut falsus.

Baron. to. 3. ann. 324. art. 130.

Ruff. lib. 1. cap. 13.

Euseb. de vitâ Constantini li. 3. Socrates lib. 1.

Baro. ann. 325. art. 171. to. 3.

Porrò decretis hujus universalis Synodi firmandis, & executioni mandandis, Nationales aliæ complures sub eodem Constantino celebratæ, Tyria sub annum 334. ut Hierosolymitana sub 335. quâ, inquit Eusebius, post Nicænam nulla celebrior, & Constantinopolitana sub annum 338. Baronius ab eventu eas in dubium revocat: at ab Imperatore convocatas, quis diffiteatur? Sylvestrum autem aut Marcum de injuriâ sibi ab Imperatore factâ conquestos, num apud ullum Authorem unquam legit.

Euseb. lib. 4. de vitâ Constant. cap. 41. & 42. Ruffin. lib. 1. cap. 13.

PROGRESSUS.

ANno 337. occurrit nobis in primo Conciliorum Volumine Marci Episcopi Romani, Sylvestri successoris, ad Anastasium, & Ægypti Episcopos Epistola, in quâ nihilominus Episcopi *universalis* titulum sibi arrogat, quæ non sine ratione suspecta fiat: Ibi jura sua detonat: *Ecclesia Romana*, inquit, *immaculata semper mansit, & Domino providente, & beato Petro opem ferente, in futuro manebit.* Item, *Dominus discipulorum suorum principi in suis fatus est Euangelijs, Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et consequenter apud Socratem & Sozomenum legimus, successorem ejus Iulium nonnullos Episcopos, quos Ecclesiæ Orientales diversis de causis deposuerant, pro authoritate suâ, restituere ausum, *Cum*, inquit, *propter sedis dignitatem, cura omnium ad ipsum spectaret, scripsit ad Episcopos Orientis, eósque incusavit, quod se inconsulto de hisce viris judicassent:* Addit interpres, *se inconsulto:* quod non in Græco: *Deditque mandatum, ut quidam illorum, omnium nomine, ad diem constitutum accederent, perspicuè declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam, justámque esse:* Et si hæc Epistola eadem cum illâ, quæ in primo Conciliorum Volumine extat, *pro Athanasio, & pro excessibus contra Romanam Ecclesiam* adfingere non erubescit, Patres Nicænos sanxisse, *Ne quis Episcopus non nisi à Sede Romanâ judicetur:* Ne qua Synodus universalis, *non nisi eo authore convocetur*, indéque in acerbas reprehensiones & contumelias totus effunditur, ac tandem, qui aliter fecerint, inquit, *irrecuperabiliter sunt damnati*, in perpetuum depositi: Contra, *qui absque hujus sedis sunt ejecti sententiâ, vel damnati, hujus sedis authoritate in proprijs restituentur sedibus: Quoniam & prius, à tempore scilicet Apostolorum, hæc huic sanctæ sedi concessa sunt, & posteà in memoratâ Nicænâ Synodo*, (quod utrumque falsum) *majores omnes causæ ad eam pertinent:* Quin anno 347. suggerente Osio, in Synodo Sardicensi conditus Canon, quo Episcopi depositi, bonæ causæ sibi conscij, ad Iulium Episcopum Romanum recurrere possunt, qui causam suam de novo cognoscat, Græcè, ἀνανεῶσαι τὴν δίκην. Et hinc successores, quod in casu particulari statutum, ad omnes generaliter extendunt, quod Iulio indultum, cuilibet Episcpo Romano tribuunt: Cui & quam variè ab aliis intercessum, suo loco videbimus.

Sozomen. lib. 3. cap. 7. Socrat. lib. 2. cap. 11. Edit. Lat. Græcæ 13.

Epist. Marci. in 1. To. concil.

Ann. 347.

OPPOSITIO.

ET ad Marci quidem Epistolam Athanasius respondere potuit, quod in Tractatu quodam: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Fidelis sermo, & non vacillans promissio, & Ecclesia invicta res est.* Quæ si Marcus ad Episcopum Romanum ejusque sedem coarctet, illicò regerere succurrat: Marcus si Athanasium defenderit; Liberium, successorem damnasse, quippe qui ad

Athanas. in Orat. unum esse Christum, col. 104.

Epiſt. Liberij ad Orientales apud Hilarium, in fragmentis. Ibidem. Athanaſ. Epiſt. ad Solitarios, colu. 470. Hieron. in Fortunat. Bellar. de Rō. Pont. lib. 4. ca. 9. Socrat. lib. 2. cap. 11. Edit. Lat. Græcè 13. Sozom. li. 3. cap. 7.

Orientis Epiſcopos ſcribens. *Amoto Athanaſio*, inquit, *à communione omnium noſtrûm, cujus nec Epiſtolia à me ſuſcipienda ſunt: Dico me pacem cum omnibus vobis habere, fidem veſtram, & Catholicam ſuſcipere, quæ Sirmij à pluribus fratribus, & coepiſcopis noſtris tractata, expoſita, & ſuſcepta eſt:* Perinde ac ſi dicat: Nicænæ Synodo abrenuntio, unde & eodem tempore Hilarius noſter exclamat: *Hæc eſt perfidia Arriana: Anathema tibi à me dictum Liberi & ſociis tuis: Iterum tibi Anathema, & tertiò prævaricator Liberi:* Et porrò Athanaſius & Hieronymus miſerum hoc ei teſtimonium perhibent: Et Bellarminus ex ſuis ipſius ad Imperatorem Conſtantium & alios literis, ex Bibliothecâ Pontificiâ erutis, conviciſſe non diffitetur. Sed enim Iulio Epiſcopi Orientales quid reſpondent? *Hi*, inquit Socrates, *Iulij reprehenſionem contumeliæ loco ducunt: Concilium Antiochiæ convocant. Ibi, ſimulatque convenerant, de communi omnium conſenſu & ſententiâ Epiſtolam conſcribunt, per quam Iulium contrà acrius inſimulant: σφοδρότερον, oſtendúntque μὴ δεῖν κανονίζεσθαι παρ' αὐτοῦ, non eſſe quod ab eo normam acciperent. Si qui eorum arbitrio Eccleſiâ fortè exacti eſſent, rem ab eo non debere decerni. Nam quando ille Novatum Eccleſiâ exturbat, ipſos minimè contradixiſſe:* Addit Sozomenus, *has literas ironiæ plenas, nec tamen minarum graviſſimarum expertes:* Namq. inquit, *quanquam literis ſuis magnum honorem Eccleſiæ Romanæ deferebant: utpote quæ Apoſtolorum ſchola, & pietatis Metropolis, (licet authores religionis Chriſtianæ primum ex Oriente eò veniſſent) jam ab initio fuiſſet: tamen indignati ſunt, ſe poſteriores ideo ferre, τὰ δευτερεῖα, quod magnitudine Eccleſiæ ſuperarentur: Idque cum virtute & pio vivendi inſtituto longè ſuperiores eſſent. Iulio pacem, & communionem pollicebantur, ſi modò abdicationem eorum, qui ad ipſum profugerant, approbaret:* Hâc Epiſtolâ, inquit Socrates, *Iulius vehementer fuit offenſus*, quamquam de

Socrat. lib. 2. Edit. Lat. cap. 23. Græcè 17.

ſuo rigore non parum remittere videatur, qui jam conqueratur tantùm, *quod eum ad Synodum non vocarint*, qui ante contendebat, abſque ſuâ authoritate convocari non potuiſſe: *Item Canone Eccleſiaſtico* cautum, *μὴ κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. ne preſcribantur Canones Eccleſiis, abſque ſententiâ Epiſcopi*, denique à ſuis mandatis omnia pendere præfractè volebat. Quarè & Epiſcopi nolle ſe κανονίζεσθαι παρ' αὐτοῦ, *legem ab eo accipere reſpondent*, Et hinc manifeſtum cuivis fiat, Iulii ad Orientales Epiſcopos reſponſionem, quæ in primo Conciliorum Volumine, pro libidine confictam eſſe, in quâ, contra quam Socrates refert, Iulius quàm in primâ illâ ſuperbior, ut pronuntiare non vereatur: *In Nycænâ Synodo canonibus jubentibus, non debere, præter ſententiam Romani Pontificis, ullo modo concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari:* In quâ ſanè nihil prorſus tale, quod ipſa Gloſſa in hanc Epiſtolam agnoſcit, his verbis: *Non apertè, ſed reducibiliter:* Et ſic, protegendi Athanaſij prætextu, ambitio Epiſcopi Romani gliſcebat.

Hoc temporis intervallo Baronij cauſa nihil roboris acquirit. Sylveſtrum epiſcopum Romanum ſuprà nobis, nihil tale cogitantem, imperiali habitu producebat: Iam, ſi quæ ei fides, Marcum ſucceſſorem, *Pallium* Epiſcopis tribuentem inducit: & eodem perpetuò candore. *De Marco*, inquit, *in libro de Romanis Pontificibus legitur: Hic conſtituit ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopos urbis, tunc Pallio uteretur:* Addit verò non ſine aliquo rubore: *Quod ad Pallium ſpectat, eo donatum à Marco Oſtienſem Epiſcopum haud inficias imus:* Si crederet, numnon rotundius loquuturus? Et cum hunc primum locum occurrere fatetur, in quo *Pallij* mentio, annon novum apertè prodit? & cum Oſtienſi novum, in urbis ferè ſuburbio,

Baro. ann. 336. art. 62 63. 10. 3.

bio, annon habes unde colligas, Metropolitanis, Archiepiscopis remotioribus non donatum, planè ignotum? Etenim toto hoc seculo aut sequentibus, longo post tempore, num de hoc ullus Author? In Oriente, in Occidente, in Italiâ ipsâ? Et huic ergo Legendæ acquiescendum erit nobis? Quod enim ex quadam Epistolâ Isidori Pelusiotæ, Chrysostomi discipuli, id elicere conatur, docet ipse contra, ὠμοφόριον, illud, de quo sermo, (Baronius pallium interpretatur) Episcopum quemque sacro officio defungentem, induisse, ut non privilegium Metropolitanorum fuerit, Episcoporum nihilo magis, multo minus aut donativum à Pontifice accipiendum, aut prærogativa præsenti ære ab eo redimenda: Verba ejus sunt, τὸ δὲ ἐπισκόπου ὠμοφόριον, *id autem amiculum*, inquit interpres, *quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lanâ, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris sustulit, pellem designat: Episcopus enim Christi typum gerit, ipsius munere fungitur*: Episcopus utique quilibet munus suum exequens: Tantum abest, ut à Summo Iudæorum Sacerdote, cum Baronio, derivet, ut Papæ Romano sit peculiare, nisi quatenus communicare dignatur.

Isidor. Pelusiota. lib. I. Epist. 136. Bar. To. 2. ann. 216. art. 15. & 16. To. 3. ann. 336. art. 63. & 64.

Urget nihilominus Baronius, contra quam in superiori oppositione probatum, Iulium in Ecclesiâ plenâ potestate usum: Indicit enim, inquit, Synodum Romæ, Arianorum ipsorum rogatu, qui in Oriente damnati causam suam in Occidente redintegrare satagebant. Verùm, num hæc universalis Synodus? numnon particularis? Qualem cuique Metropolitano in suâ Diocæsi indicere jus? Et eodem jure ab Episcopo Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, aliis, quam sæpe convocatas legimus? In hac potissimum causâ, ab Alexandrino, & Athanasio ipso? At Oecumenicam certè, nisi Imperatoris mandato, nullam: quanquam interdum petentibus Episcopis, prout necessitas exigebat, haberi jubebant. Quod argumento nobis sit, nullum Episcopum universalem tùm agnitum, unde eos ad supremam seculi potestatem recurrere esset necesse, si quando Metropolitanos & Patriarchas convenire, diversas provincias consilia communicare, Orientem cum Occidente consultare, occasio postularet. Quâ ratione etiam ante Constantinum, per 300. plus minus annos, nullam Synodum universalem, vix Nationalem aliquam in Ecclesiâ Christianâ legas, cum tamen Romæ non deesset Episcopus. Ut & Iuliano imperante, Ecclesia Imperatorum Christianorum quasi Eclipsin passa, magna licet premeret necessitas, nullam cogi videmus: Romanus licet Episcopus jam magna spiraret, jam summum in Ecclesias imperium affectare visus esset. Iulius igitur suorum suffraganeorum Synodum indicit, petente Athanasio, Eusebianis quoque ejus adversarijs, non utique ut de Appellatione judicet, nihil tale, sed ut, quâ ratione controversia componi possit, arbitri instar, videat: Athanasij ipsissima verba sunt: *Eusebiani ad Iulium literas misere, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari, & ipsi Iulio si vellet arbitrium causæ detulerunt*: καὶ αὐτὸν Ἰούλιον εἰ βούλοιτο κριτὴν γενέσθαι, Interpres *arbitrium* vertit, quem Baronius secutus de supremo Iudice εἰ βούλοιτο, num dicturus? Et sanè ubi vident Athanasium Romam venisse, tergiversantur, sesquiannum ludificantur, usque dum, illis non comparentibus, de Athanasij negotio cognoscit, eumque in communionem Ecclesiæ recipit: Verum quid hic habes, quod plenam illam potestatem, quam *coactivam* vocant, redoleat? quod Pontificiam, quam volunt, quod legitimam etiam Synodi Oecumenicæ authoritatem? Et verò disertè

Baro. ann. 340. art. 1. & seq.

Athanas. Apolog. 2.

etiam Iulius: *Quanquam ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam tamen ſolus ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi.* Et hîc igitur non univerſalis ſed Italica Synodus. Unde Baronio, indictam à Iulio Synodum œcumenicam, colligere non detur hîc locus. Rurſum Iulij ad Orientales literæ merâ charitate nixæ: *Decuit*, inquit, *eum, qui cum dilectione ad vos ſcriberet, eandem dilectionem referre:* At, cum in ſuâ illâ Synodo, quos Orientales deſtituerant, Epiſcopos reſtituere auſus eſſet, Synodum Antiochiæ indicunt, in quâ, vel ipſo Baronio teſte, plures Orthodoxi, quàm Arriani, qui unanimi conſenſu eum graviter objurgant, apertè derident, & res ſuas ſibi habere jubent. Ubi Baronius pro ſuo more ſubdolè hanc Epiſtolam Euſebianis ſeu Arrianis tribuit, quæ Synodi propriè Orientalis Antiochiæ celebratæ, in quâ de re inter utroſque minimè controverſâ actum: de Politeiâ, inquam, Eccleſiaſticâ, non de aliquo Fidei dogmate. Sacrates certè: *De communi omnium ſententiâ Epiſtolam conſcribunt.* Ex nonaginta autem Epiſcopis aderant Euſebiani tantùm ſex & triginta, qui nec ipſi Arriani dici volebant: Et Sozomenus de hâc epiſtolâ idem, cujus nos capita ſuprà retulimus: Ad hæc igitur quid Iulius? Num in vim ſucceſſionis Petri, aut Nicænorum Canonum à judicijs Orientalibus Romam appellandum fuiſſe? Contrà, *Patres Nicæni non permiſerunt abſque Dei conſilio, ut unius Synodi Acta examinarentur in aliâ:* Quæ regula non minus authoritatis Alexandrinæ in Romanam, quàm Romanæ in Alexandrinam confert. Et tamen quid aliud urget? Tantum expoſtulat, *Quod de negotio Alexandrino, contra conſuetudinem, ſibi primo ſcriptum non fuerit:* Primus nempe, ut primæ ſedis Epiſcopus conſultus non fuerit: quod etiam contra diſciplinam Eccleſiaſticam νόμον ἱερατικὸν μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ρώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν, *non oportere Canones præſcribere Eccleſiis abſque ſententiâ Epiſcopi Romani:* plures nihilominus Synodi, & quidem de fide in Oriente habeantur: Quod, quo loco erat, quis rationi conſentaneum neget? At num inde ſequitur, aut ſolum eum de ijs pro arbitrio ſtatuere, aut alios, poſtquam ſententiam dixit, non poſſe aliter decernere? Quod quis contra legem benè moratæ ſocietatis facere non videt? Interim ſi Iulij Epiſtolis credimus, quæ in noſtris Concilijs, quanto grandiora leguntur. *Appellationes ad Romanam ſedem, majorum omnium cauſarum reſervationes.* Quæ in Scripturâ Sacrâ, in Traditione, in Concilio Nicæno fundata: Et de his ne verbum. At ex Conſulibus Feliciano & Maximiano, qui toto hoc tempore ne apud Onuphrium quidem habentur, ſuppoſititia deprehenditur: & Annaliſtam noſtrum furti hujus puduit.

Baron. to. 3. ann. 346. art. 56. 57.

Socrat. li. 2. cap. 11.

Iam celebris illa Sardicenſis Synodus occurrit, cujus authoritate Epiſcopum Romanum Baronius ejuſque conſortes plurimum ſuffulciri, & aliquâ veriſimilitudine arbitrantur. Ergo (quod hic primum) quis indixit? Hîc Baronius: *Quod pertinet ad indictionem Concilij Sardicenſis, Iulium quidem Romanum Pontificem fuiſſe primum authorem, tum ea quæ ſunt dicta ſignificant, tum etiam Sozomenus inſinuare planè videtur.* Imò, quò jam Hiſtoriæ candor abiit? Quæritur hîc quis indixerit, & reſpondet, quis indicendi conſilium dederit? Quorum illud auhoritatem, hoc ſollicitudinem ſpectat: In hoc verò Eccleſiæ incendio, ni prorſus zeli expers, quis remedium quæſiviſſe dubitet? Verùm quid hîc Sozomenus ipſe? *Sententiâ utriuſque Imperatoris decretum eſt, ut Epiſcopi partis utriuſque ad ſtatutum diem Sardicem (urbem Illyrij) convenirent.* Hodie Triadizza: Grecè ἔδοξε γνώμῃ τῶν βασιλέων: *Viſum eſt ſententiæ Imperatorum:* Quæ verba ſolennia & abſoluta. Socrates eodem ſenſu: *Alterius*

Baron. To. 3. ann. 346. art. 5.

Sozomen. li. 3. ca. 10. Socrat. li. 2. ca. 16. & Græc. Edit. ca. 20.

verius per literas illud flagitantis, alterius qui in Oriente regnabat, alacri & parato animo eisdem obtemperantis. Epistola Synodalis Patrum Sardicensium, referente Theodoreto: *Imperatores Deo dilectissimi nos ex varijs provincijs & civitatibus congregarunt, συνήχθησαν, & hoc sanctum Concilium Sardicæ cogi statuerunt.* Athanasius, cujus plurimum intererat: *Edicto religiosissimorum Imperatorum Constantij & Constantis.* Balsamon in præfatione in ipsam Synodum: *Mandato duorum fratrum, conveniunt 341. Episcopi Sardicam.* Quid igitur hîc divinare opus? Eadem verò ratione Liberium Iulij successorem, Luciferum Episcopum, Hilarium Presbyterum, Pancratium Diaconum ad Imperatorem Constantium misisse legimus. *Quos*, inquit, *credimus de clementiâ tuâ ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare.* Nempe, quotiescumq; aut jungendus Occidenti Oriens, ut in Oecumenicis Concilijs, aut plures saltem provinciæ nationesve cogendæ, quod in Sardicensi usu veniebat. Ex parte Iulij, inquit Athanasius, aderant, Archidamus & Phyloxenus Presbyteri, quos Baronius lubenter, legatorum vicem impleturos, purpurâ nobis induat: Et quia Osius perpetuò sermonem orditur, Legatum primarium mirum quod non asserat. Quod quia sine authore: *Post legatos Iulij*, inquit, *Osium Episcopum Cordubensem, & Protogenem Episcopum Sardicensem principem locum in Synodo tenuisse Sozomenus tradit.* Mendacio tuendo quot mendaciis opus? Certè Athanasius, qui aderat, pars ipse non minima, eorum, qui subscripserunt, nomina hoc ordine recitat. *Osius Hispaniç, Iulius Romç, per Archidamum & Philoxenum Presbyteros, Protogenes Sardicç.* Legatus si Osius fuisset, non omissurus. Sed hominis merito is locus concessus. Sozomenus clarè: Osius, & Protogenes, οἱ τότε ὕπαρχον ἄρχοντες, *inter eos, qui ab Occidente in urbem Sardicam convenerant, primo loco erant constituti.* Hæc Annalistæ nostri exceptio, *post legatos*, ubinam gentium? Et verô si Presbyteri illi pro legatis habiti, Osius num Synodum aperuisset? Omnium in Synodo negotiorum præcentor fuisset? At saltem, inquit, sancitum in illâ Synodo. *Ut si quis judicio comprovincialium Episcoporum se injustè damnatum putet, liberum sit ei ad Romanum Pontificem provocare:* Canonis sanè hæc verba: *Osius Episcopus dixit, Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliquâ causâ, & putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo:* Et idem Constantinopolitano Episcopo privilegium esse Balsamon tuetur. Sed ad rem: Ac primùm, Osius hoc postulat, remedium scilicet novum, & præter ordinem, in Episcoporum Orientalium depravatione, quorum plerique Arianâ labe infecti, quibus ob doctrinæ integritatem Ecclesiam Romanam opponendam esse autumat. Quarè etiam ad Iulij personam id restringere videtur, aliter haud dubiè sensurus de Liberio Iulij successore Ariano, nequicquam Petri sedem obtenturo. Secundò, notentur hæc verba: *Si vobis placet, sancti Petri memoriam honoremus:* si hæc appellatio ab antiquo jure, numnon potius dicturus? observandum curemus mandatum Domini, antiquum Ecclesiæ ordinem, Nicænum Canonem, ad Episcopum Romanum provocetur: Et is contra tanquam thesim aliquam problematicam & arbitrariam proponit. Tertiò, hic Canon universam Ecclesiam qui obligare potuerit, Synodi minimé Oecumenicæ Ecclesiam Oecumenicam? Etenim Baronio, ut eam nobis universalem faciat, annon necesse ut universam historiam evertat? Omnium Synodorum ordinem conturbet? Et quotæ illi Constantinopolitana, Ephesina Chalcedonensis, aliæ?

Theodor. lib. 2. ca. 8.
Athanas. Apol. 2.
Balsam. in præfatione. Synodi Sardicensis.
Epist. Liberij ad Constant.
Athanas. Apolog. 2.
Baro. To. 3. an. 347. art. 10.
Baro. anno 347. art. 48. Concil. Sardic. cap. 3. & 4.

aliæ? Et ut maximè Athanaſius *eam magnam Synodum* vocet, num proinde & Oecumenica? Num non Arelatenſis prima *magna* etiam *Synodus?* quia ex diverſis Provinciis & gentibus conflata, nec eo magis Oecumenica? Imò Decretum ipſum, quod Pontificibus authenticum, annon inter particulares collocat? Et porrò quod cauſatur *indictam ab Epiſcopo Romano, cujus & legati adfuerint*, annon apertè falſi convicimus? Quartò, quid inde? Hic ipſe Canon, ut ad neceſſitatem temporis accommodatus, nullo deinceps tempore locum obtinuit. Quin & apertè poſtea fuit revocatus: Non ullo tempore, non hoc ipſo, uſquam executioni demandatus. Namque negari non poteſt, quin & hoc tempore, & poſt hanc Synodum, multi Epiſcopi, diverſis in provinciis Orientis deponerentur, de quibus Hiſtorici paſſim: unicum tamen num proferre poſſit, qui Canonis hujus beneficio ſit uſus? qui in ejus vim reſtitui poſtularit? Qui ſanè, ſi obtinuiſſet, num eos ſibi tantopere defuturos putes? Revocatus demum, nempe in Synodo Conſtantinopolitanâ, Canone tertio, Chalcedonenſi, Canone 28. quæ fatentibus adverſariis Oecumenicæ ambæ, paria utique privilegia Conſtantinopolitano, & Romano Epiſcopis concedunt: primâ ſede tantum exceptâ? Quod ἀσύστατον planè ſi Oriens Romam appellare dicatur: Et ipſas adeò Africanas Eccleſias ab his appellationibus abhorruiſſe deinceps videbimus. Unde ſcilicet arguere proclive, hanc Sardicenſem Synodum de deſtitutione, aut reſtitutione nonnullorum tantum Epiſcoporum cogitaſſe, quorum controverſia ad Epiſcopum Romanum deferebatur, quod alios ſibi ſuſpectos cauſarentur. Et hìc verè primus locus in totâ antiquitate occurrit, in quo ipſa *appellandi* vox, ἐπικαλεῖσθαι, quæ tamen in Canonis illius tertij narrativâ, uti loquuntur, tantùm habetur: Cum in decretoriâ, ſeu diſpoſitivâ, quæ in favorem Iulij, ſanciatur, ἀνανεῶσαι τὴν δίκην, *licere renovare litem:* negotium, tanquam de novo tractare, quod in Canone quinto temperatur per ὡς, *Si*, inquit, *Epiſcopus depoſitus*, ὡς ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ, *quaſi appellans confugerit ad Epiſcopum Romanum:* Non ſecus ac in tertio, *in renovationem litis*, ſeu *reviſionem* deſinit: Adeò *appellationis* formula vel in hac Synodo parum nota. Debuerat verò, qui antiquitatis clypeum perpetuò præ ſe fert, in tot Voluminibus locum aliquem deſignaſſe, aut ex Canonibus Apoſtolorum, aut ex Clementis conſtitutionibus, aut ex anterioribus Synodis, aut ex Hiſtoricis Eccleſiaſticis, in quo appellandi ſeu jus ſeu vox: Non autem, Sicubi Marcion, aut Valentinus, aut Fortunatus, aut alius hæreticus ab Epiſcopo ſuo damnatus, Romam confugit, *appellationem* ſtatim clamitare, jus inde ſibi quærere. Cum ſanè Synodus Nicæna diſertiſſimè contra ſtatuat, τὸ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι, καθ' ἑκάστην τὴν ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ, *quæ ſupremam rerum authoritatem, in unaquaque provinciâ Metropolitano concedi vult:* Non illi ſuperiorem ullum præficit, non adeo Patriarcham: & ibi tamen de ordinatione Epiſcoporum agebatur. Cùm etiam Synodus Antiochena, Sardicenſi paulò anterior, Epiſcopo à comprovincialibus ſuis in Synodo depoſito, hoc unum remedium relinquat, ut in aliâ Synodo, cauſa denuo cognoſcatur. Denique cùm ex univerſæ antiquitatis decreto, nemini Epiſcopo, aut Metropolitano liceat Epiſcopum aut Preſbyterum depoſitum, niſi ſub *Formatâ*, recipere, atteſtatoria utique proprij Metropolitani aut Epiſcopi Epiſtolâ: Quæ lex abſoluta, generalis, omni exceptione major vana & inutilis, ſi appellationi tùm locus: Et hinc *Formatarum* uſus, quæ tanti ponderis, & momenti, tantâ etiam cùm cautelâ contradebantur. Quintò, Baronius igitur Theodoreti loco quàm abutatur perſpicuum fiat, ubi dicit Iulium, acceptis Euſebij Nicomedienſis Ariani literis, qui eum τὸ τῆς ἐκκλησίας

Distinct. 16. Can. 10. & 11.

Syno. Conſtantinop. can. 3. Concil. Chalced. can. 28.

Conci. Nicæn. cap. 4.

Synod. Antiochena can. 4. & ſeq.

Theodor. lib. 5. ca. 9.

ἐπι-

ἑπόμενον νόμῳ, *Legem Ecclesiæ secutum judicem faciebat, Romam venire, tum ipsum, tum Athanasium jussisse.* Lex Ecclesiæ, inquit, id est Canon Nicænus qui periit, quo undequaque Romam appellandum esse statuebatur: Tyrannidem suam ut vel arenæ superstruunt! In Historiâ universâ, Lector, hujusce rei ubinam tibi vestigium? Quin, cum hæc actio Sardicensem Synodum præcedat, annon potius innuit nobis hoc loco Theodoretus, frequentem illum Ecclesiæ morem, quo Episcopus oppressus, recti sibi conscius, ad primarium aliquem Episcopum ultrò sese purgaturus confugiebat, qui adversario citato de causâ cognosceret? Nempe pro universalis illius Episcopatus jure, cujus, inquit Cyprianus, unusquisque ita in solidum portionem administrat, ut nihilominus neque corpus integrum, neque membrum illius ullum sibi negligendum putet. Ecclesia cum sit tota σύμπνους καὶ διάπνους, conspiret tota & perspiret. Exemplum in Ammonio & Isidoro, qui de Theophilo Alexandrino conquerentes ad Chrysostomum confugiunt: Is verò eos recipit, examinat, utque de Deo bene sentire cognoscit, in communionem & admittit ipse, & à Theophilo admitti jubet. *Sin in judicio eorum causam examinandam putet, quem actorem velit, mittat.* In Liberio, quem Orientales Syrmij congregati Felici Romano Antistiti Cleróque ipsi commendant, ab iisque Collegam in Episcopatu admitti postulant obtinéntque. Et tale utique omnino Athanasij ad Iulium perfugium. Nec tamen idcircò Chrysostomus aut in Theophilum, aut in Diœcesin Alexandrinam jus sibi aliquod vindicarit. Et hæc de eâ, quam contendit, appellatione: Nisi fortè responsionem meretur, quod Athanasium dicit Ecclesiam Romanam per excellentiam Ecclesiam vocare, in quo quam ineptè vim faciat judicet Lector. Verba sunt: *Imperator literas misit: quibus acceptis, Romam ascendit, Ecclesiam & Episcopum aditurus.* Quis vel grammaticulus non animadvertit ita loquutum Athanasium, ne *Romæ* nomen bis repeteret, quod per se satis subaudiatur? Quid si nos verò ad pressum urgere vellemus, quod idem author, Mediolanum *Italiæ Metropolim* appellat? Sextò, Addamus malè consulturam fuisse orbi Christiano hanc Synodum, quam ab unius homuncionis authoritate pendêre æquum duxisset, quandoquidem Osius, hujus Canonis Patronus, à verâ doctrinâ mox deficit, Liberius ipse Iulii successor, uti diximus, ad Arianos transit, Athanasium excommunicat: At sané nequicquam obstante, quam ostentant, authoritate, ab Hilario nostro vicissim excommunicatur. Et Baronius quidem quanti sit momenti gnarus, hoc in dubium vocare conatur, negare imò: quin & in sanctis Liberium collocat: Quod & longo post tempore bonus Hildebrandus, Gregorius ille septimus. Verum, res sit ei cum Athanasio & Hilario, Liberio imo ipso in Epistolis, quas Nicolaus Faber, ipsius intimus, cum Hilarij fragmentis in lucem emisit: Cum Bellarmino ipso, qui supra præfractè eum damnavit, cum omnibus Authoribus Ecclesiasticis, cum semet ipso tandem, qui his fragmentis, ubi sibi prodesse videntur, authoritatem tribuit. Synodicam Sardicensis Synodi inde producit: Epistolam Liberii eodem authore cur admissurus minus? Imò, qui omnibus subductis, sese in hæc verba recolligit: *Ex his omnibus quæ tum ex Historicis, atque sanctis Patribus, nec non ejusdem Liberij Literis hic recitata sunt, nihil est quod excusari Liberius possit, quin communionem egerit cum Arianis, & in Athanasium latam ab eisdem sententiam ratam habuerit: Hæc, inquam, omnia, si aliorum deficerent assertiones, ipsomet recitatis his literis profitente, vera esse, in dubium revocari haud possunt.* Subjungit verò: *num autem eam ob causam dicendus hæreticus? Minimè* gen-

Sozom. li. 8. cap. 13.

Sozom. li. 4. cap. 14.

Baro. ann. 349. art. 6. Athanas. in Apolog. 2. Idē ad solitarios.

Baro. ann. 347. art. 25. & ann. 352. art. 14 to. 3.

Baro. ann. 347. art. 46.

Baro. Vol. 4. ann. 365. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & seq.

gentium. Imò, quam multi leviori de causâ? Et quia igitur Papa, impune adstipulabitur Ario, non idcirco erit Arianus? non hæreticus?

Baron. to. 4. ann. 362 art. 208.

Iam sub annum 362. Athanasius Synodum percelebrem Alexandriæ indicit, quò Episcopos undequaque invitat, ut veram doctrinam stabiliat. De mandato Liberij convocatam vult Baronius: hoc unde? Et ejus Acta ab eo confirmata, quod disertè, inquit, testatur in suâ ad Ruffinianum Epistolâ: Perlegat jam Lector: non quidquam quod eò pertineat. Hoc non intellexit Gregorius Nazianzenus, qui ad hanc Athanasij Synodum alludens. *Leges orbi terrarum præscribebat, atque omnium mentes ad se convertebat.* De quæstione verò, quæ ibi controversa, quatenus restituendi, qui à fide deflexerant, dicit quidem in omnibus Synodis eandem rationem initam: *Tam,* inquit, *presentibus Episcopis provinciarum extranearum*, quàm in *Græciâ & Hispaniâ:* De Româ certè & Italiâ altum silentium. Anno etiam 364 habetur Lampsacena Synodus: Orthodoxi Bithyniæ, inquit Sozomenus, & Hellesponti Hypatianum Heracleæ Episcopum, ad Valentinianum mittunt, ὥστε ἐπιτραπῆναι συνελθεῖν, *rogatum ut sibi liceat convenire.* Et pertæsus ipse tot Synodorum, quæ Constantino prædecessori male cesserant, respondet quidem: *Non licet mihi,* μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν, *inter Laicos constituto talia satagere*, seu reb. ejusmodi memet immiscere. Quibus verbis Baronius imperatorem juri suo renunciasse & credat, & persuadeat lubens: At subjungit: *Sacerdotes & Episcopi, quib. hæc curæ sunt, seorsum per se, ubicumq; ipsis lubitum fuerit, in unum conveniant*, συνίτωσαν. Quod pro permissione illis, ac proindè in Synodum convenerunt: Accidit verò, quod prævíderat, ut prævalente adversariorum factione, in Symbolo Nicæno non permanerent. Inde eriam causæ suæ robur quærit, quod tres Episcopos ad Liberium cum Epistolâ Synodali delegant: sed in ipso Libello, quem ei offerunt, *Fratrem & collegã* legati ipsi compellant, & ab ipso limine adorti: *Nos,* ajunt, *literas ad tuam benignitatem habemus, & ad alios Episcopos Italiæ, aliarumque regionum, ad solem occidentem vergentium, attulimus.* Quin & ipse Orientalibus respondens, *Episcopum* se tantùm *Italiæ* inscribit. *Liberius,* inquit, *Italiæ Episcopus, & alij Episcopi Occidentis:* quos proindè in Epistolâ socios assumpserat. In his quæso quid, unde Baronius lucri aliquid captet? Aptissimâ tandem sententiâ concludit hunc locũ Baronius, quam omittere pigeat. Ostensurus Donati superbiam, locum Optati adducit: *Cum,* inquit, *super Imperatorem non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem, dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, ut se, ut Deum, non hominem æstimaret.* Nempè ob id tantum, quod Constantis Imperatoris oblationes, utpote à suâ communicatione abhorrentis, repudiaret. Tundat hîc pectus Baronius, quid igitur de nostro Pontifice Romano dicturus, qui quanto altius in suis tum Decretis, tum factis supra omnes Imperatores sese extollit? nisi hoc sanè: *Hominem illum peccati* haud dubiè esse ab Apostolo præmonstratum, qui sese supra Deum effert, supra id omne, quod dicitur numen, in ipso Dei Templo sese tanquam Deum adorandum proponit.

Greg. Naz. in Athan.

Sozom. li. 6. cap. 7.

Optat. Milevit. lib. 3. cõt. Parmenian.

PROGRESSUS.

LiberPontif. in Dam. Ruffin. lib. 2. cap. 10.

ANno 366. in eligendo Liberij successore, Episcopatus Romanus quantâ partium contentione ambiretur, videre est. Liber Pontificalis in sede collocatum Damasum dicit, *quia fortior & plurima multitudo erat.* Ruffinus author coævus: *Quod ex facto tanta seditio, imò verò tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus*

tibus populis, ut replerentur humano sanguine Orationum loca. Sed Ammianus Marcellinus & rem gestam, & ejus rationem nobis describit: *Damasus & Ursicinus, supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scissis studijs asperrimè conflictabantur, adusq. mortis vulnerumque discrimina adjumentis utriusque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Viventius nec mollire, vi magnâ coactus secessit in suburbanum. Et in concertatione superaverat Damasus, parte, quæ ei favebat, instante: constátque in Basilicâ Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum: efferatamque diu plebem ægrè postea delinitam.* Et hinc Ruffinus hunc tumultum, quia seditionis modum excesserat, *Bellum* vocabat: Pergit Ammianus. *Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere, cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia regales superent mensas: Qui esse poterant beati revera, si magnitudine urbis despectâ, quam vitijs opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam Provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo numini verisque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos.* Ex quibus judicet Lector, Episcopus Romanus à cæteris, si luxum & fastum spectes, quam differt. Interim in hoc fastu sibi plaudit Baronius, his conviviis gloriatur, in hoc nidore sibi placet: Marcellinus, inquit, Ethnicus fuit, invidiâ diffinditur, nostrum Pontificem majori etiam externo splendore illustratum, quam regem suum sacrificulum, ægro animo fert. Nec dum tamen inter doctos constat, Ethnicus ille an Christianus: & repugnare videntur hæc verba, de Antistibus provincialibus, quos modestia & temperantia, *perpetuò numini verisque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos.* Quid igitur habet quod regerat? Hieronymus, inquit, Prætextatum consulem designatum beato Damaso dicere solitum narrat: *Facite me Romanæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Quæ nempè erat Episcoporum Romanorum opulentia. Et vel ipsius Tertulliani ætate, Ethnici prodigalitatem Christianorum reprehendebant: *Cœnulas enim*, inquit, *nostras prodigas suggillatis, de nobis scilicet Diogenis dictum est: Megarenses obsonant, quasi crastinâ die morituri.* Hæ igitur cænulæ Tertulliano num *Epulæ* illæ *profusæ, convivia regales superantia mensas*, de quibus Ammianus: Et porrò quibus nam excipiendis, *pauperibus*, inquit, *egenis*, non utique, quod Baronius, *Præsidibus, Consulibus*. Et his igitur locis quàm malignè abusus? Audi verò quid de hoc seculo Hieronymus.

Ammian. Marcell. lib. 27.

Baro. To. 4. ann. 367. art. 8. & 9.

Hier. ep. 61. Tertull. Apol. cap. 39.

OPPOSITIO.

INducit sanè ille Paulam & Eustochium Marcellam compellantes, his verbis. *Lege Apocalypsim Ioannis, & quid de muliere purpuratâ, & scriptâ ejus in fronte blasphemiâ, septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Est quidem ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & Martyrum: est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides: Sed, inquit, ipsa ambitio, ipsa potentia*, à bono avertunt: Alibi, *Luxuria ventris & gutturis vim crucis evertere conatur.* Ne verò eum de civitate, non de Ecclesiâ Romanâ loquutum existimes: Hanc ab illâ tùm distinguere quam difficile. In præfatione in libros Didymi, de spiritu San-

Hieron. ad Marcell. viduam. Idem Cōtr. Iovin. lib. 1. Hieron. in præfation. in lib. Didym. de Spiritu S.

Sancto ipso sibi interpres. *Cum*, inquit, *in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & jure Quiritum viverem, volui garrire aliquid de spiritu Sancto, & cœptum Opusculum ejusdem urbis Pontifici dedicare. Et ecce illa olla, quæ in Hieremia post baculum cernitur, à facie Aquilonis cœpit ardere, & Pharisæorum conclamavit Senatus, & nullus scriba vel fictus, sed omnis quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversus me imperitiæ factio conjuravit. Illico ego velut postliminio Hierosolymam sum reversus: Et post Romuli casam, Lupercalia, diversorium Mariæ & Salvatoris speluncam aspexi.* Hìc igitur Babylon Hieronymo quid, nisi Clerus Romanus? Senatus ipse jam Pharisaicus, jam factio ignorantium, jam conjuratio: & ipsum Marcellini testimonium exaggerare quis non videt? Ad Episcoporum verò pro urbium dignitate prærogativam: *Sy quæritur*, inquit ad Euagrium, *authoritas, Orbis major est urbe. Ubicumque fuerit Episcopus sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegij:* Adverte ut magnas intermisceat paruis: *Ejusdem est meriti, ejusdem est Sacerdotij. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt:* Qui tamen locus Decreto insertus: Adeo ut de omnibus Episcopis promiscuè & indifferenter locutus dicat: *Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri:* Id est, Episcopi, ut omnes omnino Pauli & Petri successores censeat: Quâ etiam mente Basilius Ambrosium, cum in Mediolanensem Episcopum eligeretur, *ad præsentiam Apostolicam vocatum dicit.*

Hieron. in Epistol. ad Evagrium.

Hieron. in Epistol. ad Heliodor. To. 1. Basilius in Epist. 55.

Sed pium hunc Patrem Romano fastui num parcere putes? an etiam Ethnicum idcirco vocaris? certè, in his Orientis incendiis refrigerium aliquod inventurus, in occidentem confugere cogitat: Sed illico pedem refert. *Si perduret*, inquit, *ira Dei, quid auxilij conferet nobis occidentalium fastus?* τῆς δυτικῆς ὀφρυός, *Qui quid veri sit*, ἀληθὲς, *neque sciunt, neque discere sustinent: falsis verò suspicionibus præoccupati, eadem nunc quoque faciunt, quæ antea in causâ Marcelli, cum illis, qui veritatem annuntiarent, contentiosè egerunt: & hæresim intereà per seipsos corroborarunt: Ego quidem ipse privatim, non publicâ formulâ volebam ipsorum scribere Coryphæo*, id est Damaso, *de Ecclesiasticis rebus quidem nihil, nisi tantum admonere, quod neque rerum nostrarum veritatem sciunt, neque viam, per quam instruerentur, admittunt: in summa verò, quod non oporteat irruere in eos ac premere, qui per tentationes humiliati sunt & afflicti, neque dignitatis loco habere superbiæ splendorem* ἀξίωμα κρίνειν τὴν ὑπερηφανίαν, *cum id peccati vel solum ad constituendam adversus Deum inimicitiam sufficiat.* Quid amplius dicere potuit? Et id quidem ad magnum illum Eusebium Samosatenum scribens, qui zelo incomparabili percitus, provincias sigillatim quasque obibat, ut Ecclesias restauraret. Interim Athanasius & Basilius in Oriente in Arianismo oppugnando nihil reliqui faciebant, & subinde per diversas legationes Occidentis opem, operámque, Damasi præsertim, flagitabant: qui non solum eorum calamitate non tangitur, eámque oculis siccis spectat, sed & afflictis afflictionem conduplicat, & fastui fastidium & morositatem addens, Basilium ipsum hæreticum esse sibi ipse fingit. Illi verò, ut maximè instent, nullam consolationem ab eo accipiunt, ne responsum quidem. Basilius itaque & ejus socij literas demùm & nuntios ad Episcopos Occidentis dirigunt, Italiæ præsertim & Galliarum, *quos*, ajunt, *miserum suum statum, toto orbe cognitum, ignorare non sit possibile:* cujus tamen hactenus nullum levamen sentiant: Et porrò eos obtestantur (non jam Damasum Episcopum Romanum) conjunctis animis justam & legi-

Basilius Epist. 10.

Bas. ep. 70.

timam Synodum urgeant. Rursum literas congeminant, eosque adjurant, Imperatorem *de Orientalibus turbis* certum faciant, à quo utique, neutiquam à Damaso, remedium expectent. Tertiam inde per Dorotheum Presbyterum Epistolam addunt, in quo Basilius jam charitatis defectum eis exprobrat, qui tantis ærumnis pressos non solari, non invisere dignati sint: si quâ calumniâ apud eos petiti sint, paratos sese quovis loco sistere, purgare. Ac tandem erumpit quartam super adjiciens. *Ad vos quoque respeximus, Fratres venerandissimi, quos in præsenti tribulationum tempore frequentur ad nos venturos speravimus. Verùm spe istâ frustrati, ipsi quoque illud nobis occinimus: Expectavi qui simul contristaretur & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni. Sunt enim ejusmodi nostræ afflictiones, ut & hi, qui extremum Occidentem incolunt, meritò ad hunc nostrum orbem sese recipere deberent. &c. Iam enim*, inquit, *tertius decimus annus est, ex quo nobis hæreticum bellum exortum est.* Et hinc judicet quisque, suo luxui quàm immersus indormiret Damasus. Et quidem, si Baronio credimus, ad Damasum & Occidentales simul has Epistolas scribebat: sed reclamat Titulus: *Italis & Gallis, Occidentalibus transmarinis Episcopis* in genere: Quin & ipse contextus, Ditatos nobis dicebat Marcellinus *oblationibus Matronarum* Romanos Episcopos: Et hoc nomine Hieronymus Clerum suum gravius suggillat, quam Marcellinus ipse. *Clerici ipsi*, inquit, *quos & magisterio esse oportuerat pariter, & timori, osculantur capita matronarum, & extentâ manu, ut benedicere eos putes velle, si nescias, prætia accipiunt salutandi. Illæ interim, quæ Sacerdotes suo viderint indigere præsidio, eriguntur in superbiam: Et quia maritorum expertæ dominatum viduitatis præferunt libertatem: Quidam hoc intendunt toto vitæ cursu, ut nomina, domos, & mores matronarum teneant.* Et ibi in nonnullis describendis sibi indulget, Antimo, Sophronio, & aliis, quibus artibus matronarum oblationes emungerent. Alibi, plus æquo luxuriantem reprimens: *Ne lucra sæculi in Christi quæras militiâ, ne plus habeas quàm quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi, Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores monachi, quam fuerant sæculares: & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos:* Ut ex ipsis Hieronymi objurgationibus, quò jam evasissent ex nimiis opibus lasciviâ, & luxuriâ, totâ hâc Epistolâ satis clareat. Ad Nepotianum rursum, quibus modis, quam turpibus officiis, seniorum tum virorum, tum fœminarum legata exambirent, edisserit: Pudet referre, Lector ipse locum consulat. Baronius certè quod liberius & loquutus esset, & scripsisset, Clerum Romanum in eum conjurasse non negat, unde in Palæstinam sese recipere cogeretur, & eadem occasione, Paulinum Episcopum Nolanum Romæ exagitatum, prima ejus Epistola testis, quâ ab odiis Cleri, solâ *urbis longinquitate* tutum se esse posse conqueritur. Nec verò ipsi Episcopo Romano parcit: *Intelliges*, inquit, *quantum nobis gratiæ dominicæ, detrimentum faciat Urbici Papæ superba discretio:* Siricij utique, qui Damasi successor. Eò ventum ut Christiani Imperatores Valentinianus, Valens, Gratianus, lege in eam rem latâ, quæ Damaso inscribitur, cauterium huic quasi carcinomati adhibere cogerentur, quâ prohibent: *Ne Ecclesiastici, vel qui continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos adeant: ut nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quacunque, vel extremo judicio possint adipisci, & omne in tantùm inefficax sit, quod aliquid horum ab his fuerit derelictum: ut nec per subjectam personam valeant aliquid, vel donatione, vel testamento percipere. Quin*, ajunt, *si fortè post admonitione, legis no-*

Idem ep. 78.

Basil. Epist. 1. in Addit.

Hieron. ad Eustochium Epist. 22. Ad Nepotianum 2.

Hier. 12.

Paulinus Epist. 1.

Lib. 16. de Episcop. & Cleric. in C. Theod.

nostræ aliquid iisdem fœminæ, vel donatione, vel extremo judicio putaverint relinquendum, id fiscus usurpet. Lecta in Ecclesiis Romæ. Et hoc sibi volebat Hieronymus in quadam supra Epistolâ: *Pudet dicere: Sacerdotes idolorum, mimi & aurigæ & scorta hæreditates capiunt: solis Clericis & monachis hoc lege prohibetur, non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de lege conqueror: Sed doleo, cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Provida severáque legis cautio, & tamen nec sic refrænatur avaritia. Per fideicommissa legibus illudimus, & quasi majora sint Imperatorum scita, quàm Christi leges timemus, Euangelia contemnimus.* Quo etiam sensu Ambrosius Epistolâ 31. At fingit hîc nobis Baronius, ab Imperatoribus hanc legem, Damaso suggerente, conditam, ut & alibi aliam ejus generis à Constantino, Sylvestri & Episcoporum hortatu, quæ *contra nobiles, qui ad evitanda militiæ munera, & ut fruerentur privilegijs, sese in Clericatum obtrudebant*, eáque ratione Rempublicam destituebant. Nimirum, ne Principes & Respublicæ, tam potenti exemplo in Cleri mores aliquid severius statuant. Verùm unde hoc habet? & num vel levissimam conjecturam hujusce Episcopalis consilij proferat? Quin potius, unde Imperatorum institutum hic agnoscas, Ecclesiasticorum jurisdictionem regunt, in secularem exundantem coercent: Et quidem lege in eam rem disertâ, quam ad eos dirigunt. *Si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à suæ diœceseos Synodis audiantur.* Nota *leves, & de observatione religionis, exceptis quæ actio criminalis ab ordinarijs extraordinariisque judicibus, aut illustribus potestatibus audientia constituit.* Sic nimios fori Ecclesiastici ausus frænare iis visum.

Baro. vol. 4. an. 370. art. 123. Baron. to. 3. ann. 326. art. 84. Leg. 6. de Episc. & Cleric. in C. Theod. Leg. 23. de Episc. & Cleric. in C. Theod.

Addamus anno circiter 390. Siricio Pontifice cum Cleri licentia porrò pergeret, Imperatores Valentinianum, Theodosium, Archadium legem hanc & ingeminasse & roborasse. *Nihil de monilibus & supellectili, cæterisque claræ domus insignibus sub religionis defensione consumat vidua: Sed universa integra in liberos proximos transcribat, ac si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem scribat hæredem.* Quàm paucis pòst diebus Ambrosij rogatu temperant: Tantæ molis jam tum erat, avaritiam Cleri densatis aggeribus, ne perrumperet, coercere.

Leg. 27. de Episc. & Cler. in C. Theod.

PROGRESSUS.

DAmasi nonnulli virtutes commendant, qui tamen, si genuinæ, quæ ei tribuuntur Epistolæ, in Primatu illo promovendo minimè segnis: In Epistolâ nominatim ad Stephanum Mauritaniæ Episcopum, quo majores quasque causas ad se referendas, suâ tantum authoritate terminandas contendit: sui etiam juris esse Episcoporum creationem, adeò, ut Isidorus Mercator Epistolam nobis supponat, quâ Aurelius Episcopus Carthaginensis Damasum rogat, ut Pontificum Romanorum decreta ad se mittat: nempe ex quibus Ecclesiam suam de cætero administret. Sed puduit Baronium hujus mendacij, immanioris quippe, quam ut quemquam fallat: quandoquidem Damasi tempore Aurelius ille Diaconum tantum Ecclesiæ Carthaginensis agebat.

Isidorus Mercat. in collectionis suæ exordio.

Baron. to. 4. an. 374. art. 213.

OPPOSITIO.

AT sanè usus hujus sæculi refragatur planè, quandoquidem præcipua quæque Ecclesiastica munera toto orbe Christiano, ipsius consensu aut consilio inexpecta-

pectato, singulis in provinciis conferuntur: Quando etiam Patres Synodi Constantinopolitanæ apertè in os Damasi. *De administrationibus autem, quæ sunt cujusque Ecclesiæ propriæ, cum vetus, uti nostis, lex est, tum sanctorum Patrum in concilio Nicæno decisio, ut videlicet singularum provinciarum Antistites, unà cum finitimis, modò ipsis ita visum fuerit, Episcopis, ministros ad Ecclesiarum commodum, in suis ipsorum provincijs ordinent.* Cujus quidem legis vi & decisione electos & ordinatos significant: Nectarium Constantinopoli, Flavianum Antiochiæ, Cyrillum Hierosolymis, (& hanc quidem omnium aliarum Ecclesiarum matrem appellant) eúmque rogant, *ut de his rebus tanquam legitimè & secundum Ecclesiæ Canones constitutis congratuletur, spirituali,* ajunt, *charitate, nos mutuò devincente, & timore Domini, qui omnem humanam affectionem reprimit, Ecclesiarúmque ædificationem amori ille & benevolentiæ, quâ singuli singulos complectuntur, longè anteponit.* Nec suas illi literas Damaso soli inscribunt, *sed Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Acholio, alijs, Romę in Synodo congregatis*: Quando & Ambrosium suffragiis populi Mediolanensis eligi Episcopum legimus, cujus mox desiderium, *omni maturitate*, inquit Ruffinus, *Valentinianus Imperator impleri jubet*: ut ex his Romam non misisse intelligas. Verum quod in primis spectandum est, Damaso Pontifice Anno 381. habetur illa universalis Constantinopolitana Synodus, quæ biennio post à Synodo Romanâ recepta, comprobata: Quæ sanè, quod omnes Historici testantur, à Theodosio indicta, à Nectario Constantinopolitano Archiepiscopo, nullo prorsus Damasi legato interveniente, recta. Ibi verò Patres Nicænæ Synodi vestigia relegunt, Provincias dissidiis vitandis partiuntur, & fines cujusque his verbis regunt: *Episcopi qui extra Diœcesim sunt ad Ecclesias, quæ extra terminos earum sunt, ne accedant, neque confundant, & permisceant Ecclesias: Quod obstante persecutione minus ante observatum*, inquit Socrates: Item, *Non invitati Episcopi ultra Diœcesim accedere non debent, super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendis Ecclesiasticis causis, servatâ regulâ, quæ supra scripta est de unaquaque Diœcesi: manifestum namque est, quod per singulas quasque provincias provincialis Synodus administrare & curare omnia debeat, secundum ea quæ sunt in Necæâ definita. Omnia*, inquit. De Constantinopolitano autem Episcopo: *Habeat oportet*, ajunt, *Primatus honorem*, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *Prærogativam post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma.* Hæc omnia, *Consentiente Imperatore*: De Episcopo Romano non verbum: Authores Socrates libro 5. & Sozomenus 7. qui & rationem subdit: *Jam enim non modo hanc apellationem urbs ea adepta erat, senatúque & ordinibus ac magistratibus consimiliter utebatur: Verùm & insignia quoque eadem Romano ritu præferebat, & jura pariter atque honores utrimque in omnibus congruebant.* Quæ verba dignitatem propriè politicam spectant, non ab Euangelio pendentem. Hìc nihilominus Bellarminus: Patres Synodi Constantinopolitanæ ad Damasum scribentes, sese agnoscere: *De mandato literarum Damasi, per Imperatorem missarum congregatos*, eóque Theodoretum adducit lib. 5. cap. 9. Contrà verba Authoris sic habent: *Se ad Synodum Romanam invitatos, accersitos, per imperatoris Sanctissimi literas.* Demùm *Constantinopolim mandato literarum convocatos, quas Synodus ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium miserat.* Ad universalem utique exhortatorias, non autem, quas aut Damasus, aut Synodus Romana ad Episcopos Orientis scriberent mandatorias. Adde agnovisse postea Bellarminum in recognitione hanc non esse Patrum Constantinopolitanorum Epistolam, quæ proinde ad quæstionem nostram nihil pertineat. Subjungit Bellarminus, fateri eosdem, Ecclesiam Romanam suum caput esse,

Theod. 5. cap.

Ruffin. li. 2. cap. 11.

Ann. 381.

Socrat. lib. 4. ca. 24. & 25.

Onuphr. in fastis Pontif.

Socrat. lib. 5. cap. 8.

Conciliũ. Constant. can. 5. & 7. & can. Græc. can. 3.

Socrat. lib. 5. cap. 8. Sozomen. lib. 7. c. 9.

Bellarm. de Pontif. Roman. lib. 2. c. 13.

Bellar. in recognit. pag. 46.

eſſe, ſe ejus membra: Et hìc rurſum convincitur falſi: Patrum enim Conſtantinopolitanorum literæ non inſcribuntur Damaſo, non Eccleſiæ Romanæ, ſed Occidentalium Epiſcoporum Synodo Romæ congregatorum, quam his alloquuntur verbis: *Vos, quo fraternam veſtram erga nos charitatem declaretis, concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris ſanctiſſimi literas accerſiviſtis:* Non igitur plenæ poteſtatis authoritate, ſed quatenus omnes Eccleſiæ Chriſtianæ invicem membra: Quare poſtquam illis expoſuerunt, ſe juxta Canones antiquos, Nicænos præſertim, abſolutè Eccleſiis ſuis providiſſe, literas ſuas his verbis concludunt. *Quòd ſi doctrina fidei ad hunc modum communi conſenſu ſtabilita ſit, & charitas Chriſtiana in nobis confirmata, poſthac deſinemus dicere illud quod ab Apoſtolis condemnatum eſt, nimirum, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ:* Quod propriè ulcus tangebat, quem Petri obtentu Damaſus jactabat primatum: *Atque omnes cum ſimus Chriſti, qui in nobis non eſt diviſus, corpus Eccleſiæ, Dei largiente gratiâ, integrum conſervabimus, & ad tribunal Domini fidenti animo noſmet ſiſtemus.* Ut omittamus in quibuſdam exemplaribus ſubjungi. *Deus vos filij reverendiſſimi conſervet incolumes.* Quod quis hoc tempore impunè ferat? Interim Leo magnus Romanus Epiſcopus, primatus iſtius zelator inſignis, authoritatem hujus Synodi convellere conatur, quaſi Canonibus Nicænis ſtare præcupiat, quos tamen à ſuis partibus minus facere cognovimus. At negare non poteſt, quin deceſſor ſuus Damaſus huic Synodo acquieverit, & ad ejus literas abſque contradictione amicè reſcripſerit. Quanquam ut prærogativam ſibi aliquam reſervet, an ut par pari rependat *honoratiſſimos filios* appellat, *& ſedi Apoſtolicæ reverentiam debitam detuliſſe* ab ipſo literarum exordio gratulatur. Denique notat Onuphrius ipſe diſertè, Damaſum biennio poſt, in mediâ Synodo, hujus Conſtantinopolitanæ Canones approbaſſe: Oecumenicæ utique, licet nullus Damaſi nomine intereſſet: cum interim Romana, à Damaſo coacta, eo præſide celebrata, inter Provinciales vix locum teneat. Penſitet hoc Lector, & ex eo Primatus tum Romani modum metiatur.

Leo. Ep. 55.

Theodor. lib. 5. ca. 10. Onuphr. in Faſtis. ann. 382.

Mirum, ni Baronius hìc aliquid ſomniarit novi: Ac primum, Synodum Conſtantinopolitanam ab Imperatore Theodoſio & Damaſo Epiſcopo Romano conjunctim indictam, ubi perpetuò à merâ conjecturâ illi præſidium. *Quis nam*, inquit, *de his dubitare potuerit?* Socrates certè & Sozomenus qui diſertè, *Imperator, quantum in ipſo ſitum erat, brevi temporis curriculo Concilium omnium ſectarum cogere laboravit:* Synodalis etiam patrum Epiſtola, *ejus mandato congregati*, ut & alia, æſtate ſequenti, ad Damaſum, Ambroſium, Brittonem, alios Occidentales Epiſcopos, quæ ad ipſam Synodum Romanam, quæ eodem tempore parabatur, Orientales Theodoſii, non Damaſi literis invitatos, pleniſſimam facit fidem. Omnes porrò Eccleſiaſtici Hiſtorici, qui Imperatoris in animo fuiſſe narrant, ut poſtquam Orthodoxos in hac ſynodo audiviſſet, aliam omnium ſectariorum convocaret, ſpe fore, ut in eandem ſententiam omnes pertraheret: Quod ſanè facturus, mutuatâ Romani Epiſcopi juriſdictione, non ſibi indigere videbatur. Denique perpetuus hujus ſæculi uſus, quandoquidem hoc eodem anno Synodum Aquileienſem Gratianus Imperator indicit, cui intererat Ambroſius, Africanarum etiam, & Gallicanarum Eccleſiarum legati, quod ipſe atteſtatur, Quando, hoc itidem anno Damaſus apud Theodoſium in Oriente, Gratianum in Occidente, Synodum in annum ſequentem Romæ impetrare ſatagit, quod Flavianus in Paulini locum Antiochiæ ordinatus eſſet, ægro-ani-

Socrat. lib. 5. cap. 10. Sozom. li 7. cap. 7. Epiſt. Syn. in 1. Tom. Concil. Theodor. lib. 5. cap. 8. & 9. Sacrat li. 5. cap. 10. Sozom. li. 7. cap. 12. Concil. Aquileienſe in Epiſt. ad Gratian. Valent. Theodoſium in 1. Volu. Cōc.

animo ferens? Quàm procul ut aliis sit concessurus, qui ab Augustis obtinêre necesse habeat? Et verò de hac Synodo Hieronymus in Epistolâ ad Eustochium. *Cum Orientis & Occidentis Episcopos, ob quasdam Ecclesiarum dissensiones, Romam Imperiales literæ contraxissent, vidit admirabiles viros, Christique Pontifices Paulinum Antiochiæ urbis Episcopum, & Epiphanium Salaminæ, &c.* Et Baronio jam superesse aliquid potest, quod reponat? Secundò, prosequitur: Damasus saltem, ait, confirmavit. Et hoc rursum, num & quatenus, videamus. Num, inquam, ut hinc Synodo universali authoritatem suam impertiatur, an potius ut accommodet, ut subjiciat. Habemus igitur Synodalem ad Theodosium Epistolam, in quâ Patres universim, utpote ab eo convocati, quid ibi gesserint, tanquam rationem redditurі, exponunt. *Quin & obsecrant, ut suâ sententiâ, suoque sigillo Synodi Decreta confirmet.* Epistolæ verò Acta Synodi adjungebantur: Sed hîc cavillatur, *Prudenter*, inquit, *quod eo modo sibi fidem Imperatoris stabilem duraturam oppignorarent:* Theodosij utique, cujus zelus erga Ecclesiam omnibus notus, quo pietate inter illos superior nullus: Argumentorum igitur inops adeò Baronius? *Sicut & Damasi authoritate*, inquit, *hanc Synodum constat Oecumenicæ nomen obtinuisse.* Nec dispari fraude Damasum hanc Synodum probasse, *ut Græcos adversus Macedonij hæresim sibi devinciret:* Ubinam ergo hoc legit? At confirmasse, inquit, constat: Photius enim Author in libro de septem Synodis: & quia verba non repræsentat, sibi abundè cautum putat. En verò ipsa: *Et paulò post cognoverunt quod Damasus Episcopus Romanus, τὰ αὐτὰ κρατυνῶν, eadem confirmabat, idem sentiendo cum supra dictis.* Constantinopolitanis nempe Patribus: Quæso, authoritatem ne Actis suis à Damasi confirmatione quærunt, an potius actis ille Synodi consensum suum accommodat? Adde, id in fraudem factum velle Baronium, ne Canonem admittere cogatur, qui Episcopum Constantinopolitanum Romano coæquat, quem solidâ universæ Historiæ Ecclesiasticæ assertione suffultum somniorum nebulis offuscare conatur: ut & pari fronte in Synodo paulò post habitâ, Paulinum Damasi authoritate in Episcopatum Antiochiæ restitutum, ejecto Flaviano, quem Synodus Constantinopolitana ordinarat, asseverare non veretur. Sed quo tandem authore? & suis nos phantasmatis fidem habituros sperat? Tertiò, Nil obstante Synodo Constantinopolitanâ, causas majores *Sedi Romanæ* perpetuò reservatas contendit, hæresim, schisma, depositionem Episcoporum, inque his ad Episcopum Romanum appellatum. Et de hæresi quidem & schismate ultrò fatemur, vix ullum hæreticum in suâ provinciâ damnatum legi, qui ad Episcopos Romanos non confugerit. Qui ambitionis sæpe pruritu iis plerumque favebant, ita interdum fovebant, ut ab iis subìndè deciperentur: Nempe vel à primis illis sæculis, omnes causas Ecclesiasticas ad Consistorium suum pertrahere, non secus quam civiles ad Senatum, scopus & consilium illis. At, appellationis jure certè pernegamus: Appellatio cum propriè sit, à sententiâ inferioris judicis ad supremi decretum, seu placitum: Cujus nomen, nedum res ipsa, Historiæ ignotum, in Ecclesiâ nusquam usurpatum. Non hoc ipso, de quo agitur, sæculo, Monarchia licet ista Ecclesiastica vires eundo acquirere occiperet. Bellarminus Appellationis originem ab alto repetit, à Marcione hæretico, qui in Ponto excommunicatus Romam venit: Irenæus & Tertullianus num appellatum dicunt? Num non contra Epiphanius: Presbyteros Romanos eum remisisse, *Non possumus*, ajunt, *te admittere, sine permissione venerabilis Patris tui*, (id est Episcopi) *Una est*

cil. Hieronym. in Epist. ad Eustochium 27.

Epist. Syn. in 1. To. Conc.

Baron. To. 4. an. 381. art. 38.

Baro. To. 4. an. 382. art. 18.

Epiphan. contra Marcion. Hæres. 42. Cypr. Edit. Pamel. Ep. 55. & 68. Basilius in Epist. ad Occident.

fides, & una concordia, & non poſſumus adverſari bono comminiſtro noſtro, patri autem tuo. Regerit & nobis Fortunatium & Felicem, ſchiſmaticos in Africâ, qui à Cornelio Epiſcopo Romano cauſam ſuam denuo tractari volebant. At Cyprianum vidimus, ut ei frænum injiciat, ſi hæc locum habeant, diſciplinam omnem collapſuram proteſtatus. Stephanus inde Cornelij ſucceſſor, Baſilidis & Martialis, quos Hiſpani depoſuerant, cauſam ſuſcipiens, nihilo magis proficit: Liberius verò infeliciter hypocritæ illius Euſtathij Sebaſteni Epiſcopi tutelam ſuſcipit, Vitalis Orientalis Epiſcopi Damaſus, quem poſtea pœnitentiâ ductus excommunicat: nec inficiatur ipſe Baronius, ni Marcella detexiſſet, Syricium hoc tempore ab Origeniſtis tantum non deceptum: Adeò, iſtorum hominum animis, plenitudinem illam poteſtatis adſectantium, per adulationem obrepere, proclive perpetuo fuit. Iam, ad hoc ſæculum accedamus: Et quidem Theophilum Epiſcopum Alexandrinum Synodum habuiſſe, & Origeniſtas abſolutè damnaſſe legimus. Nec Româ conſilium expectat: ab ipſius imò exemplo Roma conſilium ſumit: Anaſtaſius nempe Romanus Epiſcopus anno ſequenti: quod Hieronymus nos doceat. *Quem Demetrius Alexandri urbe pepulit, toto orbe fugat Theophilus: Et tota libertate Origenem arguit hæreticum eſſe:* Roma ipſa: *prædicationem*, inquit, *cathedræ Marci Euangeliſtæ Cathedra Petri ſuâ prædicatione confirmet.* Id eſt, ejus exemplum ſequatur: Subjungit, *Anaſtaſium damnaſſe jam in Occidente, quod in Oriente damnatum fuerat.* Non ſanè quod Theophilus Anaſtaſij confirmatione indigeret: peremptorium enim Synodi ſuæ placitum, & executioni protinus mandandum: Sed inquit, *eodem fervore, qui eodem ſpiritu*, quatenus ab eodem fonte haurit uterque ab iiſdem ſcripturis: En verò inter Chryſoſtomum, Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Theophilum Alxandrinum exoritur contentio, quâ, ſi per nos liceat, abutantur. Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus moritur, & de ſucceſſore ſufficiendo actum fuerat: Comprovinciales igitur Epiſcopi in Synodum conveniunt & ψηφίσματι κοίνω κλήρε καὶ λαοῦ *Communi ſuffragio Cleri & populi*, Chryſoſtomus ex Antiochiâ accerſitur. Hic primùm inſtat Baronius: Theophilus, inquit, Epiſcopus Alexandrinus intercedit, Iſidorum quendam, ſuæ diœceſeos Preſbyterum, intrudere vult. Si Canoni Conſtantinopolitano locus, qui Conſtantinòpolim Romæ coæquat, Theophilus quo jure ſeſe immiſceat? Et is igitur ſuppoſititius, ne quicquam atteſtante totâ Hiſtoriâ. Imò legat Socratem διὰ τὸ ἀξιόπιστον τῆς χειροτονίας *quò ejus ordinatio plus haberet fidei*, ſeu, *authoritatis*, *aderant*, ἐκ βασιλικοῦ προστάγματος *ex mandato Imperatoris*, (Arcadij) *inter alios Theophilus Epiſcopus Alexandriæ, qui omni ſtudio incumbit eò, ut Iohannis famam læderet.* Non igitur pro ſuo jure, ſed Principis juſſu, ac proindè nihil inde conſequatur. Hinc verò inimicitiarum inter Chryſoſtomum & Theophilum origo. Theophilus, ut erat implacabilis, Chryſoſtomum exturbandum ſibi proponit: Et quia Origeniſtas ille à communione amputarat, ex his nonnulli ad Chryſoſtomum confugiunt: quos tamen, ordinem Eccleſiæ ſecutus, ad communionem prius admittere non vult, quam Theophilus, aut ejus nomine aliquis in hac cauſâ audiretur. Adde, quod opportunum Theophilo, Eudoxiam Auguſtam libertate Chryſoſtomi graviter offenſam, nec non Imperatorem ipſum, & proceres aulæ complures. Theophilus igitur Chryſoſtomum reum peracturus Synodum convocat, quæ metu populi extra urbem collecta, eòque complures invitat Epiſcopos, à Chryſoſtomo, ob ſua crimina, depoſitos, ipſumque ad hanc Synodum in ſuum caput apertè conjura-

Gregorius Nazianz. ad Cledon. Baro. To. 5. ann. 397. art. 17. & ſeq.

Hieron. in Epi. 78. ad Pammach. & Marcell.

Socrat. lib. 6. cap. 2. Sozom. li. 8. cap. 2.

Baron. To. 5. ann. 47. art. 73.

tam

ram venire sæpius jubet. Et ex aliâ parte habebat Chrysostomus Synodum Episcoporum in urbe, ad quam Theophilum citat: perque tres Episcopos, & duos Presbyteros, tum eum, tum ejus sequaces admonet, ordinem Ecclesiæ, Canonem præsertim Nicænum, *alienos fines invadens*, ne conturbet: plures in suâ Synodo Episcopos esse & ex diversis quidem provinciis, nec eo minus paratum se apud illos se sistere, adversarios suos modò, quos nominatim designat, & suspectos facit, egredi jubeant: sin minus, se ad Synodum universalem *appellare* ἐπικέκλητο. Dicat hîc nobis Baronius cur non Romam? Hæc in vitâ Chrysostomi, Palladij verba: Socratis etiam & Sozomeni, quibus de suâ ad Episcopum Romanum *appellatione*, num tantumdem opponat? Nec eo minus tamen Chrysostomum exauctorant, & in exilium mittunt: id unum crimini dantes, quod sese eorum judicio permittere noluisset. Hîc interim Baronius, cui fixum in pectore vulnus, Canon iste *Constantinopolitanus est suppositititus*, insertus licet ipsi Codici Romano, qui à Pontificiis probatus. Chrysostomus enim, ait, quî sese eo non tuetur, & cur potius Nicæno? imo quis non videt Nicænum ad ejus causam magis facere, ubi de ipsius personâ, ab Episcopis Comprovincialibus judicandâ agitur; non utique de sedium prærogativâ, nempe quo Theophili jurisdictio definiebatur, qui *Ægypto præfectus* in Ecclesias Thraciæ nihil habebat juris. Tùm populus murmurare adeò, ut tandem sibi reddatur, inque Cathedram restituatur: Verùm, non multò pôst novum ei à liberioribus concionibus negotium, novum crimen: ex cujus occasione adversarij Episcopi illum eo prætextu damnant: quòd cathedram conscendere ausus, priusquam ab ipsis restitueretur. Augustæ verò iræ & Theophili livor exilium ei priore durius designant: Et ut ex piorum virorum conversatione ejus amaritudinem mitigare conatur, subindè in pejus demutant, usque dum mœrore confectus animam Deo reddit. Certè, in hoc secundo certamine, quo se verteret nescius, amicos ubique expergefacit, sollicitat. Baronius audacter, *ad unum sibi relictum confugium convolat, Ecclesiam Romanam quam sciret omnibus esse prælatam, & perperam facta Pontificum posse corrigere. Sic igitur datis ad ejus Episcopum Innocentium literis, ipsum adversus tot nefaria orientalium, & Ægyptiorum Episcoporum appellat.* Quod tam strenuè pronunciat, ut fidem ei deberi nemo non existimet: Addit imò: Divinâ providentiâ factum ut inter hos duos insignes Episcopos contentio exardesceret, unde discerent posteri in similibus casibus recurrendum ad Papam. Ergóne locupletiores illi testes, quàm antea: Nos sanè ex proprio litis suæ instrumento, ad hæc refutanda, abundè instructi sumus: epistola utique Chrysostomi ad Innocentium, quæ quidem non ei soli inscribitur, quod affingit, sed omnibus conjunctim Occidentis Episcopis, quippe quæ ubique multitudinus numerum usurpet. In hac igitur Epistolâ, quæ sex plus minùs paginas implet, num *appellationis* vox vel semel occurrit? Sed penitius introspicientibus alia multa sese offerunt: Primùm enim, exponit eis, damnatum se inque exilium deportatum, *quod ad Synodum appellare voluerit*, nempe Oecumenicam, quod nos supra: non igitur ad Episcopum Romanum. Secundò, *Eorum charitatem precatur, ut excitetur atque condoleat, & omnia faciat ut hujusmodi calamitatibus tandem sit finis.* Charitatem vestram, inquit, non, quam Baronius urget, omnipotentiam. Tertiò, *hæc omnia cogitantes*, inquit, *Domini beatissimi, ac reverendissimi, vestræ constantiæ & congruum robur, ac studium sumite, & hanc perniciem, quæ mansit Ecclesias, oramus, avertite*: Ubi non Innocentium solum, ejúsve sedem, sed omnes omnino Occidentales compellat. Rogas verò, quænam sit hæc pestis:

Palladius in vitâ Chrysost. ann. 403.

Pallad. in vitâ Chrysostomi. Socrat. lib. 2. cap. 14. Sozom. li. 8. cap. 17.

Baro. To. 5. an. 404. art 20. & seq.

Quod, inquit, *hæc consuetudo si invaluerit*, *& licitum fuerit cuique ex adeo remotis partibus alienas provincias*, *prout voluerit*, *ingredi*, *& ejicere quosque libuerit*, *& pro voluntate omnia gerere, non ignoratis maturè cuncta peritura?* Obtestatus nempe ut usurpationibus ejusmodi, Synodi authoritate, juxtà Nicænos Canones, modum imponant: tantùm abest, ut Innocentij emendicatam è longinquioribus partibus authoritatem adhibendam censeat. Ac demùm, *decernite*, inquit, *hujusmodi iniqua gesta*, *nobis absentibus*, *& judicium non declinantibus, nullius esse roboris:* quæ omnia non jam ab Innocentio, sed à Synodo expectat. Quartò, ambigis adhuc? *Scripsimus ista*, inquit, *& ad Venerium Mediolanensem*, *& ad Chromatium Aquileiensem Episcopum:* Sicuti & ad Aurelium Carthaginensem. Unde videas eum etiam ad alios magnæ fidei Episcopos recurrisse, ut non mirum sit, si ad Innocentium Episcopum primæ sedis, ad quem tamen, non magis quàm ad alios *appellavit*. Quintò, postquam Innocentius has literas accepit, & legationem tum Theophili, tum etiam Chrysostomi audivit, indicat satis, & quid à se expectetur, & quid in hoc negotio possit: utrumque enim ad suam communionem admittit, judicium eâ ratione injustum ostendens: *Et porrò dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum*, *cedentibus Concilio amicis primùm*, *deinde inimicis: neutrarum quippe partium ut plurimum rectum esse judicium? ubique ex Canonibus Nicænis causam judicandam.* Quod quid quæso est, nisi illud ipsum, quod Chrysostomus ab initio cogitabat, cum Synodum Oecumenicam *appellabat?* Quam nimirum & Innocentius & Occidentales alij apud Imperatores, Arcadium & Honorium, ex illorum sæculorum, usu promovere rogabantur. Arcadius in primis, qui Chrysostomo iniquior, aliàs difficulter consensurus. Innocentius ipse apud Sozomenum in Epistolâ ad Clerum Constantinopolitanum: *Necessaria erit Synodalis cognitio*, *quam etiam multo jam anteà congregandam diximus. Ea quippe sola est*, *quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest.* Nota, *Synodus sola*, non appellatio ad suam sedem: *Quam quidem donec consequamur*, *expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei*, *ac Christi ejus Domini nostri.* Item, *Nos quidem multum deliberamus*, *quonam modo Synodus Oecumenica congregari possit.* Quæ sanè si in ipsius arbitrio, cur tantopere laborasset? Exitus verò hoc probat, quandoquidem anno sequenti 405. Occidentalium Romæ habetur Synodus, in quâ *Episcopi Italiæ congregati Imperatorem orant*, *ut Arcadio fratri scribat*, *ut jubeat Thessalonicæ Concilium fieri*, *quò facilius possent unà utræque partes Orientis Occidentisque concurrere*, ut hæc causa judicetur. Quarè Honorius ad eum mittit, utque ostendat, Episcopi Occidentales quàm benè de Chrysostomo sentiant, ex pluribus literis duas suis adjungit, Innocentij unam, alteram Chromatij Aquileiensis Episcopi: ut & connotat Author, legatos literas ad Arcadium tulisse: *Honorij fratris*, *Innocentij Episcopi Romani*, *Chromatij Aquileiensis*, *Venerij Mediolanensis*, & complurium aliorum in hanc legationem & conspirantium, & contribuentium, quarum unus scopus, Chrysostomi, inter moras Oecumenicæ Synodi, restitutio. Moritur verò is interim in exilio, cujus reliqua huc adducere non necesse. Ergò Baronius quâ hic fide *appellationem* Chrysostomi ad sedem Romanam nobis occlamat? Et si quando Princeps ab alio oppressus, ad vicinum se recipit, hic si eum fovet, si favet, si restituit, num aut se idcirco herum dominùmve, aut illum sibi vasallum servúmve facit? Ad ipsius charitatem, humanitatem qui confugit, num proindè imperium suum subit, alieni juris fit? vectigalem se constituit? Age verò, mirabilis hujus An-

Theodor. Roman. apud Palladium in Dialogo.

Sozom. li. 8. cap. 26.

Apud Palladium dialog.

Baron. to. 5 an. 407. art. 2?. & 408. ar. 33.

Annalistæ obiter aliud mendum abstergamus. Ne mortuo quidem, inquit, Chrysostomo voluit unquam Innocentius communicare cum Episcopis Orientis, quin prius in Ecclesiæ suæ Diptycha nomen ejus restitueretur: Et Theodoretus illi ad manum testis, Consulat locum Lector, ibi nulla Innocentij mentio: *Sed enim*, inquit, *isto excellenti totius orbis doctore mortuo, Episcopi Occidentis non prius cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ, communicare voluerunt, quàm nomen illius sanctissimi viri in tabulas, quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur, retulissent. Atque Arsacium ejus successorem ne salutare quidem dignati sunt.* Quod de omnibus dicitur, ad unum Innocentium quâ fide restringit? Addit de Alexandro Antiocheno Episcopo: *Iste præterea primum magni Iohannis nomen in Tabulis Ecclesiæ inscribendum curavit.* Et hîc rursum, si Baronium audis, Innocentij hortatu, eâ conjecturâ, quod aliquam Innocentius ad eum Epistolam scripsit: Theodoretus enim nihil tale memorat. Theodot. lib. 5. c. 35. & 34.

PROGRESSUS.

EPiscoporum Romanorum progressum aliquantulum repressit Orientalium constantia, unde in Occidentales aciem convertere visum, in Africanos præsertim, apud quos proclivior illis & compendiosior ad Primatum via videretur. Et jam vidimus in Epistolâ ad Stephanum Mauritaniæ Archiepiscopum, Damasus quàm strenuè negotium capesseret, cùm Ecclesiam Romanam *omnium Episcoporum firmamentum, & omnium Ecclesiarum verticem appellat.* Ex literis Stephani illius haud dubiè audacior factus, qui de nonnullis Episcopis in Africâ exauctoratis apud eum conquestus fuerat. *Cum*, inquit, *Episcoporum judicia & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas, & finem earum huic sanctæ sedi reservare debeamus*, id est, *Episcopo Romano*, quem *Patrem Patrum* ibi nuncupat. Et hîc rebellium illorum Africæ Episcoporum genium agnoscas, quos Cyprianus suprà quiritabatur, ob sua delicta, aut crimina reprehensos, Romam navigare, & fidem Episcopi Romani implorare solitos: Quanquam, Decretalibus illis Epistolis, ad Syricium usque, quàm parum tribuendum, sat diximus. Cùm præsertim ipse vetus Codex Romanus nullas ante Syricium agnoscat: qui jam nobis prodit, suo ordine examinandus. Syricius igitur sub annum 386. in primâ ad Himerium Tarraconensem Epistolâ decretoriâ. *Statuta*, inquit, *sedis Apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum:* Quare, *rogat ut in omnium Coepiscoporum nostrorum perferri faciat notionem, & non solùm eorum, qui in suâ sunt diœcesi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses, atque Bæticos, Lusitanos, atque Gallicos, & alios:* Id est, ad omnes Hispaniæ populos. *Quod ei*, inquit, *pro antiquitate Sacerdotij sui poterit esse gloriosum.* Nempe ut per Himerij ambitionem ad suam ipsius sibi per universam Hispaniam viam sternat. In quartâ ad Episcopos Africanos præfractius. *Nemo extrà conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis audeat ordinare Episcopum.* Et primatem nonnulli interpretantur Episcopum Romanum, ex illis Damasi ausis, Syriciique in primâ Epistolâ ampullis argumentum sumentes. Adde Romanorum idioma, qui aliam sedem quàm Romanam Apostolicam dici illibenter ferunt.

Damas. in Epist. ad Stephan. in 1. To. Côc.

Ibidem.

OPPOSITIO.

Concil. Cartha. 2. can. 12. Dist. 64. C. extra conscientiam. 5.

Hic igitur quid Africani, & in Synodo quidem Carthaginensi secundâ, Syricio ipso Romæ sedente? *Placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ tam facilè nemo præsumat, licet cum multis Episcopis, in quocunque loco sine ejus præcepto, Episcopum ordinare:* Inconsulto Primate, inquit, non utique Episcopo Romano. *Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi in quocumque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debent Episcopum.* Et adverte in hoc ipso Canone, Metropolitanam vocari *primam Cathedram, primam sedem:* Gratianum in inserendo hoc canone, Synodi Carthaginensis, non Syricij mentem secutum, *Extrà conscientiam*, inquit, *Metropolitani*, non utique sedis Apostolicæ, licèt sub nomine Innocentij primi referat. Anno 397. sub eodem Syricio Synodus tertia Carthaginensis ulterius progressa. *Primæ sedis Episcopus Princeps Sacerdotum ne appelletur, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.* Addit, *Episcopus autem universalis, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.* Quæ postrema verba apud Gratianum, quamquam in ipsâ jam Synodo non leguntur, quæ eorum pridem solertiâ fortè erasa.

Can. 26. Concil. Cartha. 3. Distinct. 99. Can. primæ sedis 3.

Hìc interim non omittendum, quia doctrinam simul & disciplinam quasi æquis passibus ad corruptionem progredi par erat, hunc Syricium Cælibatus legem inter Ecclesiasticos primum sanxisse, in Synodo Nicænâ, ex omnium Episcoporum consensu, explosam: Cui tamen, ne 600. quidem post annis in Occidente, Pontificibus licet per emissarios suos omnem lapidem moventibus, obtemperatum: Commemorationem etiam sanctorum hoc tempore in officium Ecclesiæ primùm invexisse, Ethnicorum forte Saliare carmen imitatum, in quo memorari solita nomina Deorum: Morbus enim hujus sæculi, ad Ethnicorum superstitiones sacram Christi religionem inflectere.

PROGRESSUS.

Ann. 401.

Innocent. Epist. 2. ad Victricium Rothom. c. 3. Epist. 7. ad Epis. Macedoniæ.

Sequitur Innocentius primus, anno 401. Cui ad ambitionem currenti nullum frænum: In Epistolâ secundâ ad Victricium Episcopum Rothomagensem generaliter decernit. *Majores causæ in medium devolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut*, inquit, *Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur:* nempe per appellationem. Et hactenus contrarium in utroque notare licuit: Nec eo minùs tamen, id juris in Macedoniâ vindicat, & sibi ubique deferri lubens persuadeat. Verùm, num inoffenso pede cursum ei hunc peragere detur, videamus.

OPPOSITIO.

Si igitur de majoribus causis agitur, anno 402. habetur in Africâ Milevitana Synodus, nec non anno 413. Carthaginensis alia, ubi non de disciplinâ tantum, sed de ipsâ Ecclesiæ doctrinâ tractatum, de Donati schismate, de Pelagij hæresi, & damnatus in Synodis illis uterque: Doctrina utique Pelagij de quâ Innocentius judicium suspenderat, eo inconsulto, ad excommunicationem usque tantùm, post sententiam latam, authoritatem & suffragium suum adjungere rogatur. Cartha-

haginensium Patrum in Epistolâ ad Innocentium, Augustino referente, hæc vox. *Nos communi deliberatione censuimus, Pelagium & Cœlestinum anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui ab eis decepti sunt, vel decipi possunt, cognitâ sententiâ, quæ in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaque gestum, Domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas.* Ut hîc sententiam in Synodis illis latam videas, ne in hac verborum humilitate aliquid de suo jure, de ipsâ æqualitate remittere putes. Idem & Milevitani Patres. *Quia*, inquiunt, *Dominus gratiæ suæ præcipuę munere in sede Apostolicâ te collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesiâ suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiose, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris.* Nimirum rogant in suâ parociâ, seu diœcesi, eandem quam ipsi in Africâ diligentiam adhibeat: Et eo quidem impensius, quod ex his, quæ in Oriente gesta fuerant, in mitiorem partem propendere videretur, unde ipsis moram omnem abrumpere visum. *Quicumque dixerit gratiam Dei, in quâ justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit:* Inde verò ad ipsum παῤῥησιαστικῶς, *Error ipse, & impietas, quæ tam multos assertores habet per diversa dispersos, etiam authoritate Apostolicæ sedis anathematizanda est.* Quasi dicat, est jam quod officium præstes: nullus amplius moræ locus. Quod interim subdolè dissimulans Innocentius, ita respondet, ac si ad suam opem confugiant, *Patrum instituta, Sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda, quod illi non humanâ, sed divinâ decrevêre sententiâ, ut quicquid de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret.* (Huc usque quid ejusmodi vidimus?) Item, *Diligenter congruè Apostolico consulitis honori, honori, inquam, illius, quem sollicitudo omnium Ecclesiarum manet, super anxijs rebus quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulę formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam.* In Africâ ipsâ, in his duabus Synodis, annon contrarium expertus?

Concilium Carthag. ad Innoc. 1 To Conc p.469. a. August. Epist.90. Conc. Milevit. in Ep. ad Innoc. in 1. To. Conci. & apud Aug. Epist. 92.

Conc. Milevit. Ca. 3.

Apud August. Epist. 90 & in 1. To. conc. August. Epist. 91.

August. Epist. 93.

Et in appellationibus sanè nihilo molliores offendit: Patres Milevitani disertè: *Placuit ut presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de judicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana concilia, vel ad Primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intrà Africam in communione suscipiatur.* Et cæteras provincias Occidentales idem factitasse non ambiguum: Gratianus tamen, ut jurisdictionem Romanam salvam tueatur, clausulam appendit: *Nisi ad sedem Apostolicam appellaverit.* Cum de hujus sedis ambitione potissima lis. Sed Bellarminus astutius: hunc canonem ad ordines tantum inferiores pertinere contendens. Atqui præivit Canon, judicium Episcoporum spectat: huic & ordine, & connexus & ratione connectendus. Generalis itidem conclusio: *Ad transmarina qui putaverit appellandum.* Nullâ hîc Episcopi, aut Presbyteri distinctione. Adde diversam in margine lectionem: *Aliâs, ad transmarina judicia ne appellent sed ad primates suarum provinciarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est.* Quibus verbis omnes comprehenduntur; Et verò hic Canon in Græcis exem-

Conc. Mil. can. 22.

Grat. 2. q. 6. can. 35.

plaribus æquipollentibus verbis enunciatur ὡς καὶ περὶ τῶν ἐπισκόπων πολλάκις ὡρισ *ut & de Episcopis sæpius definitum est* : ut etiam non omittamus huic Synodo Augustinum intertuisse.

Conc. Carthag. apud Balsa. can. 31. ex Cōc. Africano. Baron. To. 5. ann. 397 art. 55. Cōcil. Carthag. Cā. 48.

Baronius nihilominus, Ecclesiarum Africæ & Hispaniæ juri præjudicaturu multa coacervat. Ac primùm inquit, in Synodo illâ Carthaginensi tertiâ, C none 48. de baptizatis ab infantiâ Donatistis ad Siricium Episcopum Rom num, & Simplicianum Mediolanensem mittitur consultatio: *Ad illum quide* inquit, *quod scirent catholicæ Ecclesiæ præsidere : ad hunc, ob egregiam, totóque or Christiano spectatam scientiam.* Patres in ipso Canone audire juvat, nihil tale u quam cogitantes. *Placuit, ut consulamus fratres & consacerdotes nostros, Siriciu & Simplicianum.* Unde nam discrimen hîc notet? & quid hîc insolens, cum Au relius Carthaginensis Episcopus, personarum Ecclesiasticarum inops, ad Anast sium Episcopum Romanum, & Venerium Mediolanensem, suæ inopiæ opitu laturos conjunctim scribat? Sanctissimos Fratres pariter appellat? Secundò

Syn. Carthag. 3. cā. 26.

Canonem *primæ sedis* à nobis citari ægrè fert: *ut primæ sedis Episcopus non appe letur princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantù primæ sedis Episcopus.* Annon iisdem verbis Decreto inseritur? At malè habet

Distin. 99. Can. primæ sedis. Baro. ann. 397. To. 5. art. 48

quod ad Romam extenditur, & torquet eum Appendix. *Universalis autem ne etiam Romanus Pontifex appelletur. Etenim*, inquit, *de Episcopi Romani titul Africanæ Ecclesiæ leges sancire quid juris fuit?* Et annon verisimilius Gratianun hîc loqui, cum hæc verba in ipso Canone non extent: Imò, qui istorum homi num candor, quæ fides, quis ab ipsis non amputata fidejubeat? Et cui mi rum videatur, Africanorum hanc esse vocem, quorum suprà, quem non eju rant, Canon, *ad transmarina judicia non appellandum.* Romam enim indigitar

Conc. Carthag. provinciale 4. in præfatio. Concil. African. Syn. Carthag. Can. 33. Baron. To. 5. ann. 401. art. 9.

num negent? Quod si Africanis de his, quæ Episcopus Romanus Romæ gerebat, pro suo jure statuere non licuit, alienam Diœcesim invadentem, sua jura usurpantem lege coercere protinus non licuerit? Et quem extrà fines evagantem coërcere non verentur, titulis insolescentem reprimere nefas ducent? Tertiò, ex eo, quod Aurelius Episcopus Carthaginensis in Exordio Synodi generalis Africanæ literas Anastasij Episcopi Romani recitare jubet, quibus, à Donatistarum præstigiis sibi ut caveant, hortatur, ejus mandatu Synodum indictam colligit, & quem Patrem Aurelius appellet, caput proinde Ecclesiæ agnoscere concludit, ut leviculis quibusque inturgescere istis hominibus solemne. Imò quid ni potius attendit: quod *Fratrem appellat*, quod *consacerdotem?* Vicinum tu amicè admonueris, num idcircò servum feceris? Ergo, cum sub annum 407. Synodus Africana contentionem inter Innocentium Episcopum Romanum, & Theophilum Alexandrinum inardescere videret, aquam huic incendio affusura

Concil. African. Can. 68.

Canonem edit: *Placuit etiam ut de dissensione Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quo utraque Ecclesia intra se pacem, quam præcipit Dominus, teneat.* Hæc fraterna admonitio, ex compage membrorum Christi profecta, in jurisdictionem, in imperium demum evadet? Quartò, In Pri-

Baro. an. 405. To. 5. art. 52. Acta Conc. Tolet. 1.

scillianistarum negotio, (genus hoc hæreticorum in Hispaniâ exortum.) Lapsi, inquit, non admittuntur ad pœnitentiam, ex ipsâ Toletanâ Synodo, nisi cum *sedes Apostilica* rescripserit. *Vides* igitur *ex his neminem ante communicare cum lapso, nisi prius illi pœnitenti sedes Apostolica communicarit.* Verum, hæc Acta cur nobis legenda porrigit, qui auscultare ipse nolit? Certè ex his discimus, Ecclesias ab hac hæresi vexatas Ambrosium consuluisse, ejus consilium secutas esse; Sed,

non-

onnisi ex mandato Siricij sese huic rei immiscuisse somniat! Et hoc unde? At e-nim inquit, sic Acta habent: *Literis tamen sanctæ memoriæ Ambrosii, quas post illud Concilium ad nos miserat, ut si condemnassent quæ perperam egerant, & implessent conditiones, quas præscriptę literæ continebant, reverterentur ad pacem, magnam nos constat præstitisse patientiam, (adde quę sanctæ memoriæ Siricius papa suasisset.)* Ergo ne hæc parenthesis totam illam periodum evertet? Ambrosium Siricij commissarium an missarium faciet? Quin pergamus: *Expectamus*, addunt, *pari exemplo, quid Papa, qui nunc est, quid sanctus Simplicianus Mediolanensis Episcopus & reliqui Ecclesiarum rescribant Sacerdotes.* Quo sanè sensu in eodem facto Taurinensis Synodus: *Iuxta literas venerabilis memoriæ Ambrosii Episcopi, vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis.* Si quid simile contra nos Baronius, quos non Excitaturus plausus?

Acta Conc. Tolet, 1.

Taurinens. Concil. can. 5.

P R O G R E S S U S.

INnocentio succedit Zozimus, in primatu promovendo nihilo segnior. Is, cum Synodus sexta Carthaginensis sub annum 417. haberetur, in quâ 227. Episcopi, ex omnibus Africæ patribus congregati, unde illi apud Augustinum *plenarij Concilij* nomen, faustum Potentiæ Episcopum, & Philippum & Asellum Ecclesiæ Romanæ Presbyteros eò delegat, cum vicem suam gesturos, tum præsertim, *ut Episcopi Africę ad Episcopum Romanum appellarent*, qua fieri posset, evicturos. Rem illi his verbis proponunt: *Dixerunt qui Synodo Nicænę adfuerunt, quando de Appellationibus Episcoporum tulerunt sententiam: Si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo dejecerint eum, & appellasse videatur, & confugerit ad beatissimum Ecclesię Romanæ Episcopum, & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen: scribere his Episcopis dignetur, qui in finitimâ & propinquâ provinciâ sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxtà fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione suâ moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet.*

Anno 417. August. Epi. 47.

Epist. Côc. African. ad Bonifacium in 1. To. Concil. p. 519. a Faustin. in Common. ad Can. 1. Syno. Carthag. apud Bals. ex. Ed. Hervet. pag. 305.

O P P O S I T I O.

HIc Alypius Thegastæ Episcopus Nicænis Decretis acquiescit quidem, verum Canonem hunc in dubium revocans: *Iam*, inquit, *nos servaturos profitemur, quod est à Nicænâ Synodo decretum. Me tamen adhuc movet, quod dum Græca hujus Synodi Nicęnæ exemplaria consulimus, ea illic nescio quâ ratione nequaquam invenimus.* Item: *Nos enim, qui in plures libros incidimus, nunquam legimus in Nicęnâ Synodo, in libris Romanis, similiter in nullo libro Gręco hæc invenire potuimus, ex Ecclesiis Apostolicis.* Aurelius vero Carthaginensis Episcopus, qui Synodo, etiam præsentibus Zozimi legatis, præsidebat, ex Patrum sententiâ pronuntiat, ad Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Episcopos mittendos, qui Acta Synodi Nicænæ sibi, ad omnem ambiguitatem tollendam, suis sigillis communita, communicari rogent. *Quandoquidem nos, ut frater noster Faustinus adduxit, non sic invenimus.* Nempe, qui inter Carthaginensis Synodi moras Zozimo successerat: Admonitus etiam Bonifacius, eodem consilio ad eos delegare, ut hoc quasi documentum partibus utrimque presentibus & postulantibus ad αὐτόγραφα exactum,

Ibidem.

Can. 101. sub finem.

In Comm. ad Can. 1. p. 306.

exactum, in judicio ſuum robur obtineret. Itaque mittuntur à Cyrillo Alexandrino Epiſcopo, & Attico Conſtantinopolitano exemplaria illa authentica, quorum literæ huic Synodo inſertæ, exque illorum tenore, & fide, tum lata ſententia, quæ in Synodo legitur, tum ſcripta ad Cœleſtinum Epiſcopum Romanum Synodica, qui interea temporis Bonifacio ſucceſſerat. Et hæc Carthaginenſi Synodo finem imponit. Dignum verò notatu, quod à Cyrillo exemplar, ex Archivis Alexandrinis deſumptum, Româ olim profectum, ab ipſo adeo Marco Epiſcopo Romano, Athanaſio & aliis Ægypti Epiſcopis transmiſſum, apud ipſum conqueſtis, quod Ariani omnia exemplaria Nicænæ Synodi, quæ Alexandriæ ſervabantur, conbuſiſſent: Et eorum literæ etiamnum in primo Conciliorum Volumine inter Marci decreta extant. Fertur igitur ſententia Canoni Milevitano planè conſona his verbis. *Ut presbyteri, Diaconi, & cæteri inferiores Clerici ad transmarina judicia non provocent, ſed ad Primates ſuarum provinciarum, ſicut & de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt: Qui verò ad transmarina appellaverit judicia, à nullo intrà Africam in communione ſuſcipiatur.* Id eſt, Balſamone interprete, *Romana.* Quæ ſanè ſententia univerſalioribus verbis exprimi non potuit. Epiſtola verò ad Cœleſtinum, in Synodo Africanâ, fuſius rem explicat, imo etiam Codex Canonum vetus Eccleſiæ Romanæ: *Impendiò deprecamur,* inquiunt, *ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultrà velitis excipere: Quià hoc etiam Nicæno Concilio definitum eſſe facilè advertet venerabilitas tua. Nam etſi de inferioribus Clericis & Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſuâ provinciâ communione ſuſpenſi, à tuâ ſanctitate vel feſtinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni reſtitui? Presbyterorum quoque & ſequentium clericorum improba refugia repellat ſanctitas tua: quià & nullâ patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicæna, ſive inferioris gradus Clericos, ſive ipſos Epiſcopos, ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. Prudentiſſimè enim, juſtiſſiméque providerunt, quæcumque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda: Nec unicuique provinciæ gratiam ſancti Spiritus defuturam, quâ æquitas à Chriſti Sacerdotibus,* (quâ voce & Epiſcopos complectitur,) *& prudenter videatur, & conſtantiſſime teneatur, maximè quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit cognitorum, ad Concilia ſuæ provinciæ, vel etiam univerſale provocare. Niſi fortè quiſquam eſt, qui credat, uni cuilibet poſſe Deum noſtrum examinis inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodò ipſum Tranſmarinum judicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliјs intercurrentibus impedimentis, adduci non potuerunt? Nam ut aliqui, tanquam à tuę ſanctitatis latere, mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo conſtitutum. Quia illud quod pridem per eundem coepiſcopum noſtrum Fauſtinum, tanquam ex parte Nicæni Conciliј, exindè tranſmiſiſtis: in conciliјs verioribus quę accipiuntur Nicæna, à Sancto Cyrillo coepiſcopo noſtro Alexandrinę Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano Antiſtite, ex Authentico miſſis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum ſubdiaconum, per quos ad nos ab eis directa ſunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Epiſcopo prædeceſſori veſtro, à nobis tranſmiſſa ſunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.*

In 1. To. Conc. pag. 299. & 300. Epiſt. Ægypt. ad Marc & Marci ad Ægyptios In concil. Afric. can. 105.

Iàm, in hac Epiſtolâ à capite ad calcem multa notanda veniunt. Primò, Inſcriptio, *dilectiſſimo & honorabili fratri Cœleſtino.* In eo tamen actu, quo ſolemnior nullus. Et Synodi quidem univerſalis Africæ. Secundò, Legatum Pontificis,

cis, Presbyterum Apiarium, ab Urbano Siccensi Episcopo damnatum, ut sese apud Synodum purgaret, Romam licet confugerat, secum adduxisse, Patribus judicandum exhibuisse: hoc cum plenitudine illâ potestatis quid commune habet? Tertiò. *Sanctitas tua eum appellasse crediderat*, id est, sibi persuaserat ius ei esse ad vos provocare, *quod probare non Potuit* ὅπερ ἀποδεῖξαι οὐκ ἠδυνήθη: *Quod minimè tamen licuit ei*, non ei successit: Quippe qui suâ ipsius confessione, nihil obstantibus artibus, & suffugiis Legati, ibi convictus. Quartò, honestis verbis rogari Cœlestinum, ne Clericos Episcopósve Africanos ad se confugientes amplius suscipiat: *Quod quidem in Synodo Nicęnâ statutum inveniet.* Cum, contrà quàm prætendebat, *nusquam inveniatur.* Tres sanè hosce Pontifices mentitos esse neque disertius potuit dici, neque modestius. Quintò, illi Spiritus divini scaturigini, quam in Episcopi Romani personâ Romæ prostâre contendebant, opponi ab Africanis, tot tantisque sanctis viris in suâ provinciâ congregatis, Spiritum Dei multò minus defuturum. Sextò, Legatum à latere nullum se admittere, nullum nosse, non illius in Canonibus vestigium: Clericos etiam illos executores, qui Decreta Romana, vi apertâ in suis provinciis exequebantur, longè amoliri. Quo jam evaserat Pontificum violentia, vides, per Episcopos illos rebelles, qui Romam confugiebant, qua datâ portâ, & hoc patres appellant, *typhum sæculi in Ecclesiam Christi inducere, quæ simplicitatis lucem, & humilitatis diem prefert:* Factum utique mundanum, quod & anteà iidem Bonifacio: *Credimus, sanctitate tuâ Romanæ Ecclesię presidente, nos jam istum typhum non esse passuros.* Perpetuò verò Dominum fratrem nuncupant: *sanctitatis* enim titulum ne moreris, eundem & ille ipsis tribuit, & ipsi cæteris Episcopis. Zozimus ipse Africanis. *Credimus sanctitati vestrę innotuisse, super absolutâ Cœlestini fide examen nostrum:* Et sic de aliis.

Huic Synodi Carthaginensis placito, solido adeo, vitrum & si quid fragilius Baronius opponit, luci tam apertæ leves fumos: Et in hoc quasi rete, quo plus sese expedire satagit, eo involuit magis: Lector enim vix est quin animadvertat, totum hîc in verba effundi, sed eò veritatis minus, eo plus fraudis. Primò, malè eum habet, quod tres hi Pontifices, Nicæni loco Sardicensem Canonem adduxisse dicuntur. Si per errorem id factum, *infallibilitas* illa sua quo jam abit: quo & sanctitas, si per fraudem? Verum, inquit, *textus fortè corruptus, Sardica* in *Nicęam* mutata. *Acta hęc integra non recitari cogor credere:* Amabo Lector in re tam seriâ hæccine stropha tibi erit satis? Secundò, Nicænũ pro Sardicensi dixisse quid proderat? quid inde lucri? Sardicensis enim & Nicæna Synodus numnon paris autoritatis? Oecumenica utraque? Imo, Sardicensem Oecumenicam nunquam habitam, supra evicimus? Et Innocentius primus nuper admodum contestatus, se Canones Nicænos tantùm agnoscere, quorum nempe umbrâ Fratres & Coepiscopos fallere conabatur. Tertiò, Africanos, inquit, has appellationes rejicere velle quam parũ verisimile, quæ perpetuò fuerint in usu: Quin potius, inquit, formulam damnabant, non rem ipsam. Quid tibi hîc Lector responsione opus? cum ipsa Epistolæ lectio sufficiat? Ut undequaque fumos colligat, annon ad hanc lucem protinus evanescant? Ecquis verò de eorũ arrogantiâ dubitat? Ecquis ex pravis moribus bonas leges oriri nescit? usurpationes Edictis de finibus regundis occasionem dare? Injustitiâ adeo ipsam jurisprudentiæ quasi obstetricari. Cœlestinus, ait, Pelagij hæretici socius, in Africâ damnatus, ad Zozimum Episcopum Romanum appellat, & is appellationem suscipit. Hoc, anno proximè præcedenti, gestum, à Papali id perpetuo genio, ingenio, quærulos quotquot sunt ad se invitare, à perniciosissimis in-

Baro. vol. 5.an. 419. art. 70. & seq.
Idem, Ibidem.

interdum hæreticis, palpent modò & adulentur, facilè decipi: At enim effare; quod sequitur: Africanos graviter id ferre, graviter conqueri, Papam illicò & quasi incontinenti, anno utique proximè sequenti in ordinem cogere, reprimere. Hic ille rursum: Annon passim appellationum exempla nobis occurrunt? apud Augustinum ipsum? Eóque adduxit ex Editione Plantinianâ Epistolam 261. Verùm qui Annales tam exactè scribere videri vult, his exemplis legem posteriorem esse non videt? abusus illos occasionem legi, causam Synodi placito dedisse? In Republicâ verò bene constitutâ exemplis vivitur an legibus? Delicta attendimus, an præcepta? quid facti, annon potius quid juris? Antonius igitur Episcopus in Africâ Fussalensis, à Comprovincialibus Episcopatu privatus, à Primate Nicomediæ commendatitias ad Bonifacium obtinet, Zozimi successorem, decessorem Cælestini, quibus fretus Bonifacium adit primò, inde & Cælestinum, qui sceleratum licet & impium vi restituendum suscipit. Augustinus, qui ejus judicio & damnationi interfuerat, quid hîc ad Cælestinum? *Iudicia*, inquit, *illis*, *& publicas potestates*, *& militares impetus*, *tanquam executuros Apostolicæ sedis sententiam*, *sive ipse*, *sive rumores creberrimi comminantur*, *Ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident à Catholico Episcopo*, *quàm, cum essent hæretici, à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non finas ista fieri obsecro te per Christi sanguinem, per Apostoli memoriam*, *qui Christianorum præpositos populorum monuit*, *ne violenter dominentur inter fratres.* Adversus istam vesaniam Augustinus Episcopus num aliud potuit? At sanè in *plenariâ* illâ Synodo Carthaginensi, tot tantorúmque virorum præsentiâ insigni, securim ad radicem, sententia illa contra Cælestinum lata, adhibet. Ut pro eo, quod Baronius in Antonij Fussalensis causâ jure depositi hîc exclamat ovans: *O mira Dei providentia in rebus Catholicæ Ecclesiæ. Eo ipso tempore*, *quo de Nicæno Canone ea inter Africanos Episcopos controversia agitabatur*, *casum contigisse voluit*, *cujus occasione ipsemet sanctus Augustinus, quem dictis Concilijs Carthaginensibus interfuisse diximus*, *compulsus sit exempla adducere*, *quibus demonstraret Africanorum Episcoporum recursus & appellationes ad Romanam Ecclesiam*: nobis longè potius adorandi Dei materia succurrat, qui in hac Synodo pro suâ ineffabili sapientiâ, ex tot enormibus excessibus rectam normam, ex tot casibus exorbitantibus certum ius, cui de cætero Africanæ Ecclesiæ sibi standum intelligant, elicuerit. Quartò, vin' videre, inquit, Ecclesiæ Romanæ quantum deferrent in hoc ipso Concilio: de Canonicis sacræ Scripturæ libris cum Canon edendus esset, Bonifacium consulunt, Canonis confirmationem ab eo postulant: in aliis quis pari submissione & reverentiâ usos dubitet? Imò, Canonem ipsum legisse, refutasse est: *Placuit*, inquit, (solennis hæc decretorum in Synodus vox) *ut præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesiâ legatur*, *sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ Genesis*, *Exodus*, *Leviticus &c.* Absolutè igitur definiunt, & quod sacræ scripturæ solæ in Ecclesiâ sint legendæ, & quænam pro sacris habendæ: Et quidem addunt, ut concordiam inter Ecclesias necessariam custodiant. *Hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio*, *vel alijs earum partium Episcopis, pro confirmando isto Canone*, *innotescat*, *quia à Patribus ista accepimus in Ecclesiâ legenda.* Nota, *& alijs*, si eam confirmationem intelligit, quâ sine Canon iste robur non obtineat, Episcopo Romano quid hîc juris præ cæteris? At fuit hæc fraterna admonitio ex charitate profecta, quâ Ecclesias omnes Christi in unam quasi compagem coalescere necesse. Molestè fert porrò, quod ex occasione hujus sententiæ Ecclesia Romana Ecclesiam Africanam à communione suâ amputasse dicatur, nempe quia eâ

Aug. cont. duas Pelag. Epist. lib. 2. cap. 3. Epist. Zoz. ad Aurel. Carthag. Aug. Epi. 261. Edit. Plant. Baro. an. 419. ar. 81.

Ibid. ar. 76

Baro. ann. 419. ar. 96.

Concil. Carthag. Can. 47.

Baro. an. 419. ar. 52.

ratione Augustinus & tot alij Patres sanctimoniâ insignes, extrà communionem Papæ, & diu vixisse & defuncti esse colligantur. Quarè Bonifacij secundi Epistolam ejurat, quæ Africanas Ecclesias, centum demum plus minus pòst annis, Ecclesiæ Romanæ reconciliatas profitetur. Certè, quod *regnante Iustino dicit:* Iustinum pro Iustiniano scribere, quàm Nicæam pro Sardicâ proclivius fuit: Ad alterum incommodum: Quid tot Martyribus factum in persecutione Vandalicâ totis annis 100. suum est sanè respondere, quippe cum Romanis Episcopis non id usque adeò curæ, quòd vel ex Græcarum Ecclesiarum exemplo pateat, quas Turcarum arbitrio tot seculis expositas, nihilo secius extra suam communionem, jam olim reliquerunt. Et ut cætera omiserimus, quid habent de hac Epistolâ, quod querantur, quam Conciliis à se editis ipsi inseruerint?

Iam, hinc judicet Lector, Bellarminus quàm præter omnem fidem asserat, non id patribus Africanis consilij fuisse, ut Episcopos Africanos Romam appellare prohiberent: cum ipsi apertè: *Quantò magis hoc de Episcopis voluit observari?* Item, *ut omnia negotia terminentur in provinciâ.* Quâ fide rursum aliam Augustino mentem in Epistolâ 162. fuisse: nempe qui de Cæciliano: Cæcilianus *non potuisset curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, & cæteris terris, unde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarij ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Hinc enim quid colligas, nisi hoc unum, Cæciliano facilè fuisse apud illas innocentiam suam purgare, si calumniâ peteretur: Sin inde consequi vult, Romam appellare potuisse, de cæteris Ecclesiis quidni idem dici possit? Et verò consultò authoris verba prætermisit, in quibus nihil repertu, quod in rem suam faciat: Notetur denique, huic Synodo interfuisse Augustinum, ut ex 207. ejus Epistolâ manifestum.

Bellarm. de Pontif. Rom. lib. 2. ca. 24. Anno 431.

Eodem fermè tempore, Anno 431. Synodus Ephesina universalis adversus Nestorium convenit: In cujus historiâ, unde primatum in Ecclesiâ agnitum colligamus, occurrit nihil. De indictione enim, *Episcopi*, inquit Socrates, *ad Ephesum undique conveniunt, Imperatoris mandato.* Euagrius, & Nicephorus: *Literis Imperialibus ad omnes Sanctarum Ecclesiarùm præsides missis.* Synodus ipsa viginti locis: *Piissimorum Regum voluntate & nutu:* Theodosij utique, & Valentiniani: ut & Acta quæ extant integra perpetuò: *Quam Majestates vestræ Ephesum convenire jusserunt: Et, literis vestris ita jubemur.* ἐκ θεσπίσματος, καὶ νεύματος, *Sanctione nutu Regum Dei & Christi amantissimorum.* Et sic Theodosius Cyrillo: *Undequaque assignasse se Synodum ad Paschales ferias,* nec non Cælestinus Theodosio: *huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in his, quos misimus, exhibemus.* De presidentia verò notum cuique, nec adversarij inficiantur, Cyrillum Alexandrinũ presedisse: tantum cavillantur, vices Cælestini gessisse, eo obtentu, quod sententie, contra Nestorium in Synodo Romanâ latæ, executionem ut susciperet rogatum voluerit. Verùm Synodica ad Imperatorem id factum testatur, *antequam ulla Synodus Ephesi coveniret.* Adde, iis, qui comparuerunt nomine Cælestini, honorem ejusmodi nequaquam delatum, si Cyrilli collegę fuissent, haud dubiè deferendum. Presidium tandem est quod à falso sibi querant recenti quodam Scriptore, qui Epilogum Conciliorum concinnans: *In quâ*, inquit, *præsedit Synodo beatus Cyrillus Alexandriæ Episcopus.* Quod ex Isidori Decreto desumpsit quidem, sed addit de suo, *in locum Cælestini Papæ*, quod Isidorus non habet. Et puduit Bellarminum hujus mendi.

Socrat. lib. 7. cap. 3. Euagr. lib. 1. cap. 3. Niceph. lib. 14. cap. 34. Acta Conc. Ephes. in 1. To. Conc. τὰ πρακτικὰ τῆς ἐν ἐφέσῳ. c. 1. to. 2. & c. 17. 18. 19. 20. & passim, Ibidem p. 99. 117. 201. 202.

Bellarm. lib. 1. de Conc. can. 19. Acta Cõc. Eph. ca. 17. Isidori Decret. Paris. impressum ann. 1524. pag. 79. 1. To. Conc. in Concil. Ephes. Colon. ann. 1551.

Baronius interim hujus temporis historiâ multifariàm ad suam causam abuti cona-

Neſtorins Epiſt. ad Cæleſt. ex Cod. Antonij, Aug. apud. Bar. To. 5. ann. 430. art-3. Epiſt. Cyr. ad Cæleſt. in actis Græc. p. 141. Baro. Vol. 5. an. 430. ar. 11.

conatur. Ac primum, Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus cum hæreſim ſuam, contra duarum naturarum in Chriſto unionem, propalaret, Cyrillus verò Alexandrinus eum ſtenuè aggrederetur, uterque, in ſuas partes quos poteſt, trahere ſatagit. In primis Epiſcopum Romanum exambit, cujus in perſonâ non leve præjudicium. Scribunt itaque ad eum ambo, & Neſtorius quidem Epiſtolam exorſus his verbis. *Fraternas invicem debemus collocutiones.* Quâ mente, & ſuam Cyrillus, καὶ τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἤδη πείθουσιν ἀνακοινοῦσθαι, *longæ conſuetudines Eccleſiarum ſuadent, ut invicem communicemus.* Et hinc judicet Lector, quâ conſecutione colligat Baronius: *Vidiſti haud obſcurè Lector, priſtinum morem ab ipſo exordio Romanæ Eccleſiæ in Annalibus demonſtratum, nimirum ſolius eſſe Cathedræ Petri, quæſtiones de fide definire, & emergentes hæreſes cum earum auctoribus condemnare.* Quàm multos enim jam hæreticos, cum ſuis hæreſibus, & abſque Epiſcopo Romano, & interdum contrà ipſius ſententiam damnatos legimus? Secundò, ſigno quaſi à Cyrillo dato, Cæleſtinus Synodum Romæ indicit: inde ad Neſtorium dat Epiſtolam prolixam, quâ eum admonet, *fidem Eccleſię Romanę, Alexandrinę, Conſtantinopolitanę, univerſalis denique teneat*, à verâ doctrinâ, quàm tuentur, non diſcedat, *Catholicam Romanam* non exprimit, ſin minus à communione ſuâ extorrem declarat. Mox & aliam ad Cyrillum mittit, quâ, ut Neſtorio hoc denuntiet, rogat, ſuámque ſententiam adverſus eum executioni mandet: Et hoc rurſum inter pares quotidie fieri quis non videt? Cœleſtinus verò quò ſpectabat, niſi ut, authoritatem ſuam Cyrilli authoritati adjungens, naſcentem hæreſim facilius opprimeret? Verba quibus abutitur clara ſunt: *Quare authoritate ſedis noſtrę tibi adjunctâ*, id eſt, tuam authoritatem noſtrâ corroborans: *Et noſtrę ſucceſſionis poteſtate uſus*: Id eſt, noſtram poteſtatem adhibens, non ſecus ac ſi coram ageremus, *tu exequeris* ἐκβιβάσεις *iſtam ſententiam exactâ ſeveritate, ut niſi intra decem dies ab hujus admonitionis die numeratos pravas ſuas prędicationes ſcriptâ confeſſione anathematiſaverit, & hanc ſe de Chriſti ac Dei noſtri generatione fidem retinere affirmaverit, quam & Romana, & tuę ſanctitatis & univerſalis religio prędicat, confeſtim ſanctitas Eccleſię illius provideat.* Nimirum ad deponendum Neſtorium, Patriarcham utique, amborum authoritas non plus ſatis. Sed reſtat adhuc in quæſtione, utrum Cyrillus delatam acceperit, quamquam abſque fraude potuit. *Quòd enim Phrygium, & Mitram* Cyrillo miſiſſe, *& nomen Papę & judicis totius orbis*, memorat, his uſum eſſe Cœleſtinum, vel ſemel probaſſe primùm oportuit: Et nos fumoſam illam donationem jam ſuprà exploſimus. Ut omittamus, quod omnibus notum, nomen Papæ, ſine ipſius veniâ, Epiſcopis olim & Preſbyteris familiare: judicium verò totius orbis qui ſibi ſoli tam anxiè vindicat, ad alium tranſtatum minimé voluiſſe. Et verò Balſamonem & Nicephorum tantùm authores ciet, qui 500. & 600. annis poſteriores: Et quidem hoc temperamento: *Fama eſt*, &c. ut in dubiis rebus aſſolet. Tertiò, Mandatum hoc Cœleſtini ad Cyrillum *procurationem* vulgo vocamus, in eum tantùm actum ut ſententiam ſuam executioni mandet, Baronius pro ſuâ munificentiâ, *facultatem Legati* interpretatur, quâ jus habeat, in Epheſinâ Synodo præſidendi. Ita ut de facto in vim ejus, quaſi perſonam ſuam ſuſtinens, repræſentans, præſederit. Et nos ſane ex Archivis Eccleſiæ documentum aliquod proferri non injuriâ poſceremus: Abruptam enim Epiſtolæ clauſulam eò uſque extendere, numnon nimius auſus, Et Acta Synodi Epheſinæ cum ampliora extent, quam cujuſquam alterius, imò cum ſola

Epiſt. Cæleſt. ad Cyr. extat. in 4. To. Cyrilli & in Epiſt. Pontif. nu. tertia. extat. Græc. ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῆς ἐν ἐφήσω συνόδου, p. 85.

Balſam. in Nomocanō. Photii. Tit. 8. cap. 1. Niceph. lib. 14. cap. 34.

a hæc integra supersint nobis, unde fit ut hoc Mandatum in libri capite non legamus? Inter tot alia documenta non audiamus? Certè cum nullus Episcopus Romanus totis 800. annis Synodo ulli universali adfuisse nedum præfuisse legatur, Cælestinus, quia Ephesinæ interesse in animo non habebat, & Nestorius Episcopus Constantinopolitanus hæreseos reus præesse non poterat, voluit fortè vulgò credi, Cyrillum Episcopũ Alexandrinum vicem suam ibi gerere, eo impensius, quod quos à latere legatos mitteret, non magis, quam in præcedentibus Synodis, præfuturos intelligebat. Ut & Cyrillus, ex alterâ parte, tanto adversario expugnando non parum præsidij sibi nactus videbatur, si in hac dissertatione Cælestini Episcopi Romani sententiâ quasi præjudicio niteretur. Quare dicit Euagrius de Cyrillo διέποντος τ̃ τοῦ Καιλεςίνου τόπον *exequente etiam locum Cœlestini*, & Synodus ipsa, *exercente etiam locum Cælestini*, quasi dicat tum suum ipsius, tum etiam Cælestini locum implente: nempe Cælestini sententiam executioni demandante, ut ex suis ad Theodosium literis clarum. Sed conscientiam ejus testor, toto illo Actorum Volumine, num ullo in loco Cyrillus τοποτηρητής aut τ̃ τόπον τηρῶν aut λεγάτος Cælestini dicitur: universus etiam Synodi progressus numnon reclamat? Cælestinus ad Synodum mittit Archadium & Patroclum Episcopos, & Philippum Presbyterum, λεγάτους, inquit Legatos: Literas verò, quibus ad Patres Synodi dirigebantur, Baronius ipse profert: Quid his opus? tot præsertim, si Cyrillus Legatus? Cui verò fiat verisimile Cælestinum in hac Epistolâ Cyrilli meminisse nusquam, Cyrilli saltem suum locum impleturi? Deinde appellant Legati, & pro suo more, sententia jam solenniter contra Nestorium lata: Delegati interim, inquit Baronius, ad Synodum, ut quam Romæ tulerat Cælestinus, executioni mandari curarent. Quàm sibi scrupulosè cavent ecquorsum igitur Patres in ipso Synodi limine, *Christum*, inquit Cyrillus, *in Capitis locum adjungunt ut ibi præsideat?* Namque ait, *Synodus venerandum Euangelium in sancto Throno collocavit, veluti in aures Sacerdotum inclamans: Iustum judicium judicate: Iudicabitis inter sanctos Euangelistas, & Nestorij voces.* Hoc Euangelium, in Euangelio Christus ipse, eò ne tantum advocatus, ut Cælestini sententiam exequatur? Hiccine sanctus Spiritus Româ evocandus? unde fit etiam ut sacra Synodus sententiæ præfata dicat. *Necessarium arbitrati sumus accedere*, ἐπὶ τὴν ἐξέτασιν τ̃ δυσσεβηθέντων αὐτῷ, *ad examen impietatum ejus*: Synodus verò Romana â tergo Ephesinæ tam longè relinquatur? Et quia fortè in sententiæ Synodalis præfatione Cælestini literæ inter complura alia Acta memorantur, (Istis hominibus, vel tantillum honoris concedere, statim servitutem interpretaturis, quàm periculosum) sententiam ipse, etiam absens, tulerit, non jam Synodus: Et tanta porrò Synodus? At, subscriptiones advertere juvat, quas Baronius nos celatas voluit. Cyrillus *Alexandriæ Episcopus subscripsit, unâ cum sancta Synodo pronuntians: Invenalis Hierosolymorum Episcopus subscripsit etiam*: Et sic de cæteris: nempe juxta Patriarcharum ordinem. Non alium Cyrillus, præter proprium, adsciscit titulum, non aliunde dignitatem emendicat, quo nomine Synodalis ad Imperatorem Epistola eum caput Synodi agnoscit: *Caput Congregationis Episcoporum* appellat. Quin cum Cælestini Legati, in quartâ sessione, post latam sententiam & Nestorio significatam, adveniunt, & Synodo cum alijs assident, συνεδρευσάντων, præsidentiæ nulla mentio, literis Cælestini lectis fit acclamatio Νέῳ Παύλῳ Καιλεςίνῳ, *Cælestino novo Paulo*, & de Cyrillo Νέῳ Παύλῳ Κυρίλλῳ, *Cyrillo novo Paulo, unus Cælistinus, unus Cyrillus.* Nec aliud porrò requirunt, quàm acta sibi communicari, quibus subscribunt,

Euag. lib. 1 τὰ πραχτικά p. 197.

Cyrillus in Apolog. Theodos. To. 4.

Ex Collectione Cresconianâ ibid. art. 9.

τὰ πραχτικά pag. 150.

Epist. Syn. ad Theod. apud Cyr. To. 4.

bunt,

bunt, quod cuivis non denegandum, qui rebus confectis adveniſſet. Et hoc tamen Baronius *iteratam damnationem* appellat: Secundam ſententiam Synodi confirma-
τὰ πρακ-τικὰ tionem interpretatur. At Patrum alia omnino mens, quando in Synodicâ ad Im-
peratores ὁμοψήφους *ejuſdem ſententiæ* ſe omnes fuiſſe ſignificant, & multipliciter
73. pa 2. repetunt. Verùm, hoc ſi ita eſt, manifeſtam hîc contradictionem quis non videt?
Βασιλικὸν Si Cyrillus Legatus, confirmatione quid opus? Si confirmatione opus, quî Lega-
θεσπίσμα tus? Nempe de Cæleſtini fide apud Synodum fide jubere tantum rogatus: Verba Cæleſtini ad Theodoſium perſpicua, *Nos huic Synodo, quam eſſe juſſiſtis, noſtram præſentiam in his, quos miſimus, exhibemus.* Cyrillus hîc ubinam gentium? Quartò: Philippus Romanus Preſbyter ex Legatis unus congratulatur; *Quod videat ſancta membra cum capite inter ſe optimè convenire:* Et totus hic in ampullas abit. Baronius verò, quod Patres Synodi inſoleſcentem ferant: *Non vides*, inquit, *Lector, quomodo omnes Patres illum abſque invidiâ admittunt?* Ex eorum modeſtiâ lucrum captans, & pios illos viros tumultum excitaſſe voluiſſet: Imò, num non potiùs advertere debuit, ut in ipſo Synodi ingreſſu, *Chriſtum in Euangelio caput Synodi conſtituant*. Et ſi caput miniſteriale quæritur, Cyrillū in Ep iſtolà Synodali *caput congregationis Epiſcoporum* nuncupent. Itane verò omnes iſtorum hominum proterviæ pro certo jure, pro authenticis illi inſtrumentis erunt? At enim, vis cognoſcere ſummum hujus Synodi Imperium penes quem fuerit: Synodus ipſa per literas veniam ſuas quemque in partes diſcedendi, quandoquidem negotia definita ſint, ab Imperatoribus humillimè poſtulat. Ab unâ eademque poteſtate indictio & venia, convocatio & miſſio. Imperator quoque (quod confirmationem propriè ſpectat) poſtquàm de his, quæ ibi geſta, apud ſe retulerunt, ſententiam ſuam ſupperaddit; *Imperator plenè certior factus*, ἐπληροφορήθη *quòd ſacra Oecumenica Synodus, omnia canonicè & congruenter faciens, ſuſtulit Neſtorium, ipſos ſuſcipiens,* (nempe Patres Synodi) *Orientales damnavit, & porrò Neſtorium relegavit, juſſit verò Patres ſacræ Synodi Eccleſiam ingredi, & ſacræ Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ Epiſcopum* χειροτονῆσαι, *per ſuffragia eligere, quam ingreſſi, Maximilianum Epiſcopum elegerunt, quo facto juſſit, ut omnes Epiſcopi in ſuam quiſque regionem & civitatem diſcederent.* Et in his ipſis Actis plura leguntur mandata, quæ eodem pertinent.

Ambr. ad Nec verò de hoc primatu, quem Petri ſedi affixum volunt, eâ mente uſquam
Galat. ca. 2. hujus ſæculi Patres: Ambroſius, verba illa Pauli ad Galatas exponens, quibus ſeſe Petro comparat: *Petrum ſolum nominat & ſibi comparat. Quia primatum ipſe accepit ad fundandam Eccleſiam, ſe quoque pari modò electum, ut Primatum habeat in fundandis gentium Eccleſijs.* Roma verò annon in Gentibus? Et quorſum igitur Petri Primatus? Quin addit. *Sed tamen plena authoritas Petro in Iudaiſmi prædicatione data cognoſcitur, & Pauli perfecta authoritas in prædicatione gentium invenitur. Unde & Magiſtrum ſe Gentium vocat, in fide & veritate:* Qui tamen num unquam Urbis Epiſcopus? *Unuſquiſque enim pro viribus ſuis & diſpenſationem ſortitus eſt. Difficilius enim fuit eos, qui longè à Deo erant, ad fidem ſuam attrahere & ſuadere, quam proximos.* Ut Paulum difficilioris negotij geſtorem etiam hoc loco Petro anteferre videa-
Auguſt. in tur. Auguſtinus: *Fundata eſt Eccleſia ſuper Petram, unde & Petrus nomen accepit. &c.*
Ioh. Tract. Et *ſuper hanc Petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam: Super hanc fidem:*
124. & in *Et homines, qui ſuper homines ædificare volebant, dicebant,* Ego ſum Cephæ, ille Petri: *At*
Epiſt. Ioh. Tract. 10. *verò qui non ſuper Petrum, ſed ſuper Petram ædificare volebant, dicebant,* Ego ſum Chri-
Baſil. epiſt. 52. *ſti.* Baſilius ſanè nil tale vidit & faſtum quidem Pontificis Romani & nôrat, & indolebat. At quàm faſtidioſè de eo loquitur Epiſtola, uti vidimus, decima? Ajunt

verò, Numnon Epistola 52. ad Athanasium: de dissidiis Orientis scribendum esse Episcopo Romæ? Audi igitur quorsum, ut *Consilium* det, inquit, δῶναι γνώμην, καὶ νουθετήσῃ, *Et obliquos admoneat*. De Athanasio Alexandrino Episcopo quantò magnificentius? quem inibi *Omnium Ecclesiarum curam gerere* dicit, κορυφὴν τῶν ὅλων: *Fastigium omnium refugiúmque* apellat? de ipsâ Ecclesiâ Antiochenâ Epistola 50. Cui Meletius, ceu *Universo Ecclesię corpori pręsit? cujus reliquæ particulę censeantur?* Chrysostomus quoque, *super hanc petram, non autem dixit super Petrum, Ecclesiam enim suam super unum hominem non ædificavit, sed super fidem & super confeßionem, super pietatis sermones*: Et eodem sensu Eusebius Emissenus: Quo fundamento semel posito Chrysostomus præcisè, *Quisquis inter Episcopos in terris Primatum optabit, confusionem in cælo inveniet, & qui primas tenere cupiet, in numerum servorum Christi non admittetur*. Idem ad Galatas de Paulo, *Iam se cæteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi summo comparat* (Petro), *declarans, quod horum Unusquisque parem sortitus sit dignitatem*. Si parem unusquisque à Christo, successores unde superiorem? Hæc tamen, quo tempore de facto Episcopus Romanus in alios insurgere satagebat. Socrates enim de hac ætate sub Theodosio Iuniore. *Episcopatus enim Romanus non secus ac Alexandrinus*, πέρα τῆς ἱερωσύνης, ἐπὶ δυναστείαν ἤδη πάλαι προελθόν, *Extra fines Sacerdotij egressus ad secularem Principatum erat jam antè delapsus*. Ubi interpres, *quasi extra*, quod Græcè non habêtur. Adde, illis sæculis Apostolicas sedes æquè vocâri Patriarchales omnes Ecclesias, ne id tituli Romanę soli attributum existimes. Sozomenus de Nicænâ I. Synodo: *Participabant huic Synodo*, τῶν μὲν ἀποστολικῶν θρόνων, *ex Sedibus Apostolicis, Macarius Hierosolymorum, & Eustachius Ecclesiæ, quæ in Antiochiâ ad Orontem, jam præfectus, & Alexander Alexandriæ ad Mareani paludem sitæ, Iulius verò, Romanorum Episcopus, propter senium aberat*. Inter cæteros utique eodem parive gradu recensitus. Quo & sensu apud Theodoretum Orientales Episcopi Damaso rescribentes, Antiochiam *vetustißimam & verè Apostolicam Ecclesiam appellant*: Quin & *Hierosolymitanam aliarum omnium matrem*. Et sic passim: Ruffinus adeò ipse Presbyter Aquileiensis, proinde & Ecclesiæ Occidentalis membrũ: *In Urbe Româ post Damasum Syricius Ecclesiæ suscepit Sacerdotium. Apud Alexandriam verò, defuncto Petro, Timotheus, & post hunc Theophilus. In Hierosolymis autem post Cyrillum Ioannes Apostolicas reparabant Ecclesias*. Ut quod peculiare præsumeret Romanus, *ex maligno* esset, maligno protinus tribuendum. Donationis verò Constantinianæ nullum vestigium, adversa imo omnia, vel Baronio, vel Vaticano ipso teste: Quandoquidem in schismate Bonifacij primi, & Eulalij de Papatu contendentium, Symmachi præfecti urbis ad Imperatorem Honorium scribentis verba perspicua: *Quoniam pietatis vestræ est, de hac parte ferre judicium: statim pro competenti solicitudine, vestram majestatem credidi consulendam*. Nota, ferre *judicium*, qui quidem ad Symmachi relationem: *Absolutâ decernimus jußione, Bonifacium interdictâ confestim urbe prohiberi, pertinacius resistentem præcipimus expelli. Et ut cælestibus constitutis morem gerat*, id est, Imperialibus: Quando rursum non multo post, de hoc schismate cogniturus, Synodum Episcoporum ex pluribus provincijs convocat: *Ut*, inquit, *rem deductam in dubium absolvat nobis coram disceptatio plurimorum*. Eodem fine Paulinum Nolanum Episcopum accersit, sanctitatis tum famâ insignem, Aurelium Episcopum Carthaginensem per literas compellat, Italos, Gallos, Africanos, &c. convenire jubet. Interim verò Ecclesiæ Romanæ providet, Achillæum Episcopum Spoletanum ejus curam suscepturum, ne sub festum Paschatis pastorę careant, invitat, Ecclesiam Lateranensem

Chryſ. in Matt. cap. 16. & in sermone de Pentecost.

Basil. epist. 50.

Euſ. Emissenus in serm. de Nativit.

Chrysost. Hom. 43. in Matth.

Socrat. li. 7. cap. 11.

Sozom. li. 1. c. 16. & Edi. græc. 17.

Sozom. li. 1. cap. 16. & Edit. Græc. 17.

Theodor. l. 5. cap. 9.

Ruffin. li. 2. c. 21.

Baro. an. 418. art. 8. & seq. to. 5.

Baro. ann. 419. art. 2. & 3.

Baro. ann. 419. ar. 10. & seq.

ei aperiri, non alij cuiquam, mandat. Quando Eulalio ante judicium in urbem obrepere auso, ex Episcoporum, qui sibi aderant, consilio, pro Bonifacio pronuntiat. Symmacho urbis præfecto negotium dat, *ut eum in urbem admittat: Symmachus verò, vestra majestas sacerdotium suum confirmavit, statutis cœlestibus*, inquit, *per me publicatis, edictis de more positis.* &c. *unusquisque gavisus est* &c. Quando denique Bonifacius ambiguæ valetudinis sibi conscius similia incommoda anteversurus, quam in Conciliis habemus Epistolam ad Honorium scribit. Ut suâ authoritate provideat, ne per ambitum Episcopus Romanus deinceps creetur. Præterquàm quod enim huic Epistolæ titulus, *Supplicatio Bonifacij Papæ ut constituatur à Principe, &c.* interseruntur multæ passim periodi ejusdem generis: *Ecclesiæ mihi Deus Saterdotium, vobis res humanas regni deputavit*, &c. *Cum enim humanis rebus divinæ cultor religionis, Domino favente, præsideas, nostra culpa erit, si non id sub vestrâ gloriâ firmo ac stabili jure custodiatur, quod per tot annorum seriem, & sub illis etiam Principibus obtinuit, quos nulla nostræ religionis cura constrinxit, id est, ut sub vestræ Imperio clementiæ minimè quæ sunt illicita formidentur, &c. Vobis gloriosè imperantibus crevit meus, qui modo tuus est, populus.* Honorius verò in responsione seriò negotium amplexus neutiquam verecundatur, *Id ad cunctorum Clericorum notitiam volumus pervenire, ut si quid fortè religioni tuæ humanâ sorte contigerit, sciant omnes ab ambitione esse cessandum. At si duo contra fas, temeritate certantes, fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus Sacerdotem: sed illum solum, in sede Apostolicâ permansurum, quem ex numero Clericorum novâ ordinatione divinum judicium & universalis consensus elegerit.* Si Episcopus Romanus eo tempore, aut Urbis, aut territorij Romani temporalis Dominus, num eo loquendi genere apud Honorium usurus? Quo pertinet illud Synesij sub id temporis Ptolemaidos Episcopi: *Politicum regimen Sacerdotio qui annectit*, τὰ ἀσύγκλωστα κλώθειν, *quæ simul cohærere non possunt conjungit: illorum munus negotia tractare, horum preces fundere.*

Synesius Epist. 57.

PROGRESSUS.

Leo I. in Anniverſ. die assumpt. serm. 2 & 3. Leo epist. 8. ad Flav. Epis. Constantinop.

ANno circiter 450. Leo primus Primatus tenax, suum illud, *Tu es Petrus*, sedulò inculcare, *Petrus*, inquit, *petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, &c. in suâ sede vivit potestas, excellit authoritas. Fratres omnium Episcoporum noverunt esse primatem, &c. Nunquam nisi per ipsum dedit quicquid alijs non negavit Christus.* Hoc ille Romæ sermocinabatur apud suos. Conqueritur etiam apud Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, quod ipsum antè omnes de Eutychis negotio non admonuerit. Unde dubitandi illi ansa, num legitimè ab Ecclesiæ communione rejectus fuerit. Quin & sibi, & Eutychi injuriam à Flaviano factam tantùm non persuadeat, quòd appellationi ab Eutyche interjectæ non obsecutus sit. Quiritatur quoque apud Episcopos Viennensis Provinciæ, quod, se inconsultò, Hilarius Arelatensis Episcopos instituat, & destituat: quod illi *à Petri soliditate recedere: Petri*, inquit, *quem in consortium individuæ unitatis assumptum, id, quod ipse erat, voluit nominari:* Ita tamen ut Galliarum Episcopis adblandiatur: *Meminerint Apostolicam sedem, pro sui reverentiâ, à vestræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam:* Blandorum illis verborum prætextu primatum suum deglutiendum propinans: Et si huic Leoni fides, Hilarius ille vir turbulentus, qui in Ecclesiasticis negotiis nihil nisi per vim statueret. Denique ad Imperatores scribens, *Papam se Ecclesię Catholicę Urbis Romę cognominat*: interdum & *Universalem*,

Leo Epist. 89. ad Episcopos per Viennens. Provinciâ constitutos.

lem. Quia verò ex decreto Synodi universalis Constantinopolitanæ, Episcopus Constantinopolitanus secundam sedem adeptus, in Oriente authoritatem magnam obtinebat, per Legatos ille suos in Synodo Chalcedonensi, (quæ universalis quarta) intercedit: Nicænis Canonibus, *quibus addere nefas*, aliter cautum: Ut Pontificibus eorum authoritate abuti, jam pridem solenne. Sed videndum jam nobis quousque hæc ab alijs tolerentur. Epist. 12. ad Theod. & ad Pulcheriam. Leo epist. 55. ad Pulcheriam, August.

OPPOSITIO.

AC primùm Leo ipse interdum stilum temperat: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: super hanc*, inquit, *fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non terrebunt, mortis vincula non ligabunt.* Quæ sanè confessio omnibus Apostolis communis, omnibus Ecclesiis Orthodoxis. Utinam verò hîc subsisteret, Privilegij illius sui exceptione fretus ulterius non abriperetur. Secundò, Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, de quo ille conquestus, justas ei causas declarat, quibus ad Eutychem condemnandum & excommunicandum compulsus fuerat. *Sed*, inquit, *ut sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circà illum actum est, omnibus Episcopis, sub beatitudine vestrâ degentibus, manifestare dignetur illius impietatem, ne nescientes aliqui, quid ille senserit, quasi ad Orthodoxum vel per literas, vel per aliquam conjunctionem loquantur.* Eâ igitur mente, ut sententiam suam intrà suos limites exequatur Leo, non secus ac Leonis ipsi, si par occasio ferat. Notandum autem Eutychem ab his damnatum confugisse per libellos ad Leonem, quibus significat se à Flaviano & Synodo Orientali ad eum appellasse, eâ spe, ut suam causam tuendam susciperet: Et quidem Leo judicium saltem suum sustinuit. Hîc Flavianus, Eutychem *in hoc ut in cæteris illi mentitum*, hasce appellationes in illis regionibus ignotas haud dubiè innuens. Proindè, inquit, *secundum quod Sacerdotio competit, propriámque faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decerne damnationem adversus eum regulariter factam.* Qui sic loquebantur quæso obsecuturos putas, etiamsi appellasset? Et idem suprà in Pelagij causâ Africani Patres. Tertiò, Licèt de Hilario Episcopo Arelatensi nemo ferè, præter Leonem non immeritò suspectum, loquatur, ex ipsius tamen verbis liqueat satis, de Primatu illo subruendo fuisse sollicitum. Etenim, inquit Leo, *se beato Apostolo Petro non patitur esse subjectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suum jus transferens dignitatem ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantibus minuendo. Cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem: Sed inflatus spiritu superbię suæ, semetipsum in inferna demergit.* Agebatur vero hîc non dignitas Petri, sed Papæ, sed Leonis primatus. Quæ perpetuo omnia ex occasione quorundam Episcoporum, quos Comprovinciales Episcopi censuris Ecclesiasticis illigarant, à quibus Romæ absolvi sperabant, ut ex ipsâ Leonis Epistolâ manifestum: eo interim condimento, ut protestetur, *Non nobis ordinationes vestrarum provinciarum defendimus, quod potest forsitan ad depravandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri: Sed vobis per vestram sollicitudinem vindicamus, ne quid ulterius liceat novitati, nec præsumptori locus ultrà jam pateat privilegia nostra cassandi.* Quorum utique obtentu Petri fimbrias pro libidine extendebat. Nec tamen apud nostros Episcopos, quod per ambitum contendebat, obtinuisse videatur;

Leo serm. 2. in Natal. Apost. Petri & Pauli.

Flavianus apud Leonem Epist. 9.

Leo Epist. 89. ad Episcopos per Viennensem Provinc. constitutos.

deatur! in Gallicorum præsertim Episcoporum electione, quando sub annum 478. Sidonius Apollinaris celebris ille Arvernorum Episcopus testis locuples, delatâ ei ex communi Episcoporum consensu Metropolitani Bituricensis electione post Eubodij excessum, se ipsum absolutè successorem nominasse Simplicium, post solennem, quæ ibi legitur, concionem, his verbis: *In nomine patris, Filij, & Spiritus Sancti, Simplicius ille est, quem Metropolitanum nostræ provinciæ, & summum Sacerdotem fieri debere pronuntio.* Quam proinde dignitatem, beneficium, aut feudum Papæ Romani agnoscere non tenebatur. Quo & tempore notandum venit, Romanum idioma nostræ Ecclesiæ quàm peregrinum esset, cum idem ille, Lupo Tricassiorum Episcopo scribens, *Dominum Papam* vocat. *Imò Patrem Patrum, Episcopum Episcoporum, super omnia membra Ecclesiæ Dei vigilantem.* Ut non habeant quod nobis aut Damasum ab Archidiacono Stephano, aut Hormisdam ab Isidoro his titulis compellatum objiciant. Quartò, quod hîc præcipuum, quęstio de Primatu, contendente Leone in ipsâ Synodo universali Chalcedonensi, in quâ Constantinopolitanum Episcopum eversurus sibi videbatur, apertè definitur, & his quidem verbis, quæ in Canonibus Græcis habentur: ψῆφος, *sententia communi suffragio sacræ Synodi lata, de ordine, aut dignitate* χάριν τῶν πρεσβείων, *sedis Sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes & Canonem, qui nuper lectus est, centum & viginti Dei amantissimorum Episcoporũ sub Theodosio Magno sanctæ memoriæ in hac urbe Constantinopoli Imperatore congregatorum, agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de privilegijs sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis novę Romę suffragijs nostris* ψηφιζόμεθα : *Etenim antiquę Romæ throno,* τῆς πρεσβυτέρας, *quod urbis illa imperaret jure patres,* διὰ τὸ βασιλεύειν τὰ πρεσβεῖα, *privilegia tribuere.* Non autem quia sedes Petri: *Et eâdem consideratione moti, centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo novæ Romæ throno,* τὰ ἴσα πρεσβεῖα *æqualia privilegia tribuere, rectè judicantes urbem, quæ & imperio, & senatu honorata sit, &* τῶν ἴσων πρεσβείων *æqualibus cum antiquissimâ reginâ Româ privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secus,* ὡς ἐκείνη *ac illa extolli, ac magni fieri, secundam post illam existentem.* Quæ igitur Romæ per omnia exæquatur, unâ exceptâ primæ sedis seu sessionis prærogativâ. Quæ in ordinis, ut ita loquamur, prioritate paritatem potestatis non impedit. At proh hominum fidem! Gratianus Episcopo Romano gratulaturus Canonem corrupit: & ubi Patres Chalcedonenses, *etiam in rebus Ecclesiasticis,* substituit impudenter, *non tamen in rebus Ecclesiasticis:* quâ voce mentem Synodi planè evertit. Citat tamen tanquam ex sextâ Synodo, quia ibi repetitur. En verò tibi limites, quos cuique assignat. *Ita ut Metropolitani* (non etiam Episcopi) *soli & Ponticę, & Asianę, & Thracicæ diœcesis, præterea & Episcopi prædictarum diœcesewn, quæ sunt inter Barbaros, à prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanę Ecclesiæ ordinentur: Unoquoque scilicet prædictarum Diœcesewn Metropolitano cum provinciæ Episcopis provinciæ Episcopos, quemadmodum divinis Canonibus traditum est, ordinante.* Ac proinde Episcopos ordinant Metropolitani, Metropolitanos Archiepiscopus Constantinopolitanus: Non Episcopum ille ullum: Quo exemplo nec ullum etiam Romanus ipse, cujus jurisdictio iisdem regulis coërcita, dignitas iisdem legibus obnoxia. Hoc autem minimè volebat Leo, Primatui omnino intentus, in Synodo 630. Episcoporum repulsam passus.

Sidonius Apoll. in Concione, quæ sequitur. Epist. 8.

Concil. Chalced. can. 28.

C. Renovantes. D. 22.

Gregor. in Regist. lib. 4. Epist. 32. & 38. Concil. Chalced. actione 16. pag. 936.

Nihil juvat quod Gregorius affirmare non veretur: *Quod pro beati Petri Apostolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici* no-

nomen Episcopi universalis oblatum sit. *Sed nullus eorum unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit.* Ex Concilii enim Actis de ejus fide Lector judicet. Ne verò negerant, Canones quidem Græcos ita habere, at Latinos non item: Canon hic 28. in Latinis Conciliis Actione decimâ sextâ similibus verbis exprimitur. *Æqua antiquæ Romæ privilegia tribuerunt, æquis senioris regiæ Romæ privilegijs frui.* Sed hîc Legati Leonis intercedere, multis verbis instare, & quidem cùm Archiepiscopi jam & Episcopi omnes huic Canoni subscripsissent, quorum sigillatim subscriptiones in Actis Synodi notatæ: Episcopus in primis Lucentius Leonis Legatus surgere, insurgere, dicens, *Gloria vestra perpendat, quâ circumventione cum sanctis Episcopis gestum sit, ut non conscriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti.* Nempe Actis nondum perscriptis. Verùm, *Episcopi clamaverunt: Nemo coactus est.* Lucentius iterum dixit. *Accedit ad cumulum quod trecentorum decem & octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, quæ in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur, quas dicunt ante octoginta propè annos constitutas fuisse.* Id est, Canonibus Nicænis Constantinopolitanos prætulerunt: hos tamen, uti Videmus à Damaso Pontifice comprobatos. *Iudices*, ad hæc, qui Imperatoris locum tenebant, ad Synodi quietem: *utraque pars canones proponat.* Tùm igitur Paschasinus Pontificis legatus in angustias redactus, Nicænum Canonem recitare, hoc titulo an præfatione: *Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Sed Constantinus sacri Consistorij secretarius librum accipiens ab Ætio Constantinopolitano Diacono sibi traditum, ex veris recitavit: *Antiquæ consuetudines teneant, &c.* τὰ παλαιὰ ἐπικρατείτω, qualem suprà habemus, ubi nihil quod causam Romanam invet. Ac demùm judices Imperatoris personam repræsentantes, Episcopos ipsos, qui jam ante subscripserant, suffragium rogant: Qui quidem respondent omnes, & singuli: *Coram Deo liberè subscripsi ex propriâ voluntate, & intentione sanctissimorum Patrum:* Eusebius præsertim Dorylei Episcopus, hujus Synodi adversus Eutychem author præcipuus, ideòque plurimùm commendatus. *Sponte subscripsi, quoniam & hanc regulam sanctissimo Papæ in urbe Româ ego relegi, præsentibus Clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit.* Ubi, quod minimè omittendum, notatur in margine: *aut Eusebius mentitur aut ad horam sanctum Leonem fefellit.* Et hîc rursùm judices, jexta Canonem 28. pronuntiant, *parem honorem Constantinopolitanæ Ecclesiæ & Romanę atribuunt, plaudentibus & adclamantibus omnibus Episcopis, hoc justum est decretum, quæ constituta sunt valent.* Unus Lucentius Leonis Legatus contra protestatus. *Sedes Apostolica, quę nobis præcepit, præsentibus humiliari non debet. Et ideo quæcumque in præjudicium canonum vel regularum hesternâ die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circumcidi jubeatis: sin alias, contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus quid Apostolico viro universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, ut ipse aut de suę sedis injuriâ, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam.* Sed Iohanne Sebastię Episcopo judicibus dicente: *Omnes in sententiâ vestræ magnificentiæ permanemus.* Et porrò contradicente nemine judices tandem profantur. *Quod interlocuti sumus, tota Synodus approbavit.* Et hæc Synodi Chalcedonensis definitiva sententia: Ut Baronius hîc non sine risu audiatur, qui post tot ultrò citròque verba, formulis tam ritè observatis, *clandestinum & subreptitium* hunc Canonem occlamitare ausit. Nec tamen defuerunt jam tum Romæ boni viri, qui præter omnium exemplarium fidem ex Codice Romano totam hanc Actionem eraderent, uti in ejus editione videre est.

Euagr. de Eusebio Doryleo. lib. 2. ca. 2.

Barôn. To. 6. ann. 451. art. 136. 137. Codex Romanus in Synodo Chalced.

Hinc

Baro. Vol. 5. ann. 451. art. 136. 137. Bellarm. li. 2. de Pont. Roman. ca. 13.

Hinc igitur judicet quiſque, quandoquidem mera ex Concilijs Patrum verba promimus, quâ aut fronte aut fide Bellarminus & Baronius, Canoni Niceno, à Paſchaſino Pontificis Legato prolato, judices acquieviſſe aſſeverant. Cũ in totius negotij progreſſu, in toto hoc actu contrariũ legatur. Cum Archidjaconus Liberatus apertè, *Legatorum Apoſtolicæ ſedis contradictio à judicibus & Epiſcopis omnibus ſuſcepta non fuit. Et licet ſedes Apoſtolica nunc uſque contradicat, quod à Synodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.* Cum denique Epiſtolas Leonis ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum poſt hanc Synodum habeamus, qui his vehementer adeò angitur, ut ad Synodi mentionem excandeſcat, ejus occaſione Synodum Conſtantinopolitanam univerſalem ſecundam abſolutè ejuret: *Ab initio ſui caducam,* inquit, *dudumque collapſam, & cui ſera nunc & inutilia fomenta ſubjicere velint.* Epiſcopo Antiocheno, partes ſecum facturo bilem moveat: Apud Imperatorem Martianum, Pulcheriam Auguſtam, quo ſe vertat neſcius, identidem quiritetur. Et hîc perpetuò ſuum illud, *Tu es Petrus,* obtendens, an obtrudens, ut mirum ſit ſexcentos triginta illos Epiſcopos tantum, quod in his verbis latebat, myſterium non attendiſſe: Oſtentans etiam itidem Concilium Nicænum, *ſacrum & inviolabile, nullâ novitate violandum.* In quo interim de univerſali ſuo Epiſcopatu, de illo tantoperè decantato Primatu ne verbum quidem.

Liberat. in Breviario, cap. 13.

Leo. Epiſt. 52. ad Anatoliũ. Item 54. & 55. ad Martian. & Pulcheriam: & 62. ad Maxim. Antiochenum.

Iam ut videamus, ad quem authoritatis gradum enixus jam eſſet Epiſcopus Romanus (Leonem enim pro ſuâ indole nihil de ſuo remiſiſſe veriſimile) ſupereſt ut, quis Chalcedonenſem Synodum indixerit, ei præfuerit ſeu præſederit, examinemus. Et de indictione quidem Actio prima. *Ex Decreto piiſſimorum & fideliſſimorum Imperatorum Valentiniani, & Martiani:* Martiani etiam conſtitutio, *Ex mandato noſtro.* Ut & conſequenter Patres diſcedendi veniam ab iis ſibi fieri petunt. Sed Leonem ipſum audire præſtat. Naſcente igitur Eutychis hæreſi, ſcribit ad Theodoſium: *Pietas veſtra ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtrę dignetur annuere, ut intrà Italiam habere jubeatis Epiſcopale Concilium.* Nota, *in Italiâ* ipſâ, in quâ primam ſedem obtinebat. Ut autem Epheſi aſsignavit: *Pietas veſtra apud Epheſum conſtituit Synodale Concilium: fratres meos Iulianum Epiſcopum, & Renatum Preſbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum miſi, qui vicem præſentiæ pro negotij qualitate ſufficerent.* Mox, ut huic Synodo, *quam Theodoſius,* inquit, *vult haberi,* intereſſe compellitur, in decimâ tertiâ Epiſtolâ ſeſe excuſat, & temporis anguſtias, conturbatum Italiæ ſtatum cauſatur: In 23. 24. 33. *In Epheſinâ,* inquit, *civitate fieri præcepiſtis.* Et ut incommoda quædam expoſuit, *Iubeatis intra Italiam celebrari:* Eo quidem prætextu, quod Eutyches ſedem Romanam appellaſſe diceret: ſed Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus falſum conteſtabatur. In Epiſtolâ 49. ad Imperatorem Martianum eodem ſtilo. *Credebamus clementiam veſtram id deſiderio noſtro poſſe præſtare, ut, præſenti neceſſitate reſpectâ, differri ad opportunius tempus Sacerdotalem Synodum juberetis: ſed quia vos amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluiſtis, ne devoto obviare viderer arbitrio: Fratrem & Coepiſcopum meum Paſchaſinum, de eâ provinciâ, quę videtur eſſe ſecurior, evocatum, qui vicem præſentię meæ poſſit implere, direxi.* Et ſic rurſum in Epiſt. 50. 51. In quibus quidem omnibus, quod notare operæ prætium, Conſulum nomina, quibus datæ ſunt, ſubſcribuntur: Quod argumento ſit, Epiſcopum Romanum eorum authoritatem tunc adhuc reveritum, tantum abeſt ut urbis dominatum aut haberet, aut ad ſe pertinere contenderet. Nec hic audiendus Bellarminus, qui Dioſcorum idcirco Synodo excluſum aſſerit,

Concil. Chalced. Action. 1. Martian. L. 3. C. de ſummâ Trinitat. Leo Epiſt. 9. ad Theodoſium. Idem Epiſt 12. & 17. Leo. Epiſt. 13. ad pulcheriam Auguſtam. Idem Epiſt 23. 24. 33. 49. 50. 51.

quod

quod Synodum abſque Romani Epiſcopi authoritate congregaſſet, *quod*, inquit, *unquam licuit, nec unquam factum fuit.* Lectoribus enim pro ſuo more imponit, cum hæc ſint verba Lucentij Romani legati, non ipſius Synodi: Quæ & ipſa ad Leonem ſcribens celatum eum noluit, cui nam indictionem acceptam ferret, *Per gratiam Dei & pijſſimorum Imperatorum*: & ſic paſsim, nec Baronius diffitetur.

Epiſt. Synodica ad Leonem in Concil. Chalced. Actio 3. Baron. to. 6. ann. 450 art. 7. 8. 9. Leo Epiſt. 12. & 49. Idē Epiſt. 47.

Ad *præſidentiam* verò, προστασίαν, quod attinet, quam nos à προκαθεδρία, à primâ ſede diſtinguimus, quæ ultro fatentibus nobis ob urbis dignitatem Romano conceſſa, Leo I. ad Imperatores miſiſſe ſe Legatos dicit, *ut vicem præſentiæ ſuę implerent*: Ad Synodum ipſam amplioribus verbis, *in his fratribus, qui ab Apoſtolicâ ſede directi ſunt, me Synodo veſtra fraternitas exiſtimet pręſidere*, προστασίαν, non προκαθεδρίαν intelligens. At in actionibus certè hujus Synodi incertus ordo, ex eo utique quod Leo Epiſcopus Romanus Anatolium Conſtantinopolitanum ſuſpectum hæreſeos fecerat, & Dioſcorus Alexandrinus jam reus, quâ occaſione ne partes in ſeſe mutuò exardeſcerent, interlocutorum ordo interdùm confunditur, interdum etiam, & in gravioribus quidem cauſis, judices Imperatoris Vicarij Actionem moderantur, rem proponunt, ſuffragia poſcunt, ſententiam, uti ſupra vidimus, pronuntiant. Exemplum hujuſce rei in primâ Actione omnium inſtar nobis, ubi judices dixerunt. *Si placet veſtræ reverentię, ſanctiſſimi Patriarchæ ſingularum provinciarum eligentes ſingulos aut binos ſuæ propriæ quiſque provincię in medio tranſeuntes, & communiter de fide tractantes, quę complacita fuerint, omnibus manifeſta conſtituantur.* Si Leonis Legati id ſibi juris vindicabant, quidni hoc officio fungebantur? Bellarminus hîc, *primi ſedent*, primæ ſedis hoc fuit, *primi loquuntur*, præſidem hoc minimè ſapit: Argumentum rectius procederet, quod omnibus notum, ſi poſtremi loquerentur. Urget: *ipſi ſententiam definitivam in Dioſcorum proferunt, nomine Papæ & totius Concilij Actione tertiâ, eum Sacerdotio privant.* Imò aliud eſt ſententiam dicere, quod Paſchaſinus primus Leonis vice, aliud ſententiam ferre, Areſtum, ut loquimur, pronuntiare: Quarè & ipſe poſtquàm ſuffragium dixit: *Sancta Synodus decernat conformia Canonibus*, de negotio Dioſcori: Anatolius verò Epiſcopus Conſtantinopolitanus proſequitur, & eodem ordine alij, per paginas pluſquam viginti: tum verò demùm non prius judicium ſubſignatur. Ad extremùm, ipſa, inquit, Synodica ad Leonem apertè: *Tu ſicut membris caput præeras in perſonâ eorum, qui locum tuum occupabant.* Utique tuam ſedem: At perlege, qui literam adeò urges: *Imperatores verò ad ornandum decentiſſimè pręſidebant.* Sed demus tandem Leonem præſediſſe in ſuis Legatis, quid inde conſequatur, niſi ut videns prudénſque in ipſo authoritatis ſuæ & ſplendore & culmine cauſâ cadat? de primatu deturbetur, ore ipſe ſuo damnetur: ubi ſupremum Imperium affectabat, æqualem pati, & quidem in celeberrimâ & confertiſsimâ hac Synodo, volens nolens cogatur?

Concil. Chalced. act. 1. cognitio 2.

Bellarm. de Concil. & Eccle. lib. 1. cap. 19.

Concil. Chalced. act. 3.

Cæterum, omiſſum hîc nolumus, Valentinianum Imperatorem latius evagantem Epiſcoporum authoritatem anno 452. lege coercere coactum: *De Epiſcopali judicio*, inquit, *diverſorum ſępe cauſatio eſt. Ne ulterius querela procedat neceſſe eſt pręſenti legi ſanciri. Itaque cum inter Clericos jurgium vertitur, & ipſis litigatoribus convenit, habeat Epiſcopus licentiam judicandi: præeunte tamen vinculo compromiſſi. Quod & Laicis, ſi conſentiant, authoritas noſtra permittit. Aliter eos judices eſſe non patimur, niſi voluntas jurgantium, interpoſitâ, ſicut dictum eſt, conditione præcedat. Quoniam conſtat Epiſcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de alijs cauſis, ſecundum Arcadij & Honorij Divalia conſtituta, quę Theodoſianum corpus oſtendit, præter religionem poſſe*

Baro. an. 452. ar. 52. & 53. In Cod. Theodoſ. inter Novell. Valentinia. lib. 2.

cognoscere. Si ambo ejusdem officij litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus, & jure communi. Sin verò petitor Laicus, seu in civili, seu criminali causâ cujustibet loci Clericum adversarium suum, si id magis eligat, per authoritatem legitimam in publico judicio respondere compellat. Quam formam etiam circa Episcoporum personam observari oportere censemus. Ut si in hujusmodi ordinis homines actionem pervasionis & atrocium injuriarum dirigi necesse fuerit, per procuratorem solenniter ordinatum apud judicem publicum inter leges & jura confligant. Et hanc sanctionem, quia prolixior, utpote in omnes casus intenta, videat Lector in Codice Theodosiano inter Valentiniani Novellas, libro secundo, titulo duodecimo. Lepidè hîc Baronius propter hoc peccatum, *exarsit ira Dei, redditę sunt vires Attilę, & Genserico ad cladem urbis, aperta via*: Authores coævi plus fidei mereantur, qui Ecclesiæ corruptelis imputant, Cleri ipsius lasciviæ: Et hic consulatur Salvianus Massiliensis Episcopus.

Baron. to. 5. an. 444. art. 30. Baronius interim, ni frænum injicias, Leonis auspicijs magnos progressus facturus, ultrà ipsius adeò ausus & conatus evagaturus. Ac primùm, Dioscorus, inquit, mirus ille technarum artifex, qui in favorem Eutychis universum Orientem incendit, in Episcopum Alexandrinum electus, *Legationem ex more ad Romanum Pontificem mittit*: & hanc ille hominii præstationem interpretatur: Ergóne hunc *morem* ignorare aut potuit, aut voluit? Quo nempe præcipuarum præsertim sedium Episcopi statim à suâ electione Epistolas Encyclicas ad omnes Ecclesias, saltem primarias, cum fidei suæ professione mittere soliti, quibus & communionem arctius inter se obstringerent, & de rectâ fide suâ eos facerent certiores: Quam multæ enim supersunt adhuc nobis Episcoporum Romanorum ad Constantinopolitanos, Constantinopolitanorum ad Romanos? Sic olim Cornelius Episcopus Romanus ordinationis suæ Africanos admonet, & gratulantur Cyprianus & Collegæ: quin & comprobare dicuntur: Epistola verò Cypriani ipsa inscribitur *de ordinatione ejus à se comprobatâ*. Amabò, an idcirco Cyprianus Annatas à Cornelio extorturus? Sed, inquit, ob ceremonias quasdam Alexandriæ malè observatas eum reprehendit, & ad usum Ecclesiæ Romanæ revocat; maximè *quia Marcus Petri discipulus*: Et Leonem hoc nomine inturgescere quis subindè non videt? Ergo Cyprianus Carthaginensis Episcopus, cum aut Cornelium fraternè admonet, aut Stephanum acriter objurgat, Episcopos utique Romanos, Primatum sibi eo nomine aut affectârit, aut asseruerit? Paulus ipse in Petrum evicerit, qui in facie ei resistit? Secundò, in Hilarij Arelatensis Episcopi facto Leonem pro arbitratu omnia in Gallijs gessisse testatum vult: Namque, inquit, orta intèr Viennensem & Arelatensem controversia, Rescriptum illud insigne, ad Ætium agentem in Galliâ magistrum militiæ, à Valentiniano & expetit, & obtinet, quod inter Novellas ejus etiamnum extat. Et Historia quidem nos docet, Imperatores hujus sæculi imminutam suam authoritatem Episcoporum Romanorum favore non illibenter sustentasse: sed rescriptum ipsum audire præstat. *Ne quid pręter authoritatem sedis istius illicitum pręsumptio attentare nitatur. Sed illis omnibus sit pro lege, quidquid Papa urbis æternę sanxit, vel sanxerit.* Imò, memorem eum esse oportuit, quàm sæpè in exclamationes illas erumpit? *Quanto detrimento immisceant se Principes rebus sacris: Lector vides ut eas ad suas cupiditates attemperent.* Et in Valentiniani regno disertè: & cur igitur non ipse advertit in hoc ipso Rescripto Imperatorem id velle, ut, qui successores dicuntur Petri, hanc prærogativam & urbis dignitati, & decessorum suorum beneficio acceptam ferant? Consuetudini, non divino juri, his apprimè verbis; *Sedis Apostolicę Primatum, sancti*

Cyprian. Edit. Pamel. epist. 42.
Leo epist. 81.
Cyprian. Epist. 68.
Galat. 1.
Baro. ann. 445. art. 9. vol. 6.
Novell. Valent. post Cod. Theodos. Tit. 24. de Episc. ordinandis.
Baron. an. 448. art. 47.

Petri

Petri meritum, & Romanę dignitas civitatis, sacrę etiam Synodi firmavit authoritas. Cujus, rogo, Synodi, nisi quatenus ementientibus credulus nimis? Sin & jure divino, dignitas urbis quorsum? præsertim cum subjungat: *Per omnia servatis quę divi parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt.* Et porrò, in controversijs hujus generis uter plus fidei apud nos invenire debeat, Valentinianus an noster Hilarius? Hilarius vel ipso teste Baronio, qui in primâ Arausicanâ Synodo primus subsignat: Prosperi sodalis, qui Pelagianorum in Galliâ mastix? Hilarius ab insigni pietate, charitate, doctrinâ, antiquitati commendatus, à Prospero laudatissimo viro celebratus, cujus vitam Honoratus Episcopus Massiliensis describere non dedignatus. Hilarius denique in ipso Martyrologio Romano inter sanctos relatus, in Historiâ Lombardicâ, ob eximium cum Leone certamen, tantopere collaudatus? Leonem ille Pontificem, nisi extrà veræ Ecclesiasticæ disciplinæ oleas longè latéque excurrisset, quis repressurum fuisse existimet? Tertiò Pontificiam omnipotentiam in Hispaniam usque extendit: Etenim inquit, Synodum ibi generalem & indicit & congregat ex omnibus Provincijs: Ubi notandum, Turibium quendam Asturricensem Episcopum, Leonis olim Notarium, de hæresi Priscillianistarum eum consulere, quæ Hispanicas Ecclesias tunc vexabat. Leonem verò occasionibus omnibus pro more incumbentem, consultationem hanc subjectionem interpretatum, verbis ad suæ authoritatis amplificationem exquisitè selectis, non jam consulenti consilium impertiri, sed mandatum dare, in Epistolâ utique his verbis usum. *Habeatur inter vos Episcopale Concilium:* Hactenus consilium. At inferiùs: *Dedimus literas ad fratres, & coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus:* Synodum generalem injunximus, inquit Baronius, quæ verba consilij metas excedunt. Verùm, dicat hìc qui latinè scit, legendum *consilium Synodi*, non *Concilium*, quod & tempori & stilo melius congruit: Latinè enim loquenti, *Concilium Synodi generalis* quid erit, cum Concilium & Synodus idem? Sed enim est quid hic amplius. Synodus enim Bracarensis prima, quam citat, sub Honorio primo habita, 180. post annis testis locuples, Reges tunc temporis, non utique Romanos Episcopos, Synodos convocasse: *Ex præcepto gloriosissimi Ariamiri regis, in Metropolitanâ ejusdem Provinciæ Bracarensis Ecclesiâ convocati, qui regali præcepto nobis concessit:* intermedio tempore privilegium suum eos quasi non utendo amisisse, cui fiat verisimile? cum potius credere teneamur, consilium hoc, non imperium fuisse? Consilium illos, ut rogaverant, ita & accepisse? Quartò, Flavianus Constantinopolitanus Episcopus in Synodo Episcoporum suæ Diœcesis Eutychem & Sacerdotio & Ecclesiæ communione, hæresis nomine, summoverat. Quare Leonem hujusce rei admonet, ut sibi suæque Ecclesiæ caveat, qui fraternam hanc sollicitudinem servitutem interpretatur: *probè sciens:* inquit, *hujusce primæ sedis esse de hæresibus emergentibus cognoscere.* At ipsa Flaviani verba pro amuleto: *Misimus ad beatitudinem vestram literas, quibus docuimus, & Presbyterio illum esse nudatum, quia sic captus est, & jussimus eum cum Monasterijs nullam habere rationem, & exclusimus eum à communione nostrâ:* Ubi, non expectato Româ consilio, Anathemate perculsum vides: Rogas tu, quorsum igitur Leonem admonuisse? *Ut*, inquit, *sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circà illum actum est, omnibus Episcopis, sub beatitudine vestrâ degentibus, manifestare dignetur, illius impietatē* (quos igitur omnes ei subesse minimè existimet) *ne nescientes aliqui, quid ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per aliquam conjunctionem loquantur:* quasi dicat, venenum ejus qui deteximus, ab eo, ut vobis caveatis, monitos vos volumus.

Gennad. de Script. Ecclesiast. cap. 69.

Martyro. Roman. quinto Maij.

Leo epist. 93. cap. 17.

Synod. Bracarens. 1. in præfation.

Flavian. Epist. ad Leonem. quæ post. Epist. 8. Baron. to. 6. an. 448. art. 53.

lumus. Hoccine, quæso, ratihabitionem petere est, uti volebat Baronius? An potius judicâre, præjudicare, præscribere? Quintò: Leonem Eutyches senex veterator & subdolus anteverterat, & molles per adulationem accessus captans, se quidem eum appellasse suggesserat: sed Flavianum obtemperare noluisse. Et hinc rursum Baronius Appellationes in usu fuisse urget, quarum hactenus mentio nulla. Certè, in secundâ Synodo, quæ in causâ Eutychis Constantinopoli postmodum habita, Leo graviter institit, & Acta consuli debêre decretum est. At quid in his inventum? Constantinus Reverendus Diaconus dicit: *Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit sanctum Concilium Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis.* Hoccine est Episcopum Romanum appellare? an potius Oecumenicam Synodum? *Magnificentissimus Patricius dixit. Turba facta, & dissoluto conventu, dixit ad me silenter, appellans Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium. Et ego arbitratus indecens esse, latere hoc sanctissimum, & reverendissimum Archiepiscopum Flavianum, ascendens dixi ei.* Quid hinc rursum lucretur? Addit Basilius Episcopus Seleuciæ, *Abbas Eutyches, adhuc ipso conventu sedente & proponente sanctâ Synodo, dixit, si præceperint mihi patres Romanus & Alexandrinus*, nempe ut fatear, *duas naturas inseparabiles & inconfusas esse in uno Domino post adunationem, hoc ipsum dicam. Hoc autem non quasi appellans dixit:* Episcopus Alexandrinus quidni idem juris sibi vindicet? Et parum interim abfuit, quod Leo ipse in Epistolis non inficiatur, quin ei hac ratione obreperet. Sextò: Inter hos tumultus Theodosius secundam Synodum Ephesi indicit, eo vocat, inquit Baronius, Leonem Episcopum Romanum, gnarus quid faceret, Synodum Oecumenicam absque ejus authoritate indici non posse, quod, inquit, *Lector tenaci memoriâ nunquam abolendum conservet.* Cedò igitur testimonia: Leo, inquit, in exordio Epistolæ, quam per Legatos ad Synodum Ephesinam scribit, *Religiosa*, inquit, *Clementissimi Principis fides, sciens ad suam gloriam maximè pertinere, si intrà Ecclesiam Catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctæ dispositionis effectum authoritatem Apostolicæ sedis adhiberet.* Ecquis jure, & ex officio vocandum dubitet? Verùm Imperator Leonem ad Synodum vocet, an Leo Synodum convocet, aut Leonis authoritate Imperator, idemne tibi? Addit, *tanquam ab ipso Petro cuperet declarari, quod in ejus confessione laudatum sit:* Et hîc detonat suum illud, *Tu es Petrus:* sed annon Leo ipse hîc loquitur, non Imperator? Ergò, advertat potius Lector hominis futilitatem, quandoquidem Theodosius eodem sensu ad Dioscorum Alexandrinum, & cæteros Episcopos, additis etiam comminationibus, scribit: *Siquis tam necessariam, & verè Deo amicam Synodum prætermiserit, & non omni virtute, secundum prædictum tempus, ad præfinitum locum pervenerit, nullam excusationem neque apud Deum, neque apud nostram inveniet pietatem: Sacerdotalem enim conventum non, nisi quis malâ propriâ conscientiâ sauciatus, evitat.* Quin & Dioscorum præsidêre Synodo vult: *Concedimus illi*, inquit, *juxta Canones sanctissimorum Patrum authoritatem & Primatum:* Nempe quià & Episcopum Romanum, non magis quàm in cæteris præcedentibus, affuturum præsentiebat, & Flavianum actorem in hac causâ considerabat. Et hæc, inquit Baronius, *Papæ Romani jus usurpans, nam Osius, quatenus Episcopi Romani Legatus, Nicenæ præfuerat, Cyrillus Ephesinæ*, sed quod illi solemne, τὸ ἐν ἀρχῇ: Meræ principij petitiones plus satis anteà refutatæ. At saltem, quo pudore, quâ non audaciâ Theodoreti in hac Synodo gestis ad suam superbiam tam impudenter abuti? Septimò: in hac Synodo, quæ in favorem Eutychis apertè conjurata, Eu-

Flavian. Epist. post. Epist. 9. Extant in Concil. Chalced. Action. 1.

Baron. to. 6. an. 449. art. 65. 66. 67, 68.

Eutyches Legatos ſuſpectos facit, unde tanquam Flaviani Epiſcopi Conſtantinopolitani ſequaces excluduntur, quià fucum, ſibi ab hoc Monacho factum, Leo tandem agnoverat: Flavianus verò ab hac quaſi latronum manu damnatur, deponitur: unde huic Synodo Ληστρικῆς nomen. Et in his anguſtiis Flavianus æſtuans *appellat:* Hic primùm appellationis vox occurrit: Unde Baronius inturgeſcat. Aſſerit igitur appellaſſe Epiſcopum Romanum, & Authorem laudat Liberatum Carthaginenſem Archidiaconum, *Flavianus*, inquit, *ſedem Apoſtolicam appellavit libello.* Verum authoris hujus fidem is ipſe pluribus argumentis alibi labefactat. Et verò Synodus Chalcedonenſis, in quâ hujuſce Epheſinæ ſecundæ Acta recitantur, ſimpliciter habet: *Tùm Flavianus dixit, appello à te, & Hilarius Eccleſiæ Romanæ Diaconus, Contradicitur*, nempe à Dioſcoro, à Synodo illâ turbulentâ ad legitimam appellabat, quam, veritatis vexillo erigendo, Leonem rogabat, ut apud Imperatores procuraret. Quemnam enim alium jam interpellaret, Alexandrino & Hieroſolymitano Eutychis partes apertè tuentibus, Antiocheno etiam exturbato? Porrò, appellationis hujus quis exitus Hiſtoria non meminit, quia in calamitatis cumulum Flavianus conculcatus, & dirè vexatus, non multò poſt, tùm tædio, tum dolore confectus, ad Deum tranſiit. Ejuſdem generis Theodoreti appellatio, qui abſens, & inauditâ cauſâ damnatus, Leonem per Epiſtolam his verbis compellat. *Supplico & obſecro veſtram ſanctitatem, ut mihi opem ferat, juſtum veſtrum & rectum appellanti judicium, & jubeat ad vos accurrere, & oſtendere meam doctrinam veſtigia Apoſtolica ſequentem.* Num forenſi ſignificatu, an tranſlatitio? Si Codex Græcus exhiberetur, facilius judicaremus, cum vox ipſa ἐπικαλεῖσθαι non eo perpetuo rigore exponatur. Patres ſanè in Synodo illâ Ægyptiacâ, Athanaſio expulſo, in Epiſtolâ ſuâ omnes Epiſcopos rogant, ut eum in ſuam communionem recipiant, ὑμᾶς γὰρ ajunt; ἐκδίκους κατὰ τῆς τοιαύτης ἀδικίας ἐπικαλούμεθα, *Vos enim vindices nos adverſus talem injuſtitiam appellamus:* Et plures ſimiles loci inveniantur. In ſummâ Leonem appellare nihil aliud, quàm ad eum confugere, cujus ſollicitudine legitima Synodus impetretur: Et ipſæ literæ Valentiniani tum Romæ ſedentis, & Gallæ Placidiæ ad Theodoſium filium, in hoc ipſo negotio, eò nos manu ducunt, quibus rogatu Leonis, eum ſuper *hac appellatione* per libellos obteſtantur: *Ut Leo, congregatis ex omni orbe Sacerdotibus, intra Italiam, omni præjudicio ſubmoto, à principio omnem cauſam, quæ vertitur, ſollicitâ probatione cognoſcens, ſententiam ferat:* Et ipſa adeo Galla hanc Flaviani mentem fuiſſe disertè teſtatur, *Qui*, inquit, *libellum ad Apoſtolicam ſedem miſit, & ad omnes Epiſcopos harum partium, per eos, qui directi fuerunt in Concilio à Reverendiſſimo Epiſcopo Romæ.* Quæ igitur *appellatio* cæteros univerſim non minùs quàm Leonem intuebatur, niſi quatenus ſpectabilior ipſe, ab omnibus etiam in futurâ Synodo judicanda veniebat, pro ut & Galla concludit: *Ut res ad Concilij & Apoſtolicæ ſedis judicium tranſmittatur.* Hoccine meram appellationem ſapit? Appellationem ad Papam? niſi quatenus Synodi convocationem Cæſarum mandatu procurat? Notemus etiam obiter in his Epiſtolis, quas Baronius tantopere oſtentat, Valentinianum de Epiſcopo Romano loquentem dicere, ſicut & ſupra. *Cui primatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit.* Gallam etiam: *Decet nos huic maximè civitati, quę domina eſt omnium civitatum, tuam in omnibus reverentiam conſervare.* Et ad Pulcheriam idem. Ut hic Primatus propriè ex jure poſitivo cenſeatur: quod Petro dictum allegant, dicis cauſa adjungatur.

Liberatus in Breviario cap. 12.

Synodica ad Omnes Epiſcopos.

Extant in Concil. Chalced. Action. 1.

Anno 451.

Exitus tandem hujus actionis, hanc actoribus mentem fuiſſe, omninò comprobat:

bat: quippe, cum anno sequenti, procurante per tot Epistolas Leone, Martianus Imperator Synodum Oecumenicam Chalcedone indicit: in quâ præteritarum vestigia releguntur, totum negotium denuò tractatur, exploso Eutyche pudefactis ejus fautoribus, purgato Flaviano, ejus memoria collaudatur: præsentibus demum Leonis Romani Legatis, & ne quicquam intercedentibus, Ecclesia Constantinopolitana Canone in eam rem sancito, quod jam ante Constantinopolitanus Canon decreverat, Romanæ exæquatur. Et porro, edant nobis adversarij actionem exinde ullam, in quâ Constantinopoli appellatum Romam.

Baron. To. 6. ann. 451. art. 149. Octavò: Verùm hìc Baronius è damno suo lucrum captat. Iste Canon, inquit, cum bonâ veniâ Leonis conditus fuit: Etenim in Synodicâ Epistolâ confirmari obnixè petunt: Quare tanquam re bene gestâ? *Vides*, inquit, *Lector ut sexcenti hi patres infirma esse putent, nec posse subsistere, quæ in duabus Oecumenicis esse decreta dicebant, nisi accedat ipsius Romani Pontificis confirmatio.* Et qui eum non noverit, illicò in hanc opinionem abripiatur: At Canon ipse, uti vidimus, rem ipsam præcisè definit, & eventus à confirmatione Leonis eum non pendere, ad illam usque effectum ejus non suspendi, satis manifestum fecit. Paci sanè Ecclesiarum consulturi, mollibus verbis ad id, quod æquum censuerant, eum inflectere conantur, qui illius Epistolæ scopus: Sed quod sæpe à nobis dictum, omnia honestatis verba obligatoria illis. Interim hæc ipsa Epistola quæstionem multifariam decidit, & Baronius, integras alioqui liberaliter adducere solitus, hujus alteram partem

Baron. ibidem. nobis reticuit: Sic igitur se habet: *Sancta & magna & universalis Synodus, quæ per gratiam Dei, & sanctionem piissimorum & amatorum Christi Imperatorum nostrorum collecta est in Chalcedonensium Metropoli, provinciæ Bithyniæ, sanctissimo & beatissimo Romanorum Archiepiscopo Leoni:* Non igitur Leonis mandatu. De Constantinopolitanâ etiam Ecclesiâ disertissimis verbis, *Confirmavimus canonem centum & quinquaginta Episcoporũ:* nempe Synodi universalis secundæ: Et quâ igitur fronte 600. his Patribus frigidas nescio quas conjecturas Baronius opponat? Item, *quæ definivimus, ad interemptionem quidem totius confusionis, & confirmationem Ecclesiasticæ ordinationis definivimus.* Et paulò post, *Hæc sicut propria & amica & ad decorem convenientissima dignâre complecti sanctissime & beatissime Pater.* Ex definitivo quâ ratione interlocutorium jam facturus? Quin ingeminant. *Oportunum credidimus esse, honoris ejus confirmationem ab universali Concilio celebrari: Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora judicium*, id est, vestram sententiam conjungatis, rei à nobis judicatæ acquiescatis: Quare Acta Synodi quidem mittunt, sed quo animo vide, *Ut cognoscatis*, ajunt, *nos gubernari nutu divino.* Quem igitur Româ mittendum non evocarint, ut nec decreta sua ab eo emendanda putant. At sanè

Martian. apud Palladium. ab Imperatore Martiano, qui Synodum convocarat, confirmata legimus: *Decreta Patrum Chalcedoni congregatorum per nostra præcepta stabilita sunt, &c. nec deerit hujus legis contemptoribus supplicium.* Et verò eo jure usam exinde Ecclesiam videmus, ne quicquam in pervicaciâ perseverante Leone, Episcopos etiam Alexandrinum & Antiochenum in Constantinopolitanum concitante,

Baron. Vol. 6. ann. 457. art. 23. Epist. Anatolii ad Leonem Imperat. exstimulante: Verùm, in Ecclesiâ exemplo vivitur, an lege? Episcopi alicujus spectatur insolentia, an disciplina in legitimâ Synodo constituta? Nonò: Postremò, inquit, Clerus Alexandrinus à Timotheo oppressus ad Imperatorem Leonem scribit, ejus impietates Pontifici Romano & aliis declarari rogat: Imò rotundo ore loquatur, *ut alijs*, nullum enim hìc discrimen, *Et scribere dignemini*, inquit, *sanctissimo Romanę civitatis Episcopo, quatenus hęc*

hæc ei à vestrâ tranquillitate nota fiant, nec non & Antiocheno, & Hierosolymitano, & Thessalonicensium urbis Episcopo & Ephesino, alijsque, quibus vestræ visum fuerit potestati. Quod amplius, addunt: *Nam Archiepiscopo hujus regiæ civitatis Anatolio declarata est nostris libellis hujusmodi causa.* Constantinopolis: in vim nimirum Decreti Chalcedonensis: ut & de facto in Epistolâ, quam Leoni Imperatori inscribit, hæreticum & sacerdotio indignum promulgat. Extat. inter Epist. illustres pro Concil. Chalced.

PROGRESSUS.

IAM, ex quo conditus hic Canon, inter Episcopum Romanum & Constantinopolitanum perpetuæ rixæ, dum hic Superiorem pati non vult, ille æqualem: & hic eo prætextu jurisdictionem suam per universum Orientem extendere satagit, ille Occidentem simul & Orientem ad se contrahit unum. Hinc etiam Alexandriæ & Antiochiæ Episcopi, ut Constantinopolitani conatus infringant, eo magis invidiæ obnoxios, quod & à novo Episcopo, & ex jure novo proficiscebantur, ad Episcopum Romanum sæpe confugiunt: Interdum & in Constantinopolitani comtemptum, ei plus satis deferunt, unde & Episcopo Romano, & Baronio ejus Patrono superbiendi non levis ansa. Namque, si eos audimus, Simplicius Romanus Episcopus Calendionem Episcopum Antiochenum confirmat: qui nempe in Epistolâ ad Acatium Constantinopolitanum: *Coepiscopi nostri Calendionis sacerdotium gremio Apostolicæ sedis amplexi sumus.* Verum, & ipse in suâ causâ testis, & Euagrius Auctor coætaneus simpliciter: *Calendio illius sedis clavum suscipit, qui omnes, qui ipsum adibant, induxit, ut Timotheo, cum literis Basilisci generatim ad omnes scriptis, anathema indicerent.* qui Alexandrinam Ecclesiam turbabat: decessor verò ejus Stephanus ab Acatio evidenter ordinatus: quod Baronius agnoscit. Rursum: Simplicius, inquit, Acatio vicariam Romanæ sedis præfecturam in Oriente tribuit. En tibi verò quo pacto: scissâ in partes Ecclesiâ Alexandrinâ conqueritur, quod eum hujusce rei non admonuerit: *Ac proindè*, inquit, *delegatum tibi munus expendens, sensus tuos prudenter attolle:* A quo igitur? Et tenemur nos delegatum à Simplicio interpretari, an potius à Deo? cum neutrum exprimat? Et perpetuò igitur Simplicius in causâ propriâ judex? Des imò eum ita stipulatum: Acatium acceptasse ubinam invenias? Deinde, in suis literis num alio quam Archiepiscopi nomine compellat? in ipso Timothei Alexandrini negotio numnon illud honoris incrementum à Christo Sacerdotum Principe accepisse profitetur? Quin & cum Simplicius de Acatio conqueritur, ut vicarium munus ei delatum concedamus, annon aspernatum verisimilè? Et eodem porrò instituto Zenonem Hispalensem Episcopum vicarium suum instituebat. Idem Simplicius in Epistolâ ad Acatium de Ioanne loquens in locum Timothei Alexandrini ordinato: *Nihil omninò restare videbatur, nisi ut, Deo nostro gratias agentib. nobis, Apostolicæ moderationis assensu votivam sumeret firmitatem.* Et hîc Baronius in margine: *Pontificis Romani est Patriarchas confirmare, puto, Lector, intelligis veterem morem, ut non haberetur firmata Alexandrini sicut nec Antiocheni novi Antistitis electio, nisi illa à Romano Pontifice confirmaretur.* Verum, num ullum hactenus attulit aut exemplum, aut decretum? & hoc semel dixisse sat ad fidem nobis? Contrà, cùm Acatius Constantinopolitanus Episcopus obsequi cunctatur, annon Imperatoris mandatu Petrum Mogum contra Iohannem illum, Orthodoxum licet, tutatur, stilum illicò his verbis temperat? *Oportebat enim communi decre-*

Baron. an. 482. art. 1

Simplicius Epist. 14. Euagrius lib. 3. cap. 10.

Simplicius Epist. 17. Baron. ibid. art. 112.

Acatius in Epist. ad Simplicium. Simplicius Epist. 1.

Baron. ibid. art. 14.

Liberatus in Brev. c. 18.

to damnatum (nempe Patrum) *communi Concilio liberari.* Et quò igitur omnipotentia iſta abit? At tandem, inquit, *Iohannes Alexandriâ pulſus appellat Epiſcopum Romanum, ut Athanaſius olim.* Author Liberatus Carthaginenſis Archidiaconus: Teſtis utique longius petitus, quàm ut fidem mereatur. Et verò, ſi ut Athanaſius appellat, lubenter aſſentimur, qui Athanaſium non *appellaſſe* Romanum Epiſcopum, ſed ad eum confugiſſe pridem evicimus. Euagrij certè hæc mens: *Iohannes,* inquit, *datâ pecuniæ ſummâ, quemadmodum ab eodem Zachariâ traditum eſt, & jure jurando, quod Imperatori dederat, neglecto, Alexandrinorum deligitur Epiſcopus. Quâ re cognitâ, Imperator illum Alexandriâ exigendum mandat: Qui fugiens,* addit ille, *Alexandriâ ad Antiquam Romam contendit, ibique magnas concitavit turbas, dixit namque, ſe pro Decretis Leonis & Chalcedonenſis Concilij ſuâ ſede exturbatum fuiſſe, alterùmque, qui illis adverſabatur, in ipſius locum ſurrogatum.* Appellationis ergo aut interjectæ, aut juridicè definiendæ veſtigium nullum: *Quare Simplicius,* inquit, *Romæ Epiſcopus vehementer conturbatus, literas propterea ad Imperatorem Zenonem dedit, reſcribit Zeno, criménque periurij objectat Iohanni, eumque ejus rei non autem alterius gratiâ Epiſcopatu abdicatum eſſe.* Sed intereà moritur Simplicius, nec multò poſt Iohannes ipſe in Italiâ profugus, cui Epiſcopatum Nolanum conceſſerat. Quo & ſenſu Liberatus Acatium per literas ſedem Romanam rogare, *Si Clerici ad eum confugerint,* ne eos reciperet: quâ propriè voce in ejuſmodi rebus uti ſolenne.

Euag. li. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 12. & 13.

OPPOSITIO.

ET hi quidem omnes juriſdictionis conflictus à Canone Chalcedonenſi profecti, cui Romani Epiſcopi acquieſcere recuſabant: qui interim Concilia nobis perpetuò ingeminant, priſca illa univerſalia præſertim urgere velle videntur, quæ Euangeliis coæquant. Verùm, interfatur hìc Leo Imperator, & quidem lege in eam rem ſancitâ. *Sacroſanctam quoque religioſiſſimæ hujus civitatis Eccleſiam, & matrem noſtræ pietatis, & Chriſtianorum Orthodoxæ religionis omnium & ejuſdem regiæ urbis ſanctiſſimam Sedem, privilegia & honores omnes ſuper Epiſcoporum creationibus, & jure ante alios reſidendi, & cætera omnia, quę ante noſtrum imperium, vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur, habere in perpetuum firmiter regiæ urbis intuitu judicamus & ſancimus.* Ubi Baronius Acatium pio imperatori obrepſiſſe lubens perſuadeat, æſtuans quippe & quo ſe vertat neſcius. Et Simplicius ſanè tùm apud Leonem, tum apud Baſiliſcum ſæpius quiritatus fruſtrà fuit: Gelaſius igitur velificationem ſibi mutandam ratus, Primatui deinceps tutando non Nicænam Synodum, ut Leo, non antiquam conſuetudinem, ut cæteri, ampliùs urget: ſed unum illud, *Tu es Petrus,* amplectitur: Petrum Romæ aut ſediſſe aut præſediſſe, aut Petro Pontifices Romanos ſucceſsiſſe, ſi probandum illi incumberet, in quas anguſtias redigendus? *Non hoc,* inquit, *conſtitutionibus Synodicis, ſed voce Euangelij &c. Tu es Petrus:* Prædeceſſores igitur, Leo in primis, cur ad ravim uſque Decretum Nicænum deblaterant? Et hoc utique poſito, Conſtantinopolim Patriarchatus jure ſpoliandam putat. Rurſum: *Apoſtolicæ ſedi datum eſt, ut etiam ſine ullâ Synodo præcedente, & ſolvendi, quę Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit poteſtatem.* Quâ nempe ratione conſiſtorium ſuum ſuprà Synodos collocat: Item: *ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerunt, ab illâ autem nemo ſic appellare permiſſus.* *Si quidem de omni Eccleſiâ fas habeat judicandi, neque*

Ann. 472. Leo Imp. lib. 16. C. de Sacroſanctis Eccleſiis.

Baro. an. 472. art. 3. 4. 5.

Gelaſius in epiſt. ad Dardanos 11.

ne cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Ecclesia enim hæc, inquit, *sine rugâ & maculâ, &c.* Quid igitur, cum Anasthasius proximus ejus successor (ex prærogativis his quanta pericula Ecclesiæ creentur judicet Lector) eâ ipsâ hæresi infectus asseritur, quam Gelasius in Acatio oppugnabat? Acatianus ipse, ut Baronius hanc ei maculam abstergere frustra conêtur: Liber sanè Pontificalis disertè in ejus vitâ. *Eodem tempore multi Clerici & Presbyteri se â communione ipsius erexerunt, eo quod communicasset sine consilio Episcoporum vel Presbyterorum vel Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, diacono Thessalonicensi nomine Fotino, qui communicârat Acacio, & quia voluit occultè revocare Acacium, & non potuit, qui nutu divino percussus est:* Ex his igitur Gelasii axiomatis clarum, Pontificatus Romanus in Ecclesiasticam tyrannidem quàm præcipiti jam cursu ferretur. Ad Politicam quod attinet, sese adhuc utcumque cohibebat, quin & ut olim Caiphas prophetasse videatur, Thesim, quæ sequitur, nam nobis tradit: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidem figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actibus constituti, pariter Reges existerent, & Sacerdotes, quod Sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit Historia. Quod in suis quoque Diabolus imitatus est, utpote qui semper, quæ divino cultui convenirent, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit, ut pagani Imperatores, iidem & maximi Pontifices decerentur. Sed, cùm ad verum ventum est eundem Regem, atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex regale fastigium vendicavit. Quin Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnificâ temperavit: sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humanâ superbiâ rursus intercipi, ut & Christiani Imperatores pro æternâ vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo, minimè se negociis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, quod esset negotiis sæcularibus implicatus: ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus.* Hinc judicet Lector, successores huic legi num steterint, proinde, num non ipso judice Ethnicorum imitatores, *instinctu Diabolico perciti*, qui omnibus potestatibus politicis immineant, & insultent. Gregorii enim septimi Theses cum hac Gelasianâ, quantumvis Baronius & Bellarminus in eo laborent, quis conciliare unquam possit? Cæterùm, ex eo quod Gelasius nonnulla Honorati Episcopi Massiliensis scripta literis suis comprobat, quæ Gennadius simpliciter *Gelasio misisse* dicit, Baronius corollarium elicit: Ad Pontifices Romanos librorum approbationem, aut improbationem propriè pertinere: ut leviculâ quavis aurâ istorum hominum authoritas intumescit. Ergò, tot viri docti, qui ad Augustinum & Hieronymum scribunt, de suis scriptis sententiam dicturos, laturos, Papas illos faciebant, aut tot alios illi ipsi, quibus suos vicissim, communicabant? Quid, rogo, ineptius? Quid frivolum magis? Et hic jam quingentesimum annum attigimus.

Gelas. de Anath. vinculo.

Gennad. de Script. Ecclesiastic. c. 100. Baro. ann. 490. atric 43. 45. 46 vol. 6.

PROGRESSUS.

DEvastabant tum universam Italiam Septentrionales populi, qui in eam, quasi perrupto agere, exundabant. Quod ambitioni reprimendæ plus satis, ni plus quàm humana extitisset: Sed grassabatur illa perpetuò, aut obrepebat, & si minus in alios licebat, in sese saltem agebat: ut ad Episcopatum Romanum nemo jam nisi per vim, sordes, aut ambitum perveniat: in annos Pontificis inquirere, de ejus

successione ante obitum pacisci, suffragia numeratâ pecuniâ redimere, verbo, jure jurando, sigillo pacta illa contra bonos mores firmare, in legis vim transierit. Testis Romana ipsa Synodus sub Symmacho, Canone 2. & 3. Quæ frustrâ remedium adhibere conata. Et hinc cædes passim & seditiones, & strages: ut Imperatores authoritatem suam identidem adhibere sit necesse, barbaros adeò quo vocabant ipsos, factiones illas suas, quæque ex eis scelera, subinde coercere: Si solam ovium Christi curam sibi proposuissent, non aliud lucrum in eo munere captassent, tam acriter de eo dimicaturos quis sanus existimet? Et tamen, si Gratiani collectaneis fides, non pudet inter tot corruptelas Symmachum profari: *Petrus perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros: quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit, in quo si desunt bona acquisita, per meritum sufficiunt, quæ à loci decessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat.* Vidit hoc nostro sæculo Gregorius 13. & inter reformandum jus Canonicum ita probavit, ut Apostolicis etiam Decretis exæquet. Quantò potiori jure propediem dicturus Lector: Impios hæc sedes speciali prærogativa aut excipit aut facit? Imo quid jam ad Gratianum ipsum responsurus, qui de Anasthasio 2. prædecessore suo: quod cum Photino communicasset Acatij Hæresiarchæ sequaci, *nutu divino percussus est?* Quod & Bibliothecarius ipse in Pontificali.

Syn. Rom. sub Symmach. Ca. 2 & 3. D 40. C. Non nos Ennod. in Apolog. Symmac.

D. 19. C. Anasthas. 9. Anasthas. Bibl. in li. Pontif.

OPPOSITIO.

ODoacer igitur Rugiorum dux, regno Italiæ potitus anno circiter 472. ne per obitum Simplicij Episcopi Romani urbis status conturbetur, legem sancit, quam per Basilium Vicarium suum in ipso Vaticano frequentissimo Episcoporum cœtu promulgari curat. *Si Simplicium de hac luce exire contigerit, propter illum strepitum & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, sine nostrâ consultatione cujuslibet non celebretur Electio:* Odoacer inquam, quem & antiquitas & Baronius ipse Ecclesiam Catholicam in iis quæ ad sacra pertinent, Arianum licet, nunquam vexasse profitentur, tam moderatè potentiâ suâ & fœlicitate usum, ut à purpurâ, regalibus indumentis, atque à nomine Imperatoris annos 13. quos regnavit, abstinuisse Cassiodorus author sit: Barbarus sanè ille, sic enim vocitant, in die judicij contra fastum suum exsurrecturus. Et Sigonius quidem legem illam authore aut consultore Simplicio tulisse asserit: Sed cedo testes. Synodus sanè tertia Romana sub Symmacho refragatur: quæ disertè legem Odoacri vocat. Itaque sub annum 498. post Anasthasij secundi obitum, in successore eligendo, commodum accidit. Cum enim Anasthasius Orientis Imperator pecuniam in Clerum Romanum sparsisset, ut Episcopum rebus suis faventem obtineret, & pars una Symmachum, Laurentium altera elegisset, inque factiones populus scissus esset, visum tandem sapientioribus, ex hujus legis authoritate, judicio Theodorici Ostrogottorum Regis, in Italiâ tunc regnantis, rem totam permittere, qui Symmachum Laurentio prætulit: Is verò, inquit Sigonius, ut se ordinatum & in Episcopatu constitutum vidit, in Synodo illâ Romanâ tertiâ hanc ipsam legem abolevit: Et voluisse quidem nemini dubium, potuisse aut fecisse non item: sed Sigonius saltem testis nobis, quicquid statuerit, ad Benedictum usque secundum frustrà fuisse, quem, inquit, Constantinus Pogonatus anno circiter 684. eâ lege absolvit, quod & Onuphrius agnoscit. Quarto post anno recrudescente hoc vulnere & Laurentio Romam revocato,

Sigon. de Occident. Imperio. li. 15. & 16 Baro. vol. 6. an 476. art. 1. 2. Cassiodor. in Chron. Sigon. de Occident. imperio li. 15. & 16

Synod. Roman. 3. sub Symmacho. Ann. 498. Theodor. Collectan. lib 2. Sigon. lib. 16. pa. 273 Synodus Romana 3. sub Symmacho.

manus utrimque ventum: Quare Theodoricus factionum pertæsus utrumque pellit, inque eorum locum Petrum Altini Episcopum constituit. Hîc Paulus Diaconus & Nicephorus. *Ex utrisque partibus innumeræ strages & rapinę patratæ sunt, plerique ex Sacerdotali numero, multi etiam Clericorum, plures Civium Romanorum extincti*: Et Sabellicus, *ne virginibus quidem sacris parsum*, addit: Quod Ecclesiæ zelus illis vocabatur. Ennodius sanè, quidam horum temporum scriptor, turpiter adulabundus, eos, qui in hac cruentâ seditione in parte Symmachi occumbebant, Martyres nobis facit: *Sanguis effusus*, inquit, *albo curiæ cælestis illos adscripsit*. Et Baronius assentitur an assentatur: quin & Magni Dionysij Alexandrini verbis comprobatum vult: sed advertat hîc Lector hominis fidem, Novato schismatico scribebat Dionysius, qui ad Episcopatum se vi adactum credi volebat: *Oportuerat omnia incommoda potiùs subjisse, quàm Ecclesiæ Dei discidisse concordiam. Atque illud martyrium, quod quis perpetitur, ne dirimatur Ecclesiæ consensio, non minus certum, sed multo plus habet commendationis, quàm illud quod suscipitur, ne idolis omninò immoletur*. Nempe, si occidi, quàm in schismate eligi, satiùs duxisses: Ergóne, qui in periculum se conjicit, qui mortem oppetit, non jam ne Episcopus fiat, sed ut gravis ratione eò evadat, qui eo animo aut se aut alios accingit, ad arma ciet, in tam dissimili causâ, eodem jure, eodem honore potietur? Addamus hic quartam Synodum Romanam sub eodem Symmacho, cui Italiæ Episcopi maximam partem interfuerunt, à Theodorico indictam. Et Episcopi quidem in principio admonent, jus convocandi ad Episcopum Romanum pertinere, sed Theodoricus ipsum Symmachi Epistolam profert, quâ eum rogabat, Synodum indiceret, & Symmachus in ipsâ Synodo de indictâ ei gratias agit.

Paulus Diaconus lib. 15.

Sabellicus Enn. 8. li. 2.

Ennod. in Epist. ad Faust.

Euseb. li. 6. cap. 37.

Ann. 501.

Hîc Baronius frontem commasculat: *Cum satis sciret Theodoricus*, inquit, *haud suarum esse partium, Orthodoxos Antistites ad Synodum convocare, more majorum, authoritate in primis ipsius Symmachi Papę id perficiendum curavit. Hæc quidem ita se habuisse sequentis anni Concilij edita Acta significant*. Inde verò in exclamationem, suo more, erumpit. *Res planè digna memoriâ, cum Barbarus Gottus, alienigena, hæreticus, Arianus princeps, licet importunis Schismaticorum studijs, reveretur tamen culmen Apostolicæ sedis*. Lector quid jam dixeris, si tota hæc actio, si Acta ipsa contrarium evincunt? Anno igitur præcedente interpellatus ab adversâ parte Theodoricus Petrum Altini Episcopum Romam delegaverat, qui, Visitatoris partes agens, de criminibus Symmacho impositis quæstionem haberet. Credidisse proindè quis existimet, quod Ennodius Symmachi Diaconus in suâ defensione: *Episcopos Romanos cœlo tantùm rationem reddere*: Censet demùm Theodoricus hanc causam, propter tranquillitatem publicam, in Synodo judicandam esse, quæ anno sequenti Romæ habetur. Quid igitur Synodus ipsa? *Sancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto gloriosissimi regis Theodorici diversis è regionibus congregata*. Item, *Cum diversis provincijs ad urbem Romam convenire Sacerdotes regia præcepisset authoritas*: nimirum quia Metropolitani in Metropolitanum nulla sit potestas, ubi ex diversis provincijs conflabatur Synodus, authoritate regiâ erat opus; Et verò huc conveniebant Ligures, Æmiliani, Veneti, Episcopi Romani causam judicaturi. Objicit Baronius, ex Actis constare, nonnullos Episcopos, ad Symmachum id juris pertinêre, contestatos; Prosequere igitur, & quid definitum vide. *Sed*, inquit, *potentissimus princeps, ipsum quoque Papam in colligendâ Synodo, voluntatem suam literis demonstrasse, significavit*. Et porrò quam? Sanè, ut Synodus à Theodorico convocaretur, cujus nomine; *Clementissimo Principi gratias agit*:

Ennod. in Apolog. in 1. vol. Concil.

Synodus Romana 4. Palmaria dicta.

agit: Innocentiam utique suam defendendi qui occasionem sibi tribuerit: Sequitur: *Decernere tamen aliquid Synodus sine regiâ notitiâ non præsumpsit.* Et, *jussus est regis præceptionibus Papa Symmachus cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere*: Coram Patribus hujus Synodi, qui quidem principis in hac causa Commissarij: *Non enim*, inquit, *quasi novam Causam audientiæ commisisset*, S pro convicto habuisset. Rursum, *Dum inter ista, quæ essent facienda, tractabatur, præfatus Papa, ut causam diceret, occurrebat.* Et interfatus, quàm gravia ab adversariis perpessus esset: *Nos rursum*, inquiunt Patres, *ad justitiam contulimus principalem. Ad hæc serenißimus rex taliter respondit, in Synodali esse arbitrio in tanto negocio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negocijs pertinere, committens etiam potestati Pontificum ut sive propositum vellent audire negocium, sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodo venerandi provisione Concilij pax in Civitate Romanâ Christianis omnibus redderetur.* Hîc igitur an non authoritatem suam integram tuetur? & si quam pro suâ prudentiâ & modestiâ Synodo impertitur, num idcirco Episcopus Romanus sibi asserat? Denique, *de mandato Principis*, ut Acta ipsa loquuntur, rem gerentes? Ecclesiæ tranquillitati consulturi, perplexum hoc & caliginosum negotium arbitrio boni viri, quàm juris rigore definire, palliare potius, quàm penetrare malunt: Populum pro Episcopo Symmachum agnoscere jubent, & quæ hominum testimonio abundè probári non poterant, divino judicio committunt. Advertat verò Lector: *Secundum Principalia præcepta, quæ nostræ hoc tribuunt potestati, ei quicquid Ecclesiastici, intra sacram urbem Romam, vel foris juris est, reformamus.* Num proinde totius Orbis Episcopum eum ipso jure censent? En tibi igitur quâ fide hanc Synodum Symmachi authoritate à Theodorico convocatam dicebat Baronius. Eccui verò mirum, cùm eodem tempore Agathensem in Septimaniâ Orthodoxorum Synodum, Alarici Gotthorum Regis, & quidem Ariani authoritate convocatam legamus? Quod in Actorum exordio ipsi profitentur Patres. *Cum in Dei nomine, ex permissu regis, in Agathensem civitatem sancta Synodus convenisset*: Quamobrem & preces ad Deum pro prosperis ejus successibus fundi jubent. Cùm paucis post annis, & eodem sedente Symmacho Aurelianensem primam habeamus: De quâ Hincmarus in vit â sancti Remigij: *Per consilium beati Remigij in Aurelianâ civitate Episcoporum Synodum convocavit, in quo conventu multa utilia constituta fuere*: Patres imò ipsi in Synodicâ ad Clodoveum: *Omnes Sacerdotes, quos ad Concilium venire jussistis, & de rebus necessarijs tractaturos colligi jusseritis. Quæ* ut suo etiam *judicio rectæ comprobentur* postulant: Quamquam sanè in suo diplomate pari eos reverentiâ ac ipsum Romanum Episcopum affatur: *Dominis sanctis & Apostolicâ sede dignißimis Episcopis Clodoveus Rex.* Et inferius; *Orate pro me Domini sancti, & Apostolicâ sede Papæ dignißimi*: Bonus ille Clodoveus noster, à sancto Remigio licet institutus, Apostolicam sedem non alibi quàm Romæ esse, nondum didicerat; Et hæc prolixiùs paulò, ne vim veritati factam impunè ferat.

Ann. 506.

Acta Concilii Agathensis. Anno 512.

Acta Concilii Aurelianens. primi in 1. Tom. Conc.

PROGRESSUS.

JAm, in hoc sæculo, quo 500. à Christo anni clauduntur, complures sese occasiones offerunt, quæ Episcopis Romanis rei benè gerendæ facilitatem præbe-

eant: Imperatorum absentiâ Constantinopoli plerúmque degentium, qui, ut fidem apud Romanos retinerent, lubenter Episcopis Romanis gratificabantur, & eo impensius, quòd ipsi Cæsarum absentiâ ad suam ambitionem gnaviter abuterentur: Septentrionalium quoque populorum appulsus an affluxus, quorum duces sese mutuo supplantabant, expellebant; & ut in Italiâ pedem fortius figere possent, eorum gratiam omnibus adulationib. demerebantur: Hæreseωn subinde pullulantium seges, quarum proceres, modò in Africâ, modò in Oriente profligati, damnati, ut juri sese subducerent, Romanorum Pontificum Primatu abutebantur, seu appellationis specie, seu retractationis spe, ad eos confugientes: Addamus, omnes toto orbe amicitiam primæ sedis Episcopi indubiè exambiisse, cujus domicilium urbs primaria, Orbis Epitome, in gravioribus rebus consilii olim origo & fons. Nec advertunt plerique suas pedetentim consultationes pro supplicationibus haberi, consilium in merum Imperium, arbitrium in judicium, in rem judicatam, transire, degenerare. Cæterùm, quia doctrinæ labes disciplinæ corruptelam consequi solet, eodem sæculo invocatio & adoratio sanctorũ & Martyrum propagatur: Deorum illi in locum jam subeunt, Ethnicorum pampini Christi vineam tantum non obumbrant & suffocant, pauci admodum destringunt, grassanti superstitioni obnituntur.

OPPOSITIO.

EPiscopo interim Romano extra limites evaganti non deerat subinde aliquis, qui frænum injiceret, quod nobis probatu facilius, si bonorum intercessiones, & usurpationes pravorum Ecclesiæ ministrorum, pari fide, & dilligentiâ conscriptæ fuissent. At saltem vidimus, ut Leo in ordinem coactus fuerit, nequicquam rugiens: & ex Symmachi Epistolâ discimus, in Illyrico, Dardaniâ, Daciâ, quàm ipse malè habitus, & Romæ à Clero suo apud Theodoricum criminis accersitus, ut ei non succurrat illud hodie tantopere decantatum: *Quis ei dicat, cur hoc facis?* Et porrò prædecessor ejus Anasthasius secundus Galliæ & Germaniæ Episcopos suis mandatis non ita obsequentes offenderat, qui Clodoveo nostro regnante, insigni illâ Epistolâ eum compellent, cujus præcipuas sententias hîc inserere non pigeat. *Non putativè sed veraciter affirmant Episcopi, ex multis authoritatibus dicentes, majorem esse authoritatem Conciliorum, quàm unius Papæ Anasthasij. Paulus Apostolus, qui clamat, imitatores estote mei, in faciem restitit Apostolorum principi Petro, quia reprehensibilis erat, &c. Scandali enim seminarium est, dum Episcopi super Episcopos procellas excitant in sanctâ Ecclesiâ, ubi summa pax esse debet, &c. Præterea, intellectus noster refugit novitatem compassionis, quâ utuntur erga infirmitatem Francię, medici Italiæ. Continuis febribus agitantur, qui curare nostros Episcopos volunt: Cæci sunt, qui lumen eis promittunt? Gibberosos & obtortos nostros esse putant, qui habentes strumam avaritiæ, angustam portam non intrant: Oves suas errare permittunt, & pastores nostros ad viam veritatis revocant: cum spiritualium morborum medicinam, hoc est, absolutionem animarum Romæ esse asserunt, &c. Quòd si cauterium suum adhuc adversus nostros movere disponunt, Gallicam in sese veritatem sentient, quam sine causâ in se provocant, &c. Si autem amplius affirmaverint Episcopos Galliæ spiritualiter ægrotare, sciant igitur Dominicum præceptum, juxta illud, infirmum visitate. Non enim currere debet ægrotus ad medicum, sed medicus ad ægrotum. Quod si renuunt, sciant nos habere perfectum, & optimum, & Euangelicum antidotum Filij Dei, quo à nobis penitus repelluntur*

Symmach. Epist. ad Presbyt. Illyrici, Dardaniæ, Daciæ.

Epist. Episcop. Gall. & Germanorum ad Anasthas. 2. in Collectaneis Aventini.

spirituales molestiæ, id est, nobis pharmacis suis nihil opus. *Monendi sunt Episcopi, ne damnent occultas conscientias nostrorum Episcoporum, & ne prætendant illis, quasi per zelum nimiæ justitiæ, insidias Regij judicij, ne compellantur Euangelicè respondere: Qui sine peccato est de Episcopis Italiæ, primus lapidem mittat. Hoc ideò dicimus, ne per duritiem suæ mentis, authoritatem, quam suam esse putant, in Episcopis nostris feriant, quia non est impossibile ictum præjudicii sui in eos resilire: maximè cum nostri nunquam didicerint, plusquam necesse est, formidare. Fateamur hodiè tamen ante Christum, qui liberavit socrum Petri de febribus, quià consolatores onerosi sunt Episcopi Italiæ, quos Iohannes à Pathmo insulâ re vera à numero electorum vidit, dum inter cætera dicit: Misit Draconem, & traxit tertiam partem stellarum, &c. Fama enim, hoc est, odor malæ famæ exit in fines orbis terræ eorum. Qui habitant ultra montem Iovis*, qui se Deos faciunt, *sagittas mittunt ultra lapidem salutis, quod non sint plantati in domo Domini, secundum ordinem Melchisedech:* Legitimam vocationem non habeant. *Etiamsi*, ajunt, *inclinata esset Arca testamenti nostri, calcitrantibus tauris Galliæ, nostrorum Episcoporum esset, & non illorum, inclinatam relevare. Quod si in Arcam Ecclesię nostræ sollicitâ linguâ crimen intendebant, ruinam interius, cum Oza Levita, habere poterunt.* Nempe qui præter vocationem in Arcam, sustentandi animo, manum non impunè injecerat. Tandem, *Dialecticum hunc Syllogismum vigilanter intelligant: Si omnibus Episcopis una inest potestas, est & uni, est autem omnibus una potestas, Igitur & uni:* Et en tibi Lector de Episcopis Romanis nostrorum Episcoporum sub id temporis judicium.

PROGRESSUS.

Anno 518. SUccedit Symmacho Hormisdas: nec iste segnis in Occidente, si Epistolis ejus fides. Vicarios in diversis provinciis constituit, Avitum Viennensem in Galliâ Narbonensi, Iohannem Tarraconensem in Hispaniâ cis Bætim, trans Bætim Sallustium Hispalensem: Nempe, ut sese suprà fratres extollerent, hunc titulum ab eo lubenter accipiebant: Ille verò ut eorum cupiditati adblandiebatur, ita & suę, eadem ratione, indulgebat. In Oriente non secùs, componendarum in religione controversiarum, & Synodi Chalcedonensis constabiliendæ prætextu, Legatos ad Imperatorem Anasthasium mittit, qui adversam partem tuebatur: Liber Pontificalis *id Theodorici consilio* factum scribit, *permissu* dicere noluit: quanquam, ejus suggestu compulsum Theodoricum, convenientius fuerat: Interim, ut zelum suum erga hanc Synodum ostentet, à Decreto illo præcipuo, quo Episcoporum fines regebantur, apertè recedit: quando se nihil præter Synodum Nicænam agnoscere, in aliâ licet causâ, protestatur: ne in Canonem Constantinopolitanum, & Chalcedonensem, tanquam in laqueum sese induat: quibus veteris & novæ Romæ privilegia coæquabantur: Nec injucundum observare, in Legatorum mandatis, ut omnes eis gressus admetiatur, omnia verba minutim præscribat, ne in observatione omnium, quæ ad suam authoritatem pertinere volunt, quidquam incautiùs omittant. Ipsi etiam in iis, quæ in itinere contigerunt, aut legatione gesta sunt, recensendis quàm accurati, scrupulosi, quibus honoribus ubique excepti, quàm sedulò describant, non nutum, non gestum, non reverentiam ullam, ut loquuntur, in Registris nempe conservanda, negligant, instrumenti instar olim haud dubiè & posteris & in posteros futura, ut de cætero continuentur, exemplo sint, legis vim obtineant. Nec perpetuò tamen illis ex voto succedebant omnia, Im-

Can. si illo qui D.50.

pe-

peratores licet Orientis, ut in Occidente aliquam authoritatem retinerent, in eorum gratiam quidvis aut facerent aut paterentur.

OPPOSITIO.

HI igitur legati Constantinopoli multis honoribus ab Imperatore Anasthasio cumulati, religionem potius imperare, quàm de eâ conferre soliti, in Patriarcham Iohannem secundum Basilidem incidunt, qui jurisdictionem alienam invadentibus sese gnaviter opponit: *Scio*, inquit, *Augustorum esse, non Pontificis, imperare, aut si quid foret, in quo hunc, cui divina curæ sunt, jubere oporteat, me eum esse, à quo alij multo melius jussa expectent, quàm sua proponant exequenda.* Addit liber Pontificalis, Anasthasium (hac utique insolentiâ offensum) Legatos ablegasse & navi periculosæ imposuisse, cum aliquot Centurionibus, quibus mandatum, ne ullam urbem eos ingredi paterentur: Sic itaque in hoc negotio utrimque peccabatur. Succedit Iustinus, omnium consensu Orthodoxus, qui in eadem causâ Synodum Constantinopoli cogit, cujus in Actis notare operæpretium, nequicquam obstantibus frigidis Baronij conjecturis, Episcopum Constantinopolitanum, quasi per Romani contemptum, perpetuò Oecumenicum Patriarcham nuncupari, tantùm abest, ut Orientis Episcopi eam authoritatem Romano elargirentur. Et tamen Baronius, regnante Iustino, multùm jurisdictioni Episcopi Romani accrevisse lubens persuadeat: Orientis, inquit, Episcopi, probè scientes, nisi Romani Pontificis consensus accederet, se frustrà laborare, cum eo agunt: Imperator Iustinus legationem ad eum decernit, Synodus etiam & Patriarcha per literas rogant, Legatos de communi pace mittat, quibus fidem suam Orthodoxam approbent, quo deinceps communionem invicem habeant. Ergò ne hanc ex charitate præventionem hominij præstationem interpretabitur? Et hoccine quæstionem definit? Num Episcopus Romanus ibi superior, cum ipsi ad Synodum eum invitent? non ille convocet? Cùm Patriarcha Constantinopolitanus *Sanctissimum Fratrem, & comministrum* compellet? Hormisdas ipse non alio titulo apud Patriarcham utatur? *Hormisdas Episcopus Iohanni Episcopo Constantinopolitano.* Secundò, Iustinus Imperator proceres aulæ mittit illis obviam. Et reverentiâ à pio Principe exhibitâ, servitutem induxerit? Et miser nescio quis Episcopus de Lignido Hormisdæ literas inscribit, *adorando Apostolico patri*: quidam alius de Prevali in Epiro, *Patri Patrum meritis Angelis coæquando.* Ubi Baronius, vides quam reverentiam Orientis Episcopi Romano exhiberent. Ex his igitur ineptijs, imò impietatibus, jus orietur nobis, an potius ex Synodi Actis? Hormisdas certè Legatis suis libellum quendam tradiderat, quo, quid ab Orientis Episcopis subscribendum esset, continebatur, antequam in mutuam communionem coirent: & Imperator Iustinus, cui pax Ecclesiæ cordi, ne aliquâ contentione obturbaretur, quia Orthodoxæ fidei adversari non videbat, à suis subscribi satagebat. Libellus ille quamvis authoris ambitionem in fronte præferret, *Tu es Petrus*, & quicquid importunè inde colligunt, *sequentes in omnibus sedem Apostolicam, prædicamus omnia quæ ab ipsa decreta sunt*, quas quidem clausulas Constantinopolitanus Episcopus ut non secus ac scopulum divitaret, vehementer contendebat: sat futurum, si per Epistolam rectam suam fidem testificarentur. Eò igitur res redijt, præambulum ad Hormisdam præfixum iri, Epistolæ instar, quod videlicet illis pro antidoto futurum. Inscriptio pro more, *Beatissimo fratri & comministro*: Hæc cùm supremâ illâ pote-

Sabellic. Ennead. 8. lib. 2.

Liber Pontificalis in Hormisda.

Baro. ann. 518. art. 7.

poteſtate, quam ex illo ſuo, *Tu es Petrus*, perperam eliciunt, quæque Libello ſuo pro frontiſpicio malè quadrabat. Ad id verò, quod ſedem Romanam tantopere extollebat: *Pro unâ*, inquit, *eadémque habeo utraſque Eccleſias tam ſenioris, quam novæ Romæ*, ubi pro *ſenioris* Romæ, *ſuperioris*, abbreviatione ſcienter corruptâ, legunt; ſuperiorem enim Romam quis unquam vel per ſomnium legit? Cum παλαιὰ, πρεσβυτέρα καὶ Νέα ῥώμη ſenior aut nova Roma paſsim occurrant. Et Libelli porrò tenor ſequitur. Tertiò: Peracto negotio ſcribunt Iuſtinus Imperator, & Patriarcha Iohannes ad Hormiſdam: & Imperator quidem, *Hormiſdæ Archiepiſcopo & Patriarchę*: Unde Iſidorus fortè in Chronico, Hormiſdam id tituli à Iuſtino primùm accepiſſe, ſcribit: Iohannes pro more, *Fratri & comminiſtro*, qui eum ſtudioſè monitum vult, pacem hanc orbis pietati & virtuti Imperatoris acceptam ferri debere, ne ſibi aut ſuis hanc laudem tribuat, & ſubindè repetit, Eccleſias ſuas unam eſſe: alteram alteri ſubordinari minimè paſſurus: *Sicut oportet dicere & olim ſcripſi, utraſque Eccleſias tam Senioris, quàm novæ Romæ*, (ex hoc loco ſuperior emendetur) *unam eſſe evidenter intelligens, & utriuſque earum unâm ſedem eſſe rectè definiens, indiviſibilem adunationem, & utriuſque noſtrûm conſonam confirmationem cum judicij integritate cognoſco.* Hoccine eſt, ſuam ſedem Romanæ ſubjicere, an potius exæquare? Quod enim comes Iuſtinianus primum Archipontificem vocat, id eſt, Baronio ipſo interprete, *primum Archiepiſcopum*, primam ſedem, non ſuperiorem deſignat. Et quod Pompejus *Archiepiſcopo Eccleſiæ univerſalis* literas inſcribit, Baronij cauſam non roborat, ut inde *univerſalis* habeatur: Græcè enim ſcribebat τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, quo titulo Baſilium, Athanaſium, & plures alios Epiſcopos inſignitos ſupra legimus: quatenus, inquit Cyprianus, Eccleſia una, cujus portionem ſinguli Epiſcopi in ſolidum regunt: & Romanus quidem eo tempore non exiguam. Adde, quod inferiùs videbitur, Agapetum Papam Mennam Conſtantinopolitanum in univerſalem Epiſcopum conſecraſſe, quem ipſi in Papam ordinatum nolint. Et ſanè Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus, quamquam minimè Patriarcha, Epiſcopum Romanum *Patrem & comminiſtrum vocat.* Quartò, Ab effectis certiſsimum judicium: Theſſalonicæ unus ex Hormiſdæ Legatis magnis contumelijs affectus fuerat: & Dorotheus iſte, qui eos antè maximo plauſu exceperat, hujus facinoris accuſatur, unde Hormiſdas Legatis mandat, apud Imperatorem graviter expoſtulent, ut Epiſcopatu privatus in Oaſim aliquam aut relegetur, aut cum idoneo comitatu Romam tranſferatur. Ariſtides verò quidam, ejuſdem criminis inſimulatus, in Dorothei locum ne ſufficiatur. Reſpondet Imperator, *Cauſam non eſſe pro quâ Romam delegarentur audiendi, ubi ſine accuſatorum controverſiâ ſeſe poſsint liberius excuſare.* Dorotheus autem re cognitâ per aliquot dies Heracleam amandatus, mox Theſſalonicæ reſtituitur. Hæc actio ab illâ plenitudine poteſtatis quantum abeſt? quæ tamen ex ipſis Legatorum ad Hormiſdam literis deſumpta. Hîc Baronius, *Potuit ne ſub clementiſsimi & veri amantiſsimi Principis miniſtris in re adeò nefariâ, cunctis notâ, ab omnibus deploratâ Catholicis, & declamatâ fidelibus, locum invenire ſubreptio & ad judicum corruptelam viam ſibi facere aurum? Potuit ne ſub eo, qui à juſtitiâ nomen accepit, juſtitiâ obrui auro? aureiſque compedibus vincta detrudi in barathrum veritas?* Iohannes enim Legatus, à Theſſalonicenſibus adeò contumelioſè acceptus, hanc cauſam aſſignat. Sed habet Baronius unde iram mitiget, cùm de fidei quæſtionibus Iuſtinus paulò poſt Hormiſdam conſulit: Id enim jam urget, quo quid frequentius? Et quid inde colligat? Ex illâ etiam Iuſtini ſententiâ in Epiſtolâ ad Hormiſdam, quam majuſculis literis exaratam profert, *Hoc credimus*

Iſidor. in Chron.

Baro. ann. 519. artic. 104. To. 7.

us esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum. Istis hominibus vel tantillum honoris deferre quàm periculosum: Et hoc porrò honestatis vocabulum Actis illis omnibus anteponendum? Nec interim sine mysterio sententiam hanc, addito &c. abrumpit, qui alias Epistolas integras tam liberaliter interserat, unde in subsequentibus destrui, quod extructum volebat, suspicio non desit. Maximè cùm has Epistolas è Vaticano producat, quarum plerǫque nondum viderint lucem. Quintò: Denique Possessor, inquit, Episcopus Africanus, quem in Pauli Epistolas scripserat commentarium Hormisdæ mittit, & se responsi nihil accepisse conqueritur, & in hoc magnum robur constituit. *Quod sciret*, inquit, *eas tantùm recipi ab Ecclesiâ Catholicâ interpretationes divinæ Scripturæ, quas Apostolicæ sedis judicium comprobasset.* Cyprianum igitur, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, Romanos Episcopos librorum suorum judices fecisse, num usquam inveniat? Quibus, quid agendum, cum Marcellinus idolis sacrificabat, Liberius Ario adstipulabatur, plures alij in hæresim delapsi? Et his igitur ineptijs nos Baronius infantum instar ludificandos putat?

Baro. vol. 7. ann. 519. art. 98.

Baro. To. 7. an. 520. art. 11. 13. 14.

PROGRESSUS.

ANno circiter 524. cum Iustinus Imperator Arianis, quas Constantinopoli insidebant, Ecclesias abstulisset, Theodoricus Italiæ Rex, professione Arianus, vehementer indignatus, Iohannem primum Romanæ urbis Episcopum ad eum Legatum mittit, (& illi hodie Reges ipsos delegarent) cui & nonnullos ex Senatu Romano adjungit. Scopus Legationis, Ecclesias illas restitueret, sin minus, Catholicos id totâ Italia luituros: Liber Pontificalis author: Quod bis repetit: ut Baronius excusare velit: Nicephorus verò Iohannem Episcopum Romanum ad parem sedem invitatum, ita ut Epiphanius Constantinopolitanus ei asideret (neque enim primam sedem controvertebat,) non quievisse, donec *suprà Epiphanium collocaretur*, nempe in eminentiori loco, *in solio*, in eam rem fortè parato, quod Theodorici nomine legatione fungeretur. Marcellinus Comes, *Dextero Ecclesiæ assedit solio*, & sinistrum tamen Baronius multis locis honoratius esse contendit. At liber Pontificalis superbiùs. *Iustinus Imperator dans honorem Deo humilitavit se pronus & adoravit beatissimum Papam Iohannem.*

Ann. 524.

Liber Pontifical. in Iohan. 1. Nicepho. li. 17. ca. 9.

OPPOSITIO.

VErùm Theodoricus, Arianus licet, ab insigni moderatione commendatus, seu superbiam illam ferre impatiens, seu tanto honore à Iustino inebriatum arbitratus, redeuntem Ravennæ in carcere asservari jussit, ubi vitam finivit. Et hinc cautiores redditi in aliquod tempus successores. Sparsum interim inter vulgus, Theodorici animam, inter Iohannem illum, & Patricium Symmachum, quem capite truncarat, in Liparam insulam à nescio quo abduci visam, in Vulcani ollam conjiciendam. Sæculum enim jam ingredimur, in quo ejusmodi fabulis populum pascere solenne. Cum è contra Iohannem hunc Martyrem faciant, & in Catalogum Sanctorum referant, in carcerem ajunt detrusum, quod, contra quam Legatio poscebat, *Ecclesias Arianas in Christianas consecrasset.* Certè Anasthasius Bibliothecarius nil tale habet, quin & contrarium asserit: Et Gregorius Turonensis in libro de gloriâ Matyrum implicatiùs quàm ut fidem mereatur. Ut verisi-

Paulus Diaconus lib. 15.

Anasthas. in Iohan. 1. Gregorius Turonens. de gloriâ Martyrum cap. 40.

verisimilius sit Majestatis postulatũ, non secus ac eodem tempore Boetius & Symmachus, quòd in Imperatoris gratiam Gottorum jugum excutere voluissent, quem ex facto Johannes Constantinopoli coronaverat, à Patriarcha licet jam consecratum: Quod in Legato ut affectatum nimis, ità & suspicioni apud delegantem obnoxium. Hinc etiam Theodoricus in electionem Pontificum omnia per vim & ambitum fieri animadvertens, authoritate suâ utendum ratus, inter Orthodoxos elegit, qui probitatis commendatione in Clero præpollebat, Felicem quartum, de cujus ordinatione, hoc ipso anno Athalaricus Theodorici avi successor Senatui Romano, qui eum gratanter receperat, per literas gratulatur. *Recepistis virum, & divinâ gratiâ probabiliter institutum, & regali examine laudatum.* Nec immeritò quidem, cùm Baronius ipse ex hac Epistolâ testatum faciat, *toto quinquagintà & octo dierum interstitio cessantis sedis altercatum*, ut, ni Theodorici prudentia antevertisset, cruentum illud Symmachi & Laurentij Schisma jam renovandum videretur. Et is tamen Theodorico parcere non potest, quique ei nuper moderatus Princeps, jam tyrannus audit, jam plus quàm Barbarus. Et, *vidisti*, inquit, *Lector, quinam author fuerit redigendi sub servitutem Romanam Ecclesiam, ut electioni vel nominationi Pontificis Romani immiscerent se Reges, sævus, Barbarus, dirus, Tyrannus, impius, Arianus.* At meminisse illum oportuit Odoacrum, ut easdem turbas evitaret, eandem legem sanxisse pridem, quod in alijs diœcesibus ab illis non tentatum, in quibus non idem morbus, non eadem rerum perturbatio. Quin Athalaricus, licet Arianus, Orthodoxorum ipsorum rogatu, Simoniam Romanam reprimat necesse est: Athalaricus utique, quem, sibi minus æquum, non est quod opponant, quandoquidem ad Cleri Romani supplicationem Valentiniani secundi legem relaxat, qui in causis tum civilibus, tum criminalibus Clericos non minus, quam alias quasvis personas seculari jurisdictioni subjecerat. Nunc verò in eorum gratiam statuit, ut, *si quispiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in qualibet causâ probali crediderit actione pulsandum, ad beatißimi Papæ judicium prius conveniat audiendus, & si fortè competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad secularia fora jurgaturus occurrat.* Et de his suo loco inferiùs. Nec eo minùs cogitur Imperator Iustinianus eodem tempore, ut ruentem in pejus Ecclesiam quasi sufflaminet, ejus gubernationi sese immiscere: Baronius & sui similes hìc disrumpantur licet, quando Episcoporum ambitionem in aulam itantium repressurus, lege in eam rem latâ, quæ Epiphanio Constantinopolitano inscribitur, disertè cavet: Ne quis Episcopus absque ejus expresso mandato, quocumque prætextu, Ecclesiâ suâ derelictâ, Constantinopolim, id est, aulam accedat. Idque non tantum indignationis suæ pœnam subiturus, sed etiam excommunicatione plectendus: si Metropolitanus ab Episcopo Constantinopolitano, sin simpliciter Episcopus à suo Metropolitano mulctandus. Ulcus sanè Gangrenæ proximum esse oportuit, quod tam atroci cauterio opus haberet. Quando & aliâ lege Atarbio Præfecto Prætorij mandat, Episcopatu vacante, cives tres rectæ fidei & honestæ vitæ homines eligant, è quibus unus in Episcopatum assumatur, nempè ab ipso Imperatore: & multas circumstantias addit, quę eò pertinent: Interdicit porrò: *Ne quis Episcopus, aut Visitator, aut Presbyter, aut alius cujuscumq; dignitatis Clericus, per largitionem ordinetur: Sed nec Oeconomus, nec Ecclesiasticus, nec Xenodochus, nec Nosocomus, nec Orphanotrophus, per talem fiat largitionem, sed per judiciũ, & probationem eorum, qui in illis locis sunt: Si verò*, inquit, *quis inventus fuerit occasione prædictarum ordinationum aliquid dedisse, vel accepisse, sive Episcopus sit, sive Clericus, &* cum

Ann. 525.

Athalarici Epist. ad Senat. Roman. apud Cassiod. li. 8. Epist. 15 Baron. To. 7. ann. 526. art. 24. & seq. Ibid. art. 25.

Athalaric. apud Cassiod. l. 8. c. 24. Idem lib. 9. Epist. 15

Ann. 528.

L. 41. C. de Episcop & Clericis.

L. 42. C. de Episcop. & Clericis.

...m qui præbuit, & eum qui accepit, extrà Sacerdotium & Clerum fieri jubemus. Has leges ...consimiles unde ortas existimes, nisi ex ambitu, alias non reprimendo: ex cor...ptelâ, quæ jam invaserat, in omnia Ecclesiæ munia grassabatur; Quando denique ...let ipse, segnescentibus Episcopis, Sacrum Ecclesię Officium, ipsam Sacramen...um administrationem reformare, sub pœnis temporalibus & Spiritualibus, lege ...r universum orbem valiturâ statuere? *Sacra uti linguâ populo notâ celebrentur*; ver... adeo præcisis, ut pro suo jure ipsum agere, emendicato nec uti nec egere, ne... non intelligat. Et hæc denique lex Romam usque pertinebat.

PROGRESSUS.

...Ub annum 530. Felice Iohannis successore vitâ functo, rursus in Urbe tumul...tus, dum alij Bonifacium, alij Dioscorum poscunt. Sed Dioscoro post o...decim dies mortuo vacuam demum possessionem adit Bonifacius secundus, ...i similibus incommodis ansam præcisurus Synodum habet, ibiq; legem obtinet, ...â sibi ipsi successorem optare fas, indeque Vigilium Diaconum designat. ..., ut eum successionis avidiorem sentit, aliam, mutato consilio, convocat, ...quâ & reum illum majestatis peragit, & Chirographum comburit, ut electi...i Romanorum Pontificum Spiritum Sanctum præfuisse haud tibi ambiguum ...t. Interim in Epistolâ ad Eulalium jactabundus authoritatem *se à Petro acce...pse asserit, quâ Ecclesiæ universali subveniat.* Etenim superioritatem, ut loquun...r, inter Pastores necessariam esse, non secus ac *suprà Angelos sunt Archangeli*: Et ...emplum quidem utcunque militet, ut suprà Episcopos sint Archiepiscopi: ...erùm, ni se Deo ipse æquiparet, Papam inter Angelos ubinam inveniet? De...ùm, in vim hujus authoritatis, Legatorum suorum interventu, Ecclesiam Car...aginensem in Ecclesiæ communionem se revocasse profatur, nempe, quam ...ajores sui anathemate percussissent: Quod Patres 227. in Synodo Carthaginensi ...xtâ, uti suprà vidimus, & Legatum à latere, & appellationes transmarinas eju...ent, utpote qui Dei gratiâ, & Sancti Spiritus ope, causis suis in ipsis partibus ...dicandis & terminandis, satis essent: Namque, inquit, *Aurelius olim Episco...s Carthaginensis* (Is Synodo præsidebat) *cum Collegis suis*, tot tantisque Episco...s, Augustino adeò ipso, *instigante Diabolo superbire temporibus prædecessorum nostro...m Bonifacij atque Cęlestini contra Romanam Ecclesiam cœpit: sed modo se videns pec...tis Aurelij Eulalius à Romanæ Ecclesiæ communione segregatum, humilians recogno...t se, pacem & communionem Romanæ Ecclesiæ petens, subscribendo unâ cum Colle...s suis, damnavit Apostolicâ authoritate omnes Scripturas, quæ adversus Romanæ Ec...siæ privilegia factæ quoquo ingenio fuerunt.* Miser hic Eulalius 100. post annis, ...portunis Romanorum Episcoporum querelis eò fortè redactus, qui in avi...e constantiæ hæredes lamentabili Africanarum Ecclesiarum statu procaciter ...utebantur: quas devastarant Vandali, discerpserant Ariani, ut cervicem at...ollere vix daretur. Bellarminus, qui inter Episcopum Romanum & Africanos ...ontroversiam non magni adeo momenti fuisse contendit, respondeat hîc nobis, ...um levis illa, cujus occasione anathemate à Romanis percellerentur: sin levis ...suo saltem judicio) tot Populi, tot celebres Episcopi, Augustinus adeò ipse, huic ...nathemati immortui, quâ conscientiâ excommunicati: Ni fortè in calamitatis ...umulum, quos Pelagianorum hæresis, Donatistarum schisma, Barbarorum di...uvies tot jam annos divexarat. Ad Baroniũ vero, qui, ut excommunicati Augustini cul-

Ann. 530. Liber Pōt. in Bonif.

Bonifac. 2. in Epist. ad Eulal. 1. To. Conc.

culpam effugiat, hanc Epistolam falsi arguit, ac proinde eos, qui Concilia digesserunt, ejusdem criminis reos facit, eo præsertim prætextu, quod Eulalio Alexandriæ Episcopo inscripta sit, cui tunc temporis Timotheus præsidebat: Respondeat certè Hardingus, inter primarios Papæ Satellites Eulalium illum Thessalonices Episcopum fuisse: ut jam Baronio cum Hardingo res propriè sit: nobis sufficiat, quod illa ab adversariis producatur: Addimus verò nos authenticam ipsam illis esse, quæ in Decreto suo inserta sit, à Gregorio ipso decimotertio in postremâ Editione agnoscatur. D. 89. C. Ad hoc 7. his verbis: *Hoc caput*, inquit, *iisdem verbis legitur in Epistolâ Bonifacij ad Eulalium*: quod elidendis suis conjecturis sit plus satis. Plaudit & sibi Bonifacius, quod Iustinus & Iustinianus Imperatores suam fidei professionem ei miserint, sed id illos observare solitos etiam ergà cæteros Episcopos suprà vidimus, ut Orthodoxos se esse omnibus populis significarent, quia plures Ariani, Nestoriani, Eutychiani fuerant, qui olim Ecclesiæ statum turbaverant.

Hardingus de Primatu Papæ, sect. 28.

OPPOSITIO.

AT certè, ne idcircò Episcopum universalem agnovisse putes, præterquàm quod eundem honorem cæteris Patriarchis exhibebant, Canonibus perpetuò Synodi Chalcedonensis, quos suprà vidimus, nihil ademptum volebant. Quod, tum ex professionibus illis suprà dictis, tum ex Novellâ Iustiniani 131. clarum. Quamquam ambitioni Romanæ coercendæ vix jam ulla repagula satis erant: Etenim, Odoacri legem meminimus & à Theodorico confirmatam scimus, & jam Athalaricus nepos manum denuò adhibere necesse habet. Sed enim cum post Bonifacij obitum competitorum effrænis ambitus eo evasisset, ut pecuniæ vi Senatorum suffragia palam redempta nemo non sciret, Senatus meritò indignatus Senatusconsultum illud edit, quod apud Cassiodorum extat: *Quicumque in Episcopatu obtinendo sive per se, sive per aliam quamcumque personam, aliquid promisisse declaratur, ut execrabilis contractus cunctis viribus efferatur. Si quis autem in hoc scelere deprehenditur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem, verum etiam si aut repetendum, aut, quod acceptum est, non reddendum esse crediderit, sacrilegij reus protinus habeatur, accepta restituens compulsione judicis competentis.* Quin & apud Athalaricum Regem Senatus graviter conqueritur, eique sese ipse Ecclesiæ Romanæ Defensor adjungit: Quo non pudore principi Ariano tantam turpitudinem detegentes? Et is ipse demùm Senatusconsultum authoritate suâ roborat, lege in eam rem Iohanni Pontifici inscriptâ, his verbis. *Defensor*, inquit, *Ecclesiæ Romanæ ad nos flebili allegatione nuper pervenit, cum Apostolicæ sedi peteretur Antistes, quosdam nefariâ machinatione necessitatem temporis aucupatos, ita facultates pauperum extortis promissionibus ingravasse, ut, quod dictu nefas est, etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi, tanto gloriosum est adhibitâ pietate resecari.* Inde, postquam Senatusconsultum illud memoravit: *Propterea*, inquit, *quicquid in illo Senatus decretum est consulto, præcipimus in eos modis omnibus custodiri, qui se quoquo modo per interpositas quascumque personas scelestis contractibus miscuerunt.* Et hic Baronius, ut omnia in suum commodum vertat, nihil in hac causâ à Defensore actum, nisi Iohanne Pontifice suggerente, aut sibi aut nobis fingit: sed notet Lector non in Historiâ, non in lege ipsâ, nullas licet circumstantias omittat, quicquam tale haberi: Concludit tandem

Iustinian. Novella Const. 131.

Cassiodor. li. 9. Epist. 15.

Baron. To. 7. ann. 533. art. 32. & seq.

multis sigillatim expressis, quæ eodem pertinent. *Hoc Senatui, hoc populis per præfectum Urbis præcipimus intimari: ut generalitas agnoscat, nos illos prosequi, qui majestati divinæ potius viderentur adversi. Vos quoque hoc universis, quos Deo propitio regitis, Episcopis intimate:* Iohannem adeò ipsum compellans. Amplius verò ad præfectum scribens. *Ut*, inquit, *principale beneficium & præsentibus æreat sæculis, & futuris, tam definita nostra, quàm Senatusconsulta tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, & ante atrium beati Petri Apostoli in testimonium publicum collocari:* Unde sanè ut perrennis Principi laus manet, ita & perpetua Clero Romano inuratur ignominia. Cassiodor. lib. 9. Variar. Epi. 16.

Sed ex Iustiniani ergà Iohannem secundum obsequiosis officiis Baronius rem sibi facturus videtur: Etenim quod sæpe diximus, Imperatores in Orientem quasi relegati, in Occidente, ut fidem retinerent, eorum gratiâ opus habebant. Is igitur recens regno potitus legationem insignem ad eum decernit, quâ fidem suam Orthodoxam profitetur: Et notat in primis Baronius Epistolæ verba. *Reddentes honorem Apostolicæ sedi & vestræ sanctitati, (quod semper nobis in voto fuit & est) ut decet Patrem honorantes beatitudinem vestram, omnia, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis, & omnes Sacerdotes universi Orientalis tractus & subjicere & unire vestræ sanctitati properavimus.* Ex quibus Imperatorem suam illam plenitudinem potestatis agnoscere, Ecclesiam proinde Orientalem ipsam, vehementer contendit, & hîc igitur triumphabundus paginas implet, vix unquam satiandus. Mittamus verò hanc legem à doctissimis jureconsultis falsi suspectam fieri, hæc si honestatis verba ad literam perpetuò exigere vult, non videt in quot incommoda incurrat? Inscribitur enim illa primùm, *Sanctissimo Iohanni Archiepiscopo Ecclesiæ Romanæ, & Patriarchæ.* Et sic suprà decessor ejus Iustinus: qui titulus num universalem Episcopatum includit? Nobis ergo num non magis plaudendum esset, cum idem Imperator, *Epiphanio Episcopo Constantinopolitano Sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo regiæ hujus Urbis & Oecumenico Patriarchæ.* Patriarchæ utique titulum *universalis* superaddens? Baronium quis tenere posset, si Iustinianus de Episcopo Romano idem? At sanè, ne insclescat, iisdem etiam verbis Epiphanium affatur. *Cognoscere volentes tuam sanctitatem ea omnia, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, Similia hisce ad Papam veteris Romæ perscripsimus.* Et in Epistolâ quidem quam Baronius ipse publici Edicti loco fuisse non diffitetur. Restat igitur illi hoc præcipuum, quod dicit: *Omnes Sacerdotes Orientis subjicere & unire sanctitati vestræ properamus.* Et id verè Iohannes secundus in suâ responsione ambabus ulnis amplectitur, cum *Inter claras* ejus virtutes hanc extollit, quod omnia sedi Romanæ subjiciat. Sed, cùm Imperator illud *subjicere* per *unire* exponit, annon mentem suam aperit satis? Non quidem, ut eidem Diœcesi submittat, sed in ejusdem fidei unionem compellat, veræ utique doctrinæ, quam Ecclesia Romana servabat? Et legis illius contextum eò totum spectare num inficias eat? Eximium & hoc sibi arrogat, quod *caput omnium Ecclesiarum* appellat, & hic rursum victoriam canit. Cum igitur hic idem Imperator in aliâ lege disertè: *Ecclesia Constantinopolitana est caput omnium aliarum Ecclesiarum*, quod & à Zenone repetitum, num Romam Constantinopoli protinus subjectam velit? Et cur illic magis Romæ Constantinopolim? Sin Baronius Constantinopolim regerit caput Orientis ibi intelligi, cur hîc ergo minus, eadem cum sint verba, caput Occidentis Romam? Discrimen enim unde nam ostendat nobis? Et cùm hanc legem ad Novellam Iusti-

L. 8. C. De Summâ Trinitate.

L. 7. & 8. C. De Summ. Trinitate.

L. 16. C. de sacros. Ecc. & L. 24. ibidem. Baro. To. 7. an. 534. art. 36.

Iuſtinian. Nov. 131. Novella. Iuſtinian. 10. in edit. Haloandr.

ſtiniani 131. exigere ipſe velit, quid inde ſequatur, niſi ut *Epiſcopus veteris Romæ primum locum teneat, Novæ ſecundum?* Quod quis ei controverſum facit? Alter tamen alteri non ſubjiciatur, pares cæteroquin ambo, ut in Synodis Conſtantinopolitanâ, & Chalcedonenſi ſtatutum: quibus ab ipſo limine ſtare ſe velle proteſtatur. Quod enim Novellam nonam Iohanni Secundo inſcriptam auctarij loco adducit, quâ Eccleſiæ Romanæ centenariæ præſcriptionis jus largitur, *Petram eam legum, & fontem Sacerdotij præfatus*, ut Græcè non extare tacuerimus, notatum ab eo ſaltem oportuit, *Patriarcham urbis Romæ* ſimpliciter vocare, Eccleſias Occidentales ab Orientalibus nominatim diſtinguere, idem privilegium utriſque impertiri: quin & ſeptem ante annis Orientalibus impertitum eſſe. Nec magis obſtat, quod ex Novella 42. ad Mennam Conſtantinopolitanum Patriarcham anticipato tempore contendit, Agapetum Papam Antimum Patriarcham depoſuiſſe, quod ei cum Eccleſiâ Romanâ non conveniret, ex eâdem utique fide profectum, quare & textum ipſum cautè reticuit: Agapetus ſanè Conſtantinopoli tum degens Synodo præſedit, in quâ Antimus Patriarcha exauctoratus fuit. Et id ſibi vult Imperator, throno pulſum cum dicit, παρ' ἀγαπήτε προέδρου γεγονότος, *ab Agapeto primam ſedem in veteri Româ obtinente.* At quo pacto? κοινῇ ψήφῳ, inquit, *communi ſuffragio*, τοῦ τε αὐτοῦ *tum ſuo*, καὶ μὴν καὶ τῆς ἐνταῦθεν γενομένης ἱερᾶς συνόδου, *tum etiam ſacræ Synodi illic habitæ.* Et cauſam addit, *eo quod nullo modo ſibi ipſi convenienti, contra omnes ſacros Canones ſe intruſerat ſedi, & à rectis dogmatibus receſſerat.* Firmatur verò ejus depoſitio Imperatoris authoritate, in hac Novellâ Mennæ Patriarchæ inſcripta, quem hîc rurſum *Patriarcham Oecumenicum* cognominat: Haloander pias Paparum aures offendere veritus vertit, *univerſi ejus tractus Patriarchæ.* Quâ fide? cum οἰκουμένη *univerſam terram habitabilem* ſignificet? Sciendum igitur, Patriarchalium Eccleſiarum Epiſcopos, nullo invicem præjudicio, interdum dici Oecumenicos, quatenus in eminentioribus orbis Chriſtiani locis, tanquam in ſpeculis conſtituti, Eccleſiæ univerſali invigilare præcipuè tenentur, non tantùm ſinguli ne ſua cujuſque Diœceſis detrimentum capiat, ſed ubique & undequaque omnes, ne Satan, hoſtis ille pervigil, per hæreſes & Schiſmata Eccleſiæ, aut valetudinem labefactet, aut tranquillitatem conturbet. Contutores illi quaſi & Correi promittendi, qui licet ſua munia per partes diſtinctè obeant, & portionem quiſque ſuam adminiſtrent, in ſolidum tamen de tutelâ & tenentur & rationem reddunt: Quò fit ut Diœceſi unius ſeſe alter interdum immiſceat, nec tamen in meſſem alienam falcem mittere dicatur, aut eo nomine ambitionis culpetur. Quin, ut quis eorum, hoſte quaſi conſpecto, ſignum dabat, Synodus à cæteris procurabatur, cui Oecumenicæ inde nomen: talis verè habita, cum aut omnes, aut plures cum ſuis Epiſcopis conſilia communicabant. Ut autem inter urbes Romæ dignitatem primam, ita & Eccleſiæ Romanæ primam ſedem non invidebant, eo magis, quod Dei beneficio ab hæreſibus ſibi caverat magis, unde & inter Patriarchas primus Romano locus, qui in rebus arduis plerumque conſulebatur primus: & hanc cauſam ſubinfert Iuſtinianus: *Vel eo maxime, quod, quoties in his locis Hæretici pullulârunt, ſententiâ & recto judicio ejus ſedis coërciti ſunt.* Quo interim honore, ſi quando ſeu ipſe, ſeu aliorum quiſquam, ad dominationem, & imperium in cæteros abuti audet, Vindicias adverſus tyrannidem acclamantes protinus audias.

L. 27. C. De Sacro. Eccl. Novell. 42. Baron. to. 7. an. 536. art. 33.

L. 7. C. de Summâ Trinitate.

PRO-

P R O G R E S S U S.

EPiscopos interim Romanos hic dominandi appetitus, subinde licet repressus, mirum quam pungeret. Iam tum haud dubiè erupturus, ni collusionis su- ›ectos sese reddidissent, dum modo hujus, modo illius partes consectantur: Quare reges illi ex Gottis oriundi, qui Italiam occupabant, eorum electione on tam per favorem, quàm per vim exambitæ, sese frequenter immiscere, & is demùm tanquam emissariis uti. Agapetum vix dum electum, & à se com- rmatum, Theodatus Constantinopolim Legatum ad Iustinianum mittit, Ama- ısunthæ uxoris, Theodorici filiæ necem excusaturum: Digna sanè Romani ontificis legatio. Sic & idem Theodatus Agapeto successorem instituit Silveri- m ex legitimo matrimonio Hormisdæ Papæ filium. Quod Liber pontificalis ne *deliberatione Decreti* factum dicit. Mox verò, nonnullos Presbyteros *sub vi & etu* subscribere jubet, Isti homines, qui suam missionem tantopere jactant, le- itimam hanc unde tueri possint? Et mandata porrò & Acta cætera quæ inde con- quebantur? Sylverium, eâ ratione receptum, Vigilius quem antè Bonifacius bi successorem designarât, Augusto instigante, interturbat: Et hîc insignem iquitatis in hac sede progressum advertat Lector. Liberatus igitur Archidiaco- us Carthaginensis: *Augusta verò* (Eutychiana) *vocans Vigilium Agapeti Diaconum, rofiteri sibi secretò ab eo flagitavit, ut, si Papa fieret, tolleret Synodum*, (Chalcedonen- em,) *& scriberet Theodosio, Anthemio, & Severo* (hæreticis) *& per Epistolam su- m eorum firmaret fidem, promittens ei dare præceptum ad Belisarium, ut Papam ordina- ent, & dari centenaria septem. Lubenter ergo suscepit Vigilius promissum ejus, amore piscopatus & auri. Et factâ promissione Romam profectus est, ubi veniens invenit Sylve- um Papam ordinatum. Quin & Ravennæ reperit Belisarium in eadem urbe sedentem, mque obtinentem, cui tradens præceptum Augustæ, promisit ei duo auri centenaria, si, ylverio remoto, ordinaretur ipse pro eo: Belisarius verò Romam reversus evocans Sylveri- m ad Palatium, intentabat ei calumniam, quasi Gottis scripsisset, ut Romam introirent. ertur enim Marcum quendam Scholasticum, & Iulianum quendam prætorianum, fictas nomine Sylverij composuisse literas, regi Gotthorum scriptas, ex quibus convinceretur ylverius Romanam velle perdere civitatem. Secretò autem Belisarius & ejus conjunx per- adebant Sylverio impleri præceptum Augustæ, ut tolleretur Chalcedonensis Synodus, per Epistolam suam hæreticorum firmâret fidem. Qui mox de palatio egressus, quid de fieret, consiliarijs suis loquutus est, & veniens contulit se in Basilicam beatæ martyris abinæ, ibique manebat, ubi & directus est ad eum Photis filius Antoninæ Patriciæ, ut æstito Sacramento invitaret eum venire ad palatium. Qui autem Sylverio astabant, per- adebant ei, ne Græcorum crederet juramentis. Ille tamen exijt, & ad Palatium venit. t illâ quidem die pro juramento ad Ecclesiam redire permissus est. Ad quem rursùs man- avit Belisarius, ut ad Palatium veniret, qui de Ecclesiâ exire nolebat, dolos sibi præpa- tos agnoscens: sed postea orans, & causam suam Domino commendans exijt, & ad pa- tium venit, qui solus ingressus à suis ulteriùs non est visus. Et aliâ die Belisarius, nvocatis Presbyteris & Diaconis & Clericis omnibus, mandavit eis, ut alium sibi Pa- m eligerent. Quibus dubitantibus & nonnullis videntibus, favore Belisarij ordinatus Vigilius. Sylverius autem in exilium missus est in civitatem provinciæ Lyciæ, quæ Pata- dicitur. Post ordinationem suam compellabatur Vigilius à Belisario implere peti- onem suam, quam Augustæ promiserat, & ut sibi redderet duo centenaria pro-*

Anasthas. in Agapeto.

Ann. 536.

Liberat. in Breviario, C. 22.

promiſſa, Vigilius autem timore Romanorum, & avaritiâ patrocinante nolebat implere petitiones ſuas, ſed Sylverio veniente Pataram, venerabilis Epiſcopus civitatis ipſius venit ad Imperatorem, & judicium Dei conteſtatus eſt de tantæ ſedis Epiſcopi expulſione, multos eſſe dicens in hoc mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius, à ſuâ ſede expulſus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Sylverium juſſit & de literis illis judicium fieri, ut, ſi probaretur ab ipſo fuiſſe ſcriptas, in quacumque civitate Epiſcopus degeret: ſin autem falſæ fuiſſent probatæ, reſtitueretur ſedi ſuæ. Sic itaque Sylverio in Italiam reverſo, Vigilius expelli metuens, *Trade mihi Sylverium*, inquit, *alioquin non poſſum facere quod à me exigis.* Quare duobus ejus defenſoribus & domeſticis traditus, & Palmariam tranſlatus, ibi *ſub cuſtodiâ eorum defecit inediâ.* Vigilius verò, quod Auguſtæ promiſerat, impleturus, per Antoninam Beliſarij uxorem literas illas ſcribit, quæ apud Liberatum integræ, Eutychianorum Proceribus inſcriptæ leguntur, ſicuti illa ab eo flagitarat. In his Vigilius disertè, *Eam fidem, quam tenetis, Deo adjuvante & tenuiſſe & tenere ſignifico: Opto ergo, ut, quæ vobis ſcribo, nullus agnoſcat, ſed magis tanquam ſuſpectum hîc me ſapientia veſtra ante alios exiſtimet habere*, ut facilius, quod cœpit, perficere poſſit: quin & profeſſionem ſuam explicat his verbis, *Nos non duas naturas in Chriſto confitemur, ſed ex duabus naturis compoſitum unum Filium, unum Chriſtum, unum Dominum.* Et qui contra loquantur aut ſentiant Anathemate percellit. Et hîc dicant nobis rurſum ſedis Romanæ defenſores, boni hujus Epiſcopi vocatio cujus generis fuerit? Baronius ſanè præfractè, nondum tale Schiſma in Eccleſiâ Romanâ viſum, & tamen præterita quàm tetra, quàm horroris plena meminiſſe juvet. *Papa*, inquit, *nullâ niſi ſæcularis hominis authoritate cathedram inſidens, fur & latro, non per oſtium ſed aliunde conſcendens, Lupus gregem invadens, Pſeudoepiſcopus contra legitimum Epiſcopum ſtans, Antichriſtus contrà Chriſtum jure appellandus, &c. Superat hoc ſcelus quodlibet id genus anteà perpetratum, cedit huic Novati impietas, pertinacia Urſicini, Laurentij præſumptio, ac denique, aliorum omnium Schiſmaticorum Antiſtitum ſuperbia, arrogantia atque facinoroſa temeritas.* Qui interim pauculis poſt diebus, poſtquàm Sylverium necavit, ſanctus illi & incomparabilis Chriſti vicarius. Cæterùm, Epiſtolam Liberato inſertam minimè legitimam contendit, nempe ut anathema illud contra fidem Orthodoxam pronunciatum excuſet: Iuſtinianum & Theodoram, quàm parum veriſimiliter, inquit, in inſcriptione *Patres ac Dominos* appellat? Imò, evidenter hallucinatur, dùm Auguſtis inſcriptam ſibi fingit, quæ ad primarios hæreticos dirigitur, ſicuti Theodora cum eo pepigerat, *ut ſcriberet Theodoſio, Anthemio, & Severo, & per Epiſtolam eorum firmaret fidem.* Unde & Liberatus ipſe ſub finem capitis Epiſtolâ illâ recitatâ ſubjungit. *Et hæc Vigilius ſcribens hæreticis occultè permanſit ſedens.* Et hæc tibi iſtorum hominum authentica ſucceſsio, non unquam temerata, aut temeranda fides, qui ſuum illud, *Tu es Petrus*, plenis buccis ingeminant: Agapetus, dum apud Iuſtinianum conqueritur, quod Epiphanius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Achillem hæreticum ad pœnitentiam, ſe inconſulto, receperit, Conſtantinopoli demùm omnimodam authoritatem ſibi vendicat, Patriarcham Anthimum, ſi ei fides, depoſuiſſe, Mennam in ejus locum ordinaſſe videri vult: Quod ſanè provincialis Synodi decreto factum ſuo loco videbimus. Nec non Vigilius quò truculentior eò arrogantior in Epiſtolis profatur. Quod Petro in omnes data poteſtas, quòd ideo appellatus *Cephas*, id eſt, κεφαλὴ, *caput*, Latinæ nempe ambitionis quàm Græcæ locutionis callentior: Quòd idcircò ad ſedem Romanam à cæteris omnibus appellandum, graviores quæque cauſæ ad eam referendæ,

Baron. to. 7. ann. 538. art. 20.

Baron. ibid. art. 19

Liberat. c. 22.

Agaper. in Epiſt. ad Iuſtinian.

Vigil. ad Eutheri.

ndæ, ejus judicio reservandæ: Denique, *Quod cæteri Episcopi in partem sollicitudi-r, non in plenitudinem potestatis vocati.* Et hæc sanè *profanus* ille Baronio adhuc *Antichristus*, qualem ipse describebat. Antichristi enim num aliud idioma, m alia ejus vox?

OPPOSITIO.

Ed hæc mysteriosa iniquitas, quò intereà progressa, ex veris videamus, & de Anthimo quidem Liberatus breviter, *Anthemius videns se sede pulsum*, instante ique Agapeto, *pallium quod habuit Imperatoribus reddidit, & discessit.* Tùm ve-, in gratiam Imperatoris, *Agapetus Mennam pro eo ordinavit antistitem*: Sed de odo agendi Iustinianus, quo præsente gestum hoc negotium, locuples testis, i in Novellâ 42. expulsum dicit, cum κοινῇ ψήφῳ *communi suffragio, tùm Agapeti, m Constantinopolitanæ Synodi* damnatus primùm & exauctoratus fuisset. Ludit c Baronius in voce πρότερον pro suâ solertiâ, & *ab Agapeto ex potestatis plenitudine* imum depositum colligit: Cum Imperator nihil hîc nisi ex juris formulâ factum tensurus, non per vim exactum, sed damnatum primùm ac depositum, per Agatum, ex communi Synodi sententiâ, pronuntiet. Ubi nempe πρότερον, per *prius* ponendum, non per *primum*: Alias enim, quid sibi velint hæc verba κοινῇ ψήφῳ *mmuni suffragio Agapeti*, nisi ad sequentia relationem habeant, *& Synodi*, ut & aloander vertit. Deinde, unicæ personæ quodnam possit appellari commune suffragium? Denique si primum efficaciter à solo Agapeto ex potestatis enitudine depositus Anthimus, quid Synodo opus, quæ potius suæ illi authoati detrahat? Adde his omnibus, Imperatoris approbationem accedere necesse e, quod Novella ipsa his verbis exprimit. *Non insolitam Imperatoriæ majestati n agentes*, καὶ ἡμεῖς *& nos ad præsentem legem pervenimus, Quotiescumque enim* ἡ ψῆφος τῶν ἱερῶν *Sacerdotum sententię aliquos, qui Sacerdotio indigni essent, Sacerdolibus deturbarunt sedibus (quale sit Nestorium, Eutychetem, Arium, Macedonium, & a-s non inferiore, quàm illi, malitiâ) toties etiam* καὶ ἡ βασιλεία σύμψηφος γέγονε τῇ τῶν ἱερῶν αὐθεντίᾳ *ad Sacerdotum authoritatem accessit consensus Imperatoris.* Quibus quiem verbis expressum voluit Imperator, confirmationem à se pendere, non ab gapeto, qui suo jam munere defunctus: *Ut divina cum humanis coeuntia, rectis ntentijs* τὴν συμφωνίαν *quandam & unam consonantiam inducerent.* Verùm Iustinianus minus idoneus, Agapetus sanè succurrat, cujus Synodicam ad mnes Episcopos, Synodi nomine, inter Acta Universalis Concilij habeus. In hac totius consessus nomine verba faciens, *Sententiavimus, illum ne-e Catholico neque sacro nomine dignum esse.* De Menna verò in ejus locum sufcto: *Constantinopolitana Ecclesia Episcopum illum suscepit: Cui licet præter cæteros renißimorum Imperatorum electio arriserit, similiter tamen & totius Cleri, ac populi nsensus acceßit, ut & à singulis eligi crederetur.* Et quid igitur ipsi præter conserationem aut eximij, aut reliqui, quam quilibet alius, aut Episcopus, aut Metroolitanus adhibere potuisset? Imperator autem in ijs partibus degenti honoficè delatum voluit. Ergo hactenus nullus hîc omnipotentiæ illius actus. ed Baronius ex Vaticano monumentum nobis depromit, quo, quæ Agapeis Constantinopoli gessit, contineri vult, ubi simpliciter: *Talem hunc Ecclesiæ dulterum, populique seductorem Agapetus Papa sine ullis morarum obstaculis Ecclesiâ pulit, & pœnitentiæ tempus eidem indixit.* Verùm ut suis ipsius probationibus imma-

Liberat. C. 21.

Concil. Univers. 5. Act. 1. ubi, Epist. Syn. Agapeti.

Baro. Vol. 7. an. 532. art. 56.

immaneamus, notatum ab illo oportuit, in veteri illo scripto Agapetum *Antistitem primæ sedis* simpliciter dici, non Papam universalem. Et ut Iustinianum & Agapetum sibi invicem occurrentes inducit. *Uterque*, inquit, *Rex & Pontifex sancta delibans oscula*, & *alter alterum veneratus*. Non sanè, quod Liber Pontificalis Agapetum à Iustiniano adoratum: ut omittamus Regem primo loco nominari. Rursum, sedem Constantinopolitanam *Thronum Apostolicum* vocari, non minus quam Romanam. Quin & de Mennæ ordinatione: *Ministri Ecclesiæ*, inquit author, *Catholico Principe sibimet arridente, consilium unanimes ineunt: Agapeto præsuli Mennam Presbyterum ordinandum sibi Episcopum suis vocibus commendantes, in medium proferunt, à quo Agapetus Papa libellum ejus instar fidei suæ manu propria editum flagitat: scilicet Romæ eum per se beato Petro Apostolo porrecturus.* Tum verò, *ab eodem omnium Episcoporum Principe*, antistitem anteà dixerat, *impositâ manu universalem Episcopatum adeptus est.* Interjicit hîc Baronius parenthesin (*subjectarum sibi provinciarum*): Sicubi igitur Episcopum Romanum eodem titulo insigniri contingit, quid ni pari nos jure, eodem modo exponamus. Et hoc quidem pro suâ grammaticandi ratione, quâ Catholicam Romanam dicendo, ex particulari universalem faciunt. Et de Agapeto hactenus.

Baron. To. 7. ann. 540. art: 6.7.8.9. Iam de Vigilio: Ex quò Silverium necavit, de Antichristo fit Baronio Christi vicarius, inter sanctos adeò referendus: vix inquam Cathedram insedit, ab omnibus illis sceleribus purgatum, sanatum, habes. Hîc vero ille exclamare. *Ista fuit planè mutatio dexteræ excelsi*, insigne miraculum, mirifica transformatio: Qui tot verbis tam accuratè anteà nobis explicuit, in eligendo Vigilio, consilium, Scopum, motus omnes, media omnia purè humana, merè carnalia fuisse: Theodoræ Augustæ favorem, Belisarij violentiam pecuniâ corrupti, si alius eligeretur seditionis metum, ea propter effractos Canones, conculcatas leges. Et locum ipsum Baronij longè diffusiorem consulat Lector: Ergóne ab istâ novâ electione, inthronizatione sanctior? Adverte verò miracula. Anasthasius sedis Romanæ Bibliothecarius, Paparum insignis adulator, an adorator, in vitâ Vigilij author, ut Cathedram illam tetigit, à Romanis apud Imperatorem criminis postulatum:

Anasthas. in Vigilio. *Suggerimus*, inquiunt, *pietati tuæ, quia malè agit cum servis tuis Romanis, & cum ipsâ plebe suâ, quia homicidam illum accusamus. Sic est in furorem versus ut daret alapam notario suo, qui modo ad pedes ejus cadens expiravit. Item dedit nepotem suum Vigilium Asterio Consuli, filium mulieris viduę, quo casu faciente, fecit eum teneri nocte, & tamdiu cædi, quamdiu vitam finiret:* Hæccine tibi sacræ hujus cathedræ miracula? Theodora igitur, inquit, Anthemium scribam mittit cum validâ manu, qui eum vel in ipsâ Ecclesiâ capiat, & Constantinopolim per mare abducat: Qui in sanctâ

Procopius de bello Gotthorũ, lib. 3. Ceciliæ æde comprehensum navim in Tyberi conscendere cogit, maledictis incessente & comitante eum populo, lapides & baculos conjiciente & vociferante: *Fames tua tecum, mortalitas tecum. Malè fecisti Romanis, malè invenias ubi vadis.* Et hujusce deportationis hanc fuisse causam Baronius, Anasthasio licet affirmante, credere cunctatur: Quia, inquit, Procopius id non habet. Verùm Procopio institutum, non Romanorum Episcoporum vitam scribere, sed bellum Gotthicum. Adductus igitur Constantinopolim, pollicitationis suæ quasi ex Syngrapha convenitur, ut, sicuti Augustæ spoponderat, Anthimum hæreticum restituat: Et idcircò Martyrem protinus eum nobis Baronius faciat, pro-

Baron. an. 542. art. 11 nuntiare non veritus. *In Vigilio non hominem jam tantum, sed Christum ipsum Deum & hominem cum homine in sede Petri sedente, consedisse.* Sed causa ne hæc

fue-

erit, an prætextus, Anasthasius saltem author, exprobrata ei homicidia Silve-
i Notarij sui, cujusdam etiam viduæ filij, *dum misso fune in collum ejus per totam
vitatem usque ad vesperum trahitur.* Addit Nicephorus, de pristinâ illum vio- Niceph. li. 17. cap. 26.
ntiâ nihil remittentem, Patriarcham Mennam, in Anthimi hæretici locum
Agapeto decessore consecratum, excommunicasse, Mennam vicissim ipsum:
tandem terminandis his controversiis, quæ pravis partium animis accende-
antur, Synodo Chalcedone convocatâ opus esset. Notat Baronius Eutychium Ann. 555.
Iennæ suffectum fidei suæ professionem Vigilio tradidisse: Et in more positum
iprà vidimus, ut primarii illi Episcopi id officii sibi mutuò præstarent: Sed ad-
ertere & ipse debuerat, quas Eutychius scribit literas, *Fratri & compresbytero*
iscriptas esse, nec celatum eum voluisse, cur id faceret: *Scientes quantorum bo-*
orum causa est pax Dei, Subscriptionem etiam non negligere: *Ego Eutychius mi-*
ricordiâ Dei Episcopus Constantinopolitanus novæ Romæ omnibus subscripsi: miseri-
ordiâ Dei, inquit, ut gratiæ suæ nihil acceptum ferat. Item notatum vult
aronius Vigilium rogari in hac ipsâ Epistolâ, ut, quod inter Orthodoxos discri-
inis superest, de tribus capitulis, in Synodo definiatur: *Præsidente nobis vestrâ* Ann. 553. art. 20. 21. 22. 23. 24.
atitudine, & propositis sanctis Euangeliis. Unde *Præsidentiam* Episcopi Ro-
ani agnovisse colligamus. Verùm videndum primò, Synodum illam quis
onvocârit, & hîc pro more tergiversatur: Imperatorem *ex sententiâ Vigilij Sy-* Euagr. li. 4. c. 37.
odum convocandam decrevisse, convocasse, apertè & candidè dicere noluit. Eua-
rium citat: *Vigilius*, inquit, *per litteras Synodo consentit.* Nempe, Synodo
endente, Chalcedone degens, *non tamen interesse voluit.* Quin potius eidem
uthori credit, qui apertè ibidem, *Iustinianus quintum Concilium convocavit.*
in Vigilius convocarat, qui in partibus erat, cur præsentiam suam denegabat?
At sanè, historia nullam hîc nobis ambiguitatem relinquit: Nicephorus, *Impe-* Niceph. lib. 7. c. 27.
rator Iustinianus sanctam quintam Oecumenicam Synodum, Episcopis Ecclesiarum om- 2. To. Cõc.
nium evocatis, coegit. Imperator in Epistolâ ad Patres Synodi, *vos in urbem Re-* Act. 1.
giam vocavimus: Patres ipsi: *sequentes mandatum Iustiniani Christo amantissimi.* Ba-
ronius adeò ipse, qui ex veteri illo monumento, è Vaticano deprompto, nos
docet, Vigilium omnem operam navasse, ut Synodum in Siciliâ ab Imperatore
impetraret, unde Oriens Occidenti commodius conjungeretur, sed non potu-
isse. Ad *præsidentiam* autem quod attinet, in principio præsedit Mennas Con- Syn. Constantinop. 5. Act. 4.
stantinopolitanus Episcopus, & sententiam contra Anthimum & alios hæreti-
cos pronuntiavit, quæ in Conciliis extat: Eo vero mortuo, Bellarmino ipso Bellarmin. lib. 1. de Conc. c. 19
assentiente, Eutychius ejus successor præsidebat: quod in singulis Concilij
Actionibus Patrum subscriptiones attestantur. At, inquit, Vigilius præse-
disset, si voluisset: Imò non ea Nicephori opinio, cum, Menna mortuo, & Eu-
tychio per Imperatorem in ejus locum collocato, Vigilium narrat, in doctrinâ
licet cum Eutychio consentientem, *ei assidere noluisse:* nempe qui eminentiori lo-
co sedere volebat. Quò factum, ut Synodo interesse noluerit, causatus licet,
non quidem suam sibi dignitatem non satis constare, *sed paucos ab Occidente*
Episcopos adesse: Regerit Bellarminus ex Zonara, Vigilium hujus Synodi
Principem fuisse: & Princeps quo pacto, qui nullus aderat? sed locus ipse pro re-
sponsione nobis. Aderant, inquit, centum sexagintaquinque Patres ὧν ἔξηρχε *quo-* Zonar. to. 3. p. 55. & 74.
rum Princeps fuit, ait Latinus interpres, *Vigilius Papa Romanus, & Eutychius, &*
Apollinaris Alexandrinus. Vox igitur ἔξηρχε ad tres illos referenda, quippe trium Ec-
clesiarum Patriarchalium capita, Principes, si mavult, dixerimus. Quo sensu idem
au-

author de sextâ Synodo universali ἧς ἡγοῦντο, *quam ducebant vicarij Agathonis Papæ Romani, Gregorius Constantinopolitanus & Theophanes Antiochenus:* Interpres; *Principes fuere:* Et sic promiscuè appellantur omnes. Liber cui titulus, *Explanatio sanctorum Conciliorum*, ex Regiâ Bibliothecâ prolatus, de Synodo Nicænâ. *In hac capita & præsides fuerunt, Silvester Episcopus Romanus, Alexander Alexandrinus, & Macarius Hierosolymitanus.* De secundâ universali itidem, *Præsides fuerunt, Damasus Romæ Episcopus, Nectarius Constantinopolis, Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hierosolymorum, Meletius Antiochiæ*, Patriarchæ omnes: Subjunguntur, *Magnus Gregorius Theologus, Gregorius Nissæus & Amphilochius Iconij*, ob insignem eorum doctrinam, de quibus Zonaras ὧν προεξῆρχεν voce in eam rem intentiori, *præ cæteris Princeps erat Theologus Gregorius magnus, Nissæ Episcopus, & sacer Amphilochius:* Ubi verbum singulare προεξῆρχε interpres ad tres illos retulit, Principes fuêre: quâ & ratione ἐξῆρχεν illud apud eundem authorem ad Vigilium, Eutychium, & Apollinarem æquè referendum. Eadem illa explanatio de Synodo Ephesinâ. *In hac Synodo præsidebat Cælestinus Episcopus Romanus, Cyrillus Alexandrinus, Iuvenal Hierosolymitanus, Memnon Ephesinus:* Et sic de cæteris Synodis universalibus Chalcedonensi, Constantinopolitanâ quintâ & sextâ, Nicænâ secundâ, in quibus omnibus Græcè habetur ἡγοῦντο τῆς συνόδου, Latinè, *cui Concilio præfuerunt:* & recensetur Papa simul cum aliis bono numero, plerumque absens, interdum etiam ne per Legatos quidem comparens: quod in hoc ipso, de quo agitur, usu veniebat. Urget Bellarminus Epistolam Eutychij à Baronio etiam relatam, cujus verba ad Vigilium scribentis: *Petimus præsidente nobis vestrâ beatitudine, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conferri.* Verùm tot solidis ex historiâ probationibus verba quædam honestatis opponere inurbanum nimis, & Critico alicui non immeritò reponendum videatur, *residente nobiscum vestrâ beatitudine*, ut à doctissimo viro notatum: vel hoc argumento, quod frequens in Conciliis hæc vox: *Residentibus Prisco, Evantio, Prætextato, &c.* id est, adsistentibus, præsentibus, Erat enim Constantinopoli Vigilius, cum hæc Synodus primùm haberetur. Demus verò legi *præsidente*, inter προκαθεζομένης & προεστώσης *primam sedem & præsidentiam* plurimum interest. Cæterùm pars non exigua ejus Synodi in hoc uno transigitur, ut Vigilius ei interesse rogatus velit, & protestantur gravissimis verbis adversus eum Patres, *Scandalum imminens timendum ijs, qui vel unum ex minimis scandalisant, quanto magis Imperatorem Christianissimum & populos & Ecclesias totas.* Nec his tamen commovetur quicquam, tantum se sententiam suam scripto consignaturum respondet. Causam si poposceris Lector, nulla sanè alia, quam quod de præsidentiâ sibi non constaret, quod in Synodum amicè cum fratribus collaturus, non pro suo jure imperaturus invitaretur: ut doctrinam suam contribueret & ostenderet quidem, non utique potestatis plenitudinem ostentaret. Tandem Imperatoris & Synodi universalis authoritatem aspernatus in exilium mittitur, à quo Narsetis intercessione revocatus, Romam rediens in Siciliâ vitam finivit. Et hinc universalis Synodi convocandæ jus nondum ad Episcopum Romanum devolutum liqueat satis. De Nationalibus quid dicemus? Patres sanè Aurelianensis secundæ, hoc ipso tempore. *Cum ex præceptione gloriosissimorum regum in Aurelianensem urbem, de observatione legis Catholicæ tractaturi, Deo auxiliante, convenimus.* Arvernensis quoque, *Consentiente domino gloriosissimo pióque rege Theodeberto*, & sic cæteræ: Dicamus amplius. Iustinianus ipse, cujus aliàs benignitate fretus insolescit Baronius, de

Explanatio sanctorum & venerabilium Conciliorum, ex habitabili orbe convocatorum Parisiis, apud Martinum Iuvenem. Ann. 1553

Zona. to. 3. p. 30.

Conc. Matiscon. & passim, Iunius controvers. 4. p. 186.

Concil. Constant. 5. collatione, 8.

Romano Episcopatu statuit. Anasthasius author nec Baronius ipse negat, qui Romanis optandum proponit, Vigilium assumpturi sint an Pelagium ipsius Archidiaconum: Nec id quidem de facto tantùm, sed de jure: Testis enim Onuphrius ex suo sinu productus his verbis, & Vigilio quidem ipso authore. *Gothis Italiâ omni per Narsem patricium expulsis, eâque cum urbe Româ Orientalis Imperij parte facta, sub Iustiniano Imperatore, & authoritate Papæ Vigilij novus quidam in comitijs Pontificijs mos inolevit. Is fuit, ut, mortuo Papâ, nova quidem electio, more majorum, statim à Clero, Senatu, & populo Romano fieret, verùm electus Romanus Pontifex non ante consecrari atque ab Episcopis ordinari posset, quàm ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata esset, ipseque literis suis patentibus licentiam electo Pontifici concederet, ut ordinari & consecrari posset, atque ità jurisdictionem Pontificatus tum obtineret. Pro quâ licentiâ obtinendâ electo necesse erat certam pecuniæ quantitatem Imperatori transmittere.* Hoc ab illâ suâ Donatione quàm procul abest: *Quâ veniâ obtentâ, ipse posteà consecrabatur & Romanum administrabat Pontificatum. Anteà enim idem dies comitiorum & consecrationis Pontificis renuntiati erant. Hoc autem ideo Iustinianum Imperatorem, vel ex ejus authoritate Vigilium Papam instituisse credendum est, ut Imperator certus esset de conditionibus novi Pontificis, cujus tum maxima esse authoritas cœperat, Imperatoribus præsertim Italiâ absentibus, ne aliquo Pontifice factioso, vel Imperatoris hoste ordinato Urbs & Italia eo authore ab Orientali imperio deficeret, séque finitimis Barbaris traderet, quod Silverium Papam aliquando quæsisse sibi persuaderet.* Et durasse hunc statum ad Benedictum secundum usque ex multis authoribus probat.

Onuph. in Pelagio a.

PROGRESSUS.

VIgilio in itinere mortuo succedit Pelagius primus. Is, quià Iustinianus eum nominaverat, ipsi gratificaturus, Episcopos Italiæ inconsultos ad Constantinopolitanam Synodum universalem quintam recipiendam, pro suâ authoritate, adigit: Et causabantur illi paucos Occidentales Episcopos interfuisse, Metropolitanum neminem.

OPPOSITIO.

QUia igitur verebantur, ne quid istic in præjudicium Chalcedonensis definitum esset, de totâ causâ sibi prius cognoscendum rati, recusant purè, Ligures nominatim, Veneti, Istri, inter quos primarij Macedonius Aquileiæ Episcopus, Honoratus Mediolani, Maximianus Ravennæ. Itaque Aquileiæ ad Synodum conveniunt omnes, Synodum Constantinopolitanam accipiant an repudient maturè deliberaturi: Cúmque inter has moras Macedonius, Aquileiæ Archiepiscopus, diem suum objisset, Honoratus illicò Mediolanensis Archiepiscopus Paulinum in ejus locum & ordinat & consecrat: Universi verò quorundam capitum prætextu, quæ illis non faciebant satis, Synodum Constantinopolitanam ejurant, seséque Ecclesiæ Romanæ authoritati subtrahunt. Pelagius tum per literas ad Narsetem confugere, rogare, insigniores quosque comprehensos Constantinopolim ad Imperatorem mittat, cæteros prò suo Imperio juxta legum rigorem coerceat. Ubi notare operæ pretium, Pelagium inter sibi illatas injurias non recensere, quod Paulinus, se inexpectato, Archie-

Sigon. de Imper. Occident. lib. 20.

chiepiscopus Aquileiensis consecratus sit, Pallium non acceperit: Quin potius id, quod Imperatoris intererat, urgere: *Recolere*, inquit, *debet celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo, Istriam & Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non antè tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad Clementissimum Principem exindè retulissetis, & quid fieri debuisset, ejus iterum scriptis recognovissetis.* Quarè castigare ne cunctetur, quandoquidem Canones istiusmodi homines ab Ecclesiâ extorres faciant: sin autem ne hac quidem ratione ab bonam frugem redeunt, *per potestates publicas opprimat:* Et Narses quidem, pro potestate, quod rogarat Pelagius, expedit, illos cohibere conatur. Verùm, ab eis ipse *propterea piorum communione secernitur.* Hìc rursum Pelagius æstuare, Narseti non jam suam sed propriam injuriam proponere, litem ut suam deinceps faciat, & etiam currenti calcar, irato bilem addere, Paulinum saltem, & Honoratum vinctos Constantinopolim transmittat, importunè instare: Unde extimulatus tandem Narses nonnullos comprehendit, alios in fugam compellit, in quibus Vitalis, Altini Episcopus, Moguntiam in Germaniam se recipit. Hinc verò est, quod nonnulli asserunt, Pelagium in schismaticos hæreticósve potestatem sæcularem, Decreto in eam rem facto, adhibuisse primum. In ipsâ Tusciâ, suburbicariâ licet provinciâ, non ei magis obtemperatum: ex suis *ad Gaudentium, Maximilianum, Geruntium, Iustum, Terentium, Vitalem & Laurentium, dilectissimos fratres per Tusciam Annonariam* clarum: In quibus graviter conqueritur, quod ab se secesserint, à communione proinde universi orbis, in eo præsertim, *quod inter sacra mysteria nominis sui memoriam reticeant:* Qui sanè omnes Episcopi, sedem Romanam ab errore perpetuò immunem, multo minus Romanum Episcopum, minimè existimabant: Maximè, cum Pelagius, ut suam fidem apud eos purget, confessionem suam mittere cogatur, quod in hac ipsâ Epistolâ legitur. Eò ventum, ut Episcopi Veneti, & Istri Aquileiensem Episcopum suis rebus prospecturum Patriarcham eligerent, quem exindè Episcopi Romani extinguere non potuerunt. Et hanc hujusce Patriarchatus originem agnoscit ipse Baronius. In Galliâ non ei plus juris indultum: Cum Synodus secunda Turonensis sese juxtà *conniventiam gloriosissimi Regis Chariberti annuentis* convocatam profitetur: Aurelianensis quinta *convocatam à clementissimo Principe Childeberto, pro amore sacræ fidei & studio religionis, cupiente ex ore patrum audire quod sacrum est, &* Parisiensis etiam secunda idem: Cum Pelagius ipse Childeberto Regi nostro in hæc verba scribit: *Quanto nobis studio ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo, obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus*, ità nempe, ut apud eos rectæ suæ professionis & fidei rationem reddant. Sequitur verò ratio ab hoc seculo longè abhorrens, *quibus nos etiam subditos esse sanctæ Scripturæ præcipiunt?* Cum denique in primâ Synodo Parisiensi sancitur: *Nullus civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissimâ quæsierit voluntate:* Et, *de actis ordinationibus Pontificum ita convenit, ut conjuncti Metropolitanus cum suis comprovincialibus Episcopis, vel quos vicinos Episcopos eligere voluerit, in loco ubi convenerit, juxta antiqua statuta Canonum, omnia communi consilio & sententiâ decernantur.* De Româ ne verbum quidem, quamquam non multo post tempore, Iohannes tertius, Pelagij successor, à tot repulsis nihilo verecundior, Germanis, & Gallis in universum, non inquam Episcopis tantùm in hæc verba scribere præsumit. *Omnia hæc decretalia, & cunctorum decessorum nostrorum constituta, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita vobis & omnibus*

Pelag. 1. Epist. 3.

Sigon. de Occidentali Imperio l. 20.

Ann. 556. Baro. To. 7. an. 556. art. 31.

Baro. To. 7. an. 570. art. 11.

Pelagij Epi. ad Childebertum, Satisdandum. 25. q. 1. Syn. Paris. C. 8. in 2. to. Conc.

bus Episcopis ac cunctis generaliter Sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. At nihilominus sanè Urſicinum Cadurcenſem Epiſcopum, quod rebellem Gondebaldum contrà Regem Guntramnum ſuſcepiſſet, in Synodo Matiſconenſi excommunicatum legimus: mox culpam confeſſum, capillos aut barbam tondere, vinum bibere, carnes edere, officium celebrare, communionem diſtribuere, triennij ſpatio prohibitum: ut id abſolutæ & ſummæ poteſtatis ſpecimen nobis ſit, quam in Coepiſcopos Epiſcopi noſtri olim retinebant; & hæc porrò Synodus Guntramni juſſu indicta. Nec mirum, cum Iohanni in ipſâ Italiâ minus obſequerentur, quando, ne quicquam tumultuante Pelagio, Eccleſiæ Aquilejenſis, Ravennas, Mediolanenſis etiamnum in inſtituto perſeverabant: Ravenna quidem, jam inde ab Honorij Imperatoris tempore, Imperij ſede decorata. Demùm verò à ſucceſſoribus, unde res Orientis propius ſpectarent, delecta. Ravenna rurſum in quâ hoc ipſo tempore Iuſtinus ſecundus Exarcham, id eſt, ſummum in Italiâ Vicarium, Longinum Patritium conſtituit, qui omnibus Ducibus & provinciarum Præfectis & magiſtratibus imperitet, ingruentibus in Italiam Longobardis præcipuas quaſque urbes præſidio communiat, Romam adeò & Ravennam ipſam. Quo factum, ut ex unâ parte Epiſcopus Romanus in temporalibus nihil omninò juris haberet, ne Romæ quidem, quem Exarcha in ordinem ſubinde cogeret. In ſpiritualibus ex alterâ parte intrà ſuos limites coerceretur, quatenus ſpiritualis poteſtas, non ſecus ac umbra corpus, temporalem ſubſequi ſolita, prout Ravennæ adcreſcebat, declinare videbatur. Adde Aquileiæ & Mediolani Romani Epiſcopi non magnam rationem tùm habitam, quarum Epiſcopi ab ejus poteſtate immunes: quandoquidem Aquileienſis Eccleſia, contra ſedis Romanæ uſurpationes, quas Petri nomine fulciunt, ſeſe Marci Euangeliſtæ fundatione tuebatur, multis cæteroqui innocentiſsimis Epiſcopis & Martyribus olim nobilitata. Mediolanenſis Barnabæ Apoſtolatu, Ambroſij ſaltem Epiſcopatu præfulgida, Romanæ aut nihil, aut parum concedebat. Utraque magno Epiſcoporum ſuffraganeorum numero ſuffulta. Adde in fumoſo ſucceſsionis Petri titulo non illos fortè multùm roboris conſtituiſſe, quem obtendere longè facilius eſſet, quam probare: Et hæc Sigonius ipſe agnoſcit, Paparum licet Hiſtoriographus: Guicchardinus etiam his verbis. *Hac tempeſtate, qua uni Hexarcho obtemperabant, Romani Pontifices civilis poteſtatis penitus expertes, atque in mortalium animis admiratione & obſervantiâ, moribus ipſorum ab illâ priſtinâ puritate jam fatiſcentibus, obſoleſcente, tanquam Imperatoribus ſubjecti, ætatem agebant: ſine quorum & eorum, quos Hexarchos diximus appellatos, authoritate, quamvis Sacerdotum populique Romani ſuffragijs renuntiati, neque ſe pro Pontificibus gerere, neque pontificatum capere audebant: quin etiam Epiſcopi Conſtantinopolitanus & Ravennas, quoniam religionis ſedes imperij atque armorum potentiam ſequi conſuevit, cum Romano Epiſcopo ſæpenumero de principatu diſputabant.* Et horum nos in proximè ſequentibus exempla videbimus.

Gregor. Turonenſ. lib. 8. C. 20.

Sigon. de regno Italiæ l. 1.

Guiccihar. Hiſt. lib. 4. Idem in duobus locis reponendis. Sabell. Ennead. 8. lib. 5.

PROGRESSUS.

SYnodus Conſtantinopolitana, & Chalcedonenſis ſecunda & quinta Univerſales, Conſtantinopolitanum Epiſcopum Romano in omnibus dignitatibus & pri-

& privilegijs, uti vidimus, exequârant, pro ratione loci, quem utraque civitas in temporalibus æqualem, exceptâ tantum primæ sedis prærogativâ, tunc temporis obtinebat: Verùm id Romanus ægrè ferebat, non minus æqualis, quàm Constantinopolitanus superioris impatiens. Ut igitur Romanus in omnibus actibus sese pro Universali gerere nititur, Ioannes Quartus *Iejunator* dictus, Constantinopolitanus Episcopus, antevertendū ratus, Oecumenici authoritatem exercere satagit:
Ann. 580. Idque sub annum 580. eò audacius, quod imperiale solium Constantinopoli constabilitum videt, Ravennæ Hexarchatus sedem, Romam à Longobardis obsessam, Romanum proindè Episcopum in eas angustias redactum, ut Pelagius secundus, pendente obsidione, per obitum Benedicti primi electus, ad Imperatorem mittere non possit, qui consensum ejus obtineat. Quo fit, ut, solutâ per imbres obsidione, Gregorium Diaconum Constantinopolim adire necesse sit, qui Imperatorem placet, quia, inquit Platina: *Nihil tum à Clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi ejus electionem Imperator approbasset.* Et hunc nos Episcopi Constantinopolitani conatum inter Ecclesiasticæ tyrannidis progressus recensemus, quia singulari deinceps solertiâ Episcopi Romani impium hunc ausum in suum usum & augmentum convertunt, ut Constantinopolitanus gustum illis exacuisse, audaciam excitasse tantùm videatur.

Platina in Pelagio 2.

OPPOSITIO.

PElagius secundus igitur, obsidione Urbis levatus, animum recolligit & ad omnes Episcopos scribit, *qui illicitâ vocatione Iohannis Constantinopolitani Episcopi*, (sic ibi loquitur,) *ad Synodum Constantinopolim convenerant.* Ibi, postquam illud suum, *Tu es Petrus*, libravit variè & vibravit, declarat, absque sedis Romanæ authoritate, convenire illis nefas fuisse, conventum illum suum Synodum non esse, non dici posse, conventiculum imò, à quo illis discedendum sit, nî sedis Apostolicæ communione privari velint. Ad rem ipsam: non posse illos Constantinopolitanum pro universali agnoscere, si cum cæteris Episcopis communionem servare in animo habent: *Etenim*, inquit, *nullus Patriarcharum hoc tam profano vocabulo unquam utatur, quia, si Summus Patriarcha*, (& talem se primæ sedis ratione gerebat) *universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogat: Sed absit hoc, absit à fidelis cujusquam mente, hoc sibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videant. Quapropter charitas vestra neminem unquam suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.* Qui locus verbatim Decreto Gratiani insertus: tantum ubi Pelagij epistola habet, *Summus Patriarcha*, Gratianus legit, *unus*. Summa licet disertè in ipsâ editione Gregorianâ: *Nec etiam Romanus Pontifex universalis est appellandus.* Pergit Pelagius in Epistolâ sententiam hanc suam ratione communire: *Adversarius namque noster diabolus, qui, contra humiles sæviens, sicut Leo rugiens circuit, quærens quem devoret, non jam caulas circuit, sed ita validè in quibusdam membris Ecclesiæ necessarijs dentem figit, ut nulli sit dubium, quia nisi unanimiter (favente Domino) cunctorum provida pastorum turba concurrat, omne citius ovile dilaniet. Perpenditis, fratres charissimi, quid è vicino subsequatur, cum & in sacerdotibus erumpunt tam perversa primordia. Quia enim juxtà est ille, de quo scriptum est: Ipse est rex super universos filios superbiæ, quod non sine gravi dolore dicere compellor, dum frater & coepiscopus noster Iohannes mandata dominica, & Apostolica præcepta, regulasque Patrum despiciens,*

Pelag. 2. in Decretis. To. 2. Conc.

D. 99. C. Nullus 4.

ens, *eum per elationem præcurrere conatur in nomine*(nempe Antichristum) quo loco illum Apostoli, secundæ ad Thessalonicenses secundo capite, apertè alludit, bi Apostolus, ὑπεραιρόμενον *elatum, vel qui sese extollit suprà id omne, quod dicitur Deus* 2. ad Thess. 2. v. 4.
ut numen. Subjungit & secundam rationem, cui veteratores hodierni nihil habent quod opponant: Quod *ex eâ, quam prætendebat, humilitate, universa sibi tentet adscribere, quæ soli uni capiti cohærent, videlicet Christo.* Idque à tentatore profectum, qui eâdem superbiâ primum hominem tentavit: Itaque quod Episcopi Romani postmodùm aut fecerunt, aut præ se tulerunt, numnon à spiritu eodem? *Omnibus igitur viribus, favente Deo, concurrendum atque providendum, ne in unius veneno sermonis viventia in Christi corpore membra moriantur. Si enim dici hoc licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur, & fortassè is in errore perit, qui universalis dicitur, & nullus jam Episcopus remansisse in statu veritatis invenitur, &c. Oportet ergo, ut constanter sine prejudicio servetis, sicut accepistis, Ecclesias, & nihil sibi in vobis hæc tentatio Diabolicæ usurpationis adscribat. State fortes, scriptâque universalis nominis falsitate, nec dare nec accipere præsumatis.* Hæc ita tamen ut perpetuò eos commoneat, Nicænos Canones observent in his, quæ ad Ecclesiæ Romanæ Primatum pertinent, ad quam majores quæque causæ referendæ sint, cum tamen nihil tale in is reperiri suprà ostenderimus. Gregorius ipse Pelagij tum Diaconus, mox successor, in Epistolâ ad *Iejunatorem* illum, de hoc negotio verba faciens. *Qui enim indignum te esse fatebaris, ut Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut, despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari: Universalem*, an *solum* se dicat perindè illi est. De Synodo verò Constantinopolitanâ, in Gregorij Antiocheni Gregorius Magn. li. 4. Epist. 38.
causâ, Pelagius, inquit, *omnia gesta ejusdem Synodi, præter illa, quæ illic de causâ venerandæ memoriȩ Gregorij Episcopi Antiocheni sunt habita, validâ omninò districtione cassavit & dissolvit, propter nefandum elationis vocabulum, & Archidiaconum, quem juxta morem ad vestigia Dominorum transmiserat*, (adverte Lector hæc verba) *Missarum nobiscum solennia celebrare prohibuit.* Quæ in Epistolâ ad Eusebium Thessalonicensem totidem ferè verbis. Et hæc igitur inter Episcopos veteris & novæ Romæ tunc gerebantur, in quibus notandum, Pelagium, sub excommunicationis pœnâ, Universalis & nomen & rem damnare, nemini nisi Præcursori Antichristi servata, velle, idque solidis & perpetuis de causis, in primis propter honorem uni Christo debitum, uni Christo tribuendum. Idem lib. 7 Epist. 69.

Notetur etiam sub id temporis, cum Chilpericus Francorum Rex Synodum Episcoporum, causam Prætextati Episcopi Rotomagensis judicaturus, convocasset, quem intereà in exilium miserat, declarasse se in eum, ob ingentia crimina & flagitia, jure agere quidem potuisse, sed audientiæ illorum præsentatum velle, ne Canonibus contradicat: Tum verò Gregorium, Episcopum Turonensem, Prętextati licet fautorem, ingenuè professum, *Si quis de nobis, ô Rex, justitię tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest.* Sicque, nihil obstantibus amicorum studijs, propriâ confessione convictum in exilium relegatum esse. Sic & Guntramnum Catalauni ad Ararim (Lugduni dicit Gregorius) Synodum contra Saloninum Ebrodunensem Episcopum, & Sagittarium Vapicensem indixisse, qui gravium criminum rei peracti, exauctorati & Sacerdotio dejecti fuerunt: & præside quidem Nicetio Lugdunensi episcopo, quem Turonensis Patriarcham cognominat. Cum verò aliquo post tempore, sibi injuriam factam conquesti, Regem rogarent, Episcopum Romanum de suâ causâ rursum cognoscere permitteret, amicorum precibus id dedisse, ad eumque rescripsisse, non utique quod hæc cognitio ad eum pertineret, sed

Ann. 580. Gregorius Turonens. l. 5. c. 18. Aimoinus Monach. l. 3. c. 26. 27. 28. Gregorius Turon. li. 5. c. 20.

ſed Conſtantini exemplo, qui Miltiadis Epiſcopi Romani & aliorum trium judicio Donatiſtarum cauſam lubens commiſerit. Gregorius ſanè in hæc verba: *At illi, cum adhuc propitium ſibi Regem eſſe noſſent, ad eum accedunt, implorantes ſe injuſtè remotos, ſibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis Epiſtolis eos abire permiſit.* Ex quibus tamen Baronius à Synodis noſtris Romam appellatum colligit: Quos, ſi ſanè appellationi locus, quis in continenti ſtatim poſt Synodalem ſententiam appellaturos fuiſſe dubitat? Et porrò illis ad gratiam Principis per libellum ſupplicem recurrere quid opus? De Synodorum Nationalium denique indictione, occurrit hic Valentina vigeſimo quarto anno Gunthramni habita, cujus verba: *Cum in urbe Valentinâ juxta imperium glorioſiſſimi Domini Gunthramni noſtra mediocritas pro diverſis pauperum querimonijs conveniſſet:* Catalaunenſis etiam & Matiſconenſis, *ex juſſu Principis:* Et ſic Gregorius ipſe: In Hiſpaniâ Toletana tertia: *Cum pro fidei ſuæ ſinceritate Richaredus glorioſiſſimus Princeps omnes regiminis ſui Pontifices in unum convenire mandaſſet.* Richaredus vero ipſe, *ad hanc vos peragandam congregavimus Synodum:* ſed quia hæc in primis celebris, tum Regis, tum Gotthorum converſione conſpicua, Baronius hanc laudem Pelagio ſecundo deberi vult: *Non ſine ſcientiâ, atque conſenſu ſimulque authoritate Pelagij Papæ generale hoc celebratum eſſe Concilium.* Quin ait, *Sanctus Leander huic interfuit, & præfuit legatione functus pro Romano Pontifice.* Verùm, cum Patres Synodi dicant, Leander adeò ipſe, *Rex mandavit*, quid habet quod opponat? Cum nulla hîc Leandri Legati mentio, nulla Papæ Romani: Leander ipſe in oratione, quâ Deo gratias agit ob regis gentiſque converſionem, pro Legato nullatenus ſe gerat? Cum etiam rex primo loco ſubſignat, Metropolitani demùm, Emeritenſis ex Luſitaniâ, & Toletanus, Mauſonius & Euphemius. Leander tertio loco, *Bæticæ provinciæ Metropolitanus*, non jam legatus? Num is, Baronium ipſum teſtor, Legati locus? Adde in quibuſdam exemplaribus Leandri nullam mentionem. Cùm denique non Iſidorus in Chronico, non in ipſius Leandri vitâ tale quidquam habeat: ut Baronium ſua hîc ſomnia non Annales ſcribere meritò quis dicat. Dicamus idem de Synodo, quam eodem tempore Richaredus Narbonæ indixit: quæ ſeſe *per ordinationem glorioſiſſimi Richaredi* congregatam dicit, & canonem porrò inſignem edit: *Ut nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem, ut ſicut eſt devotio in mente, ita & oſtendatur in corpore, quia purpura maximè laicorum poteſtate præditis debetur, non religioſis. Quod ſi quis non obſervaverit, velut tranſgreſſorem legis coercendum.* Baronius hunc ictum exiturus ſummum Iudæorum Sacerdotem intextâ purpurâ uſum hîc objicit. Ergóne illis umbras omnes Iudaicas in uſum revocare ratum? Cæterùm reſtabat adhuc in Italiâ Iſtriæ & Venetiæ Epiſcoporum certamen, ſedi Romanæ obſequium denegantium: & ex Epiſtolis Pelagij ſecundi apparet ſatis, etiamſi mutuæ illorum deſiderantur, titulum illi ſuum controverſum feciſſe, cùm ſibi reſponſionem mitti *tanquam rem judicatam* conqueritur: tam ſedulò etiam inculcat, Leonem primum Synodum Chalcedonenſem tantùm confirmaſſe in ijs quæ fidem ſpectant, cætera retractaſſe, ea utique, quæ Epiſcoporum ordinem intuebantur. Certum tamen eum ſuaſionibus ſuis nihil effeciſſe, coactum tandem Smaragdi Exarchæ opem implorare, qui copijs ſuis ad Pelagij libidinem abutitur. Paulus Diaconus: *Smaragdus Patricius*, inquit, *veniens de Ravenna in Grados, Severum per ſemetipſum à Baſilicâ extrahens Ravennam cum injuriâ duxit, cum alijs tribus ex Hiſtriâ Epiſcopis, id eſt, Iohanne*

Baron. To. 7. an. 570. art. 23. & 24.

Ann. 589.

Baron. To. 8. ann. 598. art. 30. extra locum.

Pelag. 2. Epiſt. 1. ad Epiſcop. Iſtriæ.

Paulus Diaconus lib. 3. de Longobar. geſtis cap. 27.

nne Parentino & Severo atque Vindemio : Quibus comminans exilia atque violentiam in-rens, communicare compulit, Iohanni Ravennati Episcopo trium capitulorum damnato-. Addit verò, cum anno exeunte Ravenna Gradum redijssent, postquam nem-e Papæ fecissent satis, *Plebem ijs nec communicâre voluisse, nec cæteros Episcopos illos cepisse.*

PROGRESSUS.

)Elagio secundo, annum sub 590. succedit Gregorius Magnus, quo sedente Io- hannes ille quartus Episcopus Constantinopolitanus cœptum opus prosequi-ur. Hoc enim negotium singulari Dei providentiâ acrius tractari oportuit, ut & piscopi Romani & præ cæteris Gregorius ore proprio in semetipsos sententiam rrent. Iohannem fovebat Mauritius Imperator, cujus Constantinopoli sedes, & se eâ ratione imperium suum communiens, cujus ad Gregorium literæ, pacem : cum Iohanne & concordiam servet, commonefaciunt: Gregorium alioqui, qui umiliori titulo contentus, suos fines nihilo extendit minus.

OPPOSITIO.

S igitur ejusmodi literis offensus Mauritio & Augustæ scribit : Augustæ qui-dem, *Mauritium, quod Dominum religiosum decuit, fecisse, qui talia Sacerdotibus præcipe-t: Sed*, inquit, *per omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora per-ittatis unius hominis elatione maculari*, ad illum perpetuò ὑπεραιρόμενον *elatum* allu-ens, de quo, secundæ ad Thessalonicenses secundo capite: *neque tam perverso voca-ulo ullum quoquo modo præbeatis assensum* : Item: *Triste valde est, ut patienter feratur, uatenus despectis fratribus, prædictus frater & coepiscopus meus solus conetur appellari piscopus.* Ac proindè Gregorio *Universalem* aut *solum* Episcopum dici omninò dem : *Et in hac ejus superbiâ quid aliud nisi propinqua jam Antichristi esse tempora de-gnatur? quia illum videlicet imitatur,* (Luciferum) *qui spretis in sociali gaudio Ange-orum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens : Super astra cœli xaltabo solium &c. & ero similis Altissimo.* Mauritio, eodem sensu, *Cunctis Euan-elium scientibus liquet, quòd voce Dominicâ, sancto & omnium Apostolorum Petro prin-ipi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est, &c. Cura ei totius Ecclesiæ, & princi-atus committitur, & tamen universalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus con-acerdos meus Iohannes vocari universalis Episcopus conatur. Exclamare compellor, ac icere, ô tempora, ô mores: Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorum juri sunt tradita. Destructę urbes, eversa castra, depopulatæ provincię, nullus terram cultor inhabitat, & amen Sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina xpetunt & novis ac prophanis vocabulis gloriantur.* Quibus verbis *universalis* titulum urè damnari nemo non videt: Non in quovis alio minus, quàm in Iohanne ipso: Quare adversa quasi vestigia sequutus, primus appellari voluit, *servorum servus:* Cu-us in eo exemplum posteri imitati. Pergit ulterius Gregorius, & Eulogium Ale-xandrinum, Anasthasium etiam Antiochenum causæ suæ adstipulatores adsciscit, t communi manu *suę elationis rigorem* impediant, ijsque obiter persuadeat lubens, oblatum Episcopo Romano olim à Synodo Chalcedonensi *universalis* titulum, quod quàm falsum ex perpetuis Synodi Actis supra evicimus. At, eò interim re-lit, ut apertè dicat. *Nullus unquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti con-*

Greg. lib. 4. Epist. 34.

Esaiæ 14.

Greg. Epist. 32. lib. 4.

Epist. 36.

consensit, quia videlicet, si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, inquit, *absit à Christianâ mente, id sibi velle quempiam arripere: Propterea sanctitas vestra in suis Epistolis neminem unquam universalem nominet*: Et hîc inculcat quod supra Pelagius: *Quia juxta est ille, de quo scriptum est: Ipse est rex super universos filios superbiæ, quod non sine gravi dolore dicere compellor: Frater & Coepiscopus noster Iohannes, mandata Dominica, Apostolica præcepta, regulas Patrum despiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine, ita ut universa sibi tentet adscribere, & omnia quæ soli uni capiti cohærent, videlicet Christo*. Eodem candore ad ipsum Iohannem Constantinopolitanum scribens: *Eo tempore, quo indignum te esse fatebaris, ut Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut, despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari*, &c. *Tu quid Christo, universalis scilicet Ecclesiæ capiti, in extremi judicij es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris universalis appellatione supponere? Quis rogo in hoc tam perverso vocabulo, nisi ille*, (Lucifer) *ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus, secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur?* &c. Et totum hunc Esaiæ locum ei fusissimè accommodat. *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Iohannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesię. Tamen nullus*, eorum nempe, *unquam se universalem vocare voluit, quo nomine vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit, nullus hoc temerarium nomen sibi arripuit, &c*. Non igitur Petrus ipse, non proindè ejus obtentu Pontifex Romanus. Quin audi quod sequitur. *Filioli novissima hora est, secundum quod Christus prædixit. Pestilentia & gladius per mundum sævit*, &c. *Omnia quæ prædicta sunt fiunt. Rex superbiæ propè est, & quod dici nefas est, Sacerdotum præparatus est exercitus: quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis*. Rex superbiæ utique, Antichristus: Cleri satellitio fretus: de cujus *elatione* & Paulus 2. ad Thess. 2. & ex Paulo ipse passim Gregorius. Notandum verò Sabiniano Diacono in mandatis dedisse, Missarum solennia cum Iohanne ne celebraret, nisi ab universalis titulo abstineret. Cyriaco rursum Iohannis successore iisdem vestigiis insistente, Gregorius Anasthasium Episcopum Antiochenum his verbis affatur. *In suscipiendâ fratris & consacerdotis nostri Cyriaci Synodicâ Epistolâ dignum non fuit, ut pro causâ prophani vocabuli moras facerem ne unitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem: sed tamen de eodem superstitioso & superbo vocabulo* (universalis) *eum admonere studui, dicens, quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret*, &c. *quia, si hanc æquanimiter portamus, universæ Ecclesiæ fidem corrumpimus, &c. Et ut de honoris vestri injuriâ taceam, si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc levitas ab auribus meis*. Imò Cyriacum ipsum per literas rogat, *ut in hoc primum opere verbum superbiæ, per quod grave scandalum in Ecclesiis generatur, auferre festinet. Nam*, inquit, *quisquis se contrà Deum honorari appetit, mihi honorabilis non est. Universalem* qui se dicit, *contra Deum* facere innuens. *Et quia hostis omnipotentis Dei Antichristus juxtà est, studiosè cupio ne proprium quid inveniat, non solùm in moribus, sed etiam nec in vocabulo sacerdotum*. Ut autem Mauritius Imperator præcipit, *ne, frivoli vocabuli prætextu*, scandalum inter eos oriatur, *Rogo*, inquit, *ut Imperialis pietas penset, quia alia sunt frivola, valdè innoxia, alia vehementer nociva. Numquid non, cum se Antichristus Deum dixerit, frivolum valdè erit, sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ. Si verò pondus iniquitatis*,

Epist. 38.

Esai. 14.

Greg. lib. 6. Epist. 24.

Epist. 28.

Epist. 30.

tis, universa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Antichristum præcurrit, quia superbiendo cæteris se præponit. Nec dispari superbiâ ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super cæteros sacerdotes se extollit. Et eodem sensu ad Eulogium Alexandrinum Episcopum. Ne verò sibi servasse Gregorium dicant, quod Iohanni ereptum volebat, ad Eulogium rursum. *Indicare vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens, sicut jussistis. Quod verbum jussionis peto à meo auditu removete: quia scio qui sum, qui estis: Loco enim mihi fratres estis, moribus Patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi. Non tamen invenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Nam dixi nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere: Et ecce in præfatione Epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima sanctitas vestra mihi non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plusquàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quero prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesię. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba, quę unitatem inflant, charitatem vulnerant.* Qui locus sigillatim Decreto insertus, ut Gregorius decimustertius, in eo reformando non aliud remedium nactus, Gregorium Magnum ejurare cogatur.

Greg. lib. 7. indict. 1. Epist. 30.

D. 99. C. Ecce in Præfat. 5.

Ne interim existimes aut Gregorium aliquid de suo amissum velle, aut alieno invadendo invigilare minus. Etenim ex ipsius Epistolis liquet satis, fimbrias suas quam strenuè extendat, nullam non occasionem amplificandæ authoritatis, non in Italiâ solùm, sed in cæteris Occidentalibus Provinciis aut venetur aut captet: Dum modò dissensionum inter Ecclesias exortarum arbitrum & judicem se constituit, modò defensorem & asylum eorum, quos Metropolitanorum censuræ malè habebant, quorum exempla passim extant. Quin, si nonnullis Epistolis fides, quæ ei tribuuntur, Archiepiscopale Pallium jam tum inducit, quo honorificè donaret, quos sedis suæ obsequiis obstringere vellet, quale illud Vigilio Arelatensi Episcopo missum, quorum vices sedis suæ, quas postularat, in Ecclesias Regis Childeberti ei demandat: specie, si ita est, ut ejus vigilantia in doctrinam & mores crescat: re ipsâ, ut & ejus cupiditatem impleat, & suæ ipsius servire compellat. Verùm optimè notatum, non esse illas ejus temporis, quandoquidem tota Gregorij Turonensis, & quidem contemporanei, historia docet satis, Episcopos & Metropolitanos nostros à Romanis nulla tum mandata accepisse: De pallio etiam illo suo nihil dum inaudivisse, cum in tot Episcoporum mutationibus nusquam ejus meminerint, falsa proinde & ineptè conficta hæc verba, *quod juxtà antiquum morem Pallij usum, ac vices Apostolicæ sedis postulasti:* Et, *cum priscam consuetudinem fraternitas vestra repetat.* Quibus Vigilio imponitur quod usum Pallii, quod vices sedis Romanæ *juxta antiquum morem* postulet. Verisimile etiam non videri, Childebertũ ab Episcopo Romano postulasse, ut Vigilium Ecclesiis sui regni præficeret, Arelatensem utique Episcopum Gunthramni Regis subditum, cui cum illi frequentes rixæ; Adde Gregorium disertè Augustino Legato suo prohibe-

Gregor. li. 4. Epist. 51. & 52.

Idē ad interrogationes August. cap. 9.

re, ne in Ecclesias Galliæ ullam jurisdictionem exerceat. *In Galliarum Episcopos*, inquit, *nullam tibi tribuimus authoritatem, &c.* Ipse, *authoritate propriâ Episcopos Galliarum judicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando.* Aliâs, inquit, id esset, *falcem judicij mittere in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa. Quicquid vero ex authoritate agendum est, cum prædicto Episcopo Arelatensi agatur:* nempè cujus jurisdictio Lugdunum usque porrigebatur: Idem verò de Pallio, ad Siagrium Episcopum Augustodunensem missо, dicendum: & plura ejusmodi commenta in his Epistolis occurrunt, vel à privilegio sancti Medardi Suessionensis sumpto exemplo, quod anno 593. indictione undecimâ datum volunt, in quo subsignat Rex Theodoricus in urbe Suessionum, quam nunquam ingressus, adhuc infans, loquelæ adeò impos: Adde, non eam tum Pontificibus subscribendi rationem, quod notius quàm ut ullâ probatione indigeat: In summâ, abhorrebat adeò Gregorius ab hoc *universalis* titulo, cùmque dignitati Christi injuriosum, Antichristi superbiæ comsonum adeò arbitrabatur, ut quem ab alio usurpatum seriò damnabat, sibi delatum non minùs execraturus esset, quasi, si semel in Ecclesiâ reciperetur, Antichristus protinus eam invasurus esset.

Gregor. li. 12. Epi. indictione 7. sub finem.

Baron. To. 8. an. 595. art. 27.

Hîc, quid Baronius reponat, videamus: *Gregorius*, inquit, *in hac suâ humilitate imitatur Filium Dei, qui cum Satana, non in suâ majestate, sed in nostrâ congressus est humilitate, contra Iohannem agens, se deprimit, ut lapsum in profundum sursum sublevet.* Amabo, Lector, hæccine stropha tantos ictus, in suum caput impactos, eludet? Et Christus Dominus ut Satanam vinceret, se ne Satanam fecit? Et quid aliud hic Gregorius, si se *universalem* credit, qui, quemcumque hunc titulum sibi vendicantem, nemine excepto, præcursorem Antichristi, imò Antichristum, imò Satanam ipsum pronuntiat? Secundò: Gregorius, inquit, non vult universalis appellari eo sensu *ut sit Pater universi orbis*: Cæteri enim Episcopi non sunt ejus filii, sed fratres, sed alio utique, quo nempe Coepiscopi fratres sint, à quibus nihilominus omnibus superior agnoscatur: Etenim eum sibi ipse titulum tribuit in Epistolâ *de privilegijs sancti Medardi ad omnes Episcopos.* Verùm, huic distinctioni apud ipsum Gregorium quod fundamentum? qui toties inculcat: *Nemo unquam eo nomine appellari voluit:* Cum Patriarchæ confratres id nominis indistinctè ei tribuunt, graviter offenditur, contumeliæ sibi ducit? Et bonus iste Annalista noster non aliud instrumentum nactus, cum hoc privilegium primo quoque intuitu refellatur? cum, vel ipso confitente, ab Episcopis subsignatum legatur, qui nondum ordinati, Augustino Cantuariensi, Mellito Londinensi, qui nondum in Angliam trajecerant Eulogio Alexandrino ad hanc subsignationem undenam evocato? Cum à Theodorico Rege subscriptum dicatur, adhuc puero, quin & lactente, quo tempore Childebertus & Gunthramnus in Galliâ Reges. Et quis ergo ejus tenorem magis, quàm subscriptionem tueri velit? Ex subscriptione totum contextum non explodat? Nec interim eum pudet ex hoc adulterino instrumento, quod ipse cancellavit, obelo transfixit, non modo jus sumere, sed in principes, in Reges jure agere: Ibi enim Gregorius, inquit, *Sedes hæc Romana speculationem suam toti orbi indicit*: Non illi religio Latij Episcopum tam barbaris verbis inducere? Imo, inquit, *Si quis Regum, Antistitum, judicum, vel quarumcunque secularium personarum hujus Apostolicæ authoritatis & nostræ præceptionis decreta violaverit, aut contradixerit &c. cujuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo privetur, & corpore ac sanguine Domini nostri Iesu Christi* se-

Idem art. 32. 34. 35. & seq.

Gregorius post Epist. 31. lib. 7. seu l. 12. Epist. 32. Veter. Edition.

Ibidem an. 593. art. 81.

sequestretur. Nempe, Baronius ait, Reges suis sceptris, ob violatum tantum Xenodochij privilegium, privati, privandi, & sic intellexit, usurpavit etiam Gregorius septimus: Ergo ne, quem tam gnaviter improbavit nummum, jam tam graviter nobis obtrudet? Regibus adeo ipsis formidini futurum? Tertiò: Cum, inquit, Pelagius Gregorij prædecessor dicit in primâ Epistolâ: *Nullus Patriarcharum hoc tam profano unquam usus est vocabulo*, quatuor Orientis Patriarchas intellectos, Romanum exceptum voluit: illis utique ablatum, quod sibi raperet, eòque Gregorij ad Natalem Epistolam detorquet, ubi de quatuor patriarchis sermo, quæ ad quæstionem nihil facit. Verùm, ne à textu ipso discedamus, quis non ejus causâ erubescat? Sequuntur enim sine medio hæc verba: *Nam si summus Patriarcha* (qualem se totâ Epistolâ gerit) id est, primus, *universalis dicitur*, *Patriarcharum nomem cæteris derogatur: sed hoc absit, absit à fidelis cujusquam mente*, &c. Summi enim Patriarchæ dignitatem, dicat nobis Baronius, num alicui ex Patriarchis Orientis concedit? An semetipsum inter infideles collocat, Aut saltem cum subiungit: *Quapropter charitas vestra neminem unquam in suis Epistolis universalem nominet*, sese ne ex hominum numero eradi voluit? Quartò. Hic ipse Iohannes, inquit, qui sibi hunc titulum arrogabat, Gregorium caput agnovit, eo nomine ei obsequium præstitit, in causâ nominatim Iohannis Chalcedonensis Presbyteri, hæreseos damnati, appellationem Romæ discuti passus est: eòque adducit Gregorij, tum ad Iohannem Constantinopolitanum, tum ad Narsetem Epistolas. Et in illâ quidem invenimus conqueri Gregorium, quod cum de hoc Iohanne & de quibusdam Isauriæ Monachis, fustibus cæsis, Iohanni Constantinopolitano bis scripsisset, rescripserit, *se nescire quâ de causâ scribere*, unde graviter stomachatus rescribit, si respondisset se eas personas fiducialiter ad eum *transmissurum & quæ ei de Canonibus suppetunt* omissurum, quod & ad Narsetem repetit. Id enim sibi arrogasse quis dubitat? Sed hoc totum quàm procul ab appellatione Romam delatâ, Romæ ex formulâ denuntiatâ, cum appellationis, aut appellantis ne vox quidem audiatur. Ex Epistolis verò decimâ quintâ, decimâ sextâ, decimâ septimâ, libri quinti, nil aliud obtineat, quàm quod Ioannes ille Presbyter, sese injustè oppressum causatus, ad Gregorium confugit, qui ejus causam in Synodo denuò examinat, Orthodoxum ut ex suâ professione cognovit, Constantinopolitanum Episcopum rogat, eum benignè recipiat, à suis judicibus quippe injuriâ affectum: Mauritium etiam Imperatorem, ut authoritatem suam adhibeat, quod perpetuò, non appellationem quidem, sed antiquum illud refugium sapit, apud primarias sedes olim invicem usurpatum: quo Romanus inde Episcopus ad dominationem gradatim abusus. Ejusdem juris est, quod de Adriano Thebarum Episcopo adducit, cujus Gregorius causam relegere dicitur: Appellatio enim cujus in hac accusatione mentio, quæ partim civilis, partim Ecclesiastica fuit: Ad forum civile spectat in eo, quod eam imperator Iohanni primæ Iustinianæ Episcopo primùm commiserat: ad forum Ecclesiasticū in eo, quòd Episcopatu exauctoratus fuerat. Gregorius sanè emendatè loquitur: *Post longas tribulationes suas, quas Adrianus Thebanæ Civitatis Episcopus à consacerdotibus suis, velut ab hostibus pertulit, in Romanam civitatem confugit.* Item, *ad Romam urbem veniens, lachrymabiliter est conquestus:* Et cætera exempla non meliori fide usurpat. Quintò, Gregorius, inquit, etiam Orientalibus Pallium distribuit. Et illud quidem ab ipsis Christianæ Ecclesiæ incunabulis falso introducere nobis voluit. Ubicumque etiam Episcopus Romanus alicui scripsit, *vices tibi meas committo*, Baroni-

Gregor. 7. l. 8. Epi. 21. & l. 4. Epi. 2. & 23.

Gregor. l. 2. Epist. 37

Pelagii. 2. Epist. 1. ad universos, Episcopos.

Baro. Vol. 8. an. 595. art. 34.

Gregor. li. 2. Epist. 52. & 64.

Gregor. l. 5. Epist. 15. 16. 17. & l. 2. Epist. 6. & 7.

ronius audacter, *Pallium ei mittit*, quod jam tot interjectis seculis nusquam memoratum, quasi ex machinâ producit. Quâ demum fide videamus, ad res licet novas præcipiti gradu omnia deinceps ferantur: Sanè Epistolam libri quarti quinquagesimam quintam profert, ubi Iohanni Corinthiorum Episcopo donatum contendit. Sed Gregorius magis sobriè: *Novit fraternitas vestra, quia prius pallium, nisi dato commodo, non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto Concilio tam de hoc, quàm de ordinationibus aliquid accipere sub districtâ interdictione vetuimus. Oportet ergo ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci.* Eodem argumento quidni dicat & cæteros ordines misiisse? At certè, ut Episcopus Constantinopolitanus jurisdictionem ad se quantum poterat contrahebat, ita & certatim Gregorium idem fecisse, quasi prædæ & direptioni expositâ Ecclesiâ, ultro fatemur. Et hinc tot illius ad Græcos Epistolæ: Sed de potestate, quam in Ecclesiam usurpabat, hactenus.

Gregor. li. 4 Epist. 55.

Iam Baronius in Imperatorem Mauritium tanquam oestro agitur, quem tamen plerique Historici commendant: quòd ex prædecessorum lege Gregorium in Episcopatu confirmet: Gregorio tantumnon ipsi infensus, qui id patiatur: Tandemque eò redit, ut Tyrannum fuisse definiat, cui parêre necesse habuerit. De eo verò dictum voluisse Gregorium, quod in Psalmum pœnitentialem quintum pronuntiat. *Qui Christi sponsam captivam cupit abducere, Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc ipse, potestatis regiæ jura transcendens, facere conatur ancillam.* Certè, exquisitissimus ergo illi hypocrita Gregorius, qui longè secus & de Mauritio loquatur, & erga eum se gerat: ut ipsius famæ melius consulat, qui Baronio fidem deneget. Legamus tantum quam ad Mauritium scribit Epistolam, de illâ, quam tulerat, lege: Ne quis miles, nondum expletâ militiâ, rationibus aut administrationi publicæ implicitus, nisi rationibus prius redditis, ad Ecclesiasticum munus admitteretur: quibus non obsequiis, quâ non humilitate eum prosequitur? *Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis Dominis in omne, quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus, in hac suggestione, neque ut Episcopus, neque ut servus jure rei publicæ, sud jure privato loquor, quia serenißime Domine ex illo jam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras,* &c. *Ego verò hæc Dominis meis loquens, quid sum nisi pulvis & vermis,* &c. *Ad hoc enim potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cælitus data est,* &c. *Sacerdotes meos tuæ manui commisi dicet Christus, & tu à meo servitio milites tuos subtrahis?* Ac tandem, *Utrobique quę debui exolvi, qui & Imperatori obedientiam prębui, & pro Deo quod sensi minimè tacui.* Romanum idioma Lector num hîc ullatenus agnoscis? Ab eadem venâ, Theodoro Imperatoris medico, ad quem literas illas dirigebat. *Quanta Bona Omnipotentis Dei, & serenißimi Domini mei Impeatorris habeam, lingua mea non sufficit explere. Pro quibus bonis quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia purè amare?* Quo sensu alibi sæpe *ad dominorum vestigia transmisi:* Ad rem verò ipsam, *Deus non solum militibus dominari, sed etiam Sacerdotibus ei concesit:* concesit, inquit Baronius, sat ne habuerit dixisse, Gregorium hîc tanquam sub Nerone aut Diocletiano locutum? qui aliâs tam liberè, tam strenuè in hac ipsâ Epistolâ. *Quid venienti & hęc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo? Ego te de notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solùm hoc sed etiam Patrem Imperatorum feci.* Et quis igitur non jam metum, sed officium hîc loqui non videt? Verùm, quid de Mauritio ipse sen-

Baron. To. 8. an. 590. art. 2. 3. 4. & seq.

Gregor. li. 2. Epist. Epist. 61. Baron. To. 8. ann. 592. art. 29.

Idem Epist. 64.

Baron. an. 592. art. 15

ntiat, & in Epistolâ quidem ad Anasthasium Antiochenum, ad gratiam minimè compositâ, audiamus. *Quod verò ad sacros ordines rectæ fidei viri perducantur, eidem omnipotenti Deo gratiæ sine cessatione solvendæ sunt, & pro vitâ pijssimi & Christianissimi Domini nostri Imperatoris, & tranquillissimâ ejus conjuge, & mansuetissimâ sobole semper orandum est, quorum temporibus ora hæreticorum conticescunt: quia, etsi eorum corda in insaniâ perversi sensus ebulliunt, Catholici tamen Imperatoris tempore prava, quæ sentiunt, eloqui non præsumunt.* Et ad Isicum Hierosolymitanum Episcopum & plures alios eodem sensu. Exitus porrò is fuit, ut lex Mauritij obtinuerit, Gregorius repulsam passus eam promulgaret, scriptâ in eam rem ad Metropolitanos & præcipuarum sedium Episcopos Epistolâ, in quâ Mauritium *pijssimum eum & clementissimum sæpiùs cognominat.* Baronius utique, qui nihil non ad suum commodum vertit, ita promulgasse cavillatur, ut eam emendaret, in eòque ipso authoritatem Apostolicam Principis lege superiorem ostenderet: Verùm perlegat Lector Epistolam, videbit in eo tantùm esse Gregorium, ut mentem Imperatoris in lege illâ executioni mandandâ illis patefaciat, eúmque adeò justificet, tantum abest ut reprehendat.

Gregor. li. 7. Epist. 47.

Gregor. li. 7. Epist. 11. Baro. an. 593. art. 22 23.

PROGRESSUS.

Item inter Gregorium & Iohannem suprà vidimus, sequitur ut ejus eventum exequamur. Mauritius igitur, ad quem extant tam multæ Gregorij literæ, militum odium incurrit, Phocas Centurio, seditionis princeps, Imperator proclamatur: Mauritio proindè, cum uxore & liberis fugam capescente, Phocas factionis suæ ope à Patriarcha protinus coronatur. Indè Mauritium ipse prosequi, assequi, in oculis ipsius liberos omnes interficere, pendentem inter alios ab uberibus infantem, ac postremò ipsum tot doloribus transuerberatum jugulare: Theodosium filium, quem ad Chosroën Persarum regem deducendum curaverat, retractum ex itinere necare: Constantinam adeò Augustam cum filiabus, ne quid summo sceleri desit usquam. Ut Historici hîc ambigant crudelitatem an perfidiam Phocæ vehementius execrentur. In medio hoc horrore quid Gregorius? Nil sanè cunctatur, ad Phocam literas dat, &, cum veniâ tanti viri dictum sit, ad turpissimam adulationem nil reliqui facit: Epistolæ initium est: *Gloria in excelsis Deo,* (cantus Angelorum de Christi nativitate exultantium) *qui, juxtà quod scriptum est, mutat tempora & transfert regna. In omnipotentis quippe Dei incomprehensibili dispensatione vitæ mortalis sunt moderamina, & aliquando cum justorum malorum peccata sunt ferienda, unus erigitur, per cujus duritiam tribulationis jugo subjectorum colla deprimantur. Aliquando verò, cum misericors Deus mœrentium multorum corda suâ decrevit collatione refovere, unum ad regiminis culmen provehit, per cujus misericordiæ viscera, in cunctorum mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De quâ exultationis abundantiâ roborari nos citius credimus, qui benignitatem pietatis vestræ ad Imperiale fastigium pervenisse gaudemus. Lætentur cæli & exultet terra & de vestris benignis actibus universæ Reipublicæ populus hilarescat &c.* Ad Leontiam Augustam idem: *Quæ lingua loqui, quis animus cogitare sufficiat, quantas de serenitate vestri imperij omnipotenti Deo gratias debemus, &c. Reddatur ergo Creatori omnium ab hymnidicis Angelorum choris gloria in cœlo, persolvatur ab omnibus gratiarum actio in terrâ.* Ac tandem in id desinit, ut Ecclesiam Romanam in suam tutelam suscipiant, & illud Petro dictum meminerint, *Tu es Petrus, &c.* Petrum vicissim Imperium suum pro-

Zonar. li. 3. p. 64. 65. &c. Paul. Aquileg. l. 17.

Greg. l. 11. Epist. 36.

Epist. 48.

tecturum fidejubens: nempe eo haud dubiè instituto, nec divinare nobis opus, ut infausto hoc parricidio ad authoritatem suam amplificandam abutatur. Verum cum intereà decessisset, & Sabinianus ejus successor paucos menses supervixisset, qui tamen hoc opus haud segniter inchoaverat, Bonifacius tertius, anno sexcentesimo quinto, occasionem nactus adimplere satagit: Erat Phocas Cyriaco Patriarchæ infensus, quod suis immanitatibus minùs favisset. Verebatur etiam ne Italia tantorum scelerum odio à se deficeret. Dum in eo est, Bonifacius obsequiis suis ejus gratiam promeritus obtinet, ut Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum caput sit, & Romanus Episcopus summus & universalis earum Episcopus dicatur. Et id quidem, quæ ejus fuit diligentia, cum octo tantum menses sederit. Itaque statutum hoc Imperiale in Synodo 62. Episcoporum sanciri jubet, & deinceps in mandatis suis hæc verba usurpat, *volumus & jubemus*, in diplomatibus præsertim, quibus Episcopatus conferebantur: Episcopos enim, licet à Clero & populo eligerentur, ratos esse noluit, *nisi his verbis authoritatem suam interposuisset*. Author Platina in ejus vitâ & plures alij. Quanquam verò ejus mandato non perpetuò obtemperatum, hinc tamen consecutum est, ut Ecclesia Latina & Græca perpetuis ex inde dissidiis & Schismatibus distraherentur.

Platina in Bonifacio 3.

OPPOSITIO.

Fingamus jam redire ad vivos Gregorium, quid dicturum putamus, si successorem suum eo jam titulo & decoratum & superbientem vidisset, quem in suis Epistolis tam apertè damnasset? Causam verò ejus defensurus, syllogismum nostrum, cujus omnes partes ex ipsius verbis toties inculcatis petitæ, quâ strophâ eludere, quâ logicâ elidere potuisset? Quicumque universalis Episcopus appellari vult, Antichristi præcursor est: Bonifacius tertius & vult & poscit & obtinet, & ipse sancit. Quid superest nisi ut, si minus Antichristus, saltem præcursor Antichristi & revera sit, & à nobis habeatur? Verum Bellarmino duplex hîc suffugium, Primum facti, Phocas, inquit, non id novo instituto constituit, sed vetus & ab omni tempore receptum declaravit. *Non instituendo*, inquit, *sed asserendo*: Legat igitur historiam: Non sic Paulus Diaconus scriptor ferè coætaneus: *Phocas*, inquit, *rogante Papâ Bonifacio, statuit sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat*. Et sic posteriores quique, Freculfus, Regino, Anasthasius, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sabellicus, Blondus, Pomponius Lætus, Platina, Author Compilationis Chronologicæ, Otho Episcopus Frisingensis, alii: Qui omnes: Bonifacius *rogavit, impetravit, obtinuit à Phocâ, ut Ecclesia Romana esset* aut *haberetur caput omnium Ecclesiarum*. Quin & nonnulli *ipsius authoritate*. Sigonius adeò ipse legationem ad Phocam misisse, *quâ Decretum obtinuit, ut sedes Apostolica beati Petri Apostoli prima esset omnium Ecclesiarum, id est, Romana Ecclesia*, subdit, *perinde atque veteribus in Concilijs sanctum esset*. Si primam sedem intelligit, ultro agnoscimus, si præsidentiam, ut loquuntur, & supremam authoritatem, quæstionis est, & contrarium ostendimus. Epistolam nobis objicit Bellarminus Gregorij ad Iohannem Syracusanum his verbis: *De sede*, inquit, *Constantinopolitanâ quis dubitet eam Apostolicæ sedi esse subjectam? quod & Dominus pijssimus Imperator, & frater meus Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assiduè profitentur*, quæ inquit quinquennio ante Phocam scripta. Verùm Gregorius num hanc Epistolam agnitu-

Bellar. de Pont. Rom lib. 2. cap. 17. Paulus Diaconus lib. 4. cap. 37. de gestis Longobard. Otho Frising. lib. 5. c. 8. Chronic. Sigon. de regno Italiæ lib. 2.

gniturus, in quâ Mauritium Constantinopolitani partes tueri identidem conque-
tur: & hac ætate Eusebius Constantinopolitanus Episcopus ubinam gentium?
uo loco interserendus? cum toto hoc intervallo Onuphrius non alios quam Io-
annem Iejunatorem, Cyriacum & Thomam Sacellarium recenseat? Gregorius
ero, qui illi perpetuo in ore, mentem hîc aut memoriam amiserit? Et quis igi-
ır hanc Epistolam, ut & alias complures, hujus temporis non esse, dubitare pos-
t? Suppositițiam proinde diffiteatur? Rursum Bellarminus, multis ante Phocam
nnis Iustinianum Romam appellasse *omnium Ecclesiarum caput*: sanè, sed eodem
ensu, quo & Constantinopolim *Caput omnium aliarum Ecclesiarum*, ut neutrum Iustinian.
ricte sumptum verum esse possit. Proinde eâ mente accipiendum utrumque, qua 1. in Epist.
atriarchales utræque, universales æquè & contutrices. Alterum sequitur: *Titu-* ad Iohan.
m, inquit, *universalis* damnat Gregorius, in eo propriè, quod Iohannes ille Con- 2. Idem C.
antinopolitanus reliquos Episcopos suos tantum vicarios esse cogitabat, & sic de Sacros.
ntentiam à Gregorio latam suffugere sibi posse videtur. Quâ sanè ratione & ipsi Ecclesiis.
ynodo Tridentinæ anathema dixerit Gregorius, quæ omnes Episcopos Papæ, ut 24.
a loquar, Commissarios facit. Verùm, inquit, *si universalis* intelligitur, qui
niversalem Ecclesiæ curam suscipit, ita tamen ut cæteri Episcopi particularem
arum quique Ecclesiarum retineant, Gregorius damnatum minimè voluerit:
ectorem certè ego responsionis loco tantum rogatum velim, locos illos omnes
Gregorij relegat, & num ad hanc interpretationem restringi possint, ipse judicet.
t saltem, inquit, Episcopus Romanus ante Phocam universalis dicitur:
Non igitur hic titulus ab ejus aut statuto, aut instituto: Et nugarum nunquam finis.
Nos verò, quod sæpè antea, omnes Patriarchas eo nomine insignitos fuisse decimus,
uasi universalis Ecclesiæ Contutores datos, institutos. Quod autem hic titulus
oli Episcopo Romano servetur, ab hac esse origine, nec altius repeti posse. Sic Iusti- Iustinian.
ianus Epiphanium Constantinopolitanum modò *Patriarcham Oecumenicū*, modò C. de sum-
atriarcham universalem vocat, quod idem sonat. Sic & Anthemium & Mennam mâ Trinit.
epius in Novellis, & Stephanum Episcopum Leo Imperator. In Synodo etiam l. 7. & C.
Oecumenicâ Chalcedonensi Mennas passim Oecumenicus: In Nicænâ secundâ de Episc.
Tharasius *Patriarcha generalis* ab Adriano ipso Romano Episcopo vocitatur: audientia.
ecnon Alexandriæ & Antiochiæ Episcopi, eo, quem supra diximus, & no- lib. Cer-
nine & respectu. Universales omnes, quatenus Ecclesiæ universæ conjunctim tiss. & No-
uratores, particulares nihilominus, quatenus suam quisque portionem admini- vell. 3. 5. 7.
rat: Ac proindè in vim propriè Decreti, à Phocâ impetrati, Episcopus Roma- Idem No-
us *universalis* titulum suum fecit, qui anteà communis. Et hinc perpetuum inter vel. 16. 42.
Occidentem & Orientem Schisma, quod vulnus incurabile hactenus. Epocha igi- 79.
ur hîc nobis Ecclesiæ insignis præ cæteris: In eo præsertim, quod Gregorius ad- Leo Imp.
entantis Antichristi signum esse prædixerat. Nec omittendum, hoc temporis Novell. 2.
nterstitio plures abusus in Ecclesiâ propagari, orationes pro mortuis à Pelagio & seq.
n sacrum Officium, Invocationem Sanctorum in Litanias publicas à Gregorio in- Cōc. Chal-
uci: à quo & sacra omnia reficta, refixa. In Ecclesiâ partim Ethnicos, par- ced. Act. 1.
im Iudaicos ritus jam indui, linguam latinam porrò ita sensim à populorum Sep- passim.
entrionalium affluxu degenerare & corrumpi, ut, quid in sacris aut dicere- Conc. Ni-
ur aut fieret, intelligerent pauci: Et de his omnibus nos sigillatim alibi cæn. 2.
& latiùs. Act. 2.

Sed quid his Baronius reponat videndum: Ac primùm, parricidiū Phocę exte-
uaturus, Mauritij famam imminuit, traducit: Et Princeps sanè in tam lubrico

gradu constitutus, maledictis per quàm obnoxius, sed quas non laudes illi Gregorius tribuit? Et quis, parricidium illud legens, quale à Gregorio ipso extra æstûm refertur, non cohorrescat? *Phocas & Leontia Augusta septimo, in palatio, quod dicitur Secundianas, coronatus est, & occisus est Mauritius Imperator cum omnibus filijs suis masculis, id est, Theodosio jam coronato, Tiberio, Petro, Paulo & Iustiniano, simul & Petro fratre supradicti Mauritij Augusti, sed & aliqui procerum, qui ei cohærebant, id est, Constantius Patricius & Curator, & Placidas, sed & Gregorius notarius Principis.* Et hæc omnia per proditionem meram. Secundò Phocam nobis Principis Catholici exemplum proponit, *professionem*, inquit, *fidei suæ catholicæ Gregorio mittere non omisisse par est credere:* Et imaginem verè suam & uxoris Leontiæ non omisit, quam ille in Palatio, in oratorio Sancti Cesarij Martyris reposuit. Itáne verò tantum parricidium expiatur, quo terra visa dehiscere, cœlum induere cilicium? Sin Gregorij ergà Mauritium humilitatem supra sugillabat: erga Phocam minus ægrè patiatur? quòd fortè sedi Romanæ Apocrisarium Constantinopoli se non invenisse adulabundus conqueritur? Et Apocrisiarios verò seu Responsales quis ignorat: qui, ex quo translatum Constantinopolim Imperium, inquit Hincmarus, *tam Romanæ sedis, quàm & aliarum præcipuarum sedium in Palatio pro Ecclesiasticis negotijs excubabant?* Ut hinc, vel in Principem, vel in alias sedes nihil sibi Pontifices Romani arrogare possint: Sed audi: *Quantas*, inquit, *Omnipotenti Domino laudes debemus, quod, remoto jugo tristitiæ, ad libertatis tempora, sub imperiali benignitatis vestræ pietate, pervenimus.* Papinianus ille, miser Ethnicus, quem non hîc pudorem Gregorio incutiat? Perge verò: *postquam Dei gratiâ disponente vestram clementiam ad culmen imperij pervenisse cognoverunt, ipsi quoque suadente lætitiâ ad vestra vestigia venire festinant, qui illuc accedere valde timuerant.* Nempe, ut ipsius nomine resideant. Hîc ne dicat Baronius, quod suprà Mauritij odio, metum loqui? an potius reverentiam, cùm unum utrobique loquendi genus? Phocas interim, cujus adventum Angeli ipsi, si ei fides, gratulabundi excipiunt, *vinosus, mulierosus, sanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miseratione alienus, moribus feris, hæreticus: Uxor ejus Leontia ijsdem moribus*, quas illi dotes Cedrenus tribuit: Imò sub quo imperium graviora quàm unquam anteà passum: *Nam & hominum bestiarúmque mortua est immensa multitudo, & terrâ fruges negante, fames tum, gravissimæ pestes obortæ sunt: hyeméśque fuerunt adeo sævæ ut congelaverit mare, ac pisces perierint.* Sub quo, inquam, omnia elementa contremiscant, solus Gregorius exultarit? Tertiò, Decreto Phocæ in favorem sedis Romanæ Baronius viam jam sternit: Gregorius, inquit, ut illud obtineret apud Mauritium nil non sategerat, & quidem frustrà: Deinde, invitante Phocâ Bonifacium, qui apud eum resideret, Apocrisarium miserat, cujus operâ gratiam Principis sibi conciliarat, isque ad obitum ejus usque Constantinopoli manserat. Sabiniano igitur mortuo, Bonifacium Phocas in Papam assumptum lubenter confirmat. Is verò ex occasione odij, quo Phocas Patriarcham Cyriacum prosequebatur, *Universalis* titulum ab eo facilè obtinuit. At hoc odium unde, si rogas: Theophanes & Cedrenus testes ab ipso Baronio producti palam faciant. Certè ex eo quod Scholasticus quidam Eunuchus, anno Phocæ quarto, cum Constantinam Mauricij viduam, tres ejus filias, in magnâ Ecclesiâ incolumes servasset, Phocas, qui eas jugulandas abstraherent, satellites misit: *Cyriacus autem Patriarcha Tyranno restitit, minimè passus è Templo tyrannicè abduci, quin Phocas juramentis eum certum redderet, quod non eas læsurus esset.* Et quidem è templo eductas in Monasterium deduci jussit; sed anno sequenti cru-

Grego. li. 11. Epist. 1. indiction. 6.

Baro. To. 8. an. 603. art. 3.

Greg. lib. 11. Epist. 43.

Hincmar. Rhemens. Epist. 3. c. 13.

Credrenus in Chronico.

Baron. To. 8. an. 606. art. 1. 2. 3.

rudelitatem suam explevit. Nempe ut ambitioni suæ satisfaceret Bonifacius, Phocæ tyrannidi indulgebat: Ac propterea non est quod jam ægrè ferant, quod, qui primus in eorum favorem hanc sententiam protulit, parricidam fuisse, inter parricidas ipsos monstrum, tantis præsertim authoribus, asseveremus: Quod enim contendit non id juris Episcopo Romano concessisse, sed controversum cum Constantinopolitano, illi asseruisse: ut omittamus, quod suprà, contra Bellarminum omnes authores aliter loqui: prodat nobis, rogo, Concilium aliquod, Consilium imò, in quo partes auditæ, causa illa cognita: sin minus, collusionem planè meram Bonifacij nobiscum agnoscere ne gravetur, merum Phocæ & absolutum Imperium ne dedignetur.

Amplius, numquid aliud in hoc temporis intervallo, quod in rem suam faciat, expendamus. Privilegium nobis proponit à Gregorio religiosis locis Augustodunensis Ecclesiæ indultum, quo *omnes Reges & Principes, qui contra ejus paginam venire tentaverint, potestatis honorisque sui dignitate carere jubeat.* Verùm, hoc ipsum ejusdem, cum sancti Medardi privilegio, notæ esse, quis non videat? Et qui tam humiliter Regibus sui temporis serviebat, futuros quâ authoritate, in protervia exauctoret? Brunechildem etiam ab eo Synodum in Gallia Nationalem poposcisse obtendit. Et Reges nostros suapte authoritate convocasse suprà demonstratum. Quid si nec hic locus quidquam eo facit? ubi simpliciter: *Rogasse ut talem personam in Gallijs transmitteret, quæ, factâ Synodo, cuncta, quæ contra Canones perpetrabantur, Deo authore corrigere posset:* factâ Synodo, inquit. Etenim non ipse dissimulat, id eam tantum fecisse, quia ipsius gratiâ apud Imperatorem indigebat. *Utinam seriò & non per imaginem,* inquit. Adducit & Ianuarij cujusdam Malacitani in Hispaniâ Episcopi *appellationem*, cujus causâ Gregorius Iohannem quendam Defensorem eo miserit. Ubi notandum, non de sententiâ in Ianuarium latâ agi, sed de vi ei illatâ à Comitiolo quodam ejus regionis Regulo. Refugium proinde non appellationem esse. At recitet nobis, quod in mandatis Misso suo tradit: sanè quasi per indiculum omnes ei Iustinianei Codicis leges connotat, quas in munere suo exequendo observare teneatur. Gregorius igitur: *De personâ Ianuarij sciendum est, graviter omninò & contra leges actum esse, ut violenter de Ecclesiâ traheretur.* Quod ad instar *læsæ Majestatis criminis* puniendum dicit, ex lege Arcadij & Honorij libri primi Codicis, Titulo sexto, Canone decimo, quam prolixè citat, & plures alias, eodem facientes, quæ ejusmodi criminum cognitionem Provinciarum præsidibus committunt. Hoc cum illâ suâ potestatis plenitudine quid commune habet? Et verò Synodus Toletana Rege Gundemaro, tempore Bonifacij tertij habita, etiam post Decretum Phocæ Ecclesiarum Hispaniæ statum alio planè vultu nobis effingit, ubi prima sedes Toletano concessa, non tam de novo, quam *Synodali antiquorum Patrum Decreto.* Mandatum etiam omnibus Episcopis, ut ei sub pœnâ anathematis obsequantur. Et è vestigio à Rege Gundemaro confirmatur Decretum, qui seculari authoritate Ecclesiasticam communit: Pontificis in prolixâ illâ Gundemari Epistolâ nulla mentio, cum tamen Baronius pronuntiare non erubescat: *Certum esse Ecclesiam Toletanam hoc privilegium à Romanâ consecutam*, quo tamen tempore, *hactenus inexploratum fateri.* In Italiâ adeò ipsâ Episcopo Romano non merè obtemperatum: Cum etiam tum Istriæ & Venetiæ Episcopi ab eo distracti Patriarcham suum tantum agnoscant, nec non & in Lombardiâ multi Episcopi. Clarum ex Gregorij ad Constantium Mediolanensem Epistolâ, in quâ Bri-

Greg. l. 11. Epist. 10. Baron. an. 603, art. 17.

Gregor. li. 11. Epi. 8.

Baro. ann. 603. art. 18

Greg. l. 11. Epist. 54.

Conc. Toletan. sub Rege Gundem.

Baro. an. 610, art. 14.

Grego. l. 5. Epist. 37.

Brixiensis Episcopus Mediolanensem Synodo Chalcedonensi, Romani Episcopi exemplo, derogantem, agnoscere detrectat. Verùm, sub Sabiniano res ulterius progreditur. Baronius enim ex Mantuanâ Synodo, quam ex Vaticano producit, nos edoctos voluit, cum de creando in Patriarchæ Aquileiensis demortui locum successore ageretur, & Agilulphus Longobardorum Rex Iohannem eligendum curasset, Exarcham Episcopi Romani partes tutatum, Antipatriarcham in ejus gratiam Gradi collocasse Candidianum. Et hinc per multa secula duo Patriarchæ, sibi invicem oppositi, quorum qui Aquileiæ, Romani Pontificis nullam rationem habebat.

Baron. an. 605. art. 2. §. 4.

PROGRESSUS.

Ann. 623.

DIvexabant Italiam Longobardi: Ravennæ sedem habebant Exarchæ Imperatoris vice: Hinc fiebat ut Episcopus Romanus, authoritate à Phoca impetratâ, in Occidente minus frueretur: quâ alioqui, relegatis quasi in Orientem Imperatoribus, pro libidine uti licuisset. Quanquam perpetuus ille dominandi appetitus, si qua dabatur, perpetuò gliscebat. Honorius igitur Episcopus Romanus, anno 623. miserabili occasione ad potentiam suam abuti conatur. Episcopis Lombardiæ, Venetiæ, Istriæ, ut vidimus, malè cum Romanis conveniebat, à quibus pendêre nollent. Adalwaldus quintus Longobardorum Rex, mentis impos factus ex potione, ajunt, per Eusebium Imperatoris Heraclij Legatum, è Balneo exeunti propinatâ: in eo furore duodecim ex regni primoribus, Eusebio impellente, è medio tollit, nec cæteris parsurus credebatur. Ne malum longius serperet veriti Longobardi, postero anno, consilio habito & inde tumultu excitato eum regno exigunt, inque ejus locum Arioaldum levirum sufficiunt. Interim quia non omnibus idem consilium, universi tam Ecclesiastici quàm seculares sive Proceres in duas partes distrahuntur: Et, Transpadani quidem illi Episcopi, quia Arioaldum complectuntur: Honorius Pontifex eos hac occasione oppressurus, ejusque hortatu Isacius Exarchus Adalwaldum sibi defendendum suscipiunt. In primis verò id urget Honorius, ut Transpadanos Episcopos Isacius Romam ad dicendam causam mittat, *ne*, inquit, *scelus ejusmodi impunitum relinquamus*. Verùm, cum Adalwaldum Isacius reducere non posset, Arioaldusq. regnum obtineret, & Honorij irritus conatus fuit, & eo magis in eum Transpadani Episcopi accenduntur.

Sigon. de regno Italiæ. l. 2.

OPPOSITIO.

NOn in aliis regionibus Bonifacij tertij Decretum plus roboris obtinuit, eo præsertim, quod Episcoporum ordinationem absque suo diplomate ratam nollet: Concilia enim Hispanica, Toletanum quartum & sextum, Bracarense primum & secundum, sedente Honorio, non magnam ejus rationem haberi, faciunt fidem. Quandoquidem Episcopi se Sisenaldi Regis diligentiâ congregatos profitentur, *ut ejus imperiis atque jussis commoniti* de disciplinâ Ecclesiasticâ tractent. Quintum etiam & sextum: *Chintillæ salutaribus hortamentis:* Et Bracarense primum, *ex præcepto Aramiri Regis*. Quando etiam in Bracarensi secundâ, Synodorum Græcarum capitula, à Martino Bracarensi Episcopo versa, roborantur, qualia Conciliorum secundo Volumine habentur. Ex his enim in ipso Concilio à Provinciæ cujusque Metropolitano ordinantur Episcopi, qui suffraganeis in-

2. To. Conc. in Concil. Bracarens. 2. C. 2. 3. 4. 5.

consultis nihil facit: Romam ivisse: Bullas suas inde aut Pallium accersivis-nusquam legas: obstrusum si fortè alicui, artis Pontificiæ fuit, non necessita-s. Quin si accusatur Episcopus & dubia sint in Concilio provinciali Iudicum bsellia, dirimendis illis Romam delegasse nusquam invenias. Contrà, *pro defi-tione*, inquiunt, *hujus dissensionis, hoc placuit sancto Concilio, ut de provinciâ vicinâ er Metropolitanus convocetur Episcopus, ut per eum confirmetur quod secundum rectum acuerit canonem.* Ibidem C. 13.

Notatu interim dignum, paucis ab hoc Phocæ Decreto annis, Ecclesiæ in onorij personâ specimen exhibitum, unde evidenter intelligeret, ab unico ho-ine pendere quàm lubricum esset: quod Gregorius & præviderat & præmonu-at his verbis; *Si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus iversus cadit.* Monothelitarum enim hæresi sub id temporis exortâ, Honorius infectus convincitur vel ex suis ad Sergium Constantinopolitanum literis. Hę-sis illa quamuis non exigui momenti, quæ cum duas in Christo voluntates non gnoscat, duas etiam naturas non profitetur: Et hæ literæ, in Synodo sextâ uni-rsali Actione duodecimâ & decimatertiâ prolatæ, omnium Patrum judicio, ig-damnantur. Summa est, ex Scripturis Euangelicis & Apostolicis ut nec ex Sy-odalibus, duas in Christo ἐνεργείας non constare, verba hæc esse quorundam qui ım infantibus balbutire voluerunt, quæ ulterius ad Ecclesiæ doctrinam protra-i non debent. In ejusmodi rebus licêre cuique abundare in suo sensu: Denique bi omninò cum Sergio convenire, id est, Monothelitarum hæresim amplecti. t hunc nihilominus Bellarminus, Onuphrius, & similes, non tam excusare, uàm purgare conantur: Frustrà omninò, ni Synodum ipsam damnatam velint. orrupta ajunt à Græcis exemplaria: Sed hæc nos ex Latinis proferimus, ubi terarum suarum exempla ad authenticum, è Bibliothecâ Constantinopolitanâ epromptum, collata & exacta: Ex his etiam latam sententiam: quâ à doctri-â Apostolorum & Sacrorum Conciliorum discedere & hæreses continere di-untur, eòque nomine execrabiles pronuntiantur: authores eorumque nomina x Ecclesiâ rejiciuntur: Honorius adeo ipse, tanquam Sergio, Cyro, & aliis, erbis & sensu omnimodè cohærens, ejusce hæreseos patronis, anathemate per-ellitur. Quæ omnia ex toto hujus Synodi contextu cuivis manifesta sint. Quin & Honorius eâdem de causâ, in Synodo universali septimâ, Nicænâ secun-â, Actione ultimâ, anathemati subjicitur: in octavâ demùm ab Adriano secun-o Pontifice: & in aliis porrò Actionibus. Idem verò pro Occidentalibus te-tantur Beda & Anasthasius in Pontificali, pro Orientalibus Psellus in septem ynodis. Nec nostro hoc tempore diffitêtur Melchior Canus, inter adversari-s insignis: Hoccine Lector eversum putes, cum nonnulla exemplaria à Gr-is aliquando corrupta, aut hæc verba apud Bedam fortè addita regerunt? A-gatho verò Pontifex, si quid tale suspicabatur, si contrarium nôrat, quâ con-cientiâ reticebat? Satis ne tibi, tumultum fortè metuisse? quem contra sedis uæ zelus, Ecclesiæ suæ decus commovere debuissent? Quod enim Maximum quendam cient, quem in Bibliothecâ Pontificiâ asservari dicunt, testem ex sinu uo productum, iis fidejussoribus quis recipiat? Non magis, quam Nicolaum rimum duobus seculis posteriorem in causâ Pontificis, Pontificem ipsum aut Emmanuelem illum Gallecam 500. annis recentiorem. Notetur verò obiter Ho-orij damnationi interfuisse 289. Episcopos, in iisque Agathonis Papæ Legatos. Hoc ipso porrò tempore sancit Toletana Synodus quarta, *Apocalypsim librum si quis-*

In 2. To. Concil. in. Concil 6. Universal. Act. 12. & 13.

Synod. Nicæn. 2. Act. 3 &. ultim. Synodus Cōstant. 8. universſ. Act. 3. 6. 7. Beda de sex ætatib. Liber Pont. in vitâ Leonis. Psellus de 7. Synodis.

Tolet. Concil. 4. C. 16.

quis non receperit & à Pascha usque ad Pentecosten Missarum tempore in Ecclesiâ non prædicaverit, excommunicationis sententiam habebit. Quo tandem instinctu, nisi hoc sanè, quod populum adversus Antichristum, in illâ & prædictum & graphicè descriptum, præmuniri oportebat: qui Bestiæ vitam redditurus erat, Imperij ruentis locum invasurus, uti jam ante Gregorius præmonuerat.

Hîc Baronius æstuat, discruciatur, Honorium nunquam hæreticum fuisse contestatur, fingit, refingit, interpretatur, interpolat ejus sententiam, in omnes partes versat, ut probam & probabilem faciat: Et porrò, inquit, hoc quàm parum verisimile: cum Concilia sub Papa Martino Romæ habita nihil tale dicant, cum Agatho Papa tantâ cum fiduciâ pronunciet, *nulla hæreticæ pravitatis suspicionis labe hactenus aspersam fuisse Apostolicam sedem, &c.* Ergône quas Baronius ad Honorij sententiam expositiones comminiscitur, duarum Synodorum universalium & expositionibus & Decretis conferentur, præferentur? Quo tempore & rerum & verborum memoria recentior? Ergo & Episcopis Romanis sese errare non posse jactitantibus etiam injuratis fides, renitentibus tanti momenti Synodis, refragantibus, quod vidimus, & ipsis: Agatho verò Pontifex in legatorū suorum personâ cum Honorium ejusque memoriam in universali Synodo sextâ & damnari patiatur, & ipse damnet, solutum te putas si dixerit, *quaternionem hunc cum duabus sessionibus sequentibus à Græcis additum.* Quicquid in summâ rebus tuis obest, quicquid tueri non potes? An non imò potius tacuisse credideris, quia nihil habebant quod opponerent: Aliâs, quid usquam in Synodis firmum: quid quod eadem ratione convellere non possis? Tandem, inquit, Theodorus quidam Episcopus Constantinopolitanus hæreticus, qui in Synodi sententiâ comprehendi debuit, Honorij nomen pro suo inserendum curavit. Hoc verisimile: Quî enim fit ut non nominetur? At enim probationes tam solidæ, tanti momenti authores, meræ huic conjecturæ succubituros credis? Num autem ejus vel unum testem prodis? In tot manuscriptis, quos scrutatus es, qui eam roboret, vel levissimum aliquem? Et verò, ex merâ etiam gratiâ sibi hoc donari flagitat: *Lector, inquit, ista si receperis, gratulabor tibi mihique, quod haud frustrà in his meum ingenium desudarit: sin minus, Honorium ipsum Romanum Pontificem causâ cadere haud putes, ut jacere sepultus debeat inter hæreticos.* Et huc tandem redeunt, quos in quinquaginta paginis desudavit, labores. Cæterùm Honorio successit Severinus primus, túmque, inquit Blondus, *Servabatur mos, ut non prius coronaretur in Pontificem electus, quàm eum adveniens à Ravennâ Exarchus Italiæ confirmaret. Vocatus itaque Isacius Exarchus anno & fermè dimidio accedere distulit.* Et Platina idem.

Baro. an. 633. & 680 art. 17.

Baro. an. 681. art. 11 13. 27. & seq.

Blondus l. 9. Dec. 1. Platin. in Severin.

Notat Baronius nonnullos locos, in quibus Decretum Phocæ obtinuerit, nec nos inviti fatemur. Sergius enim Cypri Archiepiscopus literas inscribit: Theodoro *Papæ universali*, eo proclivius, quod ei cum Constantinopolitano dissidium: Quædam etiam generalis in Africâ Synodus, *Summo omnium* Præsulum Pontifici, uti in Concilio Lateranensi sub Martino legitur: Victor tamen Carthaginensis Episcopus, magni tunc nominis, in hoc ipso Concilio professionem fidei suæ Theodoro illi mittens, antiquum obtinet: *Domino beatissimo & honorabili sancto fratri Theodoro Papæ:* Et Epistolam ipsam inchoans, *Vestræ*, inquit, *beatissimæ fraternitatis apud Deum acceptabilia opera & conversatio gloriosa, &c.* Quin & leniter ei insinuat quid velit. *Apostolos pari honoris & potestatis consortio præditos*, Et quamquam Episcopum Carthaginis ordinatum se esse significat, ab ipso confirmari neutiquam petit; tantùm rogat, precibus ejus Deo commendari, ut suo munere

Ann. 646.

pro-

probè defungi possit. Prodit etiam Martinus primus, qui, quod Orientis Patriarchæ hæreseos Monothelitarum aut tenerentur aut suspecti fierent, occasione tendum ratus, Episcopos eò mittit, nonnullos etiam vicarios suos in partibus onstituit, qui Orthodoxam doctrinam tutati erant: Verùm, cursum hunc Constans Imperator anno sequenti interrumpit, qui Romæ comprehensum Constantinopolim adduci jubet, unde in exilio paulò post moritur: accusatus inter alia crimina, quod cum Sarracenis contrà Imperium conspirasset, & hoc ex suis ipsius d Theodorum literis claret. Erat Martinus, ut ex ejus vitâ perspicuum, superbus in primis & audax, nec tamen in ipso Occidente Ecclesiarum libertatem penitus opprimere potuerat. Cùm enim hæreticus quidam Augustodunum irepsisset, Noviodunensis Episcopus, qui tum in aulâ, suâ sedulitate tandem obtinet, *ut jussu Principis*, inquit, Odoenus, *Sacerdotale Concilium* Aureliani haberetur, in quo, haud expectato Româ consilio, damnatus ille totâ Galliâ expellitur. Sub Eugenio etiam ejus successore cogitur Synodus Catalauni ad Ararim, quæ ab ipso exordio *ex evocatione* vel *ordinatione Clodovei Regis* sese congregatam profitetur, & in Synodicâ ad Theodorum Archiepiscopum Arelatensem idem. Theodoro verò ipsi authoritate Synodi indicere non cunctantur, quandoquidem in pœnitentiâ sit, ab Episcopatu omnibúsque ejus bonis abstineat, quin & statuunt, si decedat, Episcopus ne successor eligatur *ab alio, nisi à comprovincialibus, Clero, & civibus suis alterius habeatur electio: sin aliter, hujus ordinatio irrita habeatur*, ut hîc major authoritas nulla excipiatur. In Hispaniâ verò occurrunt hoc ipso tempore Synodi, Toletana septima, Octava, Nona, Decima, quæ, quod convocentur, à communi sollicitudine, & à Principis authoritate esse, palam faciunt: Septima, *tam nostrâ devotione, quàm studio serenissimi Chindasvindi.* Octava, *jussu Recesvindi Regis*: Decima, *sanctissimo voto*: Romani Episcopi nusquam meminere: Quamquam de præcipuis Ecclesiæ Christianæ capitibus ibi agitur, in octavâ præsertim, cujus Synodalis Epistola hac inscriptione: *Decretum Concilij universalis, editum in nomine Principis.* Item, *Lex edita in eodem Concilio, imperante Principe glorioso.* De correctione etiam intrusionum, concussionum, & cæteris Episcoporum abusibus, ad pœnam & depositionem usque: Adeò, ut in Toletanâ decimâ Potamius Episcopus Bracarensis, novo exemplo sese ipsum ultrò accusans, Episcopatu dejiciatur: & Fructuosus Dumensis ei substituatur. Patres hujus Concilij Episcopi licet viginti tantùm, purè: *Constituimus Fructuosum communi omnium nostrûm electione Ecclesiæ Bracarensis gubernacula continere: ita ut omnem Metropolim provinciæ Galleciæ, cunctósque Episcopos populósque conventus ipsius in suam curam suscipiat*: Idque, ajunt, Patrum sententiâ, suis literis adfixâ. Ad Vitalianum, qui tunc Romę sedebat, diplomata impetraturum ablegant nusquam. Vitalianum utique, qui ad summum illud fastus Pontificij fastigium nondum pervenerat, vel Anasthasio Bibliothecario teste. Constante Imperatore Romam accedente, *Apostolicus*, inquit, *occurrit ei, cum Clero suo milliario sexto ab urbe Româ & suscepit eum.* Imò uti enarrat posteà, cum prolixâ omnimodæ reverentiæ significatione. Quamquam hîc Imperator Baronio sacrilegus & parricida Martinum primum in exilium relegarat.

Ann. 650.

Martin. in Epist. ad Theod. 14.

S. Odoen. in vitâ S. Eligij.

Epist. Synodal. ad Theod. Arelatens. ibid. C. 10.

Tolet. 8. & in Epist. Synod. & lege Edita in Concil.

Ann. 656.

Ann. 663. Anastas. Biblioth. in Vitaliano.

PROGRESSUS.

PRiscorum Episcoporum unum olim studium Ecclesiam Dei per prædicationem Euangelij ædificare, lapides vivos undequaque congerere; hos jam to-

totâ hiſtoriâ materialibus tantum ædificijs inſignes videas, ſacellis, oratoriis, ſtatuis, marmoribus, Incruſtationibus, inauratis teſtitudinibus & laquearijs: ut peſſimi quique vitiorum ſuorum memoriam hac unâ ratione expunctam putent. Principes ipſi, eos imitati, licet ab hiſtoricis infamiâ notati, ſua ſe ſcelera expiaturos, famam ab omni labe vindicaturos arbitrentur. Si Templum aliquod aut extruxerint, aut adornarint, virtutis etiam & pietatis laudem ſibi conſequuturi videantur. Epiſcopi ſpeciatim Romani, ſi in exteras regiones quoſdam à latere delegent, ut in Angliam Gregorius magnus, & poſteum Honorius, Vitalianus, alij: non eo ſanè, ut Euangelium promulgent, quod jam obſoletum illis, ſed ceremonias, ritúſque ſuos, Romanum Cantum, Latinum officium, Horas, organa, altaria, Cereos, unctionem & nugamenta ejus generis propagent. Quæ interim ſi minus recipiuntur, excitare continuò videas principes in ſubditos, priſcæ puritatis, ſimplicitatis Euangelicæ tenaces: Denique, ut authoritatem ſuam magis ac magis exporrigant, ſicubi virum aliquem eximium, erecti præſertim animi, animadvertunt, ambitionẽ ejus pertentare, pallium, quo fratribus ſupereminat, ſeu honorarium ſeu Vicariatus ſui inſigne, tranſmittere, cauſas undequaque, provocationis ſpecie ad ſe vocare, contrahere: Quæ tamen artes, licet in quibuſdam locis obtineant, non illicò ubique eundem eventum ſortiuntur, præſertim ubi in Eccleſias benè conſtitutas, & doctrinâ pietatéque florentes incurrunt: quod ſubinde notare operæ pretium.

Beda Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 20. 26. 29. & l. 2. c. 2. & l. 4. c. 1. 2. 16. 19. Calfridus Monument. l. 8. c. 4. Malmeſb. de geſtis Anglor. l. 1. c. 50.

OPPOSITIO.

ITaque, univerſam Eccleſiam Orientalem Decretum Phocæ rejicere, ne quicquam inſtantibus Romanis, perpetuò videamus. Sic Paulus Archiepiſcopus Cretenſis Iohannem Lampeonenſem Epiſcopum, authoritate Synodi ſuæ depoſitum, Romam appellare non patitur, quod ipſæ Vitaliani Pontificis literæ teſtantur, qui, ſententiâ interim Synodali abrogatâ, eum protervè abſolvit, & quoad ejus eſt reſtituit, reſtituendo Imperatoris auxilium implorat. Sic & in ipſo quaſi Romæ veſtibulo Eccleſia Ravennenſis ejus potentiam non agnoſcit: Bono enim vitâ functo Maurus canonicè electus à tribus Epiſcopis ſuffraganeis conſecratur: Non ei aut pallio aut unctione Romanâ opus: ſuffraganeos contrà ſuos eo inconſulto conſecrat: à Vitaliano etiam excommunicatus, viciſſim eum excommunicat: Quo in ſtatu Eccleſia Ravennenſis ad Dumnum uſque Pontificem, ad annum inquam uſque 680. Pontificibus, Martino primo, Eugenio primo, Vitaliano & Adeodato perſeverat: Hæreticam idcircò clamitabant Romani, & hanc hæreſim Autocephaliam vocabant, quaſi ſui ipſius caput eſſe vellet, quod Romanæ imperium detrectaret, non celaturi ſi quâ verè hæreſi laboraſſet: Quarè & Anaſthaſius ſimpliciter, *cauſa Primatus*, inquit: Et porrò hactenus Epiſcopus Romanus confirmationem ab Imperatore accipere certâ penſitatâ pecuniâ tenebatur, fundorum nempe, quos poſſidebat, ratione, alias à ſubditis ſeu Diœceſanis non agnoſcendus. Verùm, Synodus univerſalis ſexta, quæ hoc tempore Conſtantinopoli habita, nos abundè docebit, Eccleſia univerſalis quid ſentiret de hoc Phocæ in Eccleſiæ Romanæ favorem ſtatuto, & quouſque coarctandum ſanciret.

2. Tom. Conc. Ep. Vitaliani, 1. 2. 3. 4. Sigon. de regn. Ital. l. 2.

Blondus Decad. 1. l. 9. Ann. 680.

Liber. Pont. in Vitaliano & Don.

PROGRESSUS.

AGatho Siculus ſolium Pontificale adeptus pleno ore: *Sic omnes ſanctiones Apoſtolicæ ſedis accipiendæ ſunt, tanquam ipſius divinâ voce Petri firmatæ.* Et ut caput

D. 19. C. ſic omnes 2.

omnium Eccleſiarum oſtentabat, ita & omnibus Epiſcopis inſcribebat: Qui Ca-n ab Yvone in Decreto refertur, à Gratiano authenticus habetur, noſtro etiam mpore à Gregorio decimotertio, Decreti ſcilicet reformatore, retinetur. Nec quidem abs re, ſi ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem ſcribenti credi-us: *Eccleſiam*, inquit, *Apoſtolicam nunquam à viâ veritatis in qualibet erroris parte de-xiſſe, ſed illibatam permanſiſſe, nec errare potuiſſe, ſecundum ipſius Domini Salvatoris inam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum Principi in ſacris Euangelijs fatus eſt.* , errare turpiter, falli quam facile, quàm proclive, ubi errare te non poſſe con-is? Imperator verò ipſe, honeſtatis gratiâ, applaudere vidêtur, qui, ad ejus lite- reſpondens, relationem ſuam ſe admiratum dicit, non ſecus ac vocem Pe-. Ergo, quid tandem in hac Synodo univerſali ſextâ, Conſtantino Pogonato perante, in hoc negotio dictum, geſtum, decretum ſit, jam videre operæ etium.

Yvo. C.4. p.122.

Concil. 6. Univerſ. ſeſſ. 4.

Synod. univerſ. 6. act. 18. in Exemplari Iuſſionis divinæ Domini Conſtantini.

OPPOSITIO.

NOtandum igitur primùm ſextam univerſalem Synodum, Monothelitarum hæreſi extirpandæ, ab Imperatore indictam fuiſſe. Zonaras diſertè: *Conci-m Conſtantinopoli indicit, ut uniret Eccleſias, ob Monothelitarum hæreſim diſſidentes.* ratianus in Decreto, *Conſtantinus congregavit. Et exequente pijſſimo Principe nſtantino qui & ei adſiſtit.* Anaſtaſius in Libro Pontificali. *Agatho Papa ſu-bit divalem juſſionem pijſſimorum Principum Conſtantini, Eraclij & Tiberij Auguſto-n.* Leo ſecundus Acta hujus Synodi Epiſtolâ in eam rem editâ confirmans: *nodus*, inquit, *quæ per Dei gratiam Imperiali Decreto in regiâ urbe nuper congregata , &c.* & ſic paſſim. Verùm, Agathonis ipſius Epiſtolam Imperatori reſpon-ntis audiamus, cujus Titulus inprimis advertendus. *His*, inquit, *quæ per man-tiſſimæ fortitudinis veſtræ ſacram dudum præcepta ſunt, efficaciter promptam obſe-ntiam exhibere conor.* Nempe idoneos viros conquirens, quos ad Synodum. ab aſſignatam mitteret, ex Epiſcopis ſuæ Diœceſeos ſelectos, & aliis, quos *confa-los ſuos* appellat, idque *pro obedientiæ ſatisfactione: adimplens*, inquit, *obedien-m noſtri famulatus, ut ad pijſſimæ tranquillitatis veſtræ veſtigia properent*, tàm ex omâ, quam *ſervilem Principatus ſereniſſimi urbem* appellat, quàm ex viciniâ ip-. Repetit poſteà identidem, *ſecundum pijſſimam juſſionem, & pro obedientiâ, quam buimus.* Denique Imperatores obſecrat, gratanter eos ſuſcipiant, parum li-ratos licet, & in Scripturis Sacris non ita verſatos: nec enim eos celatos vel-, ut Theologum nanciſceretur in Britanniam uſque mittere coactum: quæ erat ter ſuos ignorantia, ex crebris utique vaſtationibus Barbarorum. Obſerva ve- verba ipſa: *flexo mentis poplite deprecamur, &c.* Et Epiſtolam Romanæ Sy-odi, quâ ad Imperatorum ſacram reſpondet, ab eâdem venâ: Addamus, Sy-odicam Patrum Synodi Sextæ ad Agathonem, à Baronio prolatam, ubi patres *per piam Imperatoris ſanctionem* congregatos profitentur: eamque Agathoni mpliciter, *Senioris Romæ Papæ* inſcribunt. Item, *Epiſcopum primæ ſedis univer-lis Eccleſiæ* nuncupant, non utique univerſalem Epiſcopum, aut Eccleſiæ uni-rſalis. Quæ omnia cum ſupremâ illâ authoritate in omnes Eccleſias, imò monar-iâ ſpirituali, quî conveniant? Secundò, mandat Imperator omnibus Patriarchis, piſcopos ſedis ſuæ Apoſtolicæ, ſuique diſtrictus, ſinguli congregent, Romano ominatim, ut ſuos ſuæ ſedis Apoſtolicæ Epiſcopos in Synodum vocet, ex iiſque viros

Zonaras to.3. in Cõſtant.4.

C. Habeo librum & C. ſexta ſynodus D.16.

Anaſt. in lib. Pontif. in Agath.

Concil. univerſ. 6. act.18. Epiſt. Leonis 2. ad Conſtant. Act. 2.4.

viros idoneos eligat, qui suæ sedis Synodos Constantinopoli repræsentent, quod ipse sigillatim observat, ibique delegatos comparere jubet, & qui personam suam sustineant, & qui vicem, locúmque Synodi sedis Apostolicæ Romanæ, teneant. In quâ advertendum, non alios, quàm Italiæ Episcopos subsignari, quod evidentissimum argumentum sit, Imperatorem omnes indiscriminatim Patriarchas, tanquam Ecclesiæ contutores, adversus hæreses, quæ eam divexabant, convocare: nec hunc aut potiori jure quàm illum, licet unus aliquis priori loco sedeat. Et hoc ex toto Synodi contextu passim perspicuum: In litteris ipsis Imperatoris ad Domnum & Agathonem Episcopos Romanos, & ad Georgium Constantinopolitanum, quos iisdem verbis compellat, iisdem honorum titulis afficit, tantùm hunc *Patriarcham universalem*, illos universales Papas appellat: In *suggestione Synodicâ* ab Agathone ad Imperatores missâ, hac inscriptione, *Agatho Episcopus servus servorum Dei. cum universis Synodis subjacentibus Concilio Apostolicæ sedis.* In Epistolâ etiam ad Imperatores, quâ ad eorum sacram respondet, ubi Imperatoris jussionem repetit, de legatis ad indictam Synodum mittendis, *tam de propinquâ hujus Apostolicæ sedis Synodo, quam de familiari clero.* Cui tamen non alij quàm Itali subscribunt: Agatho licet his verbis subsignet: *cum generaliter totius Apostolicæ sedis Concilij*, sui nempe, ut loquuntur, *districtus*. In subscriptionibus quoque actionis decimæseptimæ, ubi Agathonis Legati, & Episcoporum Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymorum sese *sedis Apostolicæ locum tenentes* profitentur, nempe in suâ Ecclesiâ quisque: ubi nominatim Abundantius & Iohannes Episcopi *Legatos se* subscribunt *Concilij sanctæ sedis Apostolicæ Romanæ*, ut proindè Concilium illud sedem suam repræsentet, quæ ex propriâ ipsius definitione Italiæ limitibus terminetur: Iisdem verò verbis respondet Constantinus Imperator tum Agathoni, tum Concilio suo, Actione decimâ octavâ. Tertiò: In omnibus hujus Synodi actionibus perpetuò exprimitur, *præsidente Constantino, &c.* Quin & perpetuò recensentur Patricij & Senatores, qui Imperatori assidebant ante Agathonis Papæ Legatos, qui quidem Patricij residere interdum dicuntur, interdum & præsidere, Actione sextâ & septimâ. Præsident imò reipsâ Synodo, absente Imperatore & suffragia colligunt & Actioni universæ moderantur: Ex his verbis clarum, Actione duodecimâ decimâ tertiâ, decimâ quartâ, decimâ quintâ, decimâ sextâ, decimâ septimâ: *Proposito venerando sessu piissimi Imperatoris &c. ex personâ ipsius secundum jussionem ejus, præsidentibus & audientibus*: Unde perspicuum fiat, librum Pontificalem nobis ex vocum similitudine imponere voluisse, cum in vitâ Agathonis Legatos ejus susceptos fuisse dicit, residente sub regali cultu Imperatore, qui *præsidente* dicere debuerat, ut & pari fide suprà in literis Episcopi Constantinopolitani ad Vigilium Episcopum Romanum, *præsidente nobis vestrâ beatitudine*, pro *residente nobiscum*, ut præsidentiam Romano à Constantinopolitano delatam persuaderet. Quæ vox in ejusmodi Actionibus vel huic authori frequens. In vitâ Agathonis in unicâ paginâ sæpius repetita, *residere præcepti unà cum nostris, residente Synodo cum ejus pietate, residente una cum Principe*, & in contextu ejus Synodi passim. Et hinc etiam videmus, quâ fronte Bellarminus Agathonis Legatos huic Synodo præsedisse asseveret, Zonaram non dispari fide authorem citans, qui disertè, *Legati Agathonis & Georgij Constantinopolitani & Theophili Antiocheni* ἡγοῦντο duces erant *Synodi*, ex æquo scilicet omnes. Quartò. Ad rem ipsam, contra quàm in Epistolis jactabat, sedem Romanam nunquam erravisse, Synodus ipsa Honorium Papam decessorem suum in os Legatorum suorum hæreseos damnat,

Act. 4.
Act. 17.

Act. 18.

Act. 6. 7.

Act. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Liber Pontific. in Agathone.

[p]ostquam proprias ejus literas palàm fecit, iisque ipsis ad authenticum exigendas [e]xhibuit, eumque demum nominatim declarat hæreseos & impietatis Mono[t]helitarum *fautorem*, *concursorem & confirmatorem*, *organum* proindè *Satanæ*, cui [c]um cæteris illum tradunt, ejusque memoriam publicè condemnant: Quæ sen[t]entia frequentissimo consessu promulgata, & sub Synodi finem per literas Le[o]nis secundi successoris sui confirmata, egregium illum Canonem suum eadem [v]iâ evertentis, quo Episcopi Romani Decretis non minus quam ipsius Petri vo[c]i obtemperandum declamitabant. Baronius certè suprà Theodorum quendam [h]æreticum fingebat nobis, Honorij nomen pro suo interseruisse: Verùm, cedo [v]el unum testem: & somniis suis deberi arbitratur fidem? Et totam Synodum, [s]i hoc detur, omnes & singulas ejus actiones num non corruptas oportuit? Ad [g]radum quod attinet, Episcopum utique Romanum in ordinem apertè cogunt, [q]ui ad antiquum illum Synodi Constantinopolitanæ & Chalcedonensis statutum [r]edigunt, ut sedes Constantinopolitana æquis cum Romanâ privilegiis utatur, [f]ruatur τῶν ἴσων ἀπολαβεῖν πρεσβείων &c. *ut illa in rebus Ecclesiasticis magnificetur, ut[q]ue sit secunda post eam*, nempe sessione: Nec est porrò quod hîc regerant, hanc [S]ynodum nullos Canones condidisse: quandoquidem abundè alibi probatum & [e]x ipso quidem Gratiano, bis eam convenisse, & secundâ vice centum & tres [C]anones edidisse, quos & Onuphrius ipse agnoscit: & Nicæna Synodus secun[d]a Universalis Actione quartâ, Adriani ipsius Legatis minimè refragantibus, ra[t]os habet, nempe à patribus denuò per Iustinianum secundum convocatis, ex [R]egistris prioris conventus concinnatos, postquam Imperator à negotiis & pe[r]iculis, quæ rebelles ei creaverant, sese exemptum vidit. Denique de tempo[r]alibus Agatho in suis supra ad Imperatorem literis, Romanam urbem *servi[t]em imperij sui Christianissimi* vocat & unicum privilegium ab eo consequitur, de quo in Agathone Liber Pontificalis ipse. *Hic suscepit divalem jussionem secundum suam postulationem, ut suggessit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari [p]ro ordinatione Pontificis faciendâ. Sic tamen, ut, si contigerit post ejus transitum [e]lectionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius Decretum generale introducatur in regiam urbem, secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum conscientiâ, & jussione debeat ordinatio provenire.* Quæ lex apud ipsum Gratianum ex[s]tat. Ut jam non mirum sit, utcumque ambitio sua evagaretur, quod aliorum ordinationi sese immiscere nondum auderet. Id verò nos anteà ex Catalaunensi Synodo in Galliis, in Hispaniis septimâ, octavâ, nonâ, decimâ, Toletanis, notavimus: necnon ex duodecimâ ipsâ, quæ sub Agathone habita, ubi Principem ex provinciæ electione Episcopos constituisse legimus: sin mora nimia interveniret, Toletanum Archiepiscopum, ita tamen, ut electus intra certum tempus Metropolitano provinciæ sese sistere teneretur.

Act. 12. 13. 17. & 18.

Epist. Leonis in sextâ Synodo univers. D. 19. C. sicut omnes.

Concil. Constant. 6. univers. in Trullo. C. 36. C. Habeo librum & C. placuit 9. 16. Synod. Nicæna 2. univers. Act. 2. & 4. Synodi.

Liber. Pontific. in Agathone.

D. 63. C. Agatho. 21. Concil. Toletan. 12. C. 6.

D. 63. C. cum longe 25.

Hîc nihilominus duo sibi consequutus videtur Baronius, unum, quod, qui in Synodo sextâ dammati sunt, Romam appellant; Alterum, quod Patres Synodi Acta sua ab Agathone confirmari rogant. Ecquos vero aut testes aut judices sequemur? Certè, appellationis, præter Baronium, meminit nemo: Epistola imò Imperatoris ad Agathonem: *Universalis conventionis communi sententiâ de sacerdotali dignitate repulsi sunt & probationi sanctissimi Papæ traditi.* Nempe, ut deinceps de eorum pœnitentiâ judicet, prout ejus signa dederint: Et Anasthasius clarius, *in exilio in Romanam directi sunt civitatem.* At inquit, Constantinus in Epistolâ ad Leonem secundum; *Ipsi autem scriptis precibus serenitatem nostram communi-*

Act. 17. sub finem.

Anasthas. in Agath.

niter omnes deprecati sunt, ut se ad vestram beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eosque ad vos misimus, vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes. Ergone appellationem vocet, ubi Imperatoris permissione, imò commissione, seu mandato opus? Ad confirmationem quod spectat, non illi plus juris: Synodus, inquit, & in Epistolâ quidem (quam novam producit) rogat, Acta sua confirmari ab Agathone: Patres enim inquiunt, *Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus, quam etiam ut per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem.* Num igitur ut robur iis suâ authoritate addat, an potius ut consensum suum accommodet? sanè vel ex ipso textu Patrum mens perspicua, qui suam sententiam minimè suspensam volunt, *ipsos*, ajunt, *ut lapsos circà fidem, extra castra atriorum Dei anathematibus interfecimus, &c. Deus movebat, Deus coronabat consessum. Et corde nos & linguâ & manu convenientes, omnis erroris expertem certamque nec fallentem definitionem vivifici spiritus ope edidimus.* Qui ita loquuntur Spiritum Sanctum Româ expectare putas? Quia verò per literas eum ad hoc opus aliquid contulisse dicunt, absque eo nihil fecisse, nihil facere potuisse protinus colligas? Certè si res ita se habet, Leo secundus quando hujusce Synodi Acta ad Hispaniæ Episcopos mittit, ut ea & recipiant & exequantur, confirmari etiam ab his postulavit. Et illi proindè Papæ, ipso Papâ superiores. Synodi enim Toletanæ decimæ quartæ verba plus adhuc roboris habent, *Leonis*, inquiunt, *antiquæ Romæ Pontificis invitatoria Epistolaris gratiæ consulta suscepimus, per quæ invitati sumus, ut prædicta Synodalia instituta, quæ miserat, nostri etiam vigoris manerent authoritate suffulta.* Quid igitur statuunt? *Licet in unum generaliter colligi per idem tempus Hispanorum omnium Præsulum societas nequivisset, sparsis tamen sedibus atque locis præfatas gestorum regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus, approbantes in his de utrarumque Iesu Christi, Filij Dei, differentiâ naturarum &c. Placuit proindè ea ipsa gesta firmare, satisfacientes Romano Pontifici, nostræque fidei assensum purissimâ verborum enodatione depromere.* Et Baronius ipse Actorum hujus Synodi *confirmationem* vocat. Nec omissum hîc oportet, antequam Agathonem dimittamus, habitum eo sedente Toletanam Synodum duodecimam *ex jussu Eringij Regis*, in quâ de gravissimis rebus disceptatum.

Baron. ibidem art. 49.

Toletan. 14. C. 2.

PROGRESSUS.

SUccedit Agathoni anno 683. Leo secundus: Is, quod dicebamus, rescribente Constantino Imperatore, Constantinopolitanam Synodum Græcè conscriptam recipit, & quos illa excommunicaverat, ipse excommunicat, & Honorium quidem Pontificem ipsum: In ejus gratiam *divali jussione Imperiali* mandat Constantinus, ut qui Archiepiscopus Ravennæ eligatur, Romam ordinandus accedat, eâ tamen conditione, ne quid pro Pallio ab eo exigatur: ut hanc corruptelam, nihil obstante Gregorij Decreto, in Curiâ Romanâ grassari intelligas. Benedictus secundus ejus successor, divali jussione ejusdem Imperatoris, *Clero, populo & exercitui inscripta* (quæ tum loquendi formula, quia validum, quod erat Romæ, præsidium partem suffragiorum faciebat) aliquid amplius consequitur, & altiusculè enititur. *Ut persona qui electus fuerit ad sedem Apostolicam è vestigio absque tarditate Pontifex ordinetur.* Quod à tempore Iustiniani non obtinuerat. Verùm frœnum illud quàm necessarium mox apparuit: Benedicto enim intrà annum defuncto, & Iohanne quinto alterum annum plus minus emenso, in successore eligendo, *Extemplo Civi-*

Ann. 683., Liber Pont. in Leone 2.

Anasthas. in Bened. 2.

tas,

…t, inquit Sigonius, *libertatem adepta, vetere dissidio conflagravit.* Clerus Petrum …resbyterum eligit, Exercitus Theodorum quendam infert, utraque pars in suâ …r aliquot dies pertinaciâ persistit, ac tandem ambobus rejectis Cononem Pres…yterum urbis Episcopum salutant omnes & consecrant. Quo post undecim …enses è vivis sublato, novum iterum schisma duorum mensiû & eo amplius, civi…te in partes scissâ. Adversâ per totum Pontificatum valetudine conflictatus fue…t Conon, & Paschalis Archidiaconus literas ad Exarchum Iohannem miserat, …andem ei pecuniam pollicitus, si ipsius beneficio Pontificatum obtineret, pecu…am utique, quam Conon morti propinquus Clero & Monasteriis, auri ingens …ondus legaverat. Nec Iohannes ipse sibi defuerat, judicibus suis admonitis, …os paulò ante Romam jus dicturos miserat, ut omni ope Paschali subrogando …essent: Itaque, Conone vix extincto, in duas partes secessum: pars Theodorum …rchipresbyterum, pars Archidiaconum Paschalem legit: pars interiora Patri…chij (Laterani) pars exteriora insidet, gliscente jam certamine, atque alteram al…ra per vim depulsura, cùm primores judicum, exercitus, Cleri & Populi sanio… consilio usi, & cœptæ occurrendum seditioni rati, Sergium quendam Presby…rum, ex mediâ populi turbâ arreptum Pontificem designant, qui illicò ab omni…is *salutatur*, ab ipsis adeo competitoribus: Sigonius, recentiori adulatione, *adora*…. Anasthasius, sese coram eo humiliasse dicit. Eò jàm pervenerat superbia …jus sedis, ea jam invadendæ ambitio & cupiditas. Exarchus, suâ spe minimè …ustrandus, summâ celeritate Romam accurrit, & pecuniam, quam Paschalis …omiserat, à Sergio flagitat: Hac ut sese redimat, canthara & coronas aureas, …æ ante aram & confessionem D. Petri pendebant, demi jubet, & pignori tradit, …c propterea proficit quidquam, quod in annum 690. incidit. Itaque quatuor …norum plus minus spatio, ex quo electionis libertas eis reddita, schisma duplex, …litioni proximum: Et jam Comitiis Pontificalibus sese immiscebant exerci…s, non secus quam olim Imperialibus Prætoriani. Notat Anasthasius, Pascha…n competitorum alterum, *pro aliquibus incantationibus & lucis quos colebat, vel sor…us quas tractabat*, in monasterium paulò post detrusum. Nec omittendum, sub …one secundo Episcopum Romanum ab Ostiensi, Portuensi & Velitrensi Episco…s consecrari cœptum, qui anteâ ab Ostiensi tantum: qui & in cæteris Episcopis …os observabatur. At certè durum illi perpetuò Synodi sextæ universalis Decre…m subire, quod Iustinianus secundus Constantini filius, qui illis tantopere fave…, experitur.

Sigon. de Regno Italiæ l. 2.

Platina in Leon. 2. Bened. 2. Iohan. 5. Conone. Sergio.

Blondus Dec. 1. l. 9.

Ann. 690.

Anasthas. in Sergio.

OPPOSITIO.

IUstinianus igitur post Constantini patris obitum, à quo socius Imperij adsci…us fuerat, *Sanctis patris vestigijs insistens*, inquit Sigonius, ad Iohannem quin…m actutum rescripserat, se sacros sextæ Synodi Universalis Codices à patre di…stos invenisse, quos statim Patriarchis, Apocrisario beatitudinis suæ, sacro se…tui, Metropolitanis & Episcopis & primariis tum palatij, tum Imperialis mi…iæ officiariis obtulisset, ut coram illis legerentur, ab iisque subsignarentur, ne …uoquam corrumpi possent, cujus quidem eum admonitum voluerat, sibique …um esse ab his nunquam discedere. Sed, inter moras obierat Iohannes quin…, & Conon in ejus locum suffectus Sacram illam acceperat: quem, ut ele…um intellexit, omnibus officijs Imperator promereri conatur, uti sigillatim ab

Ann. 692. Sigon. de regno Italiæ l. 2.

Sacra Iustiniani ad Iohan. 5. in 2. To. Cōc. Lib. Pont. in Conone.

Historicis referuntur. Cononi, etiam post aliquot menses defuncto, &, dum v
xit, adversâ valetudine perpetuò uso, ut Sergius succesit, Iustinianus similes l
teras mittit, quibus enixè rogat, Synodo sextæ subscribat, præsertim tam accu
ratè recensitæ, cuique sui jam Apocrisarij subscripserint. Hîc Sergius præte
tu captato, Acta adulterata fuisse, quod quædam capita ei minus arriderent
nempe quibus in ordinem cogebatur, quin & Apocrisarios suos ejurare, (Leg
tos vocat Anasthasius) ipséque subscriptionem denegare. Quare Iustinianus u
que adeo offensus, ut ab Ecclesiâ Romanâ, quam huc usque enixè defenderat, s
se removeret, & Sergio Magistriano Romam misso, Iohannem Portuensem Ep
scopum & Bonifacium sedis Romanæ Consiliarium caperet, & ad se perduci ju
beret. Zachariam imò Protospatarium Sergium ipsum Roma abducturum del
garet. Verùm, ut ille rebus suis prospexerat, Romana militia ejus partes ampl
xa, cogitur Zacharias ad ipsum sese recipere, adque ejus pedes prostratus, ven
am supplex orare. Prætextus verò illi non subsignandi quod *erroribus novitatu*
nollet assentiri, inquit Anastasius, vel ut Paulus Diaconus, *Synodo erroris: quip*
Monothelitas credi volebat: cum tamen Canones hujus Synodi nihil tale red
leant, Monothelitas contra anathemate percutiant. Angebat eum tantùm D
cretum illud, quo eadem Constantinopolitano & Romano privilegia decernebat
tur, cum primæ duntaxat sedis exceptione, quod vel Anasthasius ipse non diss
mulat: *propter quædam capitula*, inquit, *præter ritum Ecclesiasticum addita*, præte
ritum, inquit, non contrà doctrinam. In vitâ Iohannis septimi magis ingenuè
capitula Romanæ Ecclesiæ contraria. Etenim Orthodoxam fidei suæ professione
unà cum Actis illis mittebat: Et annum jam hîc attingimus 700.

Verùm, nil non molitur Baronius, ut hujus Synodi Canones destruat, à nob
licet ita firmatos, ut longâ repetitione non sit opus. Pseudosynodum & erratica
vocat: nempe dolet ei caput, caput illud suum coerceri ægrè patitur, unde mem
bra omnia, non mirum, si afficiuntur. At enim quinam in culpa? Annon Pa
tres, annon Legati ipsi Pontificis? Tharasio Patriarchæ Constantinopolitano in
census est, qui in Nicænâ secundâ Synodo: *Quæ hic ignorantia, quâ plerique laboran*
circa hos Conones? scandalum est enim dubitare num sint sextæ Synodi. Cognoscant ig
tur tales, sextam Synodum temporibus Constantini fuisse congregatam, &c. ijdem illi Pa
tres sub Iustiniano Constantini filio congregati prædictos canones ediderunt, neque de ha
re quisquam dubitet. Hos ut explodas, num argutiola aliqua sit satis? Balsamon
Antiocheno non minus, *quia*, inquit, *duæ universales Synodi, Quinta scilicet, &*
Sexta non fecerunt Canones, ad Ecclesiarum constitutionem, hæc facta est ad supplemen
tum duarum. Est autem etiam universalis, Etsi enim Occidentales Episcopi, Itali scili
cet & Latini, ab hujus Synodi canonibus opportunè icti, eam non esse universalem instite
runt, nec Romani Papæ Legatos in eâ adfuisse, &c. Antiquius Nomocanonum versavi, &
ex subscriptionibus inveni, quod in hac Synodo aderant Basilius Gortynæ Cretæ insul
Metropolis Episcopus, & quidam Ravennæ Episcopus, totius Synodi Romanæ Eccles
vicem gerentes. Et non solum ipsi, sed qui tum erant Papæ Legati, Vicarij scilicet The
salonicensis, Sardanensis, Heracleanus in Thraciâ, & Corinthius Episcopi. Sunt au
tem Legati, qui à facie dicuntur, qui etiam particularem habent jurisdictionem, ut hoc osten
ditur ex secundo titulo quinti libri Imperialis. Hoccine spongiâ expungi tam faci
lè? Balsamonem mentitum aut schismaticum dicere, num sufficiat nobis? Grati
anus adeò ipse num passurus, qui hosce Canones Canonicos agnoscit? Imò Syno
dus Nicæna secunda universalis? imò Papæ ipsi, Gregorius secundus, Adrianu
pri

Sigon. de regno Italiæ lib. 2.

Anasthas. in Sergio.

Anasthas. in Sergio.

Paul. Diacon. de gest. Longob. l.6.c.11.

Ann.700.

Baron. to. 8.an.692. art. 1.2. & seq.

Nicæna Synod. Act.2.

Balsamon in Nomocanone.

Nicæna Synod. 2. Act.2,&3.

mus, qui testimonium ex iis petunt, canone octuagesimo tertio nominatim, ad aginum probationem utantur? An verò Baronio dixisse sufficiat, suopte gladio ntifices illos Græcos jugulare voluisse, qui sese, dum eam approbant, jugulant os: inter sex sacras Synodos, & his quidem verbis, eam recensent: *Hæc pictura* gni) *veneranda in sextæ Synodi divinæ & legaliter prædicatis Canonibus recipitur.* uod enim Anastasium in suâ septimę Synodi versione testificari dicit, nullam Patrchalem sedem eos recepisse, ut Pontificis Bibliothecarium fuisse omittamus, quior est, quàm ut ei fides adhibeatur, cum in Epistolâ ad Iohannem octavum licatoriâ dicere non vereatur: *In hac Synodo* (Nicænâ secundâ) *ex Apostolorum sextæ universalis Synodi canonibus & sententijs inveniri, quæ apud nos interpretata nec entur nec admittuntur.* Quæ jam tum ministrorum hujus sedis fides.

Baro. ann. 692. ar. 48. Synod. Nicæna 2. Act. 2. 2. & 3.

P R O G R E S S U S.

Episcoporum Romanorum hoc tempore status, Imperatoribus in Oriente seentibus, ingruentibus extrinsecus Barbaris, intrinsecus subditis rebellantis; ut, si quam authoritatem in Occidente retinere vellent, eorum gratiam deeri necesse haberent: Exarchi non minus ipsi, ut sese in Italiâ contrà Longodos tuerentur. Nec verò Longobardis etiam interdum illis adulari grave: que, ut erant seculi filij in rebus mundanis prudentes, res suas promovere illis difficile fuit. Iohanne igitur septimo anno 705. Episcopatum ingresso, Aritus Longobardorum Rex Alpes Cottias in Patrimonium donat. Blondus & tina à Taurino Genuam usque, indéque in Gallias extendunt, & hoc illis, doe sancto Petro: ut aliena prodigere proclive cuivis. Addit Paulus Diaconus, is Apostolicæ jam olim fuisse: nempe à supposititi â illâ Constantini magni doione, sed à Longobardis ereptas restituisse: *Et donationis instrumentum, aureis ratum literis, Romam direxisse:* Sed enim Platina hoc totum evertit: *De donatio-* inquit, *nil certi habetur, Paleámque Pontificij juris periti appellant, quod sine frumento quomodo de confirmatione constabit?* Quæsitus igitur à Pontificibus hîc prætex-, ut eas occuparent, ni fortè dicere malumus Aripertum eâ ratione multa imnia scelera expiare voluisse, de quibus latè post cæteros Sigonius: quia ejus jam uli & error & terror. Non multò post verò, in tranando flumine pondere auri fluminis undâ oppressus, insequentibus hostibus, indignâ morte occubuit. Ex erâ parte Iustinianus secundus domesticis seditionibus conflictatus, adeò ut ex io pelleretur, restitutus demùm & de inimicis suis vindictam sumere gestiens, iscopo Romano adblandiri conatur: & quidem idcircò Acta Synodi sextæ per os Metropolitanos honorificè mittens, ea ut recipiat vehementer hortatur. ldit Anastasius conditionem, *ut, quæ ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, uendo excluderet:* Platina Pontificius licet Historiographus contrà, *ut ei subscribe-*: uterque sanè, re infectâ Legatos remisisse: Nec tamen satis illi animi ut iis ntradiceret, eave censuris, aut interdictis emendaret, an everteret. At sub um 708. Constantinus Papa opportunitate multifariàm abutitur. Iustinianus undus, extinctis, qui eum solio dejecerant, Callinicum Patriarcham ipsum, ossis primùm oculis, Romam vinctum mittit: in eo Pontifici Romano non pam sibi gratificari visus, quem hac occasione in Orientem invitat, specie, ut de publicâ cum eo consilium ineat, reipsâ, ut honoribus cumulatum sibi devinciat: adunt Historici, mandasse, ut eo ipso honore, quo ipse solitus, ubique exciperetur;

Anastas. in Iohan. 7. Ann. 705. Paul. Diacon. l. 7. c. 28. Blondus Dec. 1. l. 10 Platina in Ioan. 7. Sigon. de regno Italiæ lib. 2.

peretur: ſeſe imò ipſum in terram proſtraviſſe, *quin & Regnum in capite habentem* (ita diadema vocant) *pedes ejus exoſculatum*. Verùm, nos etiam celatos nolunt, in accerſendo merâ authoritate uſum: Paulus Diaconus, *Conſtantinum Papam ad ſe venire jubens*, non ut Sigonius, *obſecrans*. Anaſtaſius ipſe, *miſit ſacram, per quam juſſit eum ad regiam aſcendere urbem. Qui*, inquit, *ſanctiſſimus vir juſſis Imperialibus obtemperans illicò navigia fecit parari*. Et ſunt authores illi huic ætati propinquiores. Baronius igitur num hìc audiendus, cum *juſſit* interpretatur, precibus exoravit, ut, quæ ſubſequi vides, à devotione & compunctione fuerint, non ab obſequio ſeu obedientiâ. Etenim author Paulus Diaconus, *cuncta ei privilegia Eccleſiæ renovaſſe*. Quæ proindè ejus liberalitati accepta ferret: Et Anaſtaſius clarius, *poſtulans ut pro ſuis delictis deprecaretur* quæ ejus temporis vulgò ſatisfactio, & ſic, inquit, *ad propria reverti abſolvit*. Hoc noſtro ævo quis ejuſmodi verba uſurpare auſit? Addit Platina, *de priſtinâ vitâ ob calamitates* (utique nefaria) *quas perpeſſus fuerat Iuſtinianus nil immutaverat, præter hoc tantùm, quod ſedem Apoſtolicam contra atque antea conſueverat, veneratione deinceps obſervavit tutatúſque eſt*. Quod unum, ſceleribus nihil obſtantibus, ad amicitiam cum Pontifice ſatis.

Paul. Diacon. de geſtis Longobard. l. 6. c. 31.

OPPOSITIO.

EXerebat tamen perpetuò caput aliquis hujus Tyrannidis impatiens, Imperatores licet ad eam conniverent. Rècens admodùm hoc jugum ſubierat Eccleſia Ravennenſis, & Imperatorum quidem juſſu: Damiano itaque mortuo, Fœlix electus Archiepiſcopus Conſtantinum Papam confirmandus & conſecrandus accedit: Verùm, inquit Anaſtaſius, *ſecundum priorum ſuorum ſolitas in ſcrinio noluit facere cautiones*: Platina & Blondus candidius, *nec de more formulam obtempeperandi ſcripto, & pecuniam Romam mittere cogi voluit*, in eóque ejus partes tuebantur *ipſi Romani Magiſtratus*. Audi verò fabulam, *Cautio Fœlicis à Pontifice in ſacratiſſimâ Confeſſione beati Petri Apoſtoli poſita* (reliquias Petri eo nomine vocitant) *poſt non multos dies terra & quaſi igni combuſta reperta eſt*. Et his miraculis ſeculum illud ludificari, ſolenne illis: Sed attende efficaciora: Archiepiſcopus à Pontifice repulſam paſſus Ravennam revertitur, apud Populum & Clerum ſuum conqueritur, ſicque unanimiter, ut anteà, ab Eccleſiæ Romanæ obedientiâ diſcedunt. At ex aliâ parte Iuſtinianum Conſtantinus implorat, qui Theodorum Patricium cum claſſe tranſmittit, excenſionem in eam oram facturum: Archiepiſcopus & vicinæ Eccleſię arma parant, Cervia, Comaclum, Forum pompilij, Ceſenna, Imola, Faventia, aliæ, numeroſus populus inquit Blondus, & multo potentior quam hodiè. Theodorus ſæpius repulſus tandem appellit, copias exponit, urbem obſidet, in deditionem tum Cives, tum Archiepiſcopum recipit: Quæſtione nihilominus tanquam de ſeditione habitâ Optimatum pleroſque in vitâ, aut civitate aut fortunis mulctat, & id porrò *ſententiâ ſancti Petri judicari* dicebatur. Archiepiſcopus præcipuè extinctis prius oculis in Pontum deportatur, donec paſtorali hac methodo *ab hæreſi* converſus (pecuniam enim Pontifici denegaſſe, apud Platinam hæreſis) cautionem exhibet, quam poſcebant, eâque ratione ſedem ſuam repetit. Fœlix interim ille tam miſerè diſcruciatus, ab Hiſtoricis, ob inſignem *ſanctitatem*, miraculis etiam conſpicuam, magnopere commendatus: In Epitaphio, Baronio referente, *ter beatiſſimus Archiepiſcopus*: Verùm talem ex crudelibus pœnis, ſibi à Papâ inflictis, evaſiſſe perſuaderę vult nobis. Cum Benedicto Archiepiſcopo Mediolanenſi,

Anaſt. & Platin. in Conſtant. Sigon. de regno Italiæ l. 2. Platin. in Conſtant. Blond. lib. 10. Dec. 1.

Blond. lib 10. Dec. 1. Sigon. de regno Ital. lib. 2. Anaſt in Conſtant.

Hieron. Rubeus.

olanensi, viro sanctitatis nomine percelebri, mitius actum. Papiam seu Ticinum ii:, Regum Longobardorum sedem, suæ Diœcesi subditam, contendebat: Ro- m Pontificis visitandi causâ cum accessisset, incommodè accidit, ut litem apud m ventilaret. Definitum, *quod à priscis temporibus sedis Apostolicæ Ticinensis clesiæ Antistites ad consecrandum pertinebat*: Papia licet in Mediolanensi pro- uciâ, sed Pontifex in propriâ causâ judex sedebat.

Paulus Diacon. l. 6. c. 29. Anastas. in Constant.

PROGRESSUS.

Mpleri Divi Iohannis in Apocalypsi prophetiam necesse erat, secundam Be- iam in primæ locum subire, Imperium declinare, Apostasiam inolescere, alescere, Papatum in Imperii quasi truncum inseri: & jam Imperatores, tan- m in Orientem relegati, Occidentem vix eminus, & abysso quidem magnâ in- iecta, respiciebant. Sed Episcopos Romanos interim Exarchatus ille Raven- nsis malè habebat, cujus judices, cujus tribunal in ipsâ Româ, non jam in oculo ea, sed macula, sed cataracta. Nec minus ex aliâ parte Longobardi Reges minan- perpetuò & imminentes: Et quâ igitur solertiâ sese his laqueis expediant, vi- mus. Non multò igitur post Iustiniani secundi & Constantini Papæ colloquiū, tinianum ab exercitu derelictum Helias, qui Philippici Bardanis perduellis co- s ducebat, invadit, quo fuso & interfecto, Tiberium etiam filium jugulat, qui in mplum Blachernarū confugerat, moxque Iustiniani caput ad Philippicum, Phi- ipicus Romam mittit. Constantinus ex improviso tantâ mutatione conturbatur idem, sed ut animum recollegit, eam in suum commodum vertere satagit. Io- nnes quidam Monachus Philippicum induxerat, ut Monothelitarum partes ciperet, quæ hæresis in sextâ Synodo universali damnata; Et Iustinianus Con- ntinopoli in porticu sanctæ Sophiæ tabellam collocarat, in quâ eximij quique tres, qui Synodo illi interfuerant, depicti cernebantur, quam Philippicus onachi illius instinctu interleverat, eadémque viâ omnes Imaginis è Templis li jusserat. Et hoc quidem statutum, ab hæresis licet studio profectum, ex Orthodoxum & Catholicum. Constantinus igitur adversa vestigia secutus, quam per contemptum in porticu sancti Petri tabellam ipse aliam collocat, in â non Patres modo, qui sextæ Synodo affuerant, sed qui etiam sex anterioribus nodis universalibus, saltem primarios, depingi curat. Quin & in Synodo Ro- e habitâ, imagines in Templis habendas & ponendas constituit. Hinc verò fit, quæstio de imaginibus non jam, ut loquuntur, accessoria sit, sed principalis de- m evadat. Adeò, ut Imperatores licet Orientis Orthodoxi sint, & sex illas nodos amplectantur, non illis tamen prius aut subditi obsequantur, aut iscopi Romani auscultent, (quæ ars eorum fuit) quàm imaginum & defen- ni & venerationi acquiescant, quam porrò superadditis circumstantiis eò usque iosam execrabilem illis reddunt, ut supersit perpetuò aliquid, quod Pontifices pant, cujusque occasione eos ex Italiâ eliminent. Quæstionem ipsam ingredi hîc opus: Constantinus sanè eo prætextu Philippici Sacram repudiat, hæ- icum eum proclamat, Populo Romano interdicit, *hæretici Imperatoris no- n, aut chartam, vel figuram solidi suscipere, unde nec ejus effigies in Ecclesiam roducitur, nec ejus nomen* (ut mos erat) *ad solennia Missarum profertur*, eum, quam, quatenus in se est, Imperio spoliat. Inde verò Arthemius quidam auda-

Paulus Diacon. li. 6. c. 34. Anastas. & Platina in Constant.

audacior factus ad successionem festinat, adversus eum insurgit, comprehensum excæcat, éque solio deturbat, ut non immeritò Onuphrius apud Platinam in Constantini vitâ: *Primus omnium Romanorum Pontificum Imperatori Græco Philippico in os resistere palàm ausus fuit Constantinus Papa. Imperator enim, in Iconomachia hæresim lapsus, sanctas imagines ubique tollendas esse, etiam Romano Pontifici jusserat*: non inquam, quod Monothelita esset, de duabus in Christo aut voluntatibus aut naturis minus benè sentiret, sed in habendis aut non habendis imaginibus in Templis discreparet: Quod & Sigonius eodem sensu. Nempe, qui erat ambitionis in illis æstus, Imperatori exauctorando vel leviculus prętextus satis erat. Prodit Gregorius secundus sub annum 716. Romanus civis, qui, inquit Sigonius, propter egregias lucubrationes, Dialogi cognomen adeptus: author fortè fabulosorum illorum Dialogorum, qui Gregorio primo tribuuntur: Et huic ulterius progredi visum. Leo tertius, dictus Isauricus, anno 717. ad imperium vocatus, ut se in solio firmatum videt, anno 722. Edictum contrà Imagines confirmat: Non alia ei hæresis impingitur, ne ab adversariis quidem, *Et hinc*, inquit Sigonius, *magnarum rerum, & gravium seditionum initia sunt inducta, quibus insignis in Italiâ Ecclesiæ dominatus est constitutus*. Pontificiis Historicis si ulla fides, Gregorij ille & vitæ & libertati insidiatur, eo superstite, quod cœperat, perficere non posse, diffisus. Zonaras tamen, quamquam Monachus & Imaginum patronus, nil tale habet, ut nec Cedrenus. Verùm, tanto conatui deesse non debuit aliquis color, sed notum saltem, Gregorium idcircò Longobardos in exarchum Romam venientem concitasse, à quibus repulsus Ravennam reverti cogitur: eaque occasione ruptum fœdus, quod inde à Rege Rotari inter Longobardos & Exarchos continuatum fuerat, utrorumque tandem & damno & excidio: Et Exarchorum quidem primùm, quibus Luitprandus Rex Ravennam miserè direptam ademit: Sed, Gregorius secundus, Longobardorum potentiam suspectam habens, velificatione statim mutatâ, auxilio à Venetis impetrato, magnóque silentio & celeritate, Longobardis pulsis, Exarchum Paulum Ravennæ restituit. Pergebat interim Leo & Gregorium hortabatur, ab imaginum tutelâ discederet: Regerebat Gregorius, Imperatoris non esse, *quidquam in fide innovare*: eo loco Imagines illi; At non hìc subsistere animus: quin, ajunt Historici, Ravennates & Venetos repetitis decretis ad rebellionem sollicitat, Populum militiamque in Imperatorem & Exarchum exacuit: Civitates tùm & urbes magistratus suos pellere, novos ad ejus libidinem creare: Romanis ipse persuadere, si perstiterit Leo, ab eo tanquam hæretico deficiant; ac tandem Italos jurejurandi religione absolvere, eorumque conscientias ab eo liberas esse jubere, & ne tributum ei persolvant, ullumve obsequium præstent, graviter interdicere. Quo facto, effrænes illi continuò populi in Paulum Ravennæ Exarchum ruunt, Petro Romano Duci oculos eruunt, Exhilaratum Campaniæ ducem ejusque filium necant, universam Italiam seditione, rapinâ, cæde implent. Ac tandem tot tantisque sceleribus obligati, Romani præsertim, Imperatorem Leonem abdicant, ab ejus obsequio & fide desciscunt, & *solemni Sacramento se Pontificis vitam, statumque in perpetuum defensuros, atque ejus in omnibus rebus authoritati obtemperaturos jurant, sævúmque*, ajunt, *Leonis Imperium respuunt*: Baronius; *Hic*, inquit, *finis Ducum illorum, qui ab Imperatoribus Romam mitti solerent ad curandam urbem, & ad eam spectantes civitates*: Et hæc illarum conspirationum prætextu justificare conatur, quarum nemo, præter unum Anastasium Pontificum familiarem, meminit.

Onuphr. apud Platinam in Constant.

Sigon. de regno Italiæ l. 3. Ann. 716.

Ann. 717. Ann. 722.

Blond. Dec. 1. l. 10 Sigon. l. 3. de regno Italiæ.

Zonaras P. 85. To. 3. Cedren. P. 373.

Baron. To. 9. an. 726. art. 34.

...igonius eâdem mente, *Ita Roma, Romanusque Ducatus à Græcis ad Romanum Pon-* ...icem, *propter nefandam eorum hæresim impietatémque, pervenit.* Et quænam hæc, ...fi in Imaginibus tollendis? Ibi verò, usurpati à Pontifice Dominij catalogum ...xit, in quo *Roma cum castellis, oppidis & viculis in Tusciæ partibus, id est, Portus,* ...ntùm cellæ, *Cære, Bleda, Maturanum, Sutrium, Nepete, Castellum Gallesij, Orta, Po-* ...artium, *Ameria, Tuder, Perusia, Narnia, & Ocriculum, & in partibus Latij, Signia,* ...nagnia, *Ferentinum, Alatrium, Patricum, Fruxinum, ac Tibur, & in regione Campa-* ...e, *Sora, Arces, Aquinum, Teanum, & Capua.* Adde Luitprandum Longobardo-...m Regem, qui regnum ingressus Alpium Cottiarum patrimonium ab eo repe-...rat, reddere denuò & Ariperti donationem confirmare: Eodem, quo hic jure, ...eni prodigum: sicque ab Episcopis Romanis exiguntur Italiâ Orientis Im-...ratores, qui deinceps oculos Romam versus cum suspiriis & gemitibus vix con-...rquent. Onuphrius de Gregorio præfractè, *qui Constantino successit, majora ausus,* ...alicum *Imperium, quod de Longobardis supererat, jure eripuit Leoni tertio, anno Domi-* ...729. Ut jam reliquum sit explicare, quâ arte Reges Longobardorum excusse-...nt, à quibus Gregorio præcipuus jam metus: quia Luitprandus, cum exercitu ...omam ferè usque progressus, eò eum redegerat, ut supplex, vim deprecaretur, ...uem videbat Carolo Martello, Majori in Franciâ palatij affinitate & fœdere jun-...um: adeò ut Pipinum filium ei mitteret, quem attonsâ, more Longobardorum, ...esarie, sibi filium adoptaret: quod ipse quidem Carolo fecerat: quamquam Ai-...oinus, *Patris spiritualis nomine & ex fidelium Christianorum more id fecisse, scribit.* ...regorius igitur in futurum consulens, ut huic se periculo eripiat, demulcendum ...bi Martellum ratus, solennem ad eum Legationem decernit, clavésque ei sancti ...pulchri cum vinculis Petri & magnis muneribus mittit, *quod*, inquit Aimoinus, ...*nteà nullis auditum, aut visum temporibus fuit, eo scilicet pacto, quatenus sacram Roma-* ...*m Ecclesiam à Longobardorum tyrannide liberaret, terrena cœlestibus posthabens* ...*occipenderet, & à partibus Longobardorum recederet.* In fœderis verò confirmatio-...em, mutuam legationem Carolus Romam dirigit, amplissimæ segetis, quam ...xindè Papæ collegerunt, sementem: unde non multo post tempore, sedem ...omanam tuentibus Francis, Longobardorum excidium consecutum. Extat ...dhuc Gregorij ad Carolum Epistola, in quâ, ut æmulationem ejus accendat, ...ongobardos his verbis inducit: *Adveniat Carolus, apud quem refugium & exercitus* ...*rancorum, &, si valent, adjuvent vos, & eruant de manu nostrâ, &c. potens est,* ...*se princeps Apostolorum, ob à Deo sibi concessam potestatem, suam defendere domum, &* ...*opulum peculiarem, atque de inimicis dare vindictam, sed filiorum fidelium mentes* ...*robat.* Hanc tamen Baronius Gregorio tertio ejus successori tribuere ma-...ult.

Iam Gregorio secundo anno 731. succedit tertius, ut solij, ita & consilij hæ-...es: de imaginibus ergo in Synodo 93. Episcoporum statuit, *ut si quis adver-* ...*s sacrarum imaginum venerationem profanator extiterit, sit extorris à corpore & san-* ...*uine Domini nostri Iesu Christi, vel à totius Ecclesiæ unitate.* Unde omnem bene ...erandi occasionem Leoni tertio sustulit, eâdem viâ cæteros deinceps Impera-...es Graciæ procul faciens: Ad Longobardos quod attinet: Trasimundus Spoleti ...Dux, defectionem contrà Luitprandum Regem suum moliens, cum Gregorio ...ertio fœdus init, qui deinceps Romæ Imperij compos, ut in eo sese firmet, ...ontroversa quædam oppida Trasimundo restituit: Ille verò ex compacto actu-...um in rebellionem erumpit; Sed enim ingruente mox Luitprando, Gregorij opem

Sigon. lib. 3. de regno Italiæ.

Onuphr. in Annot. in Plat. in Constant. Zonar. to. 3. in Leon. 3. p. 85. Cedren. p. 373. Ann. 729.

Sigon. de regn. Ital. l. 3. Blond. Dec. 1. l. 10 Aimoin. l. 4. c. 57. Append. ad Greg. Tur. C. 110.

Ann. 741.

opem & auxilium ex fœdere inclamare cogitur: Et Gregorius quidem eum in fidem recipit, sed Luitprandus sibi dedi postulat, ni faciat, bello se persecuturum urbem ostendit. Quod cum detrectaret Pontifex, Luitprandus exercitum ex Ducatu Spoletano in Romanum traducit, & plerisque oppidis occupatis in urbis fines ingressus, vastato agro, urbi demum obsidionem admovet: nec deerant nobiles Romani plerique qui dominationem Pontificiam aut aspernati aut jam pertæsi in Longobardorum castra transirent. Remotior sanè Francus, quam ut satis tempori auxiliari posset, quæ erant rerum angustiæ. Martellus tamen, Legatione ad Luitprandum missâ, ut ab obsidione discederet, obtinuit, sicque oppidis tantùm quatuor sibi retentis, inde Papiam repetit. At vix eò venerat, vix receptui recinerat ille, en Trasimundus, Gregorio suffulciente, Ducatum armis repetit, partémque amissorum facilè recuperat. Quæ Romanorum Præsulum jam tum fides fuit. Verùm moriuntur eodem anno Leo Imperator, Gregorius & Martellus: & Gregorio sufficitur Zacharias, qui oppida à Luitprando occupata sibi repetenda ratus, prædecessorum exemplo, cum perduellibus pactum init: Sed, ut se periculo propinquum videt, cum magnanimo illo Principe (id ei cognomen ne hostes quidem invident) colloquium poscit, qui haud ægrè, quæcumque postulat, ei indulget. Quin & in ejus gratiam, quam in Exarchum Ravennæ expeditionem parabat, omittit: Eâdem fide cum Rachi Luitprandi successore agit, dum ejus modo patientiam pertentat, modò clementiam experitur, & perpetuò pietatem ludificatur: Ac tandem prædecessorum fundamentis superstruens, vicinam hanc potentiam remotioris alicujus auxilio sibi subruendam proponit. Quæ, si in se major, diffita tamen minus metuenda sit. Francorum verò nostrorum ambitio, quæ in id tempus incidebat, in hanc rem facilè conspiravit. Martello Pipinus filius successerat, qui non secus ac pater in Majoris Palatij dignitate authoritatem Regiam absorbebat, haud contentus, quin & nomen regium assumat. Zachariam ergò per legatos consulit, uter ei regio fastigio dignior videretur: is ne qui otio languens nihil ad communem utilitatem conferret, an qui dies noctésque de regni salute custodiaque cogitaret. Nempe in illo Chilpericum herum, in hoc seipsum expressum volebat, in id intentus ut religionis commendatione authoritatem nactus, Dominum de solio, quæsito quoquo colore, deturbaret. Zacharias, quid ei animi, facilè intellexit, *& suâ authoritate*, inquit Aimoinus, *jußit Pipinum Regem institui.* Qui hoc ipso anno, *Secundum Romani Pontificis sanctionem, Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacrâ unctione.* Mox verò & ab Archiepiscopo Bonifacio Zachariæ vices gerente, Chilperico exauctorato subditi sacramento solvuntur. Sigonius apertè. Zacharia *interponente Decretum pro magnitudine potestatis:* At cujusmodi? Nisi illa sanè quæ ab Apostolo nobis prædicta, *Filij perditionis, qui sedet in Templo Dei, suprà Deum sese extollit, & suprà id, quod vocatur numen, sese ostentat ipsum, ac si sit Deus.* Deus utique, inquit Propheta, cum solus accingat Reges Baltheo, & solvat, regna aut in posteris perpetuet, aut de gente in gentem transferat. Sed Sigonius ipse temperare sibi non potuit: *Zacharias*, inquit, *Pontifex vitæ finem imposuit, rebus pro Ecclesiæ salute, & Apostolicæ sedis authoritate non tam piè quàm prosperè gestis*, id est, solerter magis, quàm probè. Et id in annum incidit 750.

Ann. 741.

Aimoin. lib.4.c.61. Sigo. l.3. Blond. Dec.2. l.1.

2.Thess. 2.

Ann. 750.

Pipinus igitur tanto beneficio devinctus, mirum nî par redderet, & occasio sese non diu post obtulit. Rachi Longobardorum Rege monasterium ingresso, Aistulfus frater, in ejus locum creatus, in Exarchum Ravennæ impetum facit, urbéque

rbéque captâ in Græciam confugere cogit: Hîc Exarchorum finis, qui 200. nnos in Italiâ imperitârant. Ex hoc successu seu animus Aistulfo, seu metus tephano secundo Pontifici Zachariæ successori cresceret, ad Pipinum sibi conugiendum Stephanus statuit, eo magis quòd Aistulfus præteritorum exemplo-um memor Pontificum verbis non ullam amplius fidem adjungeret. Sed quià Gallias transiturus, per Alpes iter facere necesse habebat, & seipsum Aistulfo ommittere haud tutum putabat, Pipini interventu ita Aistulfum demulcet, ut opias dimittat ejusque iter in Galliam non permittat modò, sed gratuletur adeò, t per suos fines transeuntem honorificè & excipiat, & dimittat: quâ ratione in ranciam incolumis pervênit. Ibi Pipinus Pontigone sub annum 754. ei oc-urrit: quem per beneficia à Zacharia accepta obtestatur, sancto Petro suppetias rat, (eo enim nomine nil illis inausum.) Pipinus verò id facilè implectitur, ùm, inquit Sigonius, quia *Zacharias Chilperico Rege abdicato Francorum regnum ei ddixerat, idque, quod fieri vix posse videbatur, sacrosanctâ authoritate suâ justum effe-rat, tùm etiam, quia idem jus ad Carolum & Carlomanum filios Pipinus ab eadem po-state transferri cupiebat.* Summa fuit, proximâ æstate exercitum trans Alpes ajecturum, & Aistulfum, si ultrò nollet, per vim Exarchatum & cætera lo-a restituere coacturum, unum illud modo enixè à Stephano postulavit, secum in ranciâ usque ad illud tempus remaneret, séque interim ac filios suos Carolum : Carolomanum Reges Franciæ, Zachariæ instituto perungeret: quod utrum-ue Stephanus repromisit. At ut in Franciâ expeditioni parandæ Comitia ha-êri, Francósque ejus desiderio inardescere videt, occasione arreptâ, ulteriùs rogreditur, jusiurandum à Pipino exigit: Exarchatum se, & Pentapolim bi receperit, Imperatori Græco non restituturum, quippe qui suâ se partim gnaviâ, partim hæresi his indignum reddiderit: Imò *beato Petro & successori-us ejus se traditurum in perpetuum possidenda, pro remissione peccatorum suorum im-trandâ.* Quod & Pipinus jurat, & filios in eadem verba jurare jubet: & di-loma manu propriâ subsignatum contradit. Vix Alpes trajecerat cum exer-itu Pipinus, Aistulfus sermones de pace ingerit, omnia quæ ceperat reddere aratus, quin & quadraginta obsides dare, qui in Franciam, firmandæ paci, bducuntur. Sed, vix etiam in Franciam remeavit Pipinus, Aistulfus pœni-ntiâ tactus novas copias conscribit, ut Pipinum Pontifici suppetias laturum Italiam reverti sit necesse. Qui sanè nequicquam cunctantem pollicita præstare acilè cogit, cúmque Imperator Orientis Legatorum interventu apud Pipinum geret, ut sibi Exarchatus cum Pentapoli restitueretur, non utique Pontifici, qui ihil in ea juris haberet, Pipinus, pietatem & conscientiam prætexens, respon-it, *Se divinæ promerendæ gratiæ studio inflammatum Ecclesiam Romanam in fidem cepisse: quod id ad animæ suæ salutem & peccatorum remissionem valiturum sibi per-asisset, Exarchatum & Pentapolim sancto Petro & successoribus ejus traditurũ jurasse.* t verò Stephano Pontifici novas donationis hujusce tabulas concessit, eùmque in ossessionem, tum pro se, tum pro successoribus, in perpetuum misit. Quo no-ine & singularum urbium claves in confessione Petri, una cum tabulis illis de-osuit: Quamquam hac sanè donatione non plus juris Stephano tribuit Pipinus, uam olim Pipino Zacharias, uterque alieni æris jurísque prodigus: quod in belli uce, quam in Episcopo tolerabilius foret. Et hoc titulo interim Pontifices Ra-ennam obtinent, Bononiam, Imolam, Favèntiam, Comaclum, Hadriam, Forum ompilij, Forũ livij, Cesenã, Bobium, Ferrariã, Ficoclas, & Gabellum: Itẽ in Pen-

Ann. 754.

tapoli,

tapoli, Ariminum, Pisaurum, Concham, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Humanam, Æsium, Forum Sempronij, Montem feretri, Urbinum, territorium Balnense, Calles, Luceolos, & Eugubium cum castris & finibus ad hæc oppida pertinentibus, id est, quas provincias hodiè vocamus Romandiolam, & Marcam Anchonitanam, Æmiliam olim Flaminiam, & Picenum. Leguntur etiam nunc Stephani ad Pipinum & filios literæ his verbis. *Cujusdam bonæ Susannæ verba loquamur: Angustiæ undique nobis, & quid agamus ignoramus, &c. Quod timebamus à Longobardis evenit, &c. Peto vos, ne pereamus, ne quando dicant gentes, quæ in cuncto orbe terrarum sunt: Ubi est fiducia Romanorum, quam, post Deum, in Regibus & Gente Francorum habebant? Ne nos permittatis perire, & ne differatis nobis ad solatia dandum, nec à vestro separetis auxilio: sic non sitis alieni à regno Dei, & ne obduret aurem suam vestras ad exaudiendum preces, & ne avertat faciem suam à vobis in illo futuro examinis die, quando cum beato Petro, & cæteris suis Apostolis, ad judicandum sederit omnem ordinem: dicatúrque vobis: Nescio vos, &c.* nempe *Infernum* disertè comminatus, si diutius morarentur. Lator verò earum Warinherus, qui Româ obsessâ egressus, in Galliam Legatus venerat; & plures eodem stilo supersunt. At una inter cæteras, quâ Petrus ipse ad Francos scribens inducitur: *Petrus vocatus Apostolus à Iesu Christo Dei vivi Filio: Pro certo confidite memetipsum tanquam in carne vivum coram illis assistere, quia secundum promissionem, quam ab eodem Domino Deo & Redemptore nostro accepimus, peculiares inter omnes gentes, vos omnes Francorum populos habemus. Currite, per Deum vivum & verum vos adhortor & protestor, Currite & subvenite, antequam fons vivus, unde sacrati & renati estis, arescat: conjuro vos, ne permittatis hanc civitatem meam Romanam, & in eâ habitantem populum amplius à gente Longobardorum laniari, ne lanientur & crucientur corpora & animæ vestræ in æterno atque inextinguibili igni tartareo cum Diabolo, & ejus pestiferis Angelis:* pollicitus porrò, *quòd, quicquid poscent* Ann. 755. & 56. *ab illo, subveniet & patrocinium impendet:* Et sic piis istis fraudibus (ita enim appellabant) miseras animas agebant, ferebant. Hæc autem expeditio annum 755. & 756. adimplet, quam non multo post Aistulfi mors consequitur. Succedit, qui ante Comes ei stabuli fuerat, Desiderius, Proceribus regni in diversas partes scissis, non sine difficultate rerum potitus; Ut & eodem tempore anno 757. Stephano in Pontificatu, ejus frater Paulus. Verùm, cùm is sub annum 767. vitâ excessisset, & per adversam ejus valetudinem Desiderius, in Italiâ altiores radices defixurus, omnem lapidem movisset, ut Pontifex rebus suis æquior in ejus locum eligeretur, Toto Dux Nepesinus, summisso clanculum auxilio, sub Pauli obitum, Desiderii jussu portam urbis invadit, statimque Constantinum fratrem suum, qui coram aderat, Pontificem destinat; eodémque die ex laico subdiaconum & Diaconum, contrà Ecclesiæ instituta, factum & consecrat, & ad ejus fidem populum jurejurando adigit. Inde verò immane schisma, seditiones Romæ & rapinæ, & strages: donec in Stephano quodam Presbytero, hujus nominis tertio, electio variè divagata conquievit. Is confestim in Franciam oculos vertit, ac Legatos ad Pipinum Regem decernit oratum, ut ad se eruditissimum quemque è Franciâ Episcopum mittat, ex quorum authoritate Ecclesiam constituat. Cumque, inter moras Pipino vitâ functo, Carolus & Carolomanus filii, regni suam quisque partem, malè concordes, suscepissent, ij nihilominus Stephani desiderio, legatione acceptâ, morem gerunt. Lector ne huic Pontifici, Ecclesiæ aut abusus aut mores reformare, animum fuisse putes, id unum sanè spectabat, ut electionem Constantini irritam faceret: quem, alapis primùm cæsum & pro libidine â Presbyteris suis discru-

[e]xcruciatum, in medio Presbyterii Sancti Salvatoris Lateranensis, vivum com-[bu]rit, moxque omnes ejus consecrationes vanas & nullas pronuntiat: unde porrò [ju]dicet quisque, in Longobardum quo furoris æstu ferretur. Scitu dignum, quod [eu]m rescivisset, Carolum de matrimonio cum Berthâ Desiderij Regis filiâ cogi-[ta]re, anathematis pœnâ interdixisse: Sed quo tandem prætextu, ex ipsius literis [au]dire juvet. Postquam igitur Carolo & Carolomano fratribus Proposuit, Pro-[to]plastus Adam uxoris instinctu in quas ærumnas inciderit, Satana sexus hujus fra-[gi]litate ad humanam perniciem abutente, (quasi verò hæc ratio non omnes indi-[scr]iminatim fœminas intueatur) ad hoc conjugium accedit, *Diabolicam immissionem [es]e dicens, & non tam matrimonij conjunctionem, quàm consortium nequissimæ adin-[ven]tionis:* Audi verò Pontificiam verè Theologiam: Invenimus, inquit, in [Sc]ripturâ divinâ, multos à præcepris Dei deviasse, quod alienigenas duxissent: [Ali]enigenas igitur, quas Scriptura vocat, num gente an potius religione? Et [q]uid igitur hoc nisi in re sacrâ, ne dum seriâ ludere, illudere scripturis? Hi [en]im Reges annon Orthodoxi? subjungit demùm, *Quæ est præcellentissimi fi-[li] magni Regis desipientia, ut penitus vel dici liceat quod vestra præclara Francorum [ge]ns, quæ super omnes gentes enitet, & tam splendiflua ac nobilissima regalis vestræ [po]tentiæ proles, perfidâ ac fœtentissimâ Longobardorum gente polluatur, quæ in nu-[me]ro Gentium nequaquam computatur, de cujus natione & leprosorum genus oriri cer-[tu]m est.* Mox & obiter insinuat, Patrem de alijs nuptijs in Franciâ prospexisse, [qu]arum, inquit, *vos oportet amori esse annexos:* Ita tamen, ut ad illa prima argumenta [pe]rpetuo se convertat: *quænam est societas fidelis cum infideli, lucis cum tenebris? [n]ullus exteræ nationis assumptâ conjuge innoxius perseveravit, &c.* Amabò Lector tam [ins]ipidam tu Theologiam à Pontificis ore expectabas? Et tamen adeò hæc res ei [co]rdi, ut quinque aut sex paginas impleat, tandemque suis obtestationibus & ad-[ju]rationibus id perficit, ut anno, post consummatum matrimonium, integro, De-[si]derij filiam repudiet, quam ex matris consilio legimè duxerat: Indeque, inquit [E]ghinardus, Hildegardem gente Suevam sibi deligat uxorem, Pontifices verò, [p]ostquam res suas in tuto collocatas vident, matrimonia illa, quæ prius contracta [p]otendebant, nusquam memorant. Quæ si verè contracta, annon æque & hoc & [ali]ud impeditura erant?

Marian. Scotus in Chronico.

Iam, anno 772. Adrianus primus Stephano succedit, quì cum Desiderius fœ-[der]is contrà Francos frustrà molitus & discordes adeò fratres, Alpes trajicere [ne]ud posse, sibi pollicitus, in Exarchatum irrumpit: ac primo adventu Ferrari-[a]m, Comaclum, & Faventiam occupat, inque Pantapoleos fines latè grassatur. [Q]uo nuntio ictus Adrianus Legationem in Galliam maritimo itinere ad Caro-[lu]m magnum decernit, quem ut acriùs pungat, & rem suam agi persuadeat, [D]esiderium cogere se velle dicit, ut Carolomani filios inungat, quod quia nolue-[ri]t, in tantas angustias eum redegerit. Verùm intereà dum Legati Carolum a-[d]eunt: Desiderio, religionis seu causâ seu prætextu, ad portas usque urbis pro-[g]resso, Adrianus trepidare vehementer & animo consternari, qui tamen ad Adria-[n]i anathema, quod in ipsius caput, & familiæ comitumque omnium vibrat, si in-[ju]ssu suo Romanos fines attigerit, illicò subsistit. Sed ut Carolus Alpes supera-[ri]t, Spoletani, Reatini, alijque finitimi sese Adriano tradunt, pars etiam pleraque [L]ongobardici regni ad Caroli conspectum affatim diffluit, ut facili negotio [A]drianum planè liberet. Tùm verò Romam ipse accedit, ubi à Clero populóque [au]thor libertatis salutisque salutatur: Illud Adriani jussu concinentibus, quod olim

olim pueri Domino Hierosolyma ingresso. *Benedictus qui venit in nomine Domini Osanna, &c.* Sed enim transactis in devotionis officijs diebus aliquot, Adrianus rerum suarum memor Carolum cum suis, Cleri militumque judicibus in Vaticano convenit, rogátque ut sponsionem expleat, quam Pipinus pater & ipse, & Carolomanus frater, cum omnibus judicibus Franciæ apud Carisiacum Stephano fecerant, quam sibi legi jussam ipse cum judicibus probat: Complectebatur illa quidem Exarchatum & Pentapolim, sed non minus ille, quam decessor alieni prodigus, eam novâ alterâ donatione cumulat: addens Corsicam, Sardiniam, Siciliam, Territorium Sabinense, Ducatum Spoletanum, Tuscumque unà cum censu, qui quotannis pro his Ducatibus Regi Longobardorum persolvebatur, *Salvâ tamen super eosdem regiâ ditione*: Et his demùm artibus Pontifices Longobardorum regni excidium perfecerunt. Quibus tamen proprii historici hoc testimonium perhibent, ex quo Religionem Christianam & Catholicam amplexi erant, pios & juris amantes Principes fuisse: *Testes sunt*, inquit Sigonius, *rectæ leges eorum, quibus furta, latrocinia, rapinæ, cædes, adulteria severissimè vindicantur, ac libertas & fortunæ privatorum summo studio conservantur. Docent Templa magnifica, & monasteria amplissima, quibus pietatis ergo ipsi potissimum citeriorem Italiam exornarunt, Basilicæ Episcoporum, quas amplissimis præmijs honestarunt. Inclyta oppida, quæ aut nova condiderunt, aut diruta instaurarunt, homines sanctitate conspicui, quibus honores eximios habuerunt. Demum Pontifex ipse, quem cum ditione opibúsque auxerunt, tum tanto cultu ac reverentiâ prosecuti sunt, ut monente eo regnum ipsum dimiserint, monachúmque induerint.* Quæ tamen omnia Adriani ambitionem continere non possunt, quin tantis erga hanc sedem beneficijs supremam ruinam rependat. Nec erubescit hic Onuphrius quasi per sarcasmum profari, Gregorium secundum Imperatori Italicum imperium, quod de Longobardis supererat, eripuisse, Gregorium tertium primum ad Francorum opes longè latéque patentes confugisse, & ab ipsorum duce Carolo Martello, Pipini Regis patre, auxilia contrà Longobardos implorasse: *quæ res*, inquit, *semel incepta cum Longobardici regni excidio finita est.* Et hoc in annum incidit 773. Sed ne quid in hoc progressu omittamus, notatum in Anglicâ Historiâ anno circiter 740. Occidentalium Saxonum Regem, antequam in monasterium concederet, regnum suum Pontifici tributarium fecisse, eâ conditione, ut quæque familia annuum denarium solveret: In eâdem Insulâ, Offam etiam Septentrionalium Regem, illius exemplo sub Adriano primo idem fecisse; Nec causam reticet author, *metu pœnæ*, inquit, *quâ propter peccata afficiendus erat, & existimans se plenâ manu pro peccatis Deo non satisfecisse*, (& plura immania recenset) non satis inquam sibi donasse visus, bonorum suorum licet decimam concessisset, ni & aliena prodigeret, ni & respublica scelerum suorum pœnas lueret. Ut hinc ambitio, illinc purgatorij inventio, mutuas jam sibi operas præstabant. Quin & Gregorio septimo si credis, Carolus Magnus quod Petri auxilio Saxones domuisset, Saxoniam Ecclesiæ Romanæ obtulerat, sed nullum authorem profert, suis modò Archivis fretus, in quorum vim Petro Albanensi Episcopo & G. Principi Salernitano legatis suis mandat in Franciâ, hoc jus donúmque urgeant, quæ majores nostri perpetuò riserunt: id verò Carolo Magno ingenium, ea sagacitas, ut ejusmodi decipulis minimè videâtur illaqueandus.

Sigon. de regno Ital. lib. 3.

Onuphr. in Const.

Ann. 773.

Polydor. Virgil. li. 3. & 4.
Ann. 740.
Ann. 745.

Gregorius 7. in Epist. ad Petrum Alban. & G. principem Salernitan.

Ad hoc tempus pertinet Bonifacij Paparum satellitis, quem Martyrem volunt, egregius ille canon, *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur &*

inn-

innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, (i. Satanæ) *cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus.* En malum, sed attende remedium: *Hujus culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius:* Cui jam mirum, hac doctrinâ semel positâ, si præcipiti cursu in omne scelus ruant? Notandum interim, ut Apostasiam à vero Dei cultu cum Tyrannide Papali æquis passibus progredi intelligamus, præcipuos quosque Ecclesiæ Romanę abusus per hoc temporis intervallum propagari, quod alibi sigillatim exposuimus. Officium enim Sacrum, quod à Gregorio primo interpolatum & immutatum, Adrianus in Italiâ ipse constituebat, Bonifacius iste in Germaniâ magno studio promovebat: In Franciâ ipsâ Carolus in Adriani gratiam promulgabat, & quià multi intercedunt, violentiæ & supplicijs nil reliquum faciebat. Sacrâ etiam Domini Cænâ à plerisque neglectâ, Missæ privatæ in ejus locum subrepserant: & Sacramentum in sacrificium sensim abibat, cui robur additura Transsubstantiatio, jam exerebat caput: Purgatorium item saltem inter vulgus ad fastigium pervenerat: unde fundationes crebræ, immensæ opes nec non Romanæ peregrinationes, quibus omnium peccatorum attributa remissio, ut majores nostri annum sub 813. in Concilio Turonensi graviter commoti ad immanem illum abusum coercendum Imperialem Caroli authoritatem implorare cogantur. In superstitionis denique cumulum sub annum 788. habetur in Oriente Nicæna secunda Synodus, universalis dicta septima, sub Constantino septimo & Irene matre, in quâ post multa ultrò citróque certamina, imaginibus adoratio decernitur: Aderat verò Adrianus primus in Legatorum suorum personâ, cujus in gratiam id enixè curabat Irene Augusta, spe fore, ut ejus authoritate in Italiâ vires resumeret.

Concil. Turon. ann. 813. sub Carolo Magno. Ann. 788.

OPPOSITIO.

TAntæ igitur & doctrinæ & politiæ Ecclesiasticæ corruptelæ non sese opponit quisquam? silent omnes? Et ad doctrinam quidem quod attinet, in singulis capitibus alibi notavimus, ut à multis fuerit intercessum: nec hîc repetitione opus, nisi quatenus doctrinæ labes ad politiæ corruptelam & viam sternit, & gradum facit. Imperatores Orientis Episcopi Romani Italiâ exigebant, imperij licet sui parte eximiâ, eó prætextu, quod adorationem Imaginum repudiarent. Cùm igitur anno 713. Synodum Constantinopoli haberi legimus, quæ adorationem absolutè detestatur, aliam anno 729. eodem scopo, tertiâ item anno 755. Episcoporum 338. Universalis septimæ titulo insignem: Omnes utique sedentibus Romæ Constantino, Gregorio secundo, Stephano tertio, ijs ipsis qui eo copore ad supplantandos in Italiâ Imperatores abutebantur: Annon totidem illæ nobis intercessiones, oppositiones, cùm ipsa subversorum illorum fundamina, imagines ipsæ, earum decreto evertantur? Etenim Imaginum causa Imperatores quî exauctorentur legitimè quæ in Ecclesiâ illegitimæ & adulterinæ censeantur? pronuntientur? Cogitemus etiam de ejusmodi Pontificibus quid sentirent Ecclesiæ Franciæ, qui imaginum prętextu Orbem conturbant? quæ multo post tempore imagines non norunt, imaginibus religiosum cultum nullo modo deferunt? non illi ipsi inter Francos, qui Græcos, quod eas confregissent, damnabant. Et testis hic audiatur Anasthasius, author coætaneus, inter Neotericos etiam ipse Baronius: Cum Gentiliaca Synodus sub Pipino ipso, Salmuriensem alij dicunt, ne Pontificẽ offen-

Ann. 713. Ann. 729. Ann. 755.

Anastas. in Epist. ad Ioh. 8. Bar. to. 9. ann. 794. art. 40

offendat, clarius loqui non auſa, Imperatoribus Græcis conſilium det, ut antiqu Eccleſiæ uſui immaneant: Hunc rogo qui Imagines refugiebant, qualem fuiſ arbitrabantur? Dicamus amplius: Cum Carolus Magnus ipſe Synodum Eccleſia Occidentalis Francofurti habeat, *ex magno numero*, inquit Sigonius, *Epiſcoporum Galliæ, Germaniæ, Italiæ conflatam*, adſtantibus Adriani Legatis, in quâ Synodu Nicæna ſecunda acriter damnatur, Synodi illæ omnes proindè exploduntur, qua Conſtantino, Gregorio ſecundo, Zacharia, Stephano tertio Pontificibus, ann 713. 716. 742. 768. Romæ congregatæ. Liber porrò contra Nicænam illam ex Patrum Francofurtenſium authoritate editus: contrà Adrianum ipſum, qui eam confirmarat, quo falſa, quo nulla, quo Synodi nomine indigna declaratur. His rite examinatis, Pipinum & Carolum ſuo quemque tempore, ſi, intactâ hac controverſiâ negotijs ſe expedire potuiſſent, quis Pontifices ipſos condemnaturos dubitet? Hiſtoriam jam propriùs paulò accedamus: Zacharias authoritatem ſuam Pipino regnum uſurpaturo commodarat: Pipinus viciſſim, ingrati animi culpam amoliri cupiens, Zachariæ, Italiam partim Imperatoribus Græcis, partim Longobardis erepturo, manum auxiliàrem præbet. Carolomanus, qui paulo ante Caſſinum, Monachus factus, ſe receperat, ex Italiâ in Galliam commeat, eo tantum conſilio, ut expeditionem Pipini diſſuadeat, & in ipſis Franciæ Comitijs Regis Longobardorum cauſam ſummo ſtudio agit. Hoc quo pacto, ni Pontificis cauſam, ambitionem, cupiditatem improbaſſet? Ajunt id non ultrò quidem, ſed Abbatis mandato feciſſe. At ſalutem, quæſo, Eccleſiæ, ſi in eo ſita, num non longè prætuliſſet? Et Abbati porrò tantum Principem cogendi num facultas? Iam Carolo magno, rerum in Italiâ potito, donatio illa Pipini confirmanda venit: Certè, ſi rem attendis, regnum ille ſuum, Pontificis beneficium non eſſe, ſatis oſtendit: quin imò dignitatem Pontificiam, Romam adeò ipſam, à ſe pendere, Imperatoris beneficium eſſe non diſſimulat. Etenim, ex univerſo omnium Epiſcoporum & Abbatum ibi coactorum conſenſu, ſtatuitur quidem *Carolum Patricium Romanum fore*, (in quo Imperatoris fines Adrianus invadebat, ad quem ſolum dignitatem illam conferre pertineat) At ſanè *inveſtiturum in omnibus provincijs*, nempe Italiæ, *Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias, ut, niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur: imò etiam Apoſtolicam ſedem ordinaturum.* Quod Gratianus totidem verbis in editione emendatâ Gregorij decimi tertij, diſtinctione 63. refert. Sigebertus etiam Abbas Gemblacenſis, *Carolus Romam rediens Synodum conſtituit cum Hadriano Papâ alijſque centum quinquaginta tribus religioſis Epiſcopis & Abbatibus, in quâ Hadrianus Papa cum univerſali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque principatus: Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut, niſi à rege laudetur, & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur, omnéſque huic Decreto rebelles anathematiſavit, & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicari juſſit:* Quod & Gratianus ſubjungit: *Quicumque contrà hoc Decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & niſi reſipiſceret, bona ejus publicari præcepit.* Nec Gregorius decimus tertius in Editione ſuâ correxit hîc quicquam. Sigonius adeò ipſe hoc jus *inveſtituræ* nomine ſignificatum dicit: cum Epiſcopi *per annulum & baculum* inſtituebantur, nempe Feudorum, quæ poſſidebant, reſpectu. Ad Pogonatum verò uſque, uti antea vidimus, jus confirmandi Pontificem penes Imperatores manſerat, qui id centum ante annis Benedicto ſecundo remiſerat, quod jam Carolus Magnus tanquam poſtliminij jure ſibi vendicat. Addit tamen Sigonius, Carolum pro ſuâ moderatione

Aimoin. Monach. l. 4. c. 62. Sigon. l. 3. de regn. Italiæ. Anaſtaſ. in Stepha. 3.

D. 63. C. Hadrian. 22. Sigon. de regno Ital. l. 4. Sigeb. in Chronic.

ratione illud ipsum postmodùm relaxasse: quod aut ex Historiâ, aut ex rerum u probasse oportuerat. Certè, non ita Carolus ipse, apud Sangallensem, ambitio- s Cleri jam pertæsus. *Episcopi contemptores hujus mundi esse debuerant, & alios exem- o suo ad appetenda cœlestia provocare. Nunc præ cæteris mortalibus tantâ ambitione cor- pti sunt, ut quidam ex eis, non contentus Episcopatu, quem in primâ Germaniæ sede tinet, sceptrum nostrum, quod pro significatione regiminis nostri aureum ferre solemus, o pastorali baculo, nobis ignorantibus, sibi vendicare voluisset.* Monach. Sangallensis l. 1. c. 19.

Ergò, Baronius quid hîc dicet: quamvis in hostilis exercitus unus Triariorum star, in Sigebertum Abbatem invehitur, exclamat, *O scelus, ô impostura, ô fraus:* te, inquit, totis viribus fovebat partes Henrici schismatici, in gratiam ipsius hoc nxit: Caroli Historiographi non ita loquuntur. Ergóne schismaticus illi Gra- anus idem professus? Schismatici & tot alij, schismaticus Gregorius decimus rtius, qui hunc Canonem illibatum reliquit? At, inquit, Gratianus id à Sigeber- habet, nimium credulus fuit? Etenim eadem ferè verba sequutus est. Imò, non li Gratianus pluris, Canonistarum oraculum? Atenim in schismate Hildebrandi, uo hæc quæstio tam vehementer agitata, sub tot deinceps Pontificibus, num uisquam unquam Sigebertum falsi redarguit? mentitum dixit? Quod si verò, quâ udaciâ suos ipsi authores ejurant, eâdem nos sua ipsorum testimonia rejiceremus, uid aut quid non facturos putemus? Quod enim subjungit *investituræ* vocem ondum usu receptam ab ipso sanè Longobardorum tempore inolevisse, nemo on novit. Baron. to. 9. ann. 774. art. 10. 11. & seq.

Ad Carolum redeo. De Italiâ constituendâ agitur: Apuliam is & Calabriam Græco Imperatori relinquit, ut olim sub Iustiniano: Duces Beneventi, Spoleti orojulij instituit, ut sub Longobardis anteà: in Exarchatum Ravennensem, Pen- polim, Ducatum Perusiæ, Romæ, Tusciæ, Campaniæ, quæ omnia Pontifici oncesserat, regiam potestatem sibi retinet. In Romam proindè & Pontifices ip- os, qui Ducatus illos possidere non poterant, nisi regij Feudi vinculo obligati; uo qui se obstringebant, præter annuum censum, tale Sacramentum suscipere ieti: *Promitto me Domino meo Carolo, & filijs ejus fidelem futurum in totâ vitâ sine raude dolóque malo, &c.* Unde fortè accidit, ut Epistolæ Adriani pluribus locis no- is faciant fidem, non satis ei cum Carolo convenisse, cum toties inculcat: *ut memi- erit quæ Petro Apostolo promiserit, quanta etiam beneficia ab ipso acceperit.* De ijs etiam onqueritur, quibus in Italiâ authoritatem commiserat, etiam in spiritualibus: uod Episcopus Ravennas, ex quo eum vidit, pervicacior evaserit: ex quo præ- ertim Missos suos Ravennam pro electione Episcopi destinavit, adeò, ut eum ob- urget, eum quasi ad Petri tribunal sistat: quod ex iis, quæ deinceps videbimus, nanifestius fiat. Epist. Hadriani ad Carol. 30. 31. 39.

Anno igitur 796. Adriano primo succedit Leo tertius, à Clero & populo lectus, qui continuò legatione ad Carolum decretâ eum suæ electionis certio- em facit, ipsique Confessionis Petri claves & urbis vexillum cum pluribus ho- orificis muneribus offert (quod in fidei & hominij signum fuit;) rogat etiam de uis Optimatibus Romam mittat, qui *populum Romanum ad suam fidem, atque subje- tionem per Sacramenta firmet.* (quæ Aimoini Historici verba.) Mittitur verò ad hoc *Angilbertus Abbas sancti Richarij monasterij.* Non multò post Romani Proceres, E- piscoporum jugum pertæsi, Leonem in processione ipsâ adorti, ex equo dejiciunt, & seminecem in plateâ relinquunt: Quem amici susceptum in Vaticanum aspor- ant; miraculóque rem augentes, erutos ei oculos ab adversarijs, sed à Deo resti- Ann. 796.

Aimoinus l. 4. c. 89. Zonaras to. 3. p. 97.

tutos, asserunt: de hoc dubitare nobis cum Aimoino monacho liceat, *ut aliquis visum est*, inquit: nec in eo vim ullã facit: sed Zonaras apertius: *ij, quibus mandata ex excæcatio, pepercerunt homini, ejusque miserti, extrinsecus oculos læserunt, sed lumine n privârunt.* Et hîc tamen miraculum ingeminant. Transit Leo in Germaniam We- phaliá usque, ubi tunc Carolus, apud eum de injuriâ illatâ conquesturus: Roman nempè, qui Episcopum Romanum Dominum agnovissent, antiquam libertate vindicaturos, cum calumniâ opprimere non possent, vitæ suæ vim attulisse: Hc audito Carolus anno 800. in Italiam trajicit rursum: Romam ubi appulit, Episco pos complures, tùm Francos, tùm Italos convocat, quorum in medio præsidens

Aimoinus l. 4. c. 90.

accusatores reosque adesse jubet, (in quibus Leo ipse Actor:) Et Anasthasius E piscopos quidem declarasse ait, se sedem Apostolicam judicare non posse: Sed Ai moinus noster candidè, *Postquam nullus eorundem criminum probator esse voluit coram omni populo, de objectis criminibus se jurando purgavit*: Verùm, ab hac seditio

Author. quidam Italus apud Vignerium is est continuator Eutrop.

ne, occasione captâ, Carolus omnem Romæ authoritatem ad se contrahit: Autho enim Italus hujus temporis: *Inventum est, ut omnes majores Romæ essent Imperiales homines, tam Episcopi quàm Laici, ut omne vulgus pariter cum his facerent fidelitatem Imperatori: & suus Missus omni tempore moraretur Romæ ad deliberandas litigiosas contentiones. Morabatur quippe in Palatio Sancti Petri, & erat constitutum, quanta & qualia stipendia darentur ei quotidiè. Tanta etiam Imperialis virtus ibi vigebat, ut si in judicio Legati minoris, vel inscij causa postponeretur, & ille alicujus consilio pedes teneret Legati Imperatoris, petens ab eo justam legem, & Missus adjuraret Principes Romanos dicens, per eam fidem quam Romanorum Imperatori debetis, facite huic homini justam legem, nemo erat ausus inclinare neque ad dextram neque ad sinistram, etiamsi à propinquis Pontificis illata esset injuria: Compositiones, id est, mulctæ, quæ solvebantur à malefactoribus, æqualiter dividebantur, Misso Imperatoris & Apostolici. Si autem talis culpa erat, ut res scelerati fisco publico subderetur, non ad Ecclesiasticam transibat subjectionem, id est, nisi per donativum Imperiale præceptum.*

Ado Episcop. Viennens. in Chronico. ann. 798. Aimoinus lib. 4. c. 90.

Duravitque hic Ordo, eodem Authore, ad Ludovicum secundum usque, Lotharij filium: Tum sanè die Nativitatis, inquit Ado Episcopus Viennensis, coram altari S. Petri, Leonem Papam coronam Caroli capiti imposuisse, universo populo inclamante, *Carolo pijssimo Augusto à Deo coronato, magno, pacifico Imperatori vita & victoria. Post quas laudes ab eodem Pontifice (more antiquorum Principum) adoratus est*, nempe Imperatorum, indéque dimisso

Salvian. Epist. ad Parentes. Paul. Diaconus in dedicatione Festi Pompeij.

Patricij nomine Imperatorem & Augustum appellatum. Sin rogas, *mos ille antiquorum Principum* quis fuerit? Salvianus utique doceat, *servos Dominorum pedes osculari solitos*, ut proindè Cæsarem Pontifex Dominum hic agnoscat. Et Romanæ quidem urbis, de quâ Paulus Diaconus ad Carolum. *Civitatis Romuleæ, viarum, portarum, pontium, locorum tribuúmque vocabula disertè reperieris.* Sic itaque Carolus Episcopos Romanos ad officium revocabat, & in Italiâ quidem, in ipsâ adeo Româ, eorum licet sede: Et his propriè de causis, ultro citróque Romam commeabat:

Ionas. li. 3. adversus Claudium Taurinens.

non ut crepidam exoscularetur, aut limina Petri visitaret. Quare, & hoc ipso tempore Claudium Taurinensem Episcopum in Romivagia seu peregrinationes Romanas detonantem audimus: frustrà adire quemquam Romam, ut pœnitentiam faciat, ut remissionem peccatorum inveniat: quod Petro dictum, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad confessionem Petri pertinere, non ad personam: clavium concessionem, solvendi ligandique potestatem, alium habêre & sensum & usũ: Cæcorum propriè esse ad Sanctos eorumque reliquias confugere, locum sedémve nihil præstare, nil prærogare, nil virium habere, nec esse protinus Apostolicum,

qui

qui in Apostoli cathedrâ sedet, ni & Apostoli munere perfungatur: Qui sanè nos plura doceret, si libri ejus superessent: hoc enim quantulumcumque ejus adversariis debetur, ex suis in illum depromptum invectivis. Nec id sanè mirum, cùm Synodus Turonensis hoc ipso tempore ijsdem malis & corruptelis anxiè remedium quærat.

Ad Spiritualem authoritatem quod attinet, Constantinus & Irene mater Pontificum gratiam omnibus modis captabant quidem: Qui tamen in sua Sacra profitentur, *Synodum se nutu proprio convocasse, annuentes petitioni Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani:* Ut & Acta Universalis Nicænæ secundæ, *pio eorum decreto in celeberrimâ Niceæ civitate convocatam* contestantur. Et Synodalis Patrum Epistola, tum ad Imperatores, tum ad omnes universim Episcopos idem. Nec non Tharasius Constantinopolitanus Patriarcha ad Iohannem Presbyterum. Zonaras sanè *permissione Imperatorum*, & Theophanes, *Irene Augusta omnes Episcopos convocavit ut Synodum Niceæ celebrarent*: Imò Adrianus Pontifex, ipse Imperatoribus rescribens, id ultro agnoscit, eosque, *genibus advolutus & coram vestigia pedum eorum salutando*, rogat, ut Synodi authoritate imagines restituantur. De præsidentiâ verò, Legati licet Romani interessent, non secus ac cæteri Patriarchæ eò vocati, hisque prima sedes deferretur, Synodo tamen præfuisse, nusquam appareat. Tharasius Patriarcha ut plurimùm proponit & definit: postremus etiam sententiã dicit, & concludit: quod in Actione tertiâ perspicuum: Ubi verò ferenda sententia, Synodus universaliter profâtur his verbis, Synodus dicit, *Synodus definit*: Quin & peractâ Synodo, inquit Zonaras, *qui Concilium celebrarant*, προκαθημένων τῶν βασιλεύοντων *in urbem Imperatoriam profecti, commentaria in Regiâ, Imperatoribus præsidentibus atque omnibus audientibus, recitarunt, quæ statim ab Imperatoribus* κεκύρωται *approbata & subsignata sunt.* Quin & Adrianus ipse Episcopus Romanus, Tharasio Constantinopolitano scribens, in Actis hujusmet Synodi eum Patriarcham universalem appellat. Hîc Bellarminus Imperatori in hac Synodo nullas partes fuisse contendit: Nempe Nicæâ, inquit, is aberat: Sed, negare miminè possit, Proconsulem Petronium & alios Senatores ejus personam sustinuisse, quò omnia ritè fierent. Addit, extrà controversiam Adriani Legatos præfuisse, etenim, inquit, *primi nominantur, primi subscribunt*: ut perpetuò πρωτοκαθεδρίαν cum προεδρία primæ sessionis jus, cum præsidendi authoritate confundit. Quid igitur dicturus, cũ ab ipso limine Episcopi Siciliæ proponunt, rationi consentaneum videri, ut summus Imperialis civitatis Constantinopolitanæ Patriarcha *aperiat januam*, Synodum ipsam inchoet? Synodus verò statuit, *fiat secundum vota & desiderium sanctissimorum Episcoporum*: Et sic porrò fit.

Concil. Nic. 2. in Principio.

Ibidem Epist. Tharasij ad Ioannem Presbyterum.

Zonar. t. 3. p. 95.

Concil. Nicæn. Action. 3. Zonar. l. 3. p. 95. Acta Nicenæ 2. Syn. Act. 2

Bellar. de Concil. li. 1. c. 19.

Synod. universl. 7. Act. 1.

In Occidente Francofurtensem Synodum Carolus Magnus convocat, dirigit, moderatur: Italiæ licet Episcopi intersint, Hadriani adeo ipsius Legati. Epistola Caroli ad Elipandum Archiepiscopum Toletanum clarè: *jussimus sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostræ ditionis Ecclesiis congregare Concilium*: ex quibus nam verò si roges, *ex Germaniâ, Gallijs, Italiâ, Angliâ, & Hispaniâ*, quæ ibi sigillatim recensentur: Quarum Patriarchas & Episcopos eò invitat, Mediolanensem, Aquileiensem, alios, & immediatè & pleno jure. Et dicit quidem se ter quaterve Romam ad Hadrianum misisse, ut, de Elipandi hæresi quid sentiret, cognosceret, sed eodem contextu subjungit, eodem se etiam consilio *e Britanniæ partibus aliquos Ecclesiasticæ disciplinæ viros convocasse.* Utrobique sanè non ut authoritati suæ subsidium quærat, sed tuendæ veritati præsidium:

Et

Et verò, sicuti huic Synodo præfuerat, ita & Synodica Epistola ejus nomine promulgatur. In cæteris Occidentalibus Concilijs, Germaniæ, Franciæ, Aquisgranensibus, Moguntinis, Turonicis, Arelatensibus, idem observatum: nempe, ut ab Imperatore convocarentur: Quibus perpetuò præfixum, *jussu, injungente, imperante, secundum jussionem gloriosissimi Regis*, aut *Imperatoris Caroli*, ut ne Romanum quidem excipiatur, ubi de Carolo Imperatore agnoscendo actum: Yvo enim & Gratianus disertè, *Carolus Romam reversus Synodum constituit cum Hadriano Papa in Patriachatu Lateranensi, in Ecclesiâ sancti Salvatoris, quæ Synodus celebrata est à quinquaginta tribus Episcopis, religiosis & Abbatibus.* Si Hadriano Romæ convocare jus non fuit, in cæteris provinciis quanto minus? Denique Reges & Principes quique eâ ætate in suis ditionibus, pro suo jure & Ecclesiarem utilitate, Synodos cogebant: eligebant etiam Clerus & populus Episcopos, juxtà Canones, ita tamen, ut Principes consensum suum adhiberent, propter insignia Feuda, quæ ab Ecclesijs ex Principum pleraque donatione possidebantur: Quare, quod in Romanâ Synodo dicitur, *Episcopos à Carolo investiri,* non novum jus, non nova concessio, sed veteris juris & communis quidem, à Pontificibus interpolati, aboliti, restitutio, redintegratio: quod inde à primis regibus Christianis in Germaniâ & Galliis obtinuerat. Waltramus Episcopus Naumburgensis de hisce investituris: *Gregorius magnus Theodorico, Theodoberto, & Brunihildi scribit, ut absque simoniâ investituras Episcoporum faciant:* In primâ igitur Regum nostrorum prosapiâ hoc jure utebantur. Item: *Longè ante Decretum Hadriani Papæ ejusque successorum Reges, qui erant uncti, & Majores domus, investituras Episcoporum fecerunt, Dagobertus, Sigibertus, Theodericus, Hildricus, Pipinus filius Beggæ Major domus, Theodebertus. Ab his intronisati sunt, Remaclus, Amandus, Audomarus, Antpertus, Eligius, Lampertus, alijque sanctissimi præsules. Postquam autem Romani, ingruentibus vicinis & gravibus bellis, desciverunt à Græcis Imperatoribus, Papa Stephanus ob infestationem Longobardorum venit Parisios, & assensu Romanorum & Francorum in Regem & Imperatorem unxit Pipinum: Legitur etiam de Episcopis Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Ungariæ, quomodo ex antiquâ institutione usque ad modernam novitatem per Reges introjerint:* quam scilicet Pontifices sub annum 1100. intrudebant. Ac proindè quod Carolum legimus, annum circà 779. Turpino sive Tilpino Archiepiscopo Rhemensi indulsisse, ut ab Hadriano *pallium* acciperet, à speciali favore fuit, quem rerum potitus prudenter repressit. Adde Pipinum & Carolum leges merè Ecclesiasticas condere solitos, nec tantùm quæ ad politiam, sed ad ipsam Ecclesiæ doctrinam pertineant. Hinc illorum, quæ etiamnum extant, Capitularia, hinc & quæ, Sigonio teste, Mutinæ asservantur Leges, quibus, inquit, Carolus *res Ecclesiasticas novis institutis firmavit:* quarum & Prœmium ipse exhibet: nimirùm ut munere illo suo, de quo in Canone, *Hadrianus* seriò defungeretur, *Ecclesiam reformaret*, ipsam *sedem Apostolicam* ordinaret. At, illa in peius quotidie ruens, eò jam devenerat, ut nullis repagulis coërceri, nullis funibus retrahi posset: Carolus ut suâ diligentiâ nihil aliud consequutus sit, quàm ut ejus & prævaricationes cumularet, & justam condemnationem his tanquam programmatis ad valvas adfixis propalaret, quæ nullâ ratione ad meliorem frugem reduci posset. Etenim sacram Scripturam impleri necesse erat, ambitionem illam, calcatis rebus omnibus & humanis & divinis, ad fastigiũ illud iniquitatis eviti. Adeò ut religiones ipsæ suæ, quod, inquam, in illis in speciem spirituale, ad temporalia unicè jam spectet. Gregorius sanè secundus & tertius, Bonifacium cum in Germaniam delegant, Christianas Ecclesias, longo antè tempore ibi

D.63. C. Hadrianus 22.

Waltram. Episcop. Naumburgens. de investituris Episcop. Ann. 1100.

Ann. 1100.

constitutas, offendunt: Is tamen Germanorum Apostolus vulgò habetur: quasi ...is gentes ad Christum converterit. Quis igitur ibi Bonifacij scopus? Ex jureju-...ndo, quod Gregorio secundo præstat, perspicuus: *Promitto ego Bonifacius, gratiâ ...i Episcopus, vobis beato Petro Apostolorum Principi, vicarióque tuo beato Gregorio secun-... &c. fidem & puritatem meam, atque concursum tibi & utilitatibus tuæ Ecclesiæ, &c. ...si agnovero Antistites contrà instituta antiqua sanctorum Patrum conversari, cum eis ...llam habere conjunctionem aut communionem: Quod si contrà hujus promissionis seriem ...quid facere quolibet modo vel occasione tentavero, reus inveniar in æterno judicio, ultio-...n Ananiæ, & Saphiræ incurram.* Et hoc manu propriâ signatum tradit: Cum in-...rim Gregorius, Ecclesijs Germanicis scribens, ad *Gentium illuminationem* hanc ...gationem institutam dicat: Et porrò si quis ejus conatus juvet, *locum ei cum Mar-...ibus* pollicetur: si quis contrà, *anathema denunciat*, quamquam ille unam autho-...atem Pontificis, mera Romanorum commenta, eis deprædicet. Perspicuus ...am ex Gregorij tertij ad Bonifacium literis: dum ei congratulatur, quod ...eus inter illas Gentes *viam salutis, ostium misericordiæ aperuerit, & miserit Angelum ...m, qui præpararet viam tuam ante te.* Carolum utique Martellum, cujus favore ...tus talia audebat. Et hunc, quo zelo moveretur, supra vidimus. Nec id verò in ...c ipsâ Epistolâ nos celatos voluit: via hæc salutis inquit, *Traditio Apostolica, E-...coporum institutio, ex nostrâ vice,* quibus ad suam libidinem abutatur. Et sanè, ...od pollicitus erat sedulò etiam exequitur. Ex Epistolâ denique Bonifacii istius ...Zachariam, quâ protestatur, *quantoscumque audientes, vel discipulos in istâ legatione ...bi Deus donaverit, ad obedientiam Apostolicæ sedis invitare & inclinare non cesso.* Ut ...Zachariæ ad Galliarum & Germaniæ Episcopos, quâ gratulatur, non jam unio-...m, quæ invicem in Christo, sed quod *ad fautorem*, inquit, *& magistrum vestrum à ...o constitutum, beatum Apostolorum principem Petrum benignissimâ voluntate conversi ...is*: utique quòd Episcopum Romanum superiorem agnoverint: nempe à quo ...ctrinam inprimis necessariam accipiant, *quod Christiani se abstinere debeant, in ...mis à volatilibus, id est, gracculis, corniculis atque ciconijs etiam & fibris, atque lepori-... & equis sylvaticis.* Et complures ineptias ejusdem generis, in quibus nihil, quod ... salutem faciat magis. Et illas quidem Bonifacij tum fidei, tum peritiæ commis-..., de quibus interim dicere non veretur. *Tamen sanctissime frater, de omnibus Scri-...ris sacris benè compertus es.* Amabò, ex quo tandem loco?

In 2. Tom. Concil. in Decret. Gregor.

Ibid. in Epist. ad Episcop. Presbyt. Diaconos.

2. Tom. Concil. in Epist. 2. ad Bonifac.

In Gallicanis nihilominus & Germanicis Ecclesijs, utcumque Principes ma-...m auxiliarem præbeant, non ei omnia ex animo succedunt. Gregorius enim ...cundus, exhortante Bonifacio, Carolo Martello rescribere cogitur, ut Episco-...m segnitiæ insimulatum coarguat. Nec Zachariæ Franciæ Episcopi placent, ...i, contrà quàm polliciti erant, Pallium ab eo accipere negligunt, carius fortè ...am velint redimendum, quod apud Bonifacium pudibundè excusare nititur: Et ...ndem, *sin aliter egerint*, inquit, *ipsi videbunt*: Quin & Carolomanus ipse in gene-...i suarum ditionum Synodo, cui aderat Bonifacius, disertè, *per consilium Sacerdo-...n & Optimatum meorum ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos ...rchiepiscopum Bonifacium, qui est missus sancti Petri*, qui proindè à Carolomano or-...natus: Et hîc primùm legimus Legatum Romani Episcopi Galliarum Concilio ...fuisse, annum circa septingentesimum quadragesimum secundum. Denique si Bo-...facius Episcopos & Clerum illarum regionum aspernatur, & eum vicissim illi: ...ippe qui *mendaciorum authorem, pacis perturbatorem, religionis & Christianę doctrinę ...rruptorẽ vocitant*: Monachi licet, ejus ætatis doctissimi, Clemens & Samson Scoti,

2. Tom. Conc. Epi. Gregor. ad Bonifac.

Synod. Francica sub Carolomano. Anno 742.

Avent. Annal. Bojor. To. 3.

Adalbertus Gallus, Bedæ discipuli, & complures alij, quos idcircò varijs calumniis,& ipse & sui similes, onerare conantur. Verùm, si quis aut minus ei gratus aut plusculum sapere visus, promptum ei hæreseos apud Papam reum facere, peragere, apud Principem etiam suum traducere, cujus in Virgilio Episcopo exemplũ, quem sanctimoniæ & doctrinę nomine in Bavariâ commendatum,in omnibus disciplinis, mathematicis præsertim, apprimè versatum, quod Antipodas esse diceret, Bonifacius apud Zachariam suggillat: Zacharias nihilo doctior, impietatem & hæresim interpretatur & confestim ad Utilonem regem Bavariæ rescribit, de Episcopali solio eum dejiciat.

Omittendum hîc minimè, quamquam id ad progressum propriè facit, esse qui scribant, Adrianum in sigillando primum, plumbo ibi docuisse: etiam primum, quod exinde successores, multorum principum magno malo factitarunt: *Ut qui aliquid, quod Ecclesiæ sit, possidet, si obstinatè retineat, pro hæretico habeatur.* Hinc enim propagatæ deinceps tot excommunicationes, Spoliationes, in Principes rebelliones: Et verò hoc prætextu Carolum in Imperatores Græciæ concitat Hadrianus, quem Leo tertius demùm Occidentis Imperatorem eodem colore coronat: Baronius audacius, Imperium Occidentis in eum transfert. At enim quod Leo tertius, à Carolo in sedem restitutus, eum Romæ coronat, pro suâ proterviâ immane dogma Baronius inde eruit, (quod Principes Christiani omnes attendere operæ pretium) Episcopum Romanum pro suo jure regna & imperia transferre, & hic octo plus minus paginas implet: Coronam capiti imposuit, ergo imperium contulit, à Græcis ad Gallos transtulit: Hoc fecit & jure potuit: Amabò Lector, tantùm ei paralogismum condonabis? Ergone, cum Patriarcha Constantinopolitanus Imperatorẽ coronabat, cum Archiepiscopi hodie Christianos Reges, regna idcircò conferre dixeris? Quod hujus ceremoniæ ministri sunt, tantine tibi, ut Principib. seu de facto,seu de jure regna concedere credas? seu à successione illa,seu ab electione pendeant? Imò,non hæc,inquã,aut consecrandi aut consecrantis mens: Etenim, qui à Patriarcha coronabantur Imperatores, non idcircò minus θεοστεφεῖς, non ipse Carolus minus à *Deo coronatus*, cui à populo acclamatur, in hoc ipso actu, *Carolo pijssimo Augusto à Deo coronato*: Verùm, quas probationes adducat, attendamus. Propterea, inquit, Scriptum est,*qui dominatur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud*: At Episcopum Romanum Deum esse, altissimum illum thronum suum ei concessisse, transcripsisse, antè probatum oportuit: Item, *per me Reges regnant, per me Principes imperant*: Quod Salomon de æternâ Dei sapientiâ pronuntiârat,hanc rursum in Pontificis personâ hypostaticè residere ubinam ostendit? Et tamen quasi aliquid solidum effaturus: *Rem tantam considerare te velim Lector.* Et post immanem hunc hiatum, quid præter meras nugas effutiit? Secundò,quis dubitat, inquit,quin Deus eandem Ecclesiæ, quam olim Synagogæ Iudaicæ authoritatem concesserit? Non videmus verò ut Samuel regnum à Saule ad Davidem, Elias & Elisæus ab Achabi stirpe ad Iehu transtulerit? Imò nugivendulus ubinam legit regnum transferendi penes Synagogam jus fuisse? id eam aut fecisse unquam aut tentasse? Sin autem Archisynagogus esse cupit, regnandi causâ aut spe, circumcidi: undenam evincat nobis, Synagogæ Romanam Ecclesiam, potiori jure, quam Hierosolymitanam aut Alexandrinam aut Antiochenam, succedere. Quin, quod amplius, undenam ostendat, (quod Samuel & Elias) Deum cum ipsis locutum, jussos se à Deo hoc aut illud speciatim facere, oraculo, miraculo? Non videt verò hoc totum opus extra ordinem geri, non hîc ullas summi Sacer-

Hadrian 1. in Epist. ad Carolum Magnum, de Nicænâ Synodo.

Anasta. in Leone 3.

Baron. To. 9. an. 800. art. 6. 7. 8. & seq.
Daniel 4.
Prover. 8.

Sacerdotis partis esse, sed Prophetam, vas extraordinarium, à Deo deligi? Quod si ad Synagogam hæc facultas propriè pertinuisset, non jam Prophetæ sed summi Sacerdotis munus fore? Tertiò, sic dictum fuit Ieremiæ, *constitui te hodiè super gentes & Regna, ut evellas & destruas & disipes, plantes & ædifices.* Aggæus vero, *Major erit gloria domus hujus, quàm primæ.* Et Paulus, *Si ministratio damnationis, nempe Lex, in gloriâ est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloriâ*, ministerium justificationis per fidem in Christo, Ergò multò magis donatum Pontifici, evellere & evertere, conferre regna & transferre. Lector non frontem hîc contrahis? ad tantas verbi divini profanationes? tam immanes blasphemias non cohorrescis totus? Ergóne Ieremias, aut Synagoga ipse, aut summus Sacerdos? Hoccine verò faciebat ille, Judaicum inquam regnum à Babylonijs pessundandum efficaciter denuntiabat: quâ Sacerdos ex Anatoh, an quâ Propheta? Ut autem hoc onus deprecatur, annon ille Iehova: *Cum nondum formavissem te, agnovi te, & cum nondum prodijsses ex vulvâ sanctificavi te, Prophetam ipsis gentibus constitui te:* Annon porrigit manum suam Deus, os ipsi tangit, dicens, *Ecce indo verba mea ori tuo.* In suo sermone, in tot aliis num quid simile? Et porrò Baronio idem, diserto Dei mandato arcanum ejus consilium sibi extrà ordinem manifestatum denuntiare; an injussum, nullâ misione, nullo mandato suffultum, illum de solio pro libitu deturbare, hunc constabilire? Ieremias verò, illâ licet facultate præditus, num Sedecia exauturato, Nebucadnezarem in ejus locum inaugurat? Hieronymo sanè hic longè clemens, qui hunc locum cum alio Ieremiæ vigesimo quinto comparat, ubi Deus calicem Prophetæ tradit, quo omnes gentes iræ suę vino inebriet, quæ nominatim ei designantur: nempe plagarum, quas jam jam inflicturus sit Dominus, eas admoneat: Nec tamen idcircò sese earum negotijs immiscet, in Principes, in populos desævit, involat: Quin Hieronymus hunc locum allegoricè exponens, plantare istud & *evellere* ad doctrinam refert, quatenus prava verbi Divini vi eradicatur, bona in eius locum subit: ut & est istud *evertere* & *ædificare* de virtute Spiritus oris ejus exponit. At, inquit, gloriam secundi Templi majorem quam primi esse oportuit. Secundum ergo illi Templum (vide ut miserè theologatur) quodnam nisi Hierosolymitanum? major vero illa gloria, ut omnes interpretes exponiat, Iudæos, Christianos, veteres, recentiores, quænam nisi generis humani redemptio, Christus, stante secundo Templo, pro peccatis nostris crucifixus? Sin secundum Templum Ecclesiam Romanam intelligit, quid consequatur, nisi ut Episcopus Romanus, analogiæ servandæ, sit Caiphas & Herodes, quin, quatenus utramque jurisdictonem affectat, in eum unum Caiphas & Herodes simul compingatur quasi & coalescant. Gloria etiã illa Euangelici ministerij, de quâ Apostulus, quid nisi Christus in omni energiâ per Spiritum suum regnans? quod ibidem, *Spiritus non literæ ministerium:* Lex lapidibus insculpta ad condemnationem, fidei Christi opponenda, quæ in cordibus imprimitur ad salutem. Huic verò ministerio cum illo suo magisterio quid commune? ministerium illud cum merè spirituale sit, hoc annisi carnem sapiat, nil nisi mundum, ambitionem perpetuò & tyrannidem spiret, conspiret? Chrysostomus in hunc locum: *Gloria Mosis sub sensum cadebat, oculis enim corporeis cernebatur, cum contrà gloria novi Testamenti animo tantùm cerneretur.* Qui igitur eam in rebus corporeis, mundanis quærunt, annon huic gloriæ renunciant? Item, *opposuit lapidem cordi*, inquit, *& litteram Spiritui. Novum autem Testamentum non vitam duntaxat dabat, sed etiam Spiritum, à quo vita afferebatur.* Hoc Baronij interpretatione quam procul, quæ tota caro & sanguis. Ambrosius

Ierem. 1.
Aggei 2.
2. Cor. 3.
Iere. 1. v. 6. 7. & 9.
2. Cor. 3.
Chrysost. hom. 7. in 2. ad Cor. c. 3.

ibidem, *Manifestum est majorem esse gratiam legis fidei, quàm legis Moysis*, ac proinde quam gloriam Ambrosius gratiam interpretatur, Baronius truculentiam, tyrannidem. Rursum: *amplius est donum justitiæ Dei per fidem Christi, quàm legis veteris*: Et sic vides ut Patrum vestigijs insistant. Sed hæc fortè plus satis contrà Theses absurdas adeo, quod Lector excuset, cum tamen, has qui aut neget aut credere cunctetur, extemplò hæreticus censeatur. Quartò, contendit Baronius, Carolum ditiones suas inter tres filios dividentem nihil de *imperio* decrevisse, quia inquit, *arbitrio Pontificis Romani electivum esse sciebat*: Quin ex ipso, quod profert, Caroli Testamento refellitur: istud quamquam Petri Pithœi viri oculatissimi judicio, cui acceptum fertur, planè incertum: In ipso igitur limine, *per Dei gratiã filios nostros regni vel imperij nostri hęredes relinquere, si sic divina majestas annuerit, optamus*. Item, *divisiones à Deo consecrati & conservandi imperij vel regni nostri tales facere placuit*, Et verò omnes omninò suas ditiones inter eos partitur, Italiam ipsam Romam usque, ad dextram, ad sinistram, unâ exceptâ Magnâ Græciâ (regno Neapolitano) quę tunc temporis in Imperatorum Græcorum potestate. Quod verò Imperatorem designat neminem, id vitandæ discordiæ facit, ut quisque portionem suam æquo jure & eodem titulo possideat: Alioqui cum inter liberos omnes imperij sui partes dividat, nudo Imperatoris titulo Pontificis arbitrio relicto hunc si ad alienos Pontifex transferre voluisset, quid pæter fumum arbitrio ejus dividendum reliquisset?

Ambros. ibidem.

Baro. to. 9. ann. 806. art. 26.

PROGRESSUS.

CArolus igitur, uti vidimus, authoritatem temporalem adversus Paparum fraudes strenuè asserebat, quamquam ita plerumque, ut spiritualem non parum labefactaret. Ab ejus enim instituto est, quod Episcopis de Metropolitanorum & Comprovincialium judicio, quoquo prætextu, conquestis Romanum Episcopum adire permissum. Imperatoris verba notatu digna: Episcopus cum judicatus fuerit, *licet iterare judicium, & si opus sit, liberè Episcopum Romanum adire*: Licet, inquit, & liberè, quibus gratia nova designatur, ut & alibi *placuit*, ex novâ utique Principis concessione: non quod Ecclesiæ nostræ ad id tenerentur. Quin & optio dabatur, *à Primate diœceseos*, inquit, *aut ab Episcopo Romano judicetur*: Id autem *proclamatio*, seu *appellatio* vocatur, unde inter Pontificem & Episcopos nostros tot deinceps controversiæ. Transegerat cum Imperatoribus Orientis Carolus, de Italiæ præsertim divisione, ita ut Imperatores dicerentur utrique, Carolus & posteri Occidentis: Orientis alij, unde importunæ Paparum ambitioni sese eximere facilius Carolo, cui Pontificũ gratiâ minus opus esset. Verùm ut ex vitâ decessit, Ludovici filij mansuetudine abutendum sibi Pontifex proponit: Carolus licet authoritate suâ tam moderatè usus, ut illi querelæ occasionem vix ullam daret. Leoni tertio succedit Stephanus quintus, *contra legem*, inquit Aimoinus, non expectato Imperatoris jussu, *electus & ordinatus*, qui culpam emendaturus, *jussit*, inquit Theganus, *omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico*: nempe debitum obsequium: Quin & magnis itineribus in Franciam ipse contendit, præmissis Legatis duobus, *qui quasi pro suâ consecratione Imperatori suggererent*: Ludovici utique patientiam pertentans, cui postquam coronam imposuit, Romam muneribus onustus revertitur: ita tamen, ut quid officij sui esset, in hoc itinere didicisse videatur. Quandoquidem apud Gratianum legitur ejus sanctio: D. 63. C. 28. *Quia sancta Romana Ecclesia, cui Deo authore præsidemus, à pluribus patitur violentias*,

Leges Caroli lib. 6. cap. 164. & 299. & l. 7. c. 124. 234. 235.

Ann. 816. Aimoin. l. 4. p. 103. Theganus de gestis Ludovic. c. 16. 17. 18

Dist. 63. C. quia sancta 28.

tias, Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperiali notitiâ Pontificis fit electio & consecratio: nec canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi sunt nuntij, qui vetent scandala fieri, volumus, ut cum instituendus est Pontifex convenientibus Episcopis & universo clero eligatur, præsente senatu & populo, qui ordinandus est, & sic ab omnibus electus, præsentibus legatis imperialibus consecretur. Et hæc in Gregorij decimi tertij Decreto reformato etiamnum pro legitimâ agnoscitur, ut non audiendus sit Baronius, qui de ejus fide pro libidine dubitare velit: Verùm, in proximè consecutâ electione minus observata fuit: Paschalis enim anno sequenti successor ei diligitur, qui, inquit Aimoinus, *post completam solenniter ordinationem suam, & munera, & excusatoriam Imperatori misit Epistolam, in quâ sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum renitenti Pontificatus honorem velut impactum asseverat.* Quâ quidem excusatione se contra legem peccasse satis ostendebat: *Missâ tamen*, inquit, *aliâ legatione pactum, quod cum prædecessoribus suis factum fuerat, & secum fieri & firmari rogavit*, nempe quod Carolus cum Hadriano primo & Leone tertio pepigerat, de quo nos suprà: nec aliter intelligi potest, ut & Leo Ostiensis interpretatur, *& ea quæ petierat impetravit.* Interim Papales Historici concessionem Ludovici Imperatoris nescio quam nobis obtrudunt, quæ quo amplior eo suspecta magis, & hanc omnium primam nobis legendam exhibent: quandoquidem quæ Pipino & Carolo tribuuntur, citantur tantum, nusquam prodeunt. Carolina nominatim ab Anastasio Bibliothecario, quæ ab eodem genio efficta, licet alio prorsus seculo, eundem quem Constantini Palea & stilum & contextum præfert. At in hac Ludovici Concesione, si quæ ei fides, Pontificum electioni absolutè renuntiat Ludovicus, quæ Imperatoribus delata Canone *Hadrianus*. Et à Volaterrano, Sigonio & Baronio integra recitatur illa, quæ in Gratiani Decreto in pauciora perstringitur: utrobique tamen multis de causis à doctioribus minus probata. I. Quia multæ terræ & ditiones ibi donantur, quæ longo post tempore in donatione Comitissæ Mathildis comprehenduntur. Secundò. Quia successores ipsius Ludovici compluribes tanquam proprijs usi & potiti leguntur. Tertiò: Quia, si huic instrumento locus, multas provincias, insulas, ditiones, dominia, portus, oras donaverit Ludovicus, in quibus nihil ei juris, imò quæ ex pacto, cum Carolo & Ludovico facto, in Imperatorum Orientalium bonis apertè censentur. Quartò: Quia Italiam uni ex liberis in portionem hæreditariam daturus, quod postea fecit, nihil ferè ei relinquebat, unde statum & dignitatem suam tuêri posset: maximè cum Orientis Imperator partem Italiæ possideret, Venetis etiam libertas salva & incoluminis maneret. Quintò: Quia Romam ipsam præfecti ab Imperatoribus constituti multis porro annis regunt & gubernant, & Bullis ipsis Romanorum Pontificum, quod Guicciardinus ipse agnoscit, nomen Imperatoris apponitur: *Imperante. N. Domino nostro.* Sextò: Quia in electionibus Pontificum deinceps consecutis nulla hujus renunciationis ratio habetur: Quandoquidem eas ab Imperatoribus ratas haberi & confirmari & solenne & necesse: ipsique, si quid secus fiat, majestatem suam lædi seriò quiritantur. Septimò, Quia authores coætanei, Nithardus, Aimoinus & alij Annalium conditores, nihil tale habent, non Anastasius ipse in Paschalis vitâ, qui pro suo in Pontifices studio, natus inter eos & educatus, ejus imprimis meminisse debuit. Octavò: Quia aliquot demùm post seculis, collapsâ nempe Carlovingiorum familiâ, cœperunt Pontifices hujus concessionis authoritate sese tueri. Ut omittamus Ludovicum hîc subscribi *misericordiâ Dei Imperatorem*, non, quod volunt, Pontificis beneficio. Nonò, quod

Baron. to. 9. ann. 816. art. 101.

Aimoinus l. 4. c. 105.

Leo Hostiensis l. 1. c. 28.

Anastas. Biblioth. in Adrian.

quod sit Palmarii loco; quia Otho tertius Imperator in Donatione illâ, quæ in Archivis Romanæ Ecclesiæ, Asisij in loco Fratrum Minorum servatur, præfatus, se dare D. *Petro*, & Sylvestro secundo, magistro suo, *quæ sua sunt*, *octo eis Comitatus offert & donat: Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrum, Callium, Hestum, & Ausimum*, qui iidem in hac Donatione Ludovici enumerantur. Si hæc pridem à Ludovico donata, quid novâ hac Donatione opus fuit? & quâ fronte Otho ille in Diplomate, *Spretis commentitiis præceptis & imaginarijs scriptis ex nostrâ liberalitate S. Petro donamus quæ nostra sunt: non sibi quæ sua sunt veluti nostra conferimus.* Quibus verbis quis non videt everti Donationem & cæterorum & Ludovici: & acceptante quidem probantéque Sylvestro 2. quo non alius Pontifex magis oculatus. Hac tamen seu vera seu falsa quàm gnaviter alienis rebus imminerent, minimè dubium, quando hunc ipsum Paschalem legimus Theodorum Ecclesiæ Romanæ Primicerium & Leonem Nomenclatorem ejus generum in Patriarchio Lateranensi, *primò excæcasse, deinde decollasse: Et hoc eis ob hoc contigisse, quod se in omnibus fideliter erga partes Lotharij juvenis Imperatoris agerent*, quem Ludovicus socium Imperij sibi adsciverat. Quantos etiam superbia Pontificum progressus faceret, Anastasius Pontificius Historicus in Valentino Pontifice testis, cujus anno 827. electi & ad Lateranense Patriarchium deducti *Ovanter ab omni Romanorum senatu pedes osculatos*, ovabundus ipse prædicat: quod sanè hic primus passus esse legitur, sed Deus quadraginta tantùm dies hanc in eo superbiam tulit. Helmoldus sanè insigne fastus Ecclesiastici incrementum sub Ludovico connotat: *Fecit*, inquit, *liberalitate suâ ut Episcopos, qui propter animarum regimen principes sunt cœli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret regni.*

Diploma Othonis 3. asservat. Asisii in loco Fratrum Minorum ubi Thesaurus Archivorum Romanæ Ecclesiæ.

Aimoin l. 4. c. 111.

Anastas. in Valentino. Ann. 827.

Helmold. in Historiâ Sclavorum l. 1. c. 4.

OPPOSITIO.

LUdovicus interim utcumque indulgeat, non quid libet eis licere vult: Nec desunt insignes viri, qui nimios Pontificum ausus liberè reprehendant: Et Paschalem quidem ipsum Imperator aggredi non reformidat, Adalungo Abbate Monasterii Sancti Vedasti & Hunfrido Comite Curiensi Romam missis, crudele illud facinus ut explorarent ac diligenter investigarent, quod *vel jussu vel consilio Pontificis* perpetratum dicebatur. Et anteverterant quidem eos Paschalis Legati, Iohannes Episcopus Sylvæ Candidæ & Benedictus Archidiaconus Romanus, *rogantes Imperatorem, ut illam infamiam à Pontifice auferret, quâ ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur.* Sed Romam venientes rei gestæ certitudinem assequi non possunt, quia & Paschalis *se ab hujus facti communione, cum magno Episcoporum numero, jurejurando purificaverat, & interfectores, quia de familiâ sancti Petri erant, summopere defendebat, mortuósque velut majestatis reos condemnabat, juréque cæsos pronuntiabat.* Ut Sigonio hoc loco dicere excidat, *Legati non solum veritatem eruere, sed ne investigare quidem satis potuere:* quod in annum incidit 823. At, ut Lotharius anno sequenti post Paschalis obitum in Italiam *justitias facturus venit*, causam horum malorum facilè detegit, *statum populi Romani jam dudum quorundam perversitate Præsulum depravatum:* Item, *statuit etiam, juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercentes potestatem, justitiam omni populo facerent, & tempore, quo visum foret, Imperatori æquâ lance penderent.* Hæc assentiente novo Pontifice Eugenio, & cum Ludovici Imperatoris, quod testantur authores, magno applausu; Sigonius ipse sanctionem profert, quam Lo-

Aimoinus ibidem.

Sigonius, l. 4. de regno Italiæ. Ann. 823. Aimoinus l. 4. c. 112. Author vitæ Ludovici.

Lotharius ibi deposuit, *ad Comitia Pontificum & res Ecclesiasticas pertinentem. Volumus, ut ad electionem Pontificis nemo audeat venire, neque liber, neque servus, qui aliquod impedimentum inferat, exceptis illis tantùm Romanis, quibus antiqua fuit consuetudo concessa, per constitutionem sanctorum Patrum, eligendi Pontificem. Quod si quis contrà nostram jussionem facere ausus fuerit, exilio afficiatur.* Nempe, ut vitetur ambitus: Item: *Placet nobis, ut cuncti Iudices sive ij, qui cunctis præesse debent, per quos judiciaria potestas in hac urbe Româ exercetur, aut in cæteris provincijs exerceri debet, in præsentiam nostram veniant. Volumus & numerum & nomina eorum scire, & singulos de munere sibi credito admonere.* Ubi perpetuò *volumus*, *volumus* summæ potestatis, vel in ipsâ Româ, insigne argumentum. *Illud etiam*, inquit, *propter tumultus superiores adjectum videtur, ut ad vitanda Comitiorum dissidia aut legati Regis, aut Rex ipse, si in urbe adessent, consecrationi interessent. Sic enim subsequentibus annis est observatum, & postremò novâ etiam lege sancitum.*

Ad Ludovicum & Lotharium anno 824. Michaelis & Theophili Græciæ Imperatorum Legati venerant, ut eos nostrámque Gallicanam Ecclesiam de Imaginum controversiâ consulerent, rogaréntque interventu suo legationem, quam ad Eugenium Papam in eodem negotio decernebant, favorabiliorem redderent. Conveniunt itaque in Nationalem Synodum Gallicani Patres, sententiam suam de unanimi consilio Imperatoribus aperturi: quos neutiquam celatos volunt, Adrianus Papa in hoc negotio quàm malè se gessisset, quàm perniciosum errorem, quàm abominandam superstitionem unà cum imaginibus in Ecclesiam intrusisset. In primis verò Thesim illam, *Quod Papa aut Ecclesia Romana errare non possit*, à suâ Theologiâ abhorrere manifestum faciunt, cum econtrà asserunt, *Illum à recto tramite deviasse, partim veritatis ignorantiâ, partim pessimæ consuetudinis usu. Maximum obstaculum in eo esse, quod pars illa, quæ debebat errata corrigere, suáque authoritate hujusce superstitionis errori obniti, ipsa prorsus eidem superstitioni non solùm non resistat, verum etiam incautâ defensione, contra authoritatem divinam nititur, suffragetur.* Imò Eugenio secundo ipsi rescribere non verentur: *Quòd hujusce miserrimæ dissensionis causa, & materia ea sit, sine qua salva, per fidem, spem & charitatem incunctanter & in hoc seculo & in futuro salvari Ecclesia, non possit. Et hæc diu eucurrerunt*, inquit, *quousque generis humani antiquus hostis suscitavit sibi contra cultores imaginum: Herenam videlicet cum filio tam pestiferâ inclusione decipiens, ut absque ullâ misericordiâ vel metu superinspicientis omnipotentis Dei majestate, talis ab eis promulgaretur sententia, ut omnis homo eorum ditioni subiectus imagines adoraret, aut certè exilio, pœnisve diversis discruciaretur.* Et Liber porrò, quem Imperatoribus Ludovico & Lothario inscribunt, in Scripturâ sacrà, in sanctorum Patrum scriptis fundatus adeò, ut nemo non intelligat, Theologia Italorum à nostratiũ quàm procul abscederet. Cæterùm, Papa de quæstione illâ parum sollicitus, rogantibus Imperatoribus testimonium sibi proferri ex divinâ Scripturâ, quo adoratio imaginum constaret, eos uno verbo ablegat: *arrogantes esse qui talia sciscitentur.* Addamus auctarii loco, crebras hasce in hac Synodo locutiones: *B. Petri vicem nos gerimus, cui Dominus, quæcumque ligaveris, &c.* Nostri tum Episcopi Vicarios se Petri omnes reputabant. Sacerdotes imò: *Sunt ipsi janitores quibus claves datæ sunt regni cœlorum.* Quid jam Episcopo Romano eximii relinquunt?

Synod. Parisiens. sub Ludov. & Lothar. Ann. 824.

Simoneta L. 5. Synod. Parisiens. sub Ludovico & Lothario. l. 3. c. 8. & 9.

Anno 827. Valentino vitâ functo Gregorius quartus successor nominatur quidem, sed absente Regis Vicario, juxta Lotharij legem, consecrari non potest, quin, quid in electione gestum, sigillatim perquisierit. Author vitæ Ludovici disertè:

Sigon. l.4. de regno Italiæ. Author. vitæ Ludovic. Aimoin. l.4.c.14. Vita Ludovici. Theganus de gestis Ludovic.

tè: *dilata consecratio usque ad consultum Imperatoris.* Aliquo pòst tempore sub annum 833. conspirant in Ludovicum filij: Gregorius, ut Lotharium sibi devinciat, pars ipse conspirationis fit, & in Franciam trajicit, specie quidem, ut eos patri conciliet, reipsâ, ut prava eorum consilia foveat, præsertim, ut Concilio, quod filii patrem solio exturbaturi Compendii coegerant, authoritatem addat: Facinus, si coætaneis authoribus fides, verè Diabolicum, *opus*, ajunt, *Satanæ per suos satellites in corde filiorum contrà Imperatorem operantis.* Et Episcopi sanè Galliarum, studiis scisis, pars pro liberis, quorum caput Hebo Rhemensis Archiepiscopus, origine servus, pravis moribus, in quem exclamat Historicus: *O qualem remunerationem reddidisti ei, fecit te liberum, non nobilem, quod impossibile est post libertatem: vestivit te purpurâ & pallio, & tu eum induisti cilicio. Ille pertraxit te immeritum ad culmen Pontificale, tu eum falso judicio voluisti expellere à solio patrum suorum. Quamobrem contempsisti præcepta Apostolica illius, qui hominibus sic præcipit: Omnibus potestatibus sublimioribus subjecti estote, Deum timete, Regem honorificate &c. Crudelis, quis consiliarius tuus fuit, aut doctor tuus? Nonne ille, qui est Rex super omnes filios superbiæ? qui dicebat creatori suo: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* Pars altera pro patre, inter quos Drogo Metensis Episcopus, vir eâ ætate percelebris, qui Gregorium parricidio favere apertè cognoscebant, Dicebat Imperator; *si more prædecessorum aderat suorum, cur tantas necteret moras, non sibi occurrendo?* Dicebant & Episcopi nostri; *Si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret.* Unde & Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis ad Hadrianum secundum scribens, malo illum consilio venisse non dissimulat, pro filijs adversus patrem, *In Franciam venit*, inquit, *& pax postea in Franciâ ut antea non fuit: Ipse Papa cum tali honore, sicut decreverat, & sui antecessores fecerunt, non rediit:* Author etiam Chronici, Dionysiani *ministri Satanæ tandem perfecerunt, ut omnes ejus filios concitarent*, scilicet contra ipsum, *& Apostolicum etiam Româ malignè accersiverunt, pietatis quidem specie, ac si pacem inter Regem & filios conciliaturus veniret: sed veritas paulo post patuit.* Et, *de Apostolico namque dicebatur, non alio fine venisse, quàm ut Regem & Episcopos excommunicaret, si ullâ in re filijs adversarentur, eique minus obedientes essent: sed Episcopi, cum hæc audirent, responderunt se minimè obsecuturos in eo, ut illos excommunicarent: authoritatem enim omnium priscorum Canonum (ut ajebant) aliter sentire.* Itaque Ludovico in integrum restituto, non authoritate quidem Papali; sed quod Historia Rhemensis Ecclesiæ testatur, *ex communi Episcoporum consilio*, cum Gregorius Episcopos, quibus malorum consiliorum author fuerat, tutâri non posset, coguntur illi criminum rei peracti, sub Imperatore licet mansuetissimo, in Italiam confugere: saltem, qui rebus suis consulere voluerunt, crimen confiteri, indignos se sacerdotio pronuntiare, suisque dignitatibus renuntiare: Hebo Rhemensis Archiepiscopus in primis, & Agobardus Lugdunensis, ut hinc appareat, nostrates Episcopi ab anathematibus Romanis quàm parum sibi metuerent. Nec id mirum, cùm hoc tempore Claudius Taurinensis & scripto & voce docere pergat, *non esse Apostolicum, qui in cathedrâ Apostoli sedet, sed qui Apostoli officio defungitur:* Et ad obitum usque Ludovici hæc Historia nos perducit, qui in annum 839. incidit.

Ludovici vita. Aimoin. l. 5.c.14. Idem li.5. c.16.

Flodoar. in Hist. Rhemensi. Chron. Dionysian.

Addamus Ludovicum, non secus ac Carolū patrem & antecessores, leges in suis ditionibus condidisse, ex Antistitum & doctiorum quorumque consilio, quæ non ad mores tantum, sed ad ipsam Ecclesiæ fidem pertinerent, & inconsulto quidem Pontifice, quicquid hic velit Baronius, cum suo Levita benedicto, quandoquidem Ansegisus Abbas, qui eas hoc ipso tempore digerebat, in suâ Præfatione Ponti-

ficiæ

ciæ authoritatis nusquam meminit: cujus rei ipsa Ludovici Capitularia plenam ciunt fidem. In hunc etiam finem cogebat Ludovicus Concilia in Theodonis llâ, Aquisgrani, Ticini seu Papiæ, ubi perpetuò, *jussu & salutifero mandato nostri oriosissimi Principis, divino munere Imperatoris*: in iisque libris de rebus ad religio- em pertinentibus leges promulgabant. Certè in Aquisgranensi Populus de Cle- o in universum loquens inducitur his verbis. *Per hos Christiani sumus, qui claves egni cœlorum habentes quodammodo ante diem judicij judicant*: quibus utique à Papâ omano emendicandis minimè egerent. At sub annum præsertim 828. prodit udovici edictum, in quo iram Dei in se, populúmque suum multifariam corre- tum, placaturus, publicum jejunium per universum imperium indicit: quin & ad formationem Ecclesiæ, in solâ Galliâ, ut cętera taceamus, Concilia quatuor Mo- untiæ, Parisijs, Lugduni, Tolosæ celebrat: idque, *in his conventibus quæsiturus, actaturus & cum Dei adjutorio inventurus, de causis ad religionem Christianam & eorũ tram pertinentibus, quid à Principibus reliquóque populo, vel ita, ut divina authoritas do- t, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte vel toto dimissum sit, ut non teneatur.* De lero etiam acturus, déque ejus moribus, conversatione, actis *à regulâ divinâ devi- ntibus*. In quibus omnibus Papalis authoritatis nulla mentio prorsus.

Concil. Aquisgr. in 3. Tom. Concil.

Extat. ante Concil. Parisiens. To. 3. Côc.

Hîc Baronius Theodori cujusdam Græculi monachi & sequacium Idololatra- um Epistolas ad Episcopum Romanum ostentat nobis, & magnificat, ob magni- cos nempe titulos, quos ei tribuit, quibus eum supra cæteros longè evehit: Et espondisse sufficiat: Monachorum verba esse, Constantinopolitano Patriarchæ ob blatas Imagines infensorum, opémque Pontificis adversus eum implorantium. erùm illas examinare accuratiùs non pigeat: Papã Angelis coæquandum ἰσάγγελον ocat: Immanem hanc adulationem nũ ipse probet? Et cùm Apostolus ad Hebræos, ost Psaltem, de Christo, quà homo factus, dicat, *minuisti eum paulisper ab Angelis*, anc dignitatem quo jure ei tribuat? nisi quà plusquam homo, qua Deus, qua ipse proinde, de quo Apostolus 2. ad Thessalonicenses 2. *qui se ipse Deum facit.* Deinde *magnum lumen, primum Episcoporum Principem, Apostolicum Papam nuncupat*: t, *qui primum, & Episcoporum Principem* dicit, primã sedem haud dubiè expressam oluit: Videamus ergo eodem tempore, currente eodem calamo, quid de cæteris Theodorus idem: Certè Alexandrino scribens: *sanctissimo Patri patrum, lumini lu- minum*: qui supra de Papa, *magnum lumen*. Numnon igitur hîc crescit oratio? Ut utem illum *Papam Romæ*, sic & hunc *Papam Alexandriæ*, & ut illum Apostolicũ, c & hunc intensius *Apostolicum verticem*: Quid hîc Baronio lucri? In eo interim iscrimen notat, quod Papam *supremum lumen*, Alexandrinũ *lumen luminum* tantùm ocet: Imo, quâ fide nos, aleatorum instar, κατακυβεύει, interjecta pagina, *magnũ* n *supremum* vertit: Et quis nescit, *lumen luminum* quâvis linguâ, Sacrarum Sriptu- arum præsertim idiomate majus quid velle, quàm *magnum lumen*. Hic rursum εὐφθογγητον: Id Alexandrino datum, quia Cyrillus in Synodo Ephesinâ, Celestini latere Legatus: sed unde id probet: Et nos num non contrariũ suprà evicimus? Ergóne quicumque in aliquâ Synodo hunc semel locum obtinuerint has proinde qualitates retinebunt? In successores etiam transfundent? tot retrò seculis quàm multi Episcopi eas consecuti essent? Et porrò, ipso confitente, num non Episco- um Antiochenum ijsdem titulis condecorat: Sed ad Hierosolymitanum Patriar- ham, cui Baronius id privilegij non concedit, quo stilo scribat, attende: Non ille uidem subscriptionem producit, quæ fortè non impar: Ergò quid in Epistolæ psius contextu? *Tu primus Patriarcharum, licet quintus numereris.* Patriarcha igitur illi

Ann. 819.

Baro. ann. 827. ar. 21. 22. & seq.

illi Episcopus Romanus, non secus ac cæteri. At Hierosolymitanus primus: *Pr[...] pter sanctas devotiones*, inquit, *quibus præsidet*. Subjungit enim, *ubi Episcopus anim[...] rum, & Pontifex omnium natus est, & divina omnia operatus, & passus & sepultus, u[...] resurrexit & vixit, & assumptus est, illic suprema omnium dignitas proculdubiò*: Vid[...] Lector ex his Monachorum tandem adulationibus ad sedis Romanæ exaltatio[...] nem quàm frivolè argumenta ducantur.

PROGRESSUS.

Ludovico Imperatore vitâ functo, filij ut adversus eum studia sua conjunxe[...] rant, ita concordiam jam inter se retinere non possunt: hinc factum, inqu[...] Sigonius, ut, *quantum de Francorum dignitate potentiáque decesserat, tantum Italicoru[m] libertati ac amplitudini accresceret*, nempe Pontificum. Carolo, cui Calvo cogno[...] men, ex pacto obvenerat Francia, Ludovico, quicquid trans Rhenum, Lothari[...] inferior Germania cum Burgundiâ, Provincia Italia, Roma ipsa, Imperij titulo[...] Itaque est hîc Pontificibus negotium cum Lothario ejusque primogenito Ludo[...] vico, quem sub annum 844. & imperij socium adsciscit, & Italiæ Regem denun[...] tiat. Obit hoc ipso anno Gregorius quartus, ex fratrum discordijs, dum utilita[...] tem captare satagit, cujus in locum extemplò Clerus & Senatus Romanus Sergiu[m] secundum eligunt, continuóque non expectato Imperatoris consensu consecrant[...] Quamquam Anastasius ipse in Leone quarto Sergij successore ingenuè: *Romani no[n] audebant sine Imperiali authoritate futurum consecrare Pontificem*. Id minimè dicturus[...] si Ludovici, quę fertur *Renuntiatio* tunc nota fuisset. Sergius nihilominus, fratrum[...] dissidio abusus, nil pensi habet: Et is primus, si Platinam sequimur, nomen mutat[...] quod de Iohanne duodecimo Onuphrius: Statuit & primus ille, ne Episcopus [...] paucioribus quam septuaginta duobus testibus convinci posit, qui tamen Anasta[...] sium Presbyterum Cardinalem adversarium suum longè paucioribus reum pere[...] gerat. At regnum ejus Simoniâ in primis insigne. Author coætaneus: *Hujus Ponti[...] ficis*, inquit, *frater fuit Benedictus nomine, Brutus, & valde stolidus, qui propter Pontifici[s] imbecillitatem Ecclesiasticam & publicam curam usurpavit. Ad hoc etiam maximis mune[...] ribus primatum & dominium Romæ ab Imperatore sibi acquisivit: Demùm verò Albanen[...] sem Episcopatum usurpare non metuit, & omnia intra & extra Romam suâ avaritiâ & vanitate vastavit: Vigebat etiā Pontificis & fratris ejus tempore Simoniaca Hæresis, in tan[...] tum, ut etiam publicè venderet Episcopatus, & qui plus dabat, Episcopatum accipiebat*. Nec *erat aliquis Episcoporum, aut quisquam virorum Ecclesiasticorum, qui zelo Dei du[...] ctus cum Imperatore aut Rege ageret, ut hoc nephas prohiberetur. Et quia nemo erat Christianorum, per quem hoc malum corrigeretur, misit divina potentia flagellum Paganorum ad ulciscenda peccata Christianorū. Nam supervenientes Saraceni innumeros hominum peremerunt. Castella & urbes multas captas, acceptâ prædâ, igni dederunt. Demum regem expugnantes fugaverunt, & multis captis & interfectis, maximâ hominum & omnium rerum prædâ onusti reversi sunt*. Et consimilibus deinceps Historia temporum inturgescit. Sed Lotharius quid interim videamus.

Sigon. de regn. Ital. l. 5. Sigebert. ann. 844. Platina in Sergio. Sigon. de regn. Ital. l. 5.

Anasta. in Leone 4.

Author coætaneus apud Vignerium pag. 215. Continuator Eutropij.

OPPOSITIO.

Consecratum igitur in fraudem imperij ut Sergium intelligit, Ludovicum filium confestim in Italiam cum exercitu transmittit; Sigebertus *ut eum confir-* *met*,

Baro. ann. 844. art. 5.

..., quem Baronius idcircò convitijs excipit, eique Drogonem Metensem Episcopum patruum consiliorum ducem adjungit. Accusatur, quod Italiam trajiciens graviter depopularetur: Et sanè Bononiam castigavit, quæ eum, Pontificis fore freta, pro debito obsequio non acceperat: At constat hoc saltem, Romam adventanti Sergium tria obviam agmina misisse, ipsúmque in summis Basilicæ Vaticanæ gradibus, pro more, & expectasse & excepisse. Hîc Sigonius osculum *sancto pedi infixisse* asserit: Verùm nondum eò res venerat: Anastasius, qui Pontificum juri nihil usquam detractum cupit, mutuò se amplexos dicit: & Latina mutuo osculo mutuâque salute datâ & acceptâ sese excepisse: Tum verò Pontificem Ecclesiasticâ authoritate usum, portis D. Petri clausis: *Si*, inquit, *pacato magis, quam hostili animo ad nos venisti, sicque ad Reipublicæ Christianæ salitatem magis respicis, quàm ad voluptatem sæviendi, prædandíve, meo jussu ingredere, si aliter animatus es, fores ne tetigeris:* Cùmque Ludovicus se puro ac sincero erga Ecclesiam animo venisse respondisset, ostia tum ipsi tùm proceribus suis patuisse: Exercitus tamen extra urbem mansit, nec admissi, qui aut urbem aut Templa visitare cupiebant: ut Clerus Romanus ex Principum discordijs jam invaluerat. Sergius interim Ludovicum inungit & coronat, promulgatque, si Anastasium sequimur, *Longobardorum Regem*, sin Adonem & Leonem Hostiensem, *Regem Italiæ & Imperatorem* summo cum universi populi applausu, quod Platina, & Sigonius testantur. Et hîc rursum pravum Anastasij studium sese exerit, Sergium cum dicit noluisse Ludovico Lotharij filio Sacramentum fidelitatis præstari, sed Lothario Imperatori tantum, in quo authores cæteri nullum discrimen constituunt: Coætaneus sanè ille historiam in pauca perstringens: *Post multa damna Romanis illata, ipsos Romanos fidelitatem Imperatori jurare fecerunt & prædictum Sergium in sede eorum confirmarunt.* Quem igitur non aliter ritè constitutum putabant, urbis dominum multo minus. Quin Anastasius ipse ipsam Pontificis authoritatem Ecclesiasticam ibi in controversiam vocatam oppugnatamque non dissimulat: Nam inquit: *Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ per singulos dies conflictum summi certaminis cum sanctissimo præsule, omnibúsque Episcopis nostris commovebat, tam ipse, quàm omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui cum eo contrà hanc universalem & caput cunctarum Ecclesiarum Dei sine Metropolitani concessione atque vocatione convenerant.* Sin rogas quinam illi essent, *Gregorius*, inquit, *Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennensis, & Angelbertus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis, Ioseph Episcopus Ecclesiæ Eporediensis, ...inus Episcopus Ecclesię Veronensis, Almaricus Ecclesię Comensis Episcopus, Nortchaudus Episcopus Ecclesiæ Vercellensis, Sigifridus Episcopus Ecclesiæ Regiensis, Toringarius Episcopus Ecclesiæ Concordiensis, Odelvertus Episcopus Ecclesiæ Aquensis, Ambrosius Episcopus Ecclesiæ Lucensis, Iohannes Episcopus Ecclesiæ Pisensis, Petrus Episcopus Ecclesię Volaterrensis, Gausprandus Episcopus Ecclesiæ Pistoriensis, Cantio Episcopus Ecclesiæ Senensis, Luppus Episcopus Ecclesiæ Textinæ, Sisimundus Episcopus Ecclesię Aprutiensis, ...o Episcopus Ecclesiæ Scolanensis, Fratellus Episcopus Camerinensis, Gisus Episcopus Ecclesiæ Firmanæ, Racipertus Episcopus Ecclesiæ Nucerinensis Amedeus Episcopus Pinnensis, Donatus Episcopus Ecclesiæ Fesolanæ, & cæteri. Cum quibus etiã Boso Comes, Adalgisus Comes, Iohannes Comes, Vuldo Comes, Vernardus Comes, Wifridus Comes, atque Maurus Comes & cæteri pariter contendebant.* Nempe Episcoporũ Italiæ pars potissima: Eventũ ut Anguilbertus Archiepiscopus Mediolanensis ab Ecclesiâ Romanâ absolutè discederet, quã annis ante plus minus sexaginta prædecessorũ aliquis agnoverat, & hęc discessio annos circiter 200. quod deinceps videbimus, obtinuit: notat hoc Sigo-

Anastas. in Sergio.

Platina ibid.

Ado Viennens. in Chronic. Leo Hostiens. l. 2.

Author Coætaneus apud Vignerium p. 214. seu Eutropij Continuator.

Anasta. in Sergio 2.

Sigonius quidem, sed causam reticet, quæ in Romanâ superbiâ, in effræni simoni[illegible] & cæteris corruptelis evidens, quæ quidem Sergio Pontifice grassabantur. Adde[illegible] quod Theodorus Abbas Fuldensis in quadam Epistolâ: *Hunc Anguilbertum I[illegible] Ambrosij memoriam studiose coluisse*, cujus officium & tunc Mediolani in usu, & lon[illegible]go post tempore retentum.

Ne quid hic intactum relinquamus, sub annum 839. Baronius ex Vatican[illegible] Gregorij quarti Epistolam adducit, *Omnibus Galliarum Episcopis, Germaniæ, Euro[illegible]pæ & omnium provinciarum* inscriptam: (quidni potius universo orbi) quâ quidem in causâ Aldrici Episcopi Cenomanensis de Comprovincialibus Episcopis con[illegible]querentis, illis studiosè proponit, juxta sacros Canones Romam appellari debe[illegible]re, saltem apud Legatum suum à latere agi, eósque, ut hanc viam ineant, seri[illegible] hortatur: Et hic conatus, uti suprà notatum, neutiquam novus, in quo ipse Caro[illegible]lus eorum genio, tempori obtemperans, indulgebat. Verùm, quis ejus exitus fue[illegible]rit aperire nobis debuit: Patres Gallicani num hoc consilium secuti. Non cela[illegible]turus si quid in rem suam tale, si non potius contrarium didicisset. Dicebat etiam idem ipse suprà, Carolum Magnum de Imperio in testamento nil statuisse, quod à Pontificis electione pendere cognosceret, & nos contrarium ex ipsis Testament[illegible] verbis evicimus: En igitur Ludovicum Pium Imperatorem, Caroli filium, cu[illegible] lepidam illam donationem acceptam ferunt, qui absolutè & de Imperio & de Ro[illegible]mâ ipsâ, uti vidimus, decernit. Theganus de gestis Ludovici: *Imperator denomina[illegible]vit filium suum Lotharium, ut post obitum suum omnia regna, quæ ei tradidit Deus, per manus Patris sui susciperet, atque haberet nomen & imperium Patris: & ob hoc cæteri filij indignati sunt.* Nitardus etiam, *universum Imperium inter eos ita divisit, ut Pipinus qui[illegible]dem Aquitaniam, Ludovicus autem Bajoariam, Lotharius verò post discessum ejus uni[illegible]versum Imperium haberet, cui & unà secum Imperatoris nomen habere concessit*: Fratres ipsi cum post multa certamina ad concordiam redirent, *tandem*, ait Helmoldus, *mediante Papâ Sergio discordia sedata est, regnúmque divisum est in quatuor partes, ita ut Lotharius major natu cum Italiâ Romam, Lotharingiam cum Burgundiâ possideret, Ludovicus Rhenum cum Germaniâ, Carolus Galliam, Pipinus Aquitaniam*: Quorum priores duo hac ætate scripsere.

Theganus de gestis Ludov. I.

P R O G R E S S U S.

Ann. 847.

REverso in Franciam Ludovico moritur Sergius Secundus, anno 847. & eodem die in ejus locum eligitur Leo quartus, contrà legem, non expectato principis consensu, & ipse consecratus. Et Romani quidem sese excusabant, quòd à Saracenis vexati eo præsidio opus haberent: Leo verò ad Pontificatum suscipiendum se vi coactum causabatur. Populo interim, inquit Anastasius, maximè metuente, ne Ludovicus Romam rediret, ob consecratum sine permissu Principis Pontificem, pœnas ab illis iterum sumpturus. Nec etiam obliviscitur *laudibus præcipuis ad Lateranense Patriachium perduxisse, morémque conservantes antiquum omnes ejus pedes osculatos*, antiquum utique inde à Valentino, triginta plus minus annis, cui primum hunc honorem delatum ipse scribit. Leo cæterum primus Vaticanum contra Saracenos & mœnibus cinxit & communivit.

Anastas. in Leon. 4.

OPPOSITIO.

HOs ut coerceat annum sub 854. ad Lotharium confugit, qui Ludovicum filium suppetias laturum sibi mittendum proponit. Quia verò disciplinam, tum Ecclesiasticam, tum Politicam, à Patre & Avo olim constabilitam, vehementer labefactatam intelligit, ut primum per bellica negotia licuerit, Episcopos & Proceres regni Italici, eam ut in integrum restituat, convocare jubet: quibus quidem Papiæ coactis, ut hinc discamus quàm latè pateret Regis authoritas, Anguilbertum Archiepiscopum Mediolanensem accersit, eum, qui nuper admodum à Pontifice discesserat, & Andream Aquileensem Patriarcham, eisque significat, velle se de Episcoporum & Cleri vitâ & officio cognoscere, de sacris Concionibus ad Populum, de Templorum sarto tecto, de Plebium, Xenodochiorum, Monachorum disciplinâ, de jurisdictione Comitum, atque ea, quæ correctione egere videbuntur, emendare: Quod etiam mandatum illi ad Episcopos referre jubentur. Qui sanè non modo forum ejus non declinant, verum de his omnibus capitibus ei rationem reddunt, rogant ut iis, qui negligentiores fortè fuerint, spatium emendandi sui tribuat, conciones ad Populum partim Episcoporum, partim Populorum negligentiâ intermissas confitentur: Et Sacerdotum quidem nullam esse excusationem, sed Laicos & maximè potentes & nobiles, quos studiosius interesse ejusmodi concionibus oporteret, delubra ædibus suis conjuncta habere, in quibus rem divinam audientes, majora adire Templa non curent. Et plura alia ejus generis agnoscunt, quibus in Augustali aulâ sedens, consilio cum optimatibus capto, lege in eam rem sancitâ, sigillatim prospicit. Ad Papam ipsum quod attinet, cum Gratianus quidam Magister militum, vir authoritate pollens, inter regnum & Sacerdotium seditionem Romæ sereret, déque transferendo in Græciam Imperio cogitaret, Ludovicum filium extempló Romam contendere Lotharius jubet, ut de re totâ inquirat. Nec dissimulat Platina Leonem ipsum hujusce criminis insimulatum. Constat id saltem, Danielem quidem Gratiani accusatorem, falsi convictum in ejus potestatem traditum esse; at Leonem ipsum, probata innocentia sua, scriptis quæ extent ad Lotharium literis obtestatum, *præcepta se ejus & majorum servare, & in perpetuum servaturum esse*, petijsse, *ut, quemadmodum antea, sic nunc & in posterum* lex Romana valeret. Gratianus illas in Decreto perstrinxit, his verbis: *De capitulis vel præceptis imperialibus vestris vestrorumque Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis, quantum valuimus & valemus, Christo propitio, & nunc & in ævum modis omnibus nos conservaturos profitemur:* Adeò, ut mentitum etiam pronuntiet, qui contrà locutus fuerit: *Et si fortasse*, inquit, *quilibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, scias eum pro certo mendacem.* Ubi Baronius post Isidorum legit, *nostrorumque Pontificum*, contrà manuscriptorum omniumque Glossarum fidem: nempe ne Regum nostrorum Capitularibus, in conventu Episcoporum regni sancitis, fidem & obsequium suum adstringere videatur. Quæ sanè quousque pertineant, non aliundè melius discamus, quàm ex Capitulis Caroli & Ludovici, Synodi etiam Suessionensis à Baronio ipso prolatis, *Capitulis*, inquam, *Caroli Calvi*, quæ universam utique Ecclesiæ & politejam & disciplinam intuebantur. In aliâ quadam Epistolâ, ne miretur, non minus humiliter Regem alloquitur: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, verstro ac Missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio, &c.*

Ann. 854.

Sigon. de regn. Ital. l. 5.

Dist. 10. C. 9.

Baron. To. 10. ann. 753. art. 17.

2. q. 7. C. 40.

Inde magnoperè magnitudinis vestræ clementiam imploramus, ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda Missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta, (quemadmodum si vestra præsens fuisset Imperialis gloria) diligenter exquirant: Et non tantum hæc sola, quæ superius diximus, quærimus ut examussim exagitent: sed sive minora, sive etiam majora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod eis discussum vel indefinitum remaneat: Unde liquidò appareat, in Episcopum Romanum quantam adhuc authoritatem retineret. Et hîc nihilominus Baronius Leonem Lothario & Ludovico electionem Pontificum sui juris esse contendentibus restitisse asserit: Quin & evicisse ut juxtà Canones fieret, juxtà illum nempe, quo Ludovicus pius Electioni Pontificum renuntiasse dicitur. Verùm unica Decreti Palea nititur, quæ, mirum, si universæ Historiæ vim faciat. Et hæc porrò qualis? *Inter nos & vos pacti serie statutum est & confirmatum, quod electio & creatio futuri Romani Pontificis nonnisi justè & canonicè fieri debeat*, ex his simpliciter verbis quâ Logicâ consequatur quod satagit? Notatur verò ibi PALEA in ipsâ adeo Gregorij editione.

Hincmar. ad Carolum Calvum. de Episcopatu Silvanectensi vacante. Hincmarus ad Carol. Calvum de Episc. Sylvanectensi vacante. Idem ad Clerum, & Plebem Cameracensem Hincmar. Rhemensis ad Hincmarum Laudunensem c. 6. Ibid. c. 34. Hincmar. in Epist. ad Hadrian. 2.

Regnabat tunc in Galliâ Carolus Calvus, & id juris tunc erat, ut Episcopatu vacante Populus simul & Clerus Regem supplices adirent, ut liberam ac regularem electionem eis permitteret, juxtaque sanctos Canones Visitatorem, electioni, suo nomine, interventurum, mitteret. Rex verò tùm Metropolitano significabat, quemnam ex suffraganeis officio illo functurum probaret, ut electio canonicè fieret: Et hæc quidem absque Canonum præjudicio: quibus cautum. *Quod consensum Cleri & Populi concurrere oporteat*, quandoquidem Principis per visitatorem intervenientis ea mens, ut eò studiosius conserventur, & observentur. Id nos ex Hincmari Rhemensis Archiepiscopi pluribus locis discimus, in illa nominatim ad Carolum Calvum pro Sylvanectensi Episcopatu vacante, & Hincmarus ipse, in Synodo Bellovacensi, in locum Hebonis contrà Ludovicum Imperatorem rebellantis, Archiepiscopus Rhemensis creatus fuerat. Quamquam vero à Leone quarto pallium accepisse quidam scribit, quo quotidiè uteretur, quod privilegium se nemini amplius concessurum protestatur, non eo minus tamen (quippe honoris potius quàm subjectionis insigne arbitratus) liberè passim profitetur, *in causis dubiis provincialem Episcopum debere solum Archiepiscopum consulere, nec licere Provinciali prius consulere Pontificem, quàm cum Archiepiscopo contulerit.* Et hic tamen de *consultando* tantum agitur: Quin, non opus esse *Archiepiscopos judicium à sede Romanâ pro his excessibus expectare, de quibus habentur certa Sacrorum Canonum, legum & Conciliorum decreta.* Quarè & Hincmaro nepoti Laudunensi Episcopo interdicit, ne Romam appellet, & diplomata, quibus Pontifex eum Romam vocabat, irrita pronuntiat, & ejus interdicto parere vetat: Illud porrò, *Tu es Petrus*, exponens, *ædificabo*, inquit, *Ecclesiam meam super firmam illam & solidam confessionem, quam tu confessus es*, ut & *de ligandi solvendique potestate.* Pontifici ipsi rescribens Leonis primi verba adducere non veretur, *eam ad omnes Ecclesiæ Principes commeasse, à Petro & Apostolis ad omnes Ecclesiæ primates derivatam:* nempe ad omnes omninò Episcopos, ad Rhemensem non minùs quàm ad Romanum: *Manet enim*, inquit, *Privilegium sancti Petri, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium*, non minùs Rhemis quàm Romæ, nec magis Romæ quam Rhemis, æquale ubique & utrique, prout Episcopi officio probè defunguntur, aut minus. Quin, ut Pontifex, Bonifacij illius vestigia premens, in Germaniâ plus æquo sibi arrogat. Luithpertus Archiepiscopus Moguntinus ad Ludovicum Germaniæ Regem scribens, ei mi-

minimè parcit: *Causa*, inquit, *silere me non permittit, quam si relinquo, apud Dominum nostrum Iesum Christum, cujus interest, inexcusabilis ero; & vobis promissam humanitus fidem temerasse convincor, qui in speculâ, quâ constitutus sum, videns periculum vobis imminens, desidiosâ vel infideli taciturnitate dissimulem, & Ecclesiæ Dei, cujus indignus curam pastoralem ac solicitudinem suscepi, negligens effectus, mercenarius potius esse videar quàm pastor. Quatitur nempe graviter & dehonestatur Primatus & dignitas ejus in sede sancti Petri, eò quòd inauditâ quadam & occultâ persecutione, non ab infidelibus & Dominum nescientibus, sed eis (quod dolendum & plangendum est) qui Duces & Rectores populi Dei esse debuerunt, injurijs appetitur, humana divinis præferre conantibus, & necesse est dolorem, qui constat in capite, nisi salubris & velox medicina succurrat, paulatim per membra diffundi, &c. Scitis periculum populi Dei, quod terribiliter imminet, neque latere vos potest, quod ubique auditum, ipsa quoque elementa tremiscunt, ut Rectores, qui saluti infirmorum studere debuerant, relicto salutis tramite, eunt in præceps, & sequentibus se foveam perditionis aperiunt: Unde prudentiam vestram veritatis & justitiæ amatricem exhortor, ut secundum datam vobis divinitus sapientiam, cum scientibus legem Dei, & justitiam ejus diligentibus, tractare studeatis, quomodo remotis dissensionum scandalis, quæ zizaniorum sator subdolâ machinatione spargere nititur, pax Ecclesiis & unitas optata reddatur, & celeriter vigilantiæ profectus adhibeatur, ne vulneribus locum præbeat incauta securitas. Neque enim totum adhuc corpus Ecclesiæ læsum est, quamquam capite injurijs pulsato, membra quædam debilitata esse videantur, & ideò cum illis quæ sana esse constiterit, infirmantibus si fortè medicinam suscipere patiuntur, succurrendum erit, alioquin amputanda erunt, secundum verum medici nostri præceptum, ne totum corpus eat in perditionem: Quapropter, necessarium mihi videtur & utile, ut religiosus Princeps Carolus frater vester, legatis atque literis à vobis destinatis, super hoc negotio maturè conveniatur, ut tam ipse quàm Sacerdotes Regni ejus, qui hactenus ab ejusmodi sordibus mundi sunt, vobis & vestris Episcopis adjungantur, eandémque curam & solicitudinem vobiscum participent, quatenus postea quam cum auxilio Dei prosperè & pacificè de itinere, quo ire disponitis, reversi fueritis pari consensu & communi studio pacem & concordiam sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, Orthodoxis dogmatibus, adjuvante Domino reformetis.* Luithpertus interim hic à probitate, sapientiâ, sanctitate commendatus, cujus idcircò ea authoritas, ut Reges Germaniæ & Galliæ de regnorum suorum finibus diffidentes eum ultrò arbitrum faciant: qui nihilominus eò jam capitis hujusce labem devenisse judicat, ut non aliunde, quàm à communi horum Principum authoritate, medelam expectandam putet. Quod enim eò spectet, nemo qui temporis historiam noverit, controversias præsertim, quæ Pontificibus tum cum Germanicis & Gallicis Ecclesiis dubitâre possit. Nec hîc obiter omittendum: hujus Leonis quarti Canonem extare ad Episcopos Britanniæ scribentis, quo Epistolis Decretalibus Pontificum omnem authoritatem adimit, præterquam Silvestri, Siricij & sequentium, quâ ratione unâ tanquam liturâ illas omnes delet, quæ tribus aut quatuor primis seculis illis tribuuntur: quarum interim præsidio adversarij suas etiamnum nugas tueri conantur: quò respexisse videtur Codex Romanus, qui nullas ante id tempus pro genuinis agnoscit.

Luithpertus Archiepisc. Mogunt. in Ep. ad Ludov. Regem Germ.

Leo 4. ad Episc. Britanniæ D. 20. C. de Libellis.

Prodigium jam, quod in hoc tempus incidit, mysterij Romani gradum an offendiculum adscribere debeam, hîc ambigo, & offendiculum quidem esse debuerat, si aut Romanæ Ecclesiæ frons adhuc aliqua, aut Christiano populo saltem oculus. Id autem est quod anno 854. post Leonis quarti obitum accidit, Platinæ Pontificij Historici verbis commodius repræsentandum, qui Sixto quarto Pon-

Ann. 854.

Pontifici Historiam suam dicavit. Mulier, imò meretrix, in sede Romanâ collocata, quæ Missas celebrat, Episcopos ordinat, pedes suos Principibus, Gentibus osculandos exhibet, ut in hac vivâ imagine Deus pro suâ providentiâ universo orbi *Matrem illam fornicationum* ostendere voluisse videatur, de quâ Iohannes in Apocalypsi pluribus verbis. *Iohannes igitur Anglicus*, inquit Platina, *ex Maguntiaco oriundus, malis artibus (ut ajunt) Pontificatum adeptus est: Mentitus enim sexum, cum fœmina esset, adolescens admodum Athenas cum amatore viro docto proficiscitur: ibique præceptores bonarum artium audiendo tantum profecit, ut Romam veniens paucos admodum etiam in sacris literis pares haberet, ne dum superiores. Legendo autem & disputando doctè & acutè tantum benevolentiæ & authoritatis sibi comparavit, ut, mortuo Leone, in ejus locum, (ut Martinus ait,) omnium consensu Pontifex crearetur. Verùm posteà à servo compressa, cum aliquandiu occultè ventrem tulisset, tandem, dum ad Lateranensem Basilicam proficisceretur, inter Theatrum (quod Coloseum vocant à Neronis Colosso) & sanctum Clementem, doloribus circumventa peperit, eóque loci mortua Pontificatus sui anno secundo, mense uno, diebus quatuor, sine ullo honore sepelitur. Sunt qui ob hæc scribant, Pontificem ipsum, quando ad Lateranensem Basilicam proficiscitur, detestandi facinoris causâ, & viam illam consultò declinare, & ejusdem vitandi erroris causâ, dum primò in sede Petri collocatur, ad eam rem perforatâ, genitalia ab ultimo Diacono attrectari. De primo non abnuerim: de secundo ita sentio, sedem illam ob id paratam esse, ut qui in tanto magistratu constituitur, sciat se non Deum sed hominem esse, & necessitatibus naturæ utpote egerendi subjectum esse, unde meritò sedes stercoraria vocatur:* Addit author haud dubiè, tetrum adhuc carcerem reformidans, in quem detrusus sub Paulo secundo: *Hæc quæ dixi vulgò feruntur, incertis tamen & obscuris authoribus, quæ ideo ponere breviter & nudè institui, ne obstinatè nimium & pertinaciter omisisse videar, quod ferè omnes affirmant, erremus etiam nos in hac re cum vulgo, quanquam appareat ea quæ dixi, ex his esse, quæ fieri posse creduntur:* Adeò illi modum tenere difficile: Est igitur quod nunc sciscitemur, à quâ parte stet veritas, cum hanc Historiam antea non controversam in dubium hodie revocant nonnulli. Et Onuphrius, præsertim in Annotationibus in Platinam rationes sibi commentus videatur, unde fabulam esse persuadeat: Dicit ergo Anastasium, qui hac ætate vixit, nil tale habere, non Rheginonem, non plures deinceps alios. Et uno verbo respondere promptum ab authoritate negativè argumentationem non valere: Ranulphus verò in Polycronico respondeat, *propter deformitatem facti ab illis omissam*, quod & de pluribus aliis legimus. Atenim, si nonnulli Pontificum metu id tacuerunt, veritatis amore non desunt, qui scripserint: Nec hîc Onuphrius Martino Polono succenseat, quasi primo hujus narrationis authori, pœnitentiarius licet ille Nicolai tertij & Archiepiscopus postmodum Consentinus, majorem apud eos fidem mereatur: multi sanè alij & quidem insigniores ante Martinum hujus meminerant. Onuphrius ipse commentarios se legisse testâtur Damasi & Pandulfi Pisani eâ ætate scriptos, in quorum margine, inter Leonem quartum & Benedictum tertium, hæc Fœmina inseritur: sed *alio*, inquit, *atramento*, quod ipse viderit; sed ut id omittamus, Marianus Scotus, Fuldensis Monachus, ordine Benedictinus, Chronologus eximius, cujus fidem in conciliorum Fastis ut plurimùm sequuntur, apertè, *Anno Domini*, inquit, 854. *successit Leoni Johanna mulier, annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor.* Et notandum à superioribus didicisse, utpote in Fuldensi Cænobio educatum, in quo fœmina ista aliquot annos vixerat. Quod si verò suffugium sibi paraturi, exemplaria se habere nugantur, in quibus hoc

Platina in Ioan. 8.

Ranulph. l. 5. C. 32.

Marian. Scotus l. 3. Cron. an. 854.

oc non reperitur, Exemplar certè hoc nostrum ex Biblithecâ Collegij D. Bar-
holomæi Francofurtensis, Episcopi Moguntini mandato, prolatum fuit. Et
aronius ipse pudibundè, *asseritur*, sed quâ authoritate? Et cujus Manuscripti fi-
e? Obijt autem Marianus ex Trithemio annum sub 1080. Sigebertus Abbas
Gemblacensis annum circa 1100. *Fama est hunc Iohannem fœminam fuisse, & uni*
li familiari cognitam, qui eam complexus est. Gravida facta peperit Papa existens, Quare
m inter Pontifices non numerant quidam. Hic Baronius rursum, schismaticus erat,
quibusdam exemplaribus non legitur: Verùm, num dicentibus fides debetur?
equitur Martinus Polonus anno 1270. ex quo Platina quasi verbatim desumpsit,
d ubi Polonus, *ut asseritur*, Platina, *ut ajunt*: Is verò ex diversis Chronicis & Ge-
is summorum Pontificum opus se suum compilasse in præfatione testatur. Ad-
it Martinus alter ex ordine Minorum in Chronico cui titulus, *Flores temporum*;
uic Joannæ Dæmonem conjuranti, & quando exiturus esset sciscitanti, respon-
m his versibus.

Papa Pater Patrum, Papissæ pandito partum
Et tibi nunc edam, de corpore quando recedam.

cribebat hic annum circa 1370. Petracha Martini hujus coætaneus, in literis po-
tioribus apprimè educatus, fabulam ab Historiâ distinguere satis gnarus, adde &
aulâ Pontificiâ maximam vitæ partem conversatus, in Chronico Italicè conscri-
to rem affirmat, & eadem refert quæ Martinus, Iohannemque Anglicum nomi-
t, *qui*, inquit, *fœmina fuit*, & idcircò in Catalogo non recensetur: Quin & di-
rtè: *concordi suffragio supremus ei honos Pontificatus est attributus*; Sicut & Boca-
us, in libro de *claris mulieribus*. & eam nobis graphice describit, & ejus effigiem
uerperiumque exhibet: obstetricantes etiam Cardinales & Episcopos: *Ad cujus*
testandam spurcitiem, inquit, *& nominis continuandam memoriam in hodiernum usque,*
mmi Pontifices Rogationum cum Clero & Populo sacrum agentes, eum locum partus,
edio ejus itinere positum, abominantur, eo omisso declinant per diverticula vicosque, & sic
co detestabili postergato, reintrantes iter perficiunt quod cœpêre. Qui sanè omnes &
raviores & prudentiores, quàm ut suis libris hanc historiam insererent, nisi aliun-
e quàm ex Martini Chronico, licet non contemnendo petitam, haberent. Addit
ntoninus Archiepiscopus, *quoddam signum sculpturæ marmoreæ, in viâ, ubi hoc con-*
git, ob rei memoriam positum. Et exclamat illud Paulinum. O *altitudo sapientiæ &*
ientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia tua, & investigabiles viæ tuæ. Quæ
ontrà nugatur Raimundus de virgine Mariâ, quàm inepta, fragilia ut tanti testis
uthoritatem infringere possint. Otho Episcopus Frisingensis libro septimo Ca-
logum texens Pontificum *Iohannem septimum fœminam* memorat, loco tamen
ptimi non octavi collocatum, ex communi Chronologorum abusu, qui in nu-
erandis ijs, qui hoc nomen sortiti, plerumque falluntur. Omitto vitandæ repe-
tioni Annales Augustanos, Volaterranum, Sabellicum, Bergomatem, Palme-
um, Trithemium in vitâ Luithprandi, Stellam in vitâ 230. Pontificum, Nau-
lerum universitatis Tubingensis Cancellarium, Krantzium Hamburgensem De-
anum, Fasciculum Temporum alias Rollwingum Carthusianum, Cœlium Ro-
iginum, Lucidum & complures alios, maximam partem in Clero dignitate insi-
nes, tres hosce Baptistæ Mantuani Carmelitæ versiculos adjunxisse sat habens,
ui in inferni sui vestibulo hoc prostibulum collocat.

Sigebert. in Chron. ann. 854.

Martinus Polonus ann. 855. Chronica Martini Minorit. Ulmæ Impress. ann. 1486.

Francisc. Petrach. in Chron. Italic. conscripto Florent. excuso, ann. 1478.

Bocatius in lib. de claris mulierib. c. 99.

Antoniu. Archiep. Tit. 16. c. 1 parag. 7.

Otho Frising. l. 7.

Annales Augustan. Raphael. Volater. in comment. Urban. Sabellicus Ennead. 9. Philipp. Bergom. in supplem.

athe us Palmerius continuat. Euseb. & Prosperi. Trithem. in Chron. Hirsaug. in vitâ Luithprand. Abb. Iohan.
ella in vitis 230. Pontif. Naucler. General. Albertus Krantzius. in Metrop. in Catal. Pontif. Fasciculus Temp.
œl. Rodigin. l. 4. antiquarum, Lectionum. Continuator. Iohannis Lucid. in Chronico.

Baptista Mantuan. l. 3. Alphons.

Hic pendebat adhuc sexum mentita virilem
Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate Mitram
Extollebat apex, & Pontificalis adulter.

Et his omnibus eludendis unum Martinum Polonum ejus meminisse dixisse jam sufficiet?

Tot interim tantorumque testium nubi Onuphrius, Raimundus, Baronius & hodierni Iesuitæ, quid opponant examinemus. Palmarium apud eos obtinet, inter Leonem quartum & Benedictum tertium locum huic Iohanni fœminæ non inveniri. Nos contrà: Tollant Pontificibus, qui eam proximè antecesserunt, quod ijs pro libidine addunt, & locum ei facile invenerint. Tribuit enim Onuphrius Sergio secundo tres menses plusquam Marianus Scotus, & Nicolao primo novem annos sex menses viginti dies, cum Marianus octo tantum, & dies novem, & Adriano secundo quatuor annos & undecim menses, cui Marianus duos tantum; Quâ ratione & illi, quem numerum quærit, implere facile, nec minus nobis verum, quem contendimus invenire. Idem verò fecit & Hermanus Contractus, ut hujus fœminæ locum oppleret, qui Sergium secundum tres annos, Leonem quartum novem sedisse vult: Et sic cæteri, quos Onuphrius adducit. Secundò: dicunt ad Formosum Papam usque, id est, 900. annorum spatio, neminem in Pontificem electum, qui ab ineunte ætate, in Romanâ Ecclesiâ educatus non esset, & per omnes ordinum Ecclesiasticorum gradus, ad Diaconatum ad minus vel Sacerdotium non ascendisset. Reforment igitur universam Historiam, quæ nobis testis, Constantinum Ducis Nepesini fratrem anno 767. electum, qui non Presbyter, non Diaconus, non Clericus, unicâ die omnes gradus implevit, ab Episcopis, Prænestino, Albano, Portuensi consecratu s: & annum quidem cum mense sedem tenuit: exinde verò multos purè laicos electos fuisse minime inficias eant. Tertiò: Circunstantias Martinianæ Historiæ sigillatim excutiunt: *Anglicus*, ajunt, natione *Moguntinus* quid absurdius? Imò ineptus hìc Onuphrius, non Martinus, *Anglicus* enim cognomen ejus non patriam designat, & notatum à suis, in melioribus manuscriptis legi, *Anglicus* non *Anglus*, & sic Platina, nec aliter quisquam aut dixit aut intellexit. Fasciculus ipse, *nugantur aliqui eâ de causâ nullum Alemanum in Papam eligi, quod falsum esse constat*; quem igitur Germanum putavit, non Anglum. Adde, apud Martinum legi, natione *Margantinum* vel *Mangantinum*, non utique *Anglum*. Quartò: Athenas, inquit Onuphrius, studiorum causâ profectum fingit, ubi tum barbaries mera: quod ex quodam Synesij loco probare nititur. Respondeo, non dicit Synesius se nullas ibi invenisse literas, sed non quas sperabat: nec illas quidem mediocres esse oportuisset, unde Synesij doctrinæ aliquid accresceret; Atenim multis etiam post seculis fuêre in Græciâ Academiæ, Athenis, Thessalonicæ, Constantinopoli; etiam ex quo Turcæ inundarunt percelebris una in Chio insulâ: Quin & hoc ipso tempore à Michaele Barda Imperatore restauratas Zonaras testis, quas refriguisse verisimilius, quàm penitus intercidisse. Ad id verò quod cavillatur, Theologiam Romæ tunc temporis neminem docuisse: Pontificiæ sedis, Capitis Ecclesiæ, quod volunt, quale hoc Encomium! Respondemus sanè, quo rarior apud eos doctrina, eo forte chariorem Iohannem illum fuisse, eo facilius gratiam sibi apud eos peperisse. Quintò: omnes ejus gressus rimantur, *cum de Sancto Petro in Lateranum tenderet*, inquit Martinus: Papæ vero, ajunt, nondum in Vaticano habitabant; Nos imò, num negare possint, & tunc & multò ante, Tem-

Suffridus Leovardens. in Notis in Martinum Polon, Edit. Antuerp. ann. 1573.

Synesius in postremâ Epist. ad fratrem.

lum D. Petri extitisse, à quo in Lateranum processionaliter, ut loquuntur, itaent? Incredibile deinde illis, quod novem mensium spatio adverterit id nemo: mò quid frequentius? quos potius judicium Dei attendere cum Antonino portuit in hoc infami mysterio, abominabile illud, quod parabatur, propalantis. extò: Quia viam etiamnum obliquare Pontifices negare non sustinent, causam iam comminiscuntur, quod recta via tantæ turbæ excipiendæ angustior sit. Nont verò qui viam utramque explorarunt, id falsum esse, & rei veritatem agnoit Bocatius. Platina adeò ipse, *de primo*, inquit, *non abnuerim*; sculpta vero effiies illa de quâ Archiepiscopus Antoninus abundè faciat fidem, quam Iesuitæ si non ejurant, tantùm ut alijs ingeniosiores videantur, statuam Sacerdotis se comminiscuntur, quem Clericus rem sacram facturum sequatur: Rasura icat hìc aliquis in loco suspecto: in mediâ viâ, cui bono? Septimò: ad Catheram quod attinet, uno verbo satisfactum putant, *Res*, ajunt, *ab imperito vulgo cta*, quamquam nonnulli allegoriam affingunt, ut discat electus Pontifex, quod *eus erigit è stercore pauperem*; Verùm, in porticu Lateranensis Patriarchij, qua l sancta sanctorum itur, num nostro etiam tempore visam negare ausint? ubi onclave habebatur, quo tempore Pontifices Laterani sedebant? Quis verò us usus? & si, quem comminiscuntur, cur perforata? Et cur non potius tot thoribus fides? & ante controversiam natam, Iohannis Pannonij versus quis scit? Anriquites de Fauchet. Vol. 2.

Non poterat quisquam reserantes æthera claves,
Non exploratis, sumere, testiculis,
Cur igitur nostro mos hic nunc tempore cessat,
Ante probat quod se quilibet esse marem.

irilitatis suæ testimonium in spurijs exhibet. Octavò: Zonaras, ajunt, Nitas, Cedrenus, & alij ejus non meminerunt: R. Atqui hos Authores multis culis posteriores quis ignorat? qui de rebus tantùm Græciæ sollicitì, Latinas inus curant? illas imo etiam leviusculè attingunt? Nos verò in Historiâ Lanâ Authores Græcos in testimonium adducentes num ferrent? Numnon l Latinos revocarent? Eccui porrò mirum, si Idololatræ isti Monachi, Roanæ, quod ipsorum scripta docent, turpitudinis & conscij & participes, hoc rodigium, præ pudore, reticeant? Certè Laonicus Græcus Author id non noravit, qui, extra ejusmodi affectus, electionem Pontificis, uti suo temore celebrabatur, describens: *Ubi suffragia*, inquit, *collegerunt & Pontifex erit declaratus, domi eum continent, explorantes, num & reliquis placeat electio. ontificem pronuntiatum insidere jubent sedili foramen habenti, ut testes ex eo propenntes aliquis, cui hoc muneris injunctum est, tangat, unde appareat Pontificem virum se; Nam constat, mulierem quondam in Pontificatum esse subvectam, quia sexus norabatur. Namque Italiæ Occidentales penè omnes barbas radunt. Cum autem a mulier gravida esset facta, & ad festum sive Sacrificium prodijsset, peperit infantem ter sacrificium in conspectu universi populi. Quapropter ne decipiantur iterùm, sed m cognoscant, neque ambigant, Pontificis creati virilia tangunt, & is qui tangit acclaat: Mas nobis est Dominus.* Et exinde alios ritus, observari solitos, persequitur. aronius annon lepidus hìc admodum, dum nos ad Raimundum ablegat, qui hunc cum ab Interprete insertum somniat? At quâ authoritate, quo authore? Nisi uod à Vegenerio Gallico interprete, Pontificum adulatore omissum dicit? Neve- Laonic. Chalcocondilas in Historiâ.

Barlaamus in Dialog. de Principatu Papæ Clauſerus Nicolai I. Epiſt. ad Michael. Imperat.

rò unicum teſtem nobis objiciant, audiant & alterum, Barlaamum Græcum in Dialogo *de Papæ Principatu*, de hac Iohannâ: τοῦ ἀκολάστου γυναικου τοῦ Γενομένου Παπα *petulante mulierculâ, quæ facta fuerit Papa*; Proſequitur Onuphrius, & Baronius ipſe interfatur; Ac primùm magnum quid ſibi commentus videtur, cum Nicolaum primum dicit, ſi ita res ſe haberet, non tam audacter Græciæ Imperatori dicturum fuiſſe; *Prædeceſſores noſtri felicis memoriæ Leo & Benedictus*, nempe ei anſam Michaeli præbiturus, unde ipſum exagitaret, qui interim nihil tale loquitur, non Photius etiam Conſtantinopolitanus Patriarcha, ſedis Romanæ infenſiſſimus hoſtis: Atenim, Baronium igitur Michaelis reſponſionem protuliſſe oportuerat, qui fortè hoc ei prodigium exprobrabat; Et ſanè ex pluribus Nicolai ipſius reſponſionis locis ſatis apparet, Michaelem ſtrenuè admodum cum eo egiſſe, quandoquidem expoſtulat, *quòd ab injuriis ſcribens inchoaverit, contra primam & magiſtram omnium Eccleſiarum*, ſeſe etiam excuſat, *quòd non reſpondeat ad ea, quæ ſuperſunt in ipſâ Epiſtolâ, cum ſint omni pravitate atque blaſphemiâ plena, & contra ipſam diſpoſitionem Dei & ſedis Romanę privilegia venena diffundant, ſed potius philoſophando contemnat*; Epiſtola licet hæc in juſtum volumen excreſcat: Unde meretriciam illam ſedem ei objectam non immeritò quis ſuſpicetur, quam porrò Nicolaus, ejus memoriam ſibi extinguendam ratus, ut ex Faſtis eradit, ita & in hac ſuâ reſponſione ſilentio præterire malit. Adde, eadem ratione Stephanum quartum ſcribere potuiſſe: *prędeceſſores noſtri felicis memorię, Sephanus & Paulus*, calcato intermedio *Conſtantino* Pontifice, qui annum & eo amplius ſederat, quippe cujus Acta reciderat, nomen ex Catalogo expunxerat. Verùm, numnon ipſe Baronius nobis author, Adrianum ſecundum anno 866. quod Nicolaus primus prædeceſſor conſequi non potuerat, ab Imperatore Baſilio Michaelis ſucceſſore obtinuiſſe, ut liber Photij, in quo Michaelis Epiſtola continebatur, Romam mitteretur, qui Synodali judicio combuſtus, *magnâ*, inquit, *ſuâ gloriâ, ſediſque Apoſtolicę honore*; Hoc, Lector, Nicolaum & Adrianum tam enixè ſategiſſe fruſtrà exiſtimes? Deinde Marianus, inquit, primus hujus Hiſtoriæ Author, de quodam Gryllo Michaelis Cynædo aliquid inaudire potuerat, quem in Sacrarum rerum ludibrium veſtibus ſacris indutum Patriarchæ loco inducebat, ut etiam Theodoram Auguſtam matrem eo ſpectaculo deluſiſſe legatur: Quare quod Conſtantinopoli actum ad Romam fortè retulerit, ex hoc Cynædo fœminam, ex hac comœdiâ hiſtoriam, ex hoc fictitio Patriarchâ Papiſſam effinxerint; Imò, ſimplici huic Monacho tam multiplices metamorphoſes quis vel per ſomnium quidem affinxerit; Et de rebus Græciæ, unde tandem hæc didicerit; Ludibrium autem hoc Michaelis, cum Mariani ætatem 200. annis præceſſerit, undenam, niſi ex hiſtoriâ reſciviſſet? quod duorum ſeculorum ſpacio quis ex omni memoriâ deletum dubitet? ſin ex Hiſtoriâ, quam unus Curopalates deſcribit, quis tanto errori locus? numnon omnes pariter circumſtantias legiſſet? tranſcripſiſſet? ut pro Gryllo Iohannem, pro mare fœminam ſupponere neutiquam liceret? Ad id verò, quod Mariani ipſius tempore Leonem nonum dicit, in Epiſtolâ quadam Michaeli Conſtantinopolitano Patriarchæ exprobrare, quod contrà Canonem Nicænum Eunuchos ad ſedem ſuam promoveant, à fœminâ etiam deceptos, famam eſſe; ut omittam has plerunq; Pontificum Epiſtolas, in hac præſertim cauſâ, fidem non mereri, id ſi ad Mariani aures pervenerat, quâ veriſimilitudine, author alioqui non ineptus Romanæ ſedi tribuebat? quo imò ſpiritu, quo genio, annos, menſes, dies connotabat, qui eum deinceps ſecuti, uterum, partum, obitum, ſigillatim adeo deſcribũt?

Baron. to. 10. an. 868. art 39.

Banron. to. 10. an. 854. art. 9.

Baron. To. 10. an. 854 art. 9.

Leo. 5. Epi. 1. c. 23.

Adsit jam Cassius ille & roget *cui bono*, quo consilio, hanc fœminam supponant Historici hujus temporis, maximam partem Monachi, soli rerum gestarum quasi depositarij, Pontificum, quod ipsi jactitant, creaturæ, nedum clientes aut servi: quid inde illis lucri? quid non damni? cum tantum portentum, vel juratis credi, vix sperare quisquam possit, nisi apertissima veritas suffulciat? Circumstantiæ etiam tàm perspicuæ, præcisæ, ad hæc usque tempora servatæ, in quo tandem cerebro conceptæ, enatæ, unde prolatæ, quî patienter à quoquam latæ, nisi quatenus ipsa veritatis evidentia prognatæ, profectæ; Quæ etiamnum visuntur sculpturæ, statuæ, in ipsis Italiæ Templis, in celeberrimis, in Senensi illo, ubi inter Pontifices huic prostibulo locus, ubi vel pusiones illam indigitant. Ante ducentos plus minus annos constructum respondes, tanto temporis spatio in oculis ipsius Romæ, quî fit ut impunè, ut refragetur nemo? Onuphrius tandem, *hanc fabulam ex Iohannis Papæ duodecimi, viri impuri, vitâ manasse crediderim: Is aliquot concubinas habuit, in his præcipuè erant, Iohanna Raineria, & Stephania. Ex Johanne igitur Papâ, & ejus item scorto Iohannâ, ad cujus forte arbitrium, tanquam Papæ, omnia Romæ pendebant, Iohannis fœminæ Papæ fabula manavit, quæ progressu temporis aucta, in Historiæ authoritatem, imperiti alicujus scriptoris operâ, paulatim irrepsit.* At Fastorum nobis magister, numnon hæc 100. annis posteriora ipse docet? Et quo jam colore pro Iohanne octavo Iohannem duodecimum substituet? Et hac porrò malè cohærente conjecturâ tam solidas probationes sese infringere posse speret? Sed est quid amplius, Luitprandus enim, quem authorem laudat, ex his Concubinis nullam Iohannam nominat. Et Raineriam quidem memorat, *multis præfectam urbibus, quam sacrosanctis beati Petri donavit aureis crucibus atque calicibus; & Stephanam ejus amicam, quæ in effusione ejus quod ex eo conceperat, recens hominem exivit.* Annam etiam viduam & quandam ipsius neptem: Iohannam sanè hancce, quam primam Onuphrius nominat, apertè ipse supposuit, ut suo commento ansam quæreret: & de hac controversiâ Lector jam judicium ferat. Luitprand. l.6.c.6.7.

PROGRESSUS.

NE eos tamen tanto pudore ab incœpto deterritos putes, eo arrogantius frontem commasculant. Benedictus tertius Iohanni an Iohannæ succedit, Imperatore inconsulto, cui ex postfacto electionem ejus significare sat habent: Inde verò oritur Anastasij schisma, faventibus urbis proceribus, ipsisque adeò Benedicti ad Ludovicum oratoribus: ut Clerum & populum rursus ad electionem convenire sit opus: in quâ Benedictus, acclamante quidem populo, sed authore Imperatore, ejusque Missis sive Vicarijs jubentibus, nedum adsistentibus, in Pontificem ordinatur. Unde sanè manifestum sit, primum actum legitimum minime censeri, cui Imperatoris authoritas defuisset. Benedictus non diu superest, nec quidquam de eo insigne. Ut eum Ludovicus anno 858. decessisse intelligit (qui Lothario patri in regno Italiæ successerat,) quanti ad res suas momenti sit, hoc jus retinere gnarus, Romam consultò iter suscipit, ut successorem sublegi curet. Verùm, antevertentibus ipsius adventum Romanis, Nicolaus primus electus, qui, quod illis jam solenne, quasi gubernacula refugiens, in Divi Petri æde, vi ad solium rapiendus, latitabat, ac demum Imperatore præsente consecratur. Hic ille est, quem Gregorio magno comparare solent, cujus tamen ab ipso vestibulo arduum simul & præceps ingenium sese exeruit, cum pietate an adversitate Anno 855. Anast. in Benedic. 3. Ann. 858. Anastas. in Nicolao 1.

Imperatoris abusus, in angustias à Saracenis redacti; *frænum equi sui, tantum Principem pedestri more manibus suis apprehendere*, semel atq; iterum fert non invitus. Quin & *quantum sagittæ jactus extenditur trahere*, ut Anastasius ipse describit: Addit: *Dulcissimis osculis* ab invicem discedentes sese excepisse: sed gloriosius Sigonius, *osculo sancto pedi oblato, in tabernaculum se atque inde in Lombardiam recepisse*. Anno 860. Iohannes Archiepiscopus Ravennas antiquam litem renovat, à sede Romanâ se nequaquam pendêre præ se ferens: ac protinus fit hæreseos suspectus: quâ nempe nulla Pontificibus odiosior. Nicolaus eo prætextu suffraganeos in eum suos concitat, à quibus aliorum criminum insimulatus, mox Episcopatu spoliatur: In his angustiis ad Ludovicum Imperatorem confugit, qui apud Nicolaum pro eo intercedit: At is Synodo Romæ convocatâ, cui Ludovici Legati intererant, nihil moratus Principis preces, quippe qui ejus ope operâque indigeret, Iohannem ad sedis Romanæ obsequium adstrictum jugum Papale subîre cogit; Anastasius ad *humilitatis viam convertisse* dicit, nimirum *ille confestim*, inquit, *apprehensâ cartâ repromissionis, & juramenti sui Scripturas, quas tempore consecrationis suæ imperfectis confusisque, ut in eis videbatur, repleverat dictionibus, propriâ manu scribens, juxta consuetudinem Antedecessorum suorum composuit*, id est, in certam pecuniæ summam, quod anteà recusarat, sese obligavit, mandatumque ut *secundo quoque anno limina Petri visitaret, nisi aut adversâ valetudine præpediretur, aut Pontificio beneficio absolveretur*. Addit Coætaneus author, Nicolao exosum Iohannem, quod Imperatori nimis familiaris esset, eumque, quod Ludovicus Ravennatis causam suscepisset, inspirationis cœlestis prætextu, de coronando in Imperatorem Carolo Calvo cogitasse. Nec his tamen subsistendum sibi retur. Lotharius Lotharingiæ Rex Valdradam concubinam deperibat, quin ab ipsâ adolescentiâ adamatam, repudiatâ Thietbergâ conjuge, uxorem ducere meditabatur; Et Gunterus quidem Archiepiscopus Coloniensis, seu quia Valdradæ affinis, quod quidam volunt, seu aliâ causâ permotus, favere videbatur: Synodus igitur in Mediomatricibus habetur, ad quam se Regina sistit, sed productis & auditis testibus, de flagitioso cum fratre incæstu, à Lotharij thoro idcircò sejungitur. Is verò non multò post aliam Synodum, Aquisgrani coactam, supplex adit, liberos suscipere, quanti sua regnique intersit, exponit, ac proinde uxoris ducendæ facultatem consecutus, Valdradam protinus sibi sociat, quæ jurgij pridem origo fuerat. Tùm, agnati Thietbergæ seriò commoveri, Hubertus inter alios, Transjuranorum Dux, Caroli Calvi Regis affinis, Lotharij avunculus, magis quàm amicus; Inde etiam ex compacto apud Nicolaum graviter conqueri. Et hîc sanè occasionem nactus, ex Principis peccato utilitatem captat, & eo quidem magis, quod Francorum Regis sese præsidio suffultum videt. Legatos igitur ad Lotharium mittit, Thietgaudum Archiepiscopum Trevirensem & Gunterum Coloniensem, de dirempto conjugio rationem reddituros, Romam citat. Conventus Aquensis & Metensis Acta, quibus præter Canones & Decreta nihil à se actum prætendebant, proferre jubet: Synodum postmodum habet Episcoporum aliquot, in quâ & Acta illa irrita facit, & eos inauditos damnat, omnibusque dignitatibus Ecclesiasticis exuit: denique Synodum Metensem *pro latrocinio & prostibulo* habendam sancit. His actis sub annum consequenter 866. Arsenium Apocrisarium Francofurtum delegat, unde Lothario significat, Valdradam dimittat, Thietbergam recipiat: si minus, anathema illi & sequacibus omnibus denuntiat: sicque tandem Lotharius ejus sententiæ acquiescere cogitur. Hoc pri-

Sigon. l. 5. de regno Italiæ. Anno 860.

Anastas. in Nicolao 1.

Sigon l. 5. de regno Italiæ.

Annales incerti Authoris, Ann. 866.

primum anathema & interdictum in Reges nostros Pontifices vibrasse leguntur, dum partim ex discordiis posterorum Caroli, partim ex eorundem peccatis & flagitiis vires sumunt, quorum & memoriæ, in compluribus Decretis, notam inusserunt, Lotharij præsertim D. 63. C. *Relatum est*, & 2. Q. 1. C. *Quæ Lotharius*, ubi Nicolaus Episcopis Italiæ, Galliæ, & Germaniæ scribens peraudacter. *Rex Lotharius*, inquit, *si tamen Rex verè dici potest*, ut & in Canonibus *præcipuè* & , *ita corporis*, 11. Q. 3. & 24. Q. 3. *Annon districta*, qui eidem inscribuntur. Nicolaus iste quamvis, seculi potius ratione, quam religionis zelo motus, quippe qui hoc ipso tempore Balduinum Comitem Flandriæ ambabus ulnis Romæ excipere & amplecti non erubescit, qui Iuditam Caroli Calvi Regis filiam raptam abduxerat: ad Regem imò ipsum & ad Archiepiscopum Rhemensem Hincmarum, Synodumque Sylvanectensem in ejus gratiam scribit, tandemque perficit, ut eorum conjugium admittatur: Quin & prædecessorem quendam suum in pari casu, Lotharii Imperatoris tempore, idem fecisse causari non veretur. Nec porrò Regi ipsi grave esse debere, si *conservo suo debitum censum denariorum dimittere compellatur, qui fortasse à summo Regum & Domino Dominorum millia talentorum sibi relaxari desiderat.* In Lotharij utique facto, pro eâ, quam sibi arrogant, omnipotentiâ, omnes severitatis limites transiliens, in Balduini nullum gratiæ, nullum indulgentiæ modum faciens. Ex Principum igitur nostrorum delictis audacior factus, Episcoporum etiam nostrorum appellationes insolentiùs & recipit, & ad se trahit: ut si quis Episcopus juridicè à Metropolitano in Synodo suæ provinciæ condemnetur, promptum sit illi, Romam confugere, Romæ appellanti recipi, ubi causa de integro cognoscatur, Metropolitano, ni compareat, interdicatur; Et is plerumque exitus erat, ut in appellantis gratiam Metropolitani sententia rescinderetur. Exemplum nobis esto Rhotardus Episcopus Suessionensis à sententiâ Hincmari Archiepiscopi Rhemensis appellans, quem appellationi parere recusantem Nicolaus graviter corripit: *Privilegia Apostolicæ sedis oblivioni tradere nullo modo debuissetis, quibus venerandi Canones judicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent:* Quæ sanè invenire illi perdifficile. Eâdem arrogantiâ Galliarum Archiepiscopis & Episcopis scribit: *Romanorum Pontificum Decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut, quod verè sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur;* Clero Viennensi, *Absque præcepto sedis Apostolicæ noviter Ecclesia constitui non potest;* omnibus Episcopis: *Nemini est de sedis Apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum, alioquin anathema sit*; Carolo imò Calvo Francorum Regi: *Quod*, inquit, *benè semel definitum est, & interpositis juramentis deliberatum, nullâ debet iteratione retractari:* Verùm, hac exceptione, *nisi fortassis ubi fuerit major authoritas*, & suam se intelligere satis prodit. At horrendum in primis, quod apud Episcopos nostros audet, & hîc Baronij candor eminet, qui in tanto pudore erubescere non potuerit. Contra eos enim disputans qui decretales Epistolas, quas producebat, admittere nolebant, Hincmarum Rhemensem & alios, Canonum Codici minimè æquiparandas dictitantes, Sacris imò Scripturis veteris & novi Testamenti coæquare nefas non putat; quin ab eadem authoritate pendere vult; ipsis adeo Decretalibus Epistolis subjicit. Pensitet Lector hæc verba, locus enim hic ejus momenti, ut ex præcedentibus sit expendendus: *Sed quare multum immoremur; si ista duxerimus dicenda? Decretales non esse recipiendas, nisi eas quæ in Codice inveniuntur; Divinas*

Nicolaus Epist. 30. & 32.

2. q. 6. Arguta.

D. 19. C. si Romanorum. De Consecrat. D. 1. in Ecclesia. 17. q. 4. Nemini & 25. q. 2. si quis. 6. q. 8. quod benè. Baron. To. 10. an. 865. art. 13. & 14.

Scri-

Scripturas novi & veteris Testamenti jam non recipimus : neutrum etiam horum in Codice Ecclesiasticorum Canonum habetur insertum. Non igitur à Spiritu Sancto, qui eas inspiravit, authoritatem habent? non à Filio, qui adversus falsos doctores, Satanam ipsum, eas ore suo consecravit? non à Patre, qui characterem suum tam altè eis impressit; Addit verò, *sin respondent*, (eos enim secum perperam theologantes inducit,) *quod inter Canones inveniatur Capitulum sancti Papæ Innocentij, cujus authoritate doceatur, à nobis utrumque Testamentum jam esse recipiendum, quamquam in ipsis primitivis Canonibus nullum eorum ex toto contineatur insertum*; Ergone in Ecclesiâ Christi, veteri & novo Testamento, non aliunde quàm ab hoc Innocentij Decreto jus suffragij? quadringentos & meliores quidem annos, Scripturarum vim & authoritatem Ecclesia ignorarit? Hîc ille, *si vetus novumque Testamentum recipienda sunt, non quod codici Canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis sancti Papæ Innocentij prolata videtur esse sententia, restat nimirum quod Decretales Epistolæ Romanorum Pontificum sint recipiendæ, etiamsi non Codici Canonum compaginatæ, quoniam inter ipsos Canones unum beati Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia Decretalia constituta sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari.* Ubi tamen in ipsis, quæ citat verbis, *Leo de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum disciplinis tantum locutus.* Et, en tibi Lector, quo jam loco Sacram Scripturam haberent, ut quam ei demebant, Decretalibus suis authoritatem adderent. Nec id verò mirum, cum Dei nomen ipse sibi tribuat, & in Canone quidem quem Gratianus Decreto inseruit. *Satis evenditer ostenditur*, inquit, *à seculari potestate nec solvi prorsus nec ligari Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum, cum nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum sit.* Si enim utrobique *Dei* nomen idem significat, in primo loco accipitur ut in secundo *Iehovam Deum æternum*, verum proinde se Deum profitetur: sin minus & diverso significatu accipiendum; Syllogismus suus ex quatuor terminis constat, sophisma proinde merum, fraus utrobique aut blasphemia. Addamus falsitatem perspicuam, Constantinus quandoquidem, quod omnes authores Ecclesiastici testantur, id de omnibus Episcopis, qui Nicææ convenerant, profatur, unde sequatur omnes illos ab hominibus non judicari, à Romano multò minus, qui huic cœtui non intererat, huic etiam Constantini apophtegmati non participabat, nisi fortè quatenus ejusdem ordinis consors; Sylvester etenim tunc Romæ, cujus interim successores, soli cæterorum omnium præjudicio, quibus id propriè dictum, eâ voce abutuntur; Quare, & Glossa ipsa optimè notavit, hac ratione *Episcopum Clericos judicare non posse*, & multò minus Romanus Episcopus cæteros Episcopos. *Legitur enim*, inquit, *omnes Clericos Deos appellasse*, nempe eo sensu quo Gregorius. *In divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur.* Meltiades ipse Romanus Episcopus in Canone *Futuram*: *Constantinus Imperator, præsidens sanctæ Synodo* (præsidens, inquit) *quæ apud Nicæam congregata est, cum querelam quorundam Clericorum conspiceret coram se deferendam, ait: Vos à nemine judicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini, Dij etenim vocati estis, & idcircò non potestis ab hominibus judicari.* Et sic sese mutuò destruunt. Ad doctrinam quod attinet, diximus alibi, huncce Nicolaum Cælibatus legem inter Clericos rigidius strinxisse, & anathematis quidem pœnâ, unde toto Occidente tumultuatum: Verùm, sequitur ut videamus, antequam ulterius progrediamur, an hæc omnia auderet impunè.

D. 96. C. satis evidenter 7.

Ruffin. l. 1. c. 2.

Gloss. ibid.

II. Q. I. Sacerdotibus 12. Q. I. Futuram is.

OPPOSITIO.

PRimùm igitur quod Iohannes Ravennæ Archiepiscopus hæreseos accusatus dicitur, cujusmodi illa fuerit, author Italus coætaneus exponit: *Imperator*, inquit, *ne gravaret eos, qui deprædati ab Agarenis erant, quæsivit solatium Ravennæ, sed quæsivit etiam solatium, quæ vicina erat etiam, Venetiæ, quatenus navali adjutorio fultus posset abundanter ferre Apuliam. Præsidebat tunc Ravennati Ecclesiæ Johannes Archiepiscopus, qui serviens Imperatori familiarior erat. Unde invidiâ ductus Romanus Pontifex nomine Nicolaus, exarsit in iram contrà illum, vocans eum subdolè Romam, ut quasi Ecclesiastico judicio posset hunc condemnare, & alterum subrogare; His quippe auditis Archiepiscopus confugit ad Reginam Engelbertam, quæ suos legatos direxit Apostolico, rogans ut redderet gratiam Archiepiscopo. Quod cum impetrare nequiret, suo Domino humiliter intimavit, ut gratiam interferret suæ tuitionis Archiepiscopo, vetans Apostolicum ei nullam inquietudinem facere. Et quia inaudito Principe Apostolicus excommunicationes in eum protulit, gravis inimicitia inter eos facta est. Erectus est denique Regius honor contra Apostolicam dignitatem, objiciens ei antiqua Patrum statuta, non licere Prælato excommunicare Episcopum, inconsulto Synodali Concilio; Et quia Synodus non à Papa, sed ab Imperatore vocari deberet. Plurimæ denique irrogationes pro tali occasione illatæ sunt Pontifici Romano: Nam Pentapoli beneficiales ordines suis destribuit, præcipiens nullam administrationem impendere Romæ, exceptis suffragijs navali deportatione, multa enim juvamina Imperiales habuerunt fideles. Fecit etiam occupare nonnulla patrimonia in Campaniæ partibus, regio usui, suorumque fidelium, &c. Constituit denique consultu Romanorum Principum in urbe Româ Arsenium quendam Episcopum, sanctitate & scientiâ adornatum, & Apocrisarium sedis Romanæ, deditque illi adjutorem Iohannem Diaconum & Archicancellarium, suumque Secretarium, qui posteà Reatinus Episcopus factus est, unde jam electus erat.* Et hîc igitur videmus, & quænam illa hæresis fuerit, quæ zelum Pontificis commoveret, & Imperator quid in ipsâ Româ de hoc negotio statueret: *Tempore igitur*, inquit, *congruo Imperator veniebat Romam, & suscipiebatur ab omnibus tam majoribus quam minoribus honorificè, veniebatque cum eo jam dictus Archiepiscopus Ravennæ nil metuens minas Pontificis. Unde evenit major discordia inter Pontificem & Imperatorem. Erat quippe Imperator in palatio sancti Petri Apostoli, & Papa ad sanctos Apostolos. Cumque omnes illius insidiæ contrà regiam dignitatem pro nihilo ducerentur, constituit* (veteres veteratorum istorum artes notet hîc Lector) *Monachos seu Christo dicatas virgines ex Monasterijs Romæ, ut quasi sub obtentu religionis quotidianas celebrarent lætanias per circuitum murorum, & missas canerent, contrà Principes malè agentes. His auditis primarij Regis humiliter accedentes ad Papam, rogaverunt eum familiariter, ut talia prohiberet. Et cum nihil ab eo impetrare possent, reversi sunt mœrentes. Quadam verò die, cum quidam milites præfati Principis irent ad sanctum Paulum & reverterentur, accidit eos occurrere talibus lætanijs, qui instinctu antiqui hostis in iram versi sunt, & pro fidelitate sui senioris vindictam exercuerunt contrà illos, percutientes & cædentes cum fustibus, quos manibus deferebant: Qui fugientes projecerunt cruces, & iconas, quas portabant, sicut est mos Græcorum, è quibus nonnullæ conculcatæ, nonnullæ diruptæ sunt. Unde & Imperator graviter est permotus in iram, & pro quâ causâ Apostolicus mitior effectus est. Profectus est denique idem Pontifex ad sanctum Petrum, rogans Imperatorem pro suis talia patrantibus, & vix obtinere valuit; Iam itaque inter se familiares effecti sunt, tamen dignitas regia semper fuit Romæ.* Itaque, quod

Author Italus coætaneus in Appendice Historicâ Eutropij.

quod in Episcopum Ravennatem fulminarat anathema, frustrà fuit, quod etiam secundo quoque anno Romam adire coegerat, in ægritudinem animi ei versum: quippe qui Ravennatem crebrius quàm vellet Romę videret, Imperatoris utique gratiâ subnixum. At rodebat eum præcipuè Imperatoris authoritas perpetuò sibi imminens, ut remotior quæque, magna quamvis, ei tolerabilior videretur. Quare, inquit, idem ille cujus fidem ipsa nobis præstat simplicitas; *Hic Imperator, quià magis Italiam habitare elegit, vicinior factus est Romæ, ubi & ampliori quadam usus est potestate, habens strenuos viros ejus urbis, scientes antiquam Imperatorum consuetudinem, & intimantes Cæsari, qui suggerebant illi, repetere antiquam Imperatorum dominationem, & nisi ob reverentiam beatorum Apostolorum dimitteret, pro certo faceret;* Quæ interim reverentia Pontificibus minimè grata, *etenim*, inquit, *cum hæc ita gerebantur, Romani Pontifices semper per Oratores literas mittebant invitatorias ad Carolum Calvum Francorum Regem, invitantes eum clàm. Et quia erat in literis quasi Philosophus, rogabant illum supervenire beato Petro & de servitutis jugo ad propriam libertatem reducere suam Ecclesiam, ut quasi per vim ab aliquo esset oppressa.*

Epistola Guntheri & Tiethgaud. ad Nicolaum 1.

De Regis Lotharij causâ extant Guntheri Coloniensis Archiepiscopi & Tiethgaudi Trevirensis ad Nicolaum literæ, in quibus de ejus injustitiâ & tyrannide conqueruntur: sed rem ipsam expendere non hîc propositum nobis: *Patres Episcopi*, inquiunt, *& fratres coepiscopi nostri nos ad te misere, ipsi quoque sponte Romam venimus, Acta tibi obtulimus, ut, si quid in his peccatum erratumve videretur, tanquam parens pientissimus benignè & modestè, ut præceptorem decet, commonefaceres. Tu vero accepto libello nostro, viginti amplius diebus, nullum omninò vel per internuncios responsum reddidisti, tantum abfuit, ut in conspectum tui admitteres, &c. Post demum mensem ferè nos accersitos, ubi absque cunctatione advolavimus, & nihil mali suspicantes, quasi more latronum oppressisti. Nam statim ubi in ædes recepti sumus, pessulo foribus obdito, circundatos turbâ Paganorum, expoliatosque omni ope humanâ, & comites nostros sacratis profanisque exclusisti: ibi contrà fas, contrà Decreta moremque majorum, sine coetu Ecclesiastico, cum circumstetisset nemo Archiepiscopus, nemo Pontificum & Symmystarum accessit, neque tu aut de errore nostro quicquam disseruisti, aut ratione aliquâ, testimonio, scripto aut argumentis errorem per te arguisti, nec quicquam penitus tu disseruisti, sed subitò & de improviso, cum lateri tuo hæreret Anastasius Monachus, ambitus condemnatus sententiam contrà nos injustam, temerariam & nefariam, & Christianæ religioni repugnantem de Chartulâ effudisti, & satis proterve tuis fratribus atque conservis verbis illusisti. Immortalis Imperator augustam & sponsam suam clarâ æternaque supplectile instruxit, dote non fragili ac caducâ condecoravit, sed perpetuo diademate ac sceptro provexit. Fecit eidem potestatem atque copiam, ut divos consecraret, cœlo adsereret, ægros curaret, mortuos immortalitate donâret, quæ beneficia tu veluti latro intercipis, Templo Dei præripis, in teque transfers, atque lupus factus es ovibus, vivos occidis, fortes superis detrahis, vulneribus ad inferos extrudis, gaudium melle litum condis mortuis per te reviviscere non licet. Tu Pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannum agitas, sub cultu & habitu Pastorum lupum sentimus. Titulus parentem mentitur, tu te factis Jovem ostentas, Cum sis servus servorum, Dominus dominantium esse contendis. Atqui juxtà disciplinam Christi servatoris nostri infimus es omnium ministrorum Templi Dei. Tu verò libidine dominandi in præceps abis: quicquid tibi libet, licet, fucusque factus es Christianis.* Quid supererat, nisi ut Antichristum vocarent? Qui ad hęc Apostoli ad Thessalonicenses verba evidenter alludant,

dant, *ſeſe oſtentans quaſi ſit Deus.* Addunt concluſionis loco: *His de cauſis nos, cum fratribus noſtris & collegis, neque edictis tuis ſtamus, neque vocem tuam agnoſcimus, neque tuas bullas, tonitruáque tua timemus. Tu eos, qui Senatuſconſultis non parent, impietatis condemnas, iiſdem ſacrificiis interdicis. Nos tuo te enſe jugulamus, qui edictum Domini Deique noſtri conſpuis, concordiam Collegij diſcindis, pacem immortalem, cœleſtis Principis teſſeram, violas.* De ſuo verò primatu: *Spiritus Sanctus author eſt omnium Eccleſiarum, qua longiſſimè & latiſſimè terrarum orbis porrigitur. Civitas Dei noſtri, cujus municipes ſumus, ad univerſos cœli cardines pertinet: majorque eſt Urbe, quæ Babylonia à ſacris Vatibus appellatur, ut quæ divinitatem uſurpet, cœlo æquet, ſe æternam fore jactitat, perinde ac ſi eſſet Deus, immortaleque ſapiens, neque unquam ſe erraſſe aut errare poſſe mendaciter gloriatur.* Et hæc etiam Epiſtola apud quendam Annalium noſtrorum Scriptorem legitur, diverſis licet aliquantulum verbis, eodem planè ſenſu: At ſanè in graviora verba deſinens. *Tuam pravam ſententiam à zelo rectitudinis alienam, injuſtam & irrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, imò cum omni cœtu fraterno, quaſi nefas atque maledictum fruſtrà prolatum, contemnimus, atque abjicimus, tibique anathematorum, & religionis ſacræ abjectorum & contemptorum fautori, & communicatori revera communicare nolumus, contenti totius Eccleſiæ communione & fraternâ ſocietate, quam tu arroganter te ſuper exaltans deſpicis, téque ab eà elationis tumore indignum faciens ſegregas;* quæ Grægorij Magni olim vox. *Nunc ergo qui fraudulentiā & calliditatem experti ſumus, indignationem quoque, tumidumque potentatum agnoſcimus, nihil tibi tuæque ſuperbiæ cedimus, quâ nos ad vota noſtrorum, quibus faves, inimicorum, obruere feſtinabas, ſciéſque nos non tuos eſſe, ut te jactas & extollis, Clericos, quos & fratres & coepiſcopos recognoſcere, ſi elatio permitteret, debueras.* Nempe, quod innuere videntur, quæ à perſonâ, quam tu hodiè in Eccleſiâ ſuſtines, ſeparari nequit. Nec hîc omittendum, Nicolaum Papam in ſuis, quæ Decreto inſeruntur, literis profiteri, ſe de hac Lotharij cauſâ, quæ tantas turbas movit, tanquam arbitrum, in quem partes conſenſiſſent, cognoviſſe: non utique ut judicem pro jure ſuo, ut & Lotharius Hadriano ſucceſſori exponit. *Se eum ad tempus & in parte commiſiſſe.* Non proinde plenâ illâ poteſtate, ſed commiſſâ, ſed delegatâ uſurum.

Annal. incerti Author. à Pithoeo in vulgus Editi.

Ad uſurpationes Nicolai quod attinet, Rothardum Epiſcopum Sueſſionenſem adverſus Metropolitani & comprovincialium ſententiam reſtituentis, Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, nihil diſſimulat. *De quo*, inquit, *quia benigniſſima dignatio veſtra mihi ſervo veſtro dignata eſt ſcribere, ut juncto mihi integro collegio fratrum ſecundum modum ibidem deſcriptum, veſtrâ Apoſtolicâ fretus cenſurâ ſtuderem illum priſtino redintegrare decenter officio, ſciat reverendiſſima & amantiſſimè colenda dulciſſima paternitas veſtra, hæc me agere nequiviſſe, pro multis rationibus nominatim, quia ſine illorum judicio, qui in ejus depoſitione fuerant, reſtitui regulariter non valebat. Pauci etiam numero Epiſcopi, qui mecum in filij veſtri Regis noſtri erant obſequio, cum eis benignitatis veſtrę commendationem de Rothaldo relegi; Reſponderunt, non ſe ſcire talem vitam, atque intelligentiam, taleque ſtudium ſacri miniſterij in eo fuiſſe ut in hoc ſe miſcere auderent, præſertim cum is qui anteà aliquam reverentiam de dejectione ſuâ habebat, & ſemper inobediens & ſacris regulis, & regiæ dignitati, & Metropolitano privilegio fuerat, nunc effrænatus ad multorum malum exemplum & plurimorum benè volentium ſcandalum deſervire & pernicioſius vivere, voluntatibus ſuis ſerviens cum libertate deberet;* Nempe ex quo & gratiam Romani Pontificis expertus erat, & auram Romanam hauſerat. Ad id verò quod Sardicenſem Canonem objicit, seriò commonefacit, non

Epiſt. Hincmari Rhemenſ. Archiepiſcopi ad Nicola. apud Frodoard. l. 3. c. 13.

posse primæ sedis Episcopum Provincialem Antistitem à Comprovincialibus depositum, si ad eum causam denuò cogniturum refugiat, restituere: contrà ab eo in provinciam remittendum, ut ibi, si opus, denuò judicetur: quandoquidem ex Concilij Carthaginensis Decreto nusquam negotium meliùs possit examinari, quàm ubi gestum, ubi veritas eo magis perspecta. Sin Rhotardus alitur restituitur, pro ejus nempe libidine & arbitrio: judicia sanè Episcoporum & à Clericis & à Laicis contemptum iri, quorum jam pleriq; de authoritate Papali sinistrè loquentes audiantur. In summa, non posse id fieri, quin, non privilegia Metropolitanorum tantum, sed sanctiones omnes Ecclesiasticæ manifestè convellantur.

In Germaniâ, Papam errare non posse, non magis quàm in Franciâ credebatur, quod Decretum de cœlibatu vehementius urgenti facile innotuit. Cum enim illud sancto Hulderico Episcopo Augustensi executioni mandandum Nicolaus misisset, (quid de re ipsâ contrà sentiret, alibi tractatum, non attingo) ingenuè significat: *Decreta ipsius super Clericorum continentiam à discretione invenisse aliena*, non facilè *membra sibi cavere posse, capite suo tam gravi morbo laborante & à sanctâ diseretione vel minimùm exorbitante*; Contrà institutum Euangelicum, prædictionem Sancti Spiritus, multorum sanctorum exempla, communem sapientum sententiam; hortatur imò ut de grege Dei *hanc doctrinam Pharisaicam, scandalosam, pestiferam* eliminet: Et solus Epistolæ stilus à suppositionis suspicione apud peritos quosque eam facilè vindicat.

De Eucharist. l. 3. c. 11. D. Hulderici Epist. ad Nicolaum.

Iam Nicolaus ulteriùs progressus erat. Michael Bardas, Michaelis Imperatoris patruus, solium Imperiale adeptus ab uxore diverterat, & privignam suam duxerat. Ignatius verò Patriarcha Constantinopolitanus eum idcircò à communione Ecclesiæ absciderat; quâ re offensus Bardas Synodo coactâ Ignatium exaugurat, Photiumque in ejus locum sufficit; Sed quia tumultuatum eâ occasione Constantinopoli, dum pars Ignatium, pars Photium sequitur: seditioni extinguendæ, rogat Pontificem Bardas, Legatos in partes mittat: Is verò sibi minimè defuturus, actutum Rodoalum Episcopum Portuensem & Zachariam Ananiensem expedit, quibus præterea in mandatis dat, imaginum restitutionem procurent quidem, in primis verò *patrimonium suum Siciliæ & Calabriæ* (quo tandem jure?) recuperent. Accidit præter mentem ut Legati, ab Imperatore fortè corrupti, depositionem Ignatij & inaugurationem Photij approbarent: Quâ ratione, spe suâ frustratus Nicolaus fore ut Ignatium sibi devinciret, Legatos ejurat, & quod mandata transgressi essent, planè exauctorat. Sed in hujus negotij progressu notatu dignæ ejus præsertim ad Imperatorem literæ, qui quidem satis ei aperuerat, non esse sui consilij, ut rei jam judicatæ sese immisceret, quin potius, ut ejus executionem, placando tumultui, suâ authoritate faciliorem redderet. Et dolendum est quod Imperatoris literas non habeamus, quarum mentem ex ijs tantùm capere cogimur, quæ Nicolao adducere visum. At saltem ex responsione clarum, Michaelem Primatum Pontificium controvertisse, quando Nicolao præcipuus scopus eum propugnare: *si*, inquit, *illi audiendi, qui super cathedram Petri resident, esse existimetis obaudiendum*. Nec videre vult, hoc principium absolutè negari. Item: *Nullus Episcopus Constantinopolitanus sine consensu Romani Pontificis reperitur ejectus*. Hoc illi probatu quàm difficile? ejus verò consensu, quo pacto? nisi quatenus in Synodis ipsis interdum deponebantur, in quibus Legatis suis locus: Imò, numnon potius probatum oportuit, Episcopum aliquem Constantinopolitanum à Romano ordinatum? Tertiò, Synodum Chalcedonensem objicit, *si*, inquit, *Clericus habet*

Epist. Nicolai ad Michaelem Imperat. in 2 Tom. Concilior.

habet causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, apud Synodum provinciæ judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ. Quis ullâ Logicâ eum ex his verbis evicturum speraret, Constantinopoli Romam appellandum? Et tamen, inquit, *Quem Primatem Diœceseos sancta Synodus dixerit, præter Apostoli primi vicarium, nullus penitus intelligitur;* Romanum Papam, scilicet. Innuit verò nobis Canonem nonum, cujus verba: Diœcesis ἔξαρχον, *Exarchum adeat*, non Primatem, ubi docet nos Balsamon, *Diœcesim plures sub se continêre provincias, ideo & Exarchum plures Metropolitanos, verùm privilegium Exarchi non esse amplius in usu:* Quâ ratione ibatur à Metropolitano ad sedem Constantinopolitanam. Ad id verò quod dicitur, *Primas Diœceseos* in singulari, *sciendum est*, inquit Nicolaus, *quia tantundem valet dixisse primatem Diœceseos, quantum si perhibuisset, Diœceseon? Sicut in Scripturâ scriptum est, fons ascendebat è terrâ irrigans universam terræ superficiem, id est, fontes multi irrigantes universam terram:* Quâ non arrogantiâ, mundum ejusmodi ineptijs deludi posse, sibi persuadere potuit? Et eadem fide sextum Canonem Nicænæ Synodi citat, qui planè adversus. Quâ & fronte prædecessorum Decreta pro primatu, testimonia ut dicitur ex proprio sinu, in propriâ causâ producit, Bonifacij, Gelasij, aliorum. Quod ad rem maxime pertinet, ut Imperatori rerum Ecclesiasticarum cognitionem adimat: *Fuerunt hæc ante adventum Christi*, inquit, *ut quidam typicè Reges simul & Sacerdotes existerent. Quod S. Melchisedech fuisse sacra prodit Historia, quodque in membris suis Diabolus imitatus, ut Pagani Imperatores ijdem & maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est, eundem Regem atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit.* Qui sane, quid successores ausuri essent, si prævidisset, Imperium tenere, Reges se Regum & dominos dominantium non tam dicere quàm facere, ab hoc Theoremate haud dubiè abstinuisset. Ex suis enim ipsius verbis, quid consequitur, nisi ut Satanæ personam induerint, *qui tyrannico spiritu utrumque sibimet vindicare contendit;* Et hoc Gratianus ipse in Decreto non omisit. D. 96. C. cum ad verum.

PROGRESSUS.

Moritur in eo Nicolaus sub finem anni 866. vel ut alij 867. expeditis jam ad Michaelem Legatis, Donato Hostiensi Episcopo, Stephano Nepesino, Marino Diacono, cum egregijs illis, de Ignatij negotio, mandatis. Verùm appellere eos Constantinopoli contigit, sub id punctum, quo Basilius, quem Michael Imperii consortem adsciverat, eo per proditionem cæso, summam rei ad se contraxit: Quo & ferè tempore Nicolaus decesserat: Cui, inconsultis Imperatoris Missis seu Vicarijs, in urbe licet degentibus, Adrianus secundus successor à Clero & populo electus; Conquerentibus verò responsum non regiæ authoritatis contemptu id factum, sed inquit Sigonius, *ne expectatio Regiorum in eligendo Pontifice Legatorum novum jus Regi in posterum comparet.* Anastasius, *futuri temporis omninò prospectu, ne Legatos Principum expectandi mos per ejusmodi fomitem inolesceret;* Et id Imperator ipse, partim bello adversus Saracenos implicitus, partim propinquorum machinationibus variè distractus, prudenter dissimulavit. Inter hæc Basilium, ad Sacramenti perceptionem accedere ausum, Photius Patriarcha repellit, indignum ratus, ut qui & hominem & Imperatorem suâ manu confodisset, Tem-

Sigon. l. 5. de regn. Ital.
Anast. in Nicolao.

plum ingrederetur. Quod ulturus Basilius Synodum generalem convocare statuerat, Nicolaumque eò per Legatos invitabat: qui, ut eum excessisse vident, eodem apud Hadrianum successorem officio perfunguntur. Is verò, quod olim Bonifacius tertius erga Phocam, Basilij & parricidium, & vindictæ cupidinem in suam rem illicò vertit; ut omnibus rebus innatum est, unde originem sumpserunt inde & incrementum capere & vires: quare & Legatos Nicolai ad Basilium supra memoratos confirmat. In Hadriani literis hæc notatu imprimis digna: *Ille qui omnia jura regnorum omniumque continet potestatem, his tuum diebus suscitavit cœlitus protectum imperium, per quod Apostolica sedes, ipso authore, cœptum pro Ecclesiâ Constantinopolitanâ pietatis opus consummaret, &c. Alter quodam modo Salomon es, audisti quippe verba Dei Patris tui, & non dimisisti legem Matris tuæ.* Ut approbare non erubescat, quod in Patriarcham decreverat, qui immanis parricidij reum à sacrâ mensâ excluserat. Id unum verò spectabat, ut Imperatoris solertiâ Synodus haberetur, cui *sui Missi* præessent: quod in nullâ hactenus Synodo Oecumenicâ obtinere potuerant. Hæc autem Synodus octava illis universalis habetur, in quâ Photio deposito restitutus Ignatius: Quo animi æstu ex solâ præfatione clarum, in quâ Photius Patriacha, *Lucifer*, Nicolaus Papa, *Elias alter* dicitur. Sed ex Synodi progressu clarius, ut ab ipso Anastasio Bibliothecario, qui hujus Legationis pars non minima, sigillatim describitur. Libellum Legatis suis tradiderat Adrianus à Nicolao primo ante concinnatum, quo, quid de Episcopi Romani Primatu, quid etiam de imaginum adoratione tenendum, continebatur: eâ lege, ne quemquam in Synodum admitti paterentur, ni prius suo se signaculo ad eam fidem devinxisset, *nisi oblato*, inquit Anastasius, *libello, cujus formam de scrinio sanctæ sedis Apostolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum*: quod novum licet & inauditum, tam exactè observatum fuit, *ut libellum proferre nolentes extrà Synodum* inglorij relinquerentur, unde Hadriano exclusis aut obmutefactis partibus, vincere perfacile fuerit. Vix credibile, quàm absurda boni hi Legati aut committant aut tolerent, dum nihil pensi habent, modo finem suum consequantur, nullam blasphemiam non surdis auribus prætereant. Evincunt igitur, *Neminem debere conscriptiones contrà sanctissimum Papam senioris Romæ ac verba complicare atque componere, sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum. Quisquis autem tantâ jactantiâ & audaciâ usus fuerit, ut Photius & Dioscorus, æqualem & eandem condemnationem recipiat. Porro si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sanctâ Romanorum ecclesiâ quævis ambiguitas & controversia, oportet ut veneraliter & cum convenienti reverentiâ de propositâ quæstione sciscitari, & solutionem accipere aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices*, qui 21. Synodi Canon. Nota verò in hac primùm Synodo universali Papæ Ramani Legatos præsedisse, quod singulis ferè lineis connotant, adeò miser hic parricida, illorum opis indigus, ejus ambitioni favere nititur. Et his igitur artibus negotia sua in Oriente promovebant: Nec in Occidente sanè æquioribus, in Gallis præsertim, ubi præter quam quod inter Caroli magni posteros discordiam alebat Adrianus, Episcopos nostros, quos plus authoritate pollere intelligebat, ultrò demerebatur & demulcebat, Archiepiscopo Burdegalensi in primis, dum Hincmari causa in Synodo Trecensi agitatur, *Pallio* sibi obstricto, Arctardo quoque, quamquam nondum ordinato, sibi beneficijs conciliato, ut eum contrà Hincmarum Ecclesiæ Gallicanæ libertates tuentem exacuat; Hincmari licet in suis ipsius literis sanctimoniam agnoscat: *Sancti-*

Epist. Hadriani ad Imperat. pro Synod. Act. 1. Synod. 8.

Anastas. in Adrian. 2.

Baro. ann. 869. art. 81. & 82.

Concil. univers. 8. sub Basilio C. 21.

Adrian. in Epist. ad Synod. Trecens. Ejusd. Epist. ad Arctardum. Ejusd ad Hincmar. Epist.

itatis inquit, *tuæ fama nunquam nisi cum laude extitit, &c. Quâ de re sic animam me-m tuæ dilectionis ardorem concepisse cognosce, tanquam si millies mutuis frueremur collo-uiis, &c.* Nec eo minus tamen ad extremum usque persequitur.

OPPOSITIO.

SEd ut ad Synodum illam octavam, quam universalem dicunt, redeamus, quicquid Basilius in Hadriani gratiam facere aut cupiat aut cogatur, nihil interim de onvocandarum Synodorum jure remittit: In præfatione: *Cum divina & benig-issima providentia nobis gubernaculum universalis Navis commisisset, omne studium ar-puimus, ante publicas curas, Ecclesiasticas dissolvere procellas.* Num de hoc inter se onvenient? Episcopi ibi congregati in Actione sextâ: *Imperator à Deo coronatus nc sanctam universalem Oecumenicam Synodum de componendâ & restituendâ Ecclesiâ onstantinopolitanâ coegit*; in septimâ quoque *Imperator omnem operam dedit, ut ex iis Patriarchiis Legatos evocaret, Conciliumque generale cogeret, eamque rem perfecit.* tephanus ipse Pontifex in Epistolâ ad Basilium: *Quid peccavit Romana Ecclesia? Nonne pro veteri Synodorum Constantinopolitanarum more, te imperante, Legatos misit?* Hæc de convocatione. Ad præsidentiam verò, Anastasius ipse profitetur Orien-tales Episcopos, postquam oblato ibi libello inconsultò subscripsissent, *Græco-um Imperatorem convenisse & Constantinopolitanam Ecclesiam per oblatos Libellos in testatem Romanam redactam, flebiliter conquestos esse: revolvenda itaque omnia, quæ Synodo decreta: pristinam enim libertatem, nisi libellos reciperent, se recipere non pos-*; Quo factum, ut pars libellorum quidem nequicquam incandescente Impe-tore Basilio redderetur, qui totus in Ecclesiam Romanam propendebat. Ve-um, incommodè accidebat, quod Legati Romani *futurorum præscij excellentio-um Episcoporum libellos prorsus abstulerant:* In quo opera præcipuè Supponis Ar-ministri & Anastasij ipsius enituerat. Hinc verò est, quod Græci hanc Sy-odum pro universali octavâ non habent, non etiam omninò pro universali, aper-vi omnia illic gesta contendentes. Quare Florentinam, quæ 500. annis posteri-, universalem octavam etiamnum vocant; hanc Provincialem tantùm, non causâ fidei habitam, sed eò solùm institutam, ut interventu Romani Pontifi-s, in gratiam Basilij Imperatoris Photius Patriarcha deponeretur. Aimoinus ster de hac Synodo, haud dubiè ex Ecclesiæ Gallicanæ sententiâ: *congregatâ,* quit, *Synodo, (quam octavam universalem Synodum illuc convenientes appellarunt,) ortum schisma de Ignatij depositione & Photii ordinatione sedaverunt, Photium ana-ematizantes, & Ignatium restituentes: In quâ Synodo de Imaginibus adorandis aliter am Orthodoxi doctores anteâ diffinierant, statuerunt, & quædam pro favore Romani ntificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contrà antiquos nones, & contrà ipsam suam Synodum constituerunt, sicut qui eandem Synodum lege-, patenter inveniet.* Et Monachum hîc loqui inter Historicos fide insignem, no-re operæpretium. Baronius enim num hîc audiendus, *delirium* ejus esse dicens, *i ex illis Gallis unus, qui imaginum cultum negabant.* Itaque in Conciliorum To-is non habebatur Synodus illa, & Bartholomeus Caranza Dominicanus hosce anones Latinè invenisse, sed mendosos adeò dicit, ut nihil certi statuere pos-t: Exemplar verò Græcum, cum quo conferret, planè nullum: ut illis quidvis o libidine nobis obtrudere facile fuerit. Hîc Baronius ut, universalem esse pro-t, jusjurandum nobis exhibet, ab electo Pontifice præstari solitum, quo

qui-

Apud Binnium To. 3. part. 2. p. 900.

Idem ibid. p. 886.

Anastas. in Adriano 2.

Ioverius in Velitatione de octavâ Synodo.

Aimoin. l. 5. cap. 28.

Baron. To. 10. an. 869. art. 66.

Barthol. Caranza Dominic. in summâ Conciliorum.

Baron. To. 10. an. 869. art. 59. & 62. 63.

quidem se ad omnium universalium Conciliorum observationem obstringit, in quibus octavi titulo hoc recensetur. Verùm, id suo commodo fieri, quis non videt? Nec verò à Iuliano Cardinali manum abstinet, qui in Concilio Florentino Pontificis Legatus, eoque nomine præsidens, commonefaciente Marco Episcopo Ephesino, ne ulla ejus Synodi ratio haberetur, ultrò consentit. *Hoc*, inquit, *vos metu libero*, Græcos Episcopos compellans, *unà simul*, inquit Baronius, *telum & clypeum videtur Iulianus abjecisse, tanta jactura Catholicæ Ecclesiæ, quæ jam per ipsum non stetit, quin dispendium passa sit Synodi octavæ:* In quâ tamen centum & unus Episcopus tantùm, & omnes quidem ab Adriano & Basilio seu blanditijs, seu metu corrupti.

Concilium Flotent. seu Ferrariense sess. 6.

Et sanè non incommodè Basilij scelere in suam rem abusi erant Romani, quem potius, in eo consessu, ab illis & reprehensum & summotum oportuerat. Ut enim intelligamus, id unum illos spectasse, ut Ecclesiasticorum potentia cresceret, Canon. 14. statuit, *ut digno in honore Episcopi tam à principibus quàm à cæteris omnibus habeantur. Non oportet itaque ut principibus, vel viris militari dignitate præditis, obviam longissimè procedant ab eorum Ecclesijs, nec à mulis equisque discendant in occursu, aut timidè abjectéque ante genua procidant velut adoraturi. Imò & Principes & Pij Imperatores agnoscant sibi æquales Episcopos, ut liberè audeant reprehendere, increparéque & Principes & cæteros, qui militari honore fruuntur, si quid peccaverint. Si quis verò Episcopus post hanc sanctionem suam dehonestaverit dignitatem, cadens ab honore sibi per Canones debito, vixeritque abjectè secundum veterem & agrestem consuetudinem, amoveatur per annum, & Princeps qui in causâ fuerit excommunicetur per biennium.* Interdicit etiam 17. Imperatoribus & Principibus secularibus, *interesse Concilijs, exceptis universalibus Synodis*, 22. *his omnibus, Laicis, Principibus & potentibus, semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio vel contentio. Quisquis autem secularium Principum & potentum vel alterius dignitatis laicæ adversus communem & consentaneam atque Canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit.* Quâ utique ratione Pontificis Legati conclavium suorum januam Occidentis Imperatori suisque Missis occlusam putabant, & alterum alterius manu flagellabant. At, ut ad sedem Romanam ex Oriente appellaretur, nondum extorquere possunt; Canon 26. disertè: *Qui se læsum arbitrabitur à proprio Episcopo, possit Metropolitanum appellare, qui datis dimissorijs ad se causam advocet, liceat tamen Episcopis provocare ad Patriarcham, si crediderint se injusticiam pati à Metropolitano, à quo litibus finis imponatur.* Ut, quod Nicolaus contendebat, Romam sibi minimè eundum cogitent. Et tamen cum hæc subscribenda proponerentur, cœptum demùm à Græcis intercedere. In hac Synodo alia se prodit dominandi cupiditas: Bulgari ab Ethnicismo recentes sese, Nicolao primo sedente, Ecclesiæ Christianæ adjunxerant, qui eis Episcopos dederat: Princeps eorum Michael oratores ad Synodum delegat. Et hi quidem, *ne in aliquo errare videamur*, ajunt, *cui Ecclesiæ subdi debeamus, à vobis qui vices summorum Patriarcharum geritis nosse desideramus*. Anticipant Legati, *nulli eos nisi Ecclesiæ Romanæ pertinere debere.* Urgebant Bulgari: *utrum Romanæ an Constantinopolitanæ Ecclesiæ rationabilius subesse debeamus, cum his Patriarcharum vicarijs definite.* Respondent Romani: *Propter quæ, nos sancta sedes Apostolica cum Orientalibus definienda mandaverat, finivimus: de causâ vestrâ nihil in mandatis accepimus:* Quin & ipsi definiunt, *nulli vos nisi sanctæ Romanæ Ecclesię pertinere debere definitiva sententia, quantum ex nobis est promulgamus.* Intersantur Vicarij Orientalium Patriacharum;

C. 14. 17. & 22.

quando

quando vos (Bulgari) *illam patriam cœpistis, cujus potestati subdita erat, & utrum Latinos an Græcos Sacerdotes habuerit, dicite:* Respondent Bulgarorum Legati: *Nos illam patriam à Græcorum potestate armis evicimus, in quâ non Latinos sed Græcos Sacerdotes reperimus:* Inferunt Vicarij: *si Græcos Sacerdotes ibi reperistis, manifestum est, quia ex ordinatione Constantinopoleos illa patria fuit.* Hîc Romani Legati æstuare, à Græcis Sacerdotibus argumentum sumi non debere, linguarum diversitatem Ecclesiasticum ordinem non confundere, aliud ordinare jura sedium, aliud regnorum divisiones pati, de jure hîc sedium, non de regnorum divisione agi; Quod præjudicij loco habendum sit, primos se Sacerdotes Bulgaris dedisse, utramque Epirum, novam & veterem, totamque Thessaliam atque Dardaniam, sui juris esse: Regerere ex alterâ parte Orientales, *quem istorum modorũ dispensare vellent, edicerent,* nempe ex tot rationibus, qua præcipuè niterentur. Tandem pervicit arrogantia Legati Romani præfractè Synodi authoritatem ejurantis: *Sancta*, inquit, *sedes Apostolica vos, quia revera inferiores estis, super suâ causâ judices nec eligit, nec per nos elegit, utpote quæ de omni Ecclesiâ sola specialiter fas habeat judicandi, sed neque nobis de hac sententiam proferre commisit. Quapropter quod ab eâ faciendum non accepimus, ejus cognitionis judicium, ei qui librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre prævalet, ex integro reservamus; A quâ omnis vestra sententia tantâ facilitate despicitur, quantâ levitate profertur.* Ac proindè, qui Synodo præsidebat sanctus Spiritus, in suis personis residebat; Adjurant & Ignatium Patriarcham, *authoritate sanctorum Apostolorum Principum, coram Deo, suisque Angelis omnibusque præsentibus, ut secundum hanc Epistolam sanctissimi restitutoris sui Domini Hadriani summi Pontificis, quam tibi ecce offerimus*, ajunt, *industriam suam ab omni Bulgariæ ordinatione immunem, nullum suorum illuc mittendò, custodiat; ne sancta sedes Apostolica, quæ ei sua restituit, per ipsum sua perdere videatur; quin potius si, quod non credimus*, inquiunt, *justam se habere querimoniam, æstimat, sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitutrici suæ solenniter suggerere non omittat.* Qui sanè ambiguè respondet, *Absit à me ut ego his præsumptionibus contrâ decorem sanctæ sedis Apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, ut quod in alijs reprehendere debeo, ipse omittam;* Et hîc demum substitit contentio, magno haud dubiè Neophytorum Bulgarorum scandalo, qui tam citò perspicerent, non Christi regnum sed suum propriè à Pontificibus quæri, magno & Imperatoris ludibrio, qui tamen, hac agendi ratione offensus, utcumque injuriam dissimulet, Legatorum reditui minus cavet, *non ea*, inquit Anastasius, *quâ congruebat sollicitudine deducendi gratia commendavit; Post dies enim aliquot, navigantes in Sclavorum deducti manus, incidunt, bonisque omnibus ac authentico in quo subscriptiones omnium fuerant, exemplari denudantur: ipsique capite plexi fuissent, nisi ab his qui ex illis ausugerant, sibi timuissent.* Is tandem exitus fuit, quicquid Hadrianus contrà niteretur, ut Bulgari, Latinis Sacerdotibus expulsis, Græcos Constantinopoli accerserent, eique Ecclesiæ deinceps jungerentur, cujus in odium Pontifices, ut eos omnibus abominabiles redderent, peccatum illud de Cœlo tactum, Bulgarorum nomine insignierunt. Et hi igitur Hadriani in Oriente conatus.

PROGRESSUS.

IN Occidente num melius succedit videndum. Hincmarus Laudunensis Episcopus Hincmari Rhemensis nepos Galliarum doctissimi bona quædam Ecclesiæ suæ Carolo Calvo Regi tradiderat, Nortmanno quidam ductori donanda, quæ

Aimoin. l. 5. c. 24.

poſtmodum repetere cupit; Nortmannum verò, quia nonniſi Carolo ipſi reddere vult, à quo illa acceperat, ab Eccleſiâ ſegregat, quo nomine in Synodo Vervinenſi reprehenſus & damnatus, Romam cum appellaſſet, Synodus appellationi minimè parendum cenſet. Perſtat nihilominus: & hinc celebrior alia Synodus Atiniaci, decem provinciarum, in quâ damnatus iterum pariturum ſe Regi & Hincmaro Rhemenſi recipit: Sed intereà clanculum Adrianum de re totâ certiorem facit, qui pro ſuâ authoritate cauſam Romam evocat, & Laudunenſem ſecum colludentem Romam adire jubet; quod ut ei per Carolum Regem liceat, ipſi reſcribit: ac tandem ut conſenſum præbere non intelligit, ſtomachabundus literas illas ingeminat, quibus *Tyrannum, perjurum, perfidum, Eccleſiæ dilapidatorem*, & quid non appellat? Perorans verò, tum in Regem, tum in Metropolitanum: *Volumus*, inquit, *& authoritate Apoſtolicâ jubemus, ipſum Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum, & ipſius accuſatores ad limina ſanctorum & noſtram clementiam venire, ut judicetur cauſa ipſius.* Et, quouſque ipſi obtemperatum fuerit, deinceps videbimus. Verùm, en tibi acriorem impreſsionem. Ludovicus Imperator, uti diximus, ad Hadriani electionem, inconſultis licet Miſsis ſuis, connixerat, unde, ut Pontificis gratiam ſibi conciliarat, ita etiam experiendæ potentiæ olim ſuæ animum fecerat. Itaque ſub id temporis defuncto Lothario Lotaringiæ Rege, & imminentibus hæreditati Carolo Calvo Franciæ & Ludovico Germaniæ Regibus, Lotharij patruis, Hadrianus Imperatoris Ludovici partes ſibi tuendas ſuſcipit, & intenſiori, quàm prædeceſſor, voce detonans, Regibus, Baronibus & Epiſcopis Galliarum ſcribit, Hincmaro nominatim Rhemenſi Archiepiſcopo: *Nullus mortalium adeo ſit audax, ut regnum quondam Lotharij invadat, nec homines in eo degentes, quod Ludovico Imperatori ſpirituali filio ejus hæreditario jure debebatur, & quod ad eum poſt mortem ipſius Lotharij redijt. Quod ſi quis præſumeret, non ſolùm per ſuæ authoritatis miniſterium infirmaretur, verum etiam vinculis anathematis obligatus nomine Chriſtianitatis privatus, cum Diabolo omnino locaretur, & ſi quis de Epiſcopis tam nefariæ temeritatis authorem vel tacendo fugeret, vel non reſiſtendo conſentiret, non jam paſtoris ſed mercenarij nomine ſe noverit fore cenſendum; Et quia non pertineret ad eum quidquam de ovibus, nec pertineret ad eum conſequenter de paſtoralibus dignitatibus.* Intereà Carolus Calvus, ut Lotharij obitum intellexerat, in Lotharingiam ſe transtulerat, & à Baronibus, Antiſtibuſque in Regem ſuſceptus à Rhemenſi Archiepiſcopo coronatus fuerat. Itaque Hadrianus nil cunctandum ratus, per Legatos ab inſtituto diſcedat, pœnâ anathematis admonet; Hincmaro verò in mandatis dat, cenſuras in Regem ſuum promulget, quin ab eo deficiat, nec quidem Ave ei dicat. Et magnum quidem iter tam exiguo tempore emenſus nobis videatur, ſed Galli noſtri quid hic obloquantur audiamus.

OPPOSITIO.

Hincmari Epiſt. ad Hadrianū.

HIncmarus igitur Rhemenſis Archiepiſcopus, in Hincmari Laudunenſis cauſâ, quatenus ad ſe ſpectat, reſpondet: *Sciat veſtra authoritas, quod nec Hincmarum nec etiam quemlibet Epiſcoporum Diœceſeos Rhemorum, minimè autem aliarum provinciarum Epiſcopos, niſi Dominus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem meâ commendatione mittendi habeo poteſtatem, nec ipſe ego ultrà fines ſui regni abſque illius ſcientiâ progredi valeo.* At Regis reſponſio quæ continet, ut ait, *quaterniunculum*, prolixior quàm ut hìc inſeratur, digna licet, cujus præcipuæ clauſulæ huc afferantur.

rantur. *Legimus*, inquit, *in libro Paralipomenon, filios Israel mente pacificâ ivisse ad prælium, quia non livoris vindictâ, sed obtinendæ pacis gratiâ dimicârunt. Quod rursum dicimus, quia cogitis nos indecentibus potestati regiæ literis vestris inhonoratum, inconvenientibus Episcopali modestiæ vestræ mandatis gravatum, contumeliis & opprobrijs dehonestatum, quàm vellemus mente pacificâ vobis rescribere, ut tandem animadvertatis, quanquam perturbationibus humanis obnoxium, in imagine tamen Dei ambulantem, esse nos hominem, habere sensum, paternâ & avitâ successione, Dei gratiâ, regio nomine ac culmine sublimatum, & quod his majus est, Christianum, Catholicum, fidei Orthodoxæ cultorem, sacris literis ac legibus, tam Ecclesiasticis quàm secularibus ab infantiâ eruditum, nullo crimine publico in audientiâ Episcopali legaliter ac regulariter accusatum, minimè autem convictum. Quoniam sæpe humiliter vobis locuti sumus, benigna, pacifica, atque honorabilia nobis scripta impetrare nequimus, ut quietem pacis & venerationem, quam apud antecessores vestros nostri decessores, & nos habuimus, quoque obtinere possemus, &c. In capite literarum, quas per Actardum Episcopum nobis vestra direxit paternitas, auditam laudabilem charitatis, & sapientiæ nostræ magnitudinem, vos prætulisse invenimus, & mox de comperto murmure & tumultuoso clamore indebitæ reprehensionis, adversus paternitatem vestram nos denotatos reperimus, sicque auditam nostram sapientiam collaudastis, ut quasi honestius & reverà onustius nos solitis contumelijs afficere volueritis, &c. Nam in præcedentibus literis nos perjurum, tyrannum, ac perfidum, & distractorem rerum Ecclesiasticarum, non confessum, nec ordine judiciario legaliter ac regulariter convictum, vocastis; in istis autem murmurationis crimen nobis impegistis, & tumultuosi clamoris nævum imposuistis, &c. Et quoniam talia vos misisse & à sanctâ Romanâ Ecclesiâ, in omnibus semper discretissimâ, dictata fuisse nequaquam credimus: quia ipsa sancta sedes cum modestiâ & discretione semper corripere & salubriter corrigere secundum uniuscujusque personam & ordinem solita fuit, suggessimus. Igitur si malè loquuti sumus testimonium perhibete de malo, si autem bene quid nobis succensetis? Scriptum est Abraham licet sanctum, ut à Deo sanctificatum hominem, tamen eidem Deo dixisse: Num perdes justum cum impio? non est hoc tuum qui judicas totam terram: & non ingratè Dominum hoc suscepisse. Et nos arguitis quoniam humili placatione vobis suggessimus: non esse vestrum, non confesso vel legaliter vel regulariter convicto, regia etiam potestate gratia Dei prædito, talia sicut plebejo, & de criminibus confutato, scribendo impingere? Scientes quàm grave sit, Fratri dicere fatue, nullique detrahendū, vel contrà fas maledicendum, minimè autem Regi Apostolica doctrina atque sancti Davidis in Saulis jam à Domino reprobati reverentia, & Salamonis sapientia, ac Nabutæ prodit Historia. Invenimus tamen in eisdem literis nobis datum consilium, scilicet, ut verbis vestris dicamus omnia, quæ à Sede Apostolicâ, cui per Dei gratiam præsidetis, directa sunt, alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili debemus semper intensione recipere. Scriptum est enim nobis vestro nomine, nos perjurum, Tyrannum ac perfidum & distractorem esse rerum Ecclesiasticarum. Et hæc alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili debemus semper intentione recipere? Nisi fortè scriptor velit nos cum vulgo Æthiopes vocare argenteos, & ideo quis nobis pulcher videatur, qui à nomine bellus vocatur, & sibi cantare cum Persio: Quicquid calcaris rosa fiat: Illudque Propheticum incurrere: Væ his qui ponunt amarum in dulce, &c. Et nos si ad talia nobis impacta tacendo consentiremus, non solum à regimine regio, verùm & à Catholicæ Ecclesiæ communione, nos ipsos sequestraremus, &c. Mandate & scribite, quæ vestro & nostro ministerio congruunt, ut decessores vestri nobis & nostris decessoribus mandaverunt atque scripserunt, & alacri mente, gratoque animo recipiemus,* (Propria ejus verba perpetuò resumens,) *Literæ autem ex nomine vestro,*

stro, semper sine interrogatione, id est, probatione, nos pungunt, & peccata, pro quibus invitum pungunt, sponte confessa vel ordine judiciario legaliter ac regulariter comprobata, non ostendunt; & cum peccata manifesta & probata desint, fomentis benignæ adhortationis & allocutionis non refovent, reprehendente hinc Domino populorum rectores asperos, atque dicente: Vos autem cum austeritate imperabitis eis & cum potentiâ; Quibus Apostolus regulam dedit commonitionis, singulis dicens: Argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ & doctrinâ, misceas temporibus tempora, terroribus blandimenta, &c. Noluit Apostolus, inquit beatus Augustinus, hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Iam de Hincmari Laudunensis facto. *Scriptum est etiam in præfatis literis nobis ex nomine vestro directis de Hincmaro: Volumus & authoritate Apostolicâ jubemus, ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum, vestrâ fretum potentiâ, ad limina sanctorum, nostranque venire clementiam, quo sanè veniente, veniat pariter accusator idoneus, &c. Quæ relegentes, licet contrà morem decessorum ac prædecessorum vestrorum hoc dictum invenerimus, & vos umbrosum seculi typum* (typhum) *inducere in Ecclesiam Dei, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Domini videre desiderantibus præfert, tamen de voluntate non dubitavimus: Quia humano animo facilè subripi potest, quod ex deliberatione conveniat immutari. Sed valdè mirati sumus, ubi hoc dictator Epistolæ, nobis per Actardum Episcopum delatæ, scriptum invenerit, esse authoritate Apostolicâ præcipiendum, ut Rex corrector iniquorum & districtor reorum ac secundum leges Ecclesiasticas atque mundanas ultor criminum, reum legaliter atque regulariter pro excessibus suis damnatum, suâ fretum potentiâ, Romam dirigat, maximè autem illum, qui & ante depositionem contrà custodiam publicam & contrà quietem moliri in tribus Synodis extitit deprehensus, sicut gestis Episcopalibus paternitati vestræ directis continetur, & post depositionem suam & per se & per quoscumque potuit, à suâ pervicaciâ non quievit. Unde* inquit, *sicut vobis rescripsimus & nunc iterum scribere non piguit, sciendum vobis quia Reges Francorum ex Regio genere nati, non Episcoporum vice Domini, sed terræ Domini hactenus fuimus computati.* Ibi verò ex Sacræ Scripturæ locis, Domini ipsius & Apostolorum dictis, Augustini, Leonis, & Romanæ ipsius Synodi sententiâ, quid ab ipsis Episcopis regiæ authoritati debeatur ostendit. *Etenim,* inquit, *si revolveritis gesta decessorum ac prædecessorum vestrorum, talia mandata, sicut habentur in literis, ex nomine vestro nobis directis, per Actardum Episcopum, decessores nostros à decessoribus vestris accepisse nullatenus invenietis. Sanctus Gregorius meritò vitæ & sapientiæ doctrinæque Apostolicæ sedis Pontifex & toti orbi colendus ac imitandus, Francorum regibus Theodorico & Theodeberto prædecessoribus nostris de perjudicio Ursicini Taurinæ civitatis Antistitis, scripsit hoc modo. Quod si ita se veritas habet,* inquit, quod scilicet contrà Canones depositus fuerit, *præmisso salutationis paternæ alloquio petimus, ut quod excellentia vestra, amore Ecclesiasticæ reverentiæ & æquitatis contemplatione, spontè potest impendere nostræ studeat benignius intercessioni concedere, &c. Sed & ad Romanum Exarchum, minoris dignitatis, quàm simus, Dei gratia regiæ potestatis, de quodam Episcopo scripsit hoc modo. Pervenit ad nos Blandum Ortonensis Civitatis Episcopum, longo jam tempore in civitate Ravennati à vestrâ excellentiâ detineri; non credimus,* inquit, *quòd eum excellentia vestra, nisi ex aliquâ probabilis excessus causâ, tenuerit; Oportet, ut habitâ Synodo palam fiat, si quod in eum crimen intenditur, & si talis in eo culpa reperitur, quæ adusque degradationem Sacerdotij deducatur, aliam ordinationem necesse est inquiramus, ne Ecclesia in his, sine quibus eam Christiana non patitur esse religio, inculta ac destituta maneat. Quibus mandatis beati Gre-*

go-

gorij prædecessoris vestri, de his, qui nec dum judicio Synodali legaliter ac regulariter pro criminibus suis fuere depositi, collatis cum scriptis ex nomine vestro nobis directis, ex eo qui legaliter ac regulariter pro suis excessibus judicio Synodali habetur depositus, ut eum nostrâ fretum potentiâ Romam mittamus: quæ potius sequenda sint, judicate. Ait beatus Augustinus libro ad Januarium: Omnia talia, quæ neque sanctarum Scipturarum authoritatibus continentur, nec Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, resecanda existimo, &c. Unde ergo scriptor Epistolæ nobis ex nomine vestro delatæ, hanc legem apud se auro sculptam produxit, quam dominus digito suo non scripsit, nec scribendam cuiquam inspiravit, neque ordinatam per Angelos in manu Mediatoris illius dedit, quam non paganus indixit, non Christianus eduxit, non Ecclesiasticus vir decrevit, quæ de se sub isto cœlo, sicut non atramento manu justitiæ, ita nec spiritu Dei vivi scripta personuit: Qua me Regem à Deo constitutum, & gladio ex utraque parte acuto, ultore scilicet nocentium, & defensore innocentium, insignitum ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, rei atque damnati, atque anathematizati fautorem esse præcipit, jubens ut Hincmarum Sacrarum legum prævaricatorem, sancti Sacerdotij vituperatorem, regiæ dignitatis contrà regulam Apostolicam dehortatorem, regni perturbatorem, perjurum & seditionum authorem, Ecclesiæ sibi commissæ afflictorem, facultatum Ecclesiasticarum sacrilegum fundatorem, extirpatorem Episcoporum, ac totius populi nostrarum partium scandalizatorem, alienarum rerum pervisorem, & veniendo contrà subscriptiones & professiones suas à scripto damnatum, potentiâ Regiâ fretum, Romam venire faciamus. Quis igitur hanc universalem legem infernus evomuit? Quis tartarus de suis abditis & tenebrosis cuniculis eructavit? Contrà quam literis Sacris ostensa est nobis via, quam sequamur apposita forma, cui imprimimur, &c. Quænam vos dementia cœpit, scientes dixisse Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, Per me Reges regnant, & conditores legum justa decernunt; Et sacri Canones & sacræ leges, quid de hujusmodi decernant, videamus, nominatim sanctum Africanum Concilium, & Imperatores Valens, Gratianus, Valentinianus, Iustinianus, &c. Quas leges ab Imperatoribus & Regibus nostris, videlicet prædecessoribus promulgatas atque decretas, nos immutilatè & irrefragabiliter convenit conservare, sicut Apostolicæ sedis Antistites ad Dominos & terræ Principes scripserunt. Sicut Leo ad Leonem Augustum, & Gelasius ad Anastasium scribens demonstrat; Et locos ipsos adducit: Quocirca, inquit, hæc non abnuimus, sed incunctanter annuimus, quia Dominus dicit per Prophetam, labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus. Nolite igitur permittere nobis scribi ex vestræ authoritatis nomine, quæ in legibus sacris Dei sapientiâ conditis, & in sanctis regulis ejusdem spiritu promulgatis, non continentur, dicente item Propheta, id est, Sacerdoti præcipienti. Audiens nunciabis ex me, ex me, inquit, & non ex te. Et redarguuntur, qui de corde suo loquuntur, quoniam qui à semetipso loquitur gloriam propriam quærit. Nolite igitur, ut præmisimus, ex vestro nomine & Apostolicæ sedis authoritate, visiones vel excommunicationum intentationes contrà Sacrarum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, ac sacrarum legum, Sanctorumque Canonum constitutiones nobis de cætero scribi cujuscumque instinctu permittere. Quia scitis & scimus totum esse irritum, quicquid ab eorum fuerit constitutione diversum. Dicitur, inquit Sanctus Leo, à Domino beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni cœlorum, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit, &c. Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate judicium fertur. Cum enim, ubicumque dicitur, sicuti nullus locus, ita nemo rector Ecclesiæ, ex Petri æquitate judicium ferens excipitur. Non ipse tu, (luben-

ter dixerit) Episcopus Romanus. Ad id verò quod decernebat Pontifex, ut cum Hincmaro accusator idoneus Romam accederet de totâ causâ denuo cogniturus: *quanquam*, inquit, *hæc commendatio nullâ sit ratione atque authoritate suffulta, si fortè apud vos exlex solus Hincmarus novâ lege, &c. & si vobis vias cum voluntate & consensu Imperatoris vestri, dilectissimi nepotis nostri (contrà cujus dilectionem & debitum honorem, illuc ire non volumus) obtinueritis, cooperante Domino, pace in regno nostro contra Paganos virtute vel quacumque dispositione Dei obtentâ, Romam venire congruo tempore non differemus; Et quia nullum legaliter aut regulariter, in Synodo Episcoporum plurimarũ Provinciarum, de certis causis accusavimus, idoneum nos accusatorem illius ostendemus, & tantos testes idoneos diversi ordinis ac dignitatis nobiscum ducemus, cum quibus eum legaliter ac regulariter nos accusasse & comprobasse sufficientissimè comprobabimus. Tandem quia vos non legisse vel audisse collegimus ex literis ab Actardo Episcopo nobis delatis, quæ anteà per illum paternitati vestræ dixerimus, iteratò scribimus ea, quæ tunc scripseramus, deprecantes vos in Omnipotentis Dei honore, & sanctorum Apostolorum veneratione, ut tales inhonorationis nostræ Epistolas, taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & regni nostri Episcopis ac Primatibus de cætero non mandetis, & non compellatis nos mandata & Epistolas vestras inhonorandas contemnere & Missos vestros dehonorare, qui vobis in his, quæ ad vestrum ministerium pertinent, si tamen ministerium vestrum, cupimus obtemperare. Quæ pro vestri honore privilegij vobis dicimus, quia vobis sicut revera vicario beati Petri Apostolorum Principis in omnibus debitè ac competenter obedire desideramus, & ne aliter eveniat cavere per omnia cupimus, ac vestram sanctitatem id ipsum cavere humili prece deposcimus, ne nos & nostros satis invitos ad id cogatis convertere, quod id quintâ universali Synodo à sede Apostolicâ, ut in Apostolicis literis, præcipuè autem in Synodicâ beati Gregorij, ad quatuor Patriarchas, & in alijs ejus Epistolis una cum quatuor præcedentibus legimus collaudatum atque susceptum invenitur nobis tenendum.* (Nempe de regundis authoritatis & jurisdictionis Ecclesiasticæ finibus.) *quod adhuc nostris literis ad exemplum inserere noluimus, donec sciamus si duritiam mandatorum erga nos aliter ad benignitatem inflectere poterimus. Quia quod ex sedis Apostolicæ nomine secundum sanctarum Scripturarum tramitem prædicationemque majorum & Orthodoxorum Decreta scribuntur, sequendum & tenendum non ignoramus, & quod secus à quoquam fuerit compilatum sive confictum, non solùm respuendum, sed & redarguendum esse cognoscimus. Si denique aliter quàm nos & vos decuerat, reverendissimæ paternitati vestræ rescribendo, factus sum insipiens, vos me coegistis.* Et hæ igitur Caroli ad Hadrianum secundum literæ, licet in prioribus spem ei de Imperio Hadrinus injecisset his verbis. *Si dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam acquiescemus, exposcemus, aut sponte suscipiemus alium in regnum & imperium Romanum, nisi teipsum,* Nempe ut olim ille in deserto, modo sibi fidem & hominium præstaret. Carolus iste tamen, qui pauculis ante annis primus Gallicanarum Synodorum libertates perruperat, cum anno 853. Synodo in Suessionibus habitâ, duobus aut tribus post annis, ejus acta ad Benedictum tertium misisset, favorem ejus eâ ratione redempturus, quid inde successores porro illaturi essent, haud satis attendens. Eodem sensu, ut in eadem causâ scribebant Hadriano Episcopi nostri, ex Duriacâ Synodo, primæ sedis Papam nuncupantes graviter conquesti, quod eorum sensum minus perciperet, ex eo fortè quod ipse, ministrique sui occupationibus districti, Acta sua licet sacris Canonibus consona, non satis attenderent.

[Margin: Baron. To. 10. an. 871 art. 9.]

[Margin: Anno 853.]

Ad anathema verò quod Hadrianus in Carolum Calvum vibrârat, Epistolam ipsius

pſius utinam haberemus. At ſuperſunt nobis ſaltem Hincmari Rhemenſis Epiſcopi literæ, qui ab Hadriano, uti loquuntur, in Carolum fulminare juſſus, quarum præcipua capita hîc inſerere lubet. Primùm igitur, poſtquam de compluribus objurgationibus & comminationibus cum eo graviter expoſtulavit, ut ejus literas ad Proceres & Antiſtites regni curaverit, exponit: Quin & in conventu Epiſcoporum, tum regni Caroli, tum & defuncti Lotharij Attiniaci coactorum, publicè recitâri juſſerit; Ludovico etiam Regi Germaniæ ſchedulam oſtendi, quâ ab Hadriano, ejus authoritate omnes anathemate percellere, mandabatur, qui Lotharij regno ſeſe immiſcerent: qualem ſupra tranſcripſimus. Mox verò: *Audivi*, inquit, *quòd ſimiles Epiſtolæ, ſicut Domino noſtro Carolo, & Epiſcopis ac Primoribus regni ipſius directæ ſunt; Domino nihilominus Ludovico Regi glorioſo & Epiſcopis ac regni ejus Primoribus miſſæ ſunt. Quod vos, qui de regno ejus eſtis, certius ſcitis.* (hæc verba notentur.) Ad rem ipſam veniens, eum admonet, ſe ex pluribus reſcire, Reges qui ſe pro hæredibus gerant, mutuam ſibi de regno inter ſe æquis portionibus divendendo fidem dediſſe, quod ni factum foret, ſeditiones iam inter populos exarſuras fuiſſe: quare, quandoquidem ſe in eo eſſe videt, ut aut ſibi negligendum ſit Pontificis mandatum, aut Regum pactum pro nullo habendum, unde ſit à ſeditione bellove metus, utrumque periculum ut vitet, conſultius ſibi viſum, nihil omnino eâ in re definire; Quod proponebat, neminem melius noſſe, Carolus Rex quàm inique faciat; ut maximè ſciat, nolle tamen ulterius progredi, cum id Carolus nec confiteatur, nec ullo dum judicio ejus convictus ſit, non legali, non regulari, proteſtetur contra, quod complures atteſtentur, hanc regni partem ex Antiſtitum & Procerum imperij conſenſu ſibi à patre Ludovico datam, à fratre Lothario jurejurando publicè confirmatam. Ut non ſecus, ac cuivis alij Epiſcopo ſibi dictum à Patribus Africanis exiſtimare debeat: Ne quid contra quemquam pronuntiet, quod alijs documentis evincere non poſsit; cum multa ſint in ſe vera, inquit Auguſtinus, qui Concilio illi intererat, quæ tamen judex facile credere non debeat, ni certis indicijs comprobentur; Non eſſe ſui officij quemquam communione excludere, niſi aut liberè confeſſum, aut in judicio convictum, ni ſemeripſos accuſatores ſimul & judices conſtituere velint. Et huc Canonem Apoſtoli & Eccleſiæ uſum adducit, locos etiam Auguſtini, Gelaſij, Bonifacij, aliorum. Quod ipſum increpat, quod tacuerit, quieverit, author proinde ne dum conſors hujus tyrannidis videri poſſit, recordaretur, quod ſcriptum eſt, *cauſam quam neſciebam diligentiſſime inveſtigabam*; Deum, ut à Gregorio notatum, cujus oculis omnia pateant, in Sodomorum cauſâ dixiſſe, *deſcendam & videbo*, unde malum videre, ante quàm credere diſcamus, nonniſi idoneè probatum ulciſcamur. Quod etiam à communione Caroli abſtinere debeat, ne Ave quidem illi impertiri, ſaltem ſi communionis quæ particeps eſſe cupit, durum illi profectò & grave eſſe. Verum multos inſignes viros, tum ſacri tum ſecularis ordinis, qui ex diverſis regnis Rhemos confluxerunt, quibus cum mandatum illud ſuum contulit, non unquam ſimile illum à ſuâ ſede aut à prædeceſſoribus manâſſe, apertè profiteri, quamquam eo tempore & bella & ſeditiones non defuerunt, non inter Reges tantùm jusjurandi fœdere ſociatos, ſed & inter fratres, inter patrem adeò & filios. Hanc itaque indignationem ſuis aliis peccatis acceptam ſe ferre, cum erga confratres ſuos mitius agat, quorum nonnulli Regem Carolum ad regnum Lotharingiæ invitarunt. Cæterum ordines regni palam dicere, non regna per Pontificis aut Epiſcopo-

ſcoporum anathemata obtineri, ex Scripturâ etiam ſacrâ didiciſſe, Dei illa eſſe, *per quem Reges regnant*, quique ea, quibus vult, concedat. Pontifex ergò cum Rex ſimul & Epiſcopus eſſe non poſsit, regni conſtituendi ſibi curam relinquat, non autem regem aſſumere jubeat, remotiorem quàm ut adverſus ſubitaneos motus Paganorum eos tueri poſsit. Quod ſanè jugum, ut deceſſores ſui non impoſuerunt ſuis, ita nec ipſi ferre poſsint, qui in ſacris libris ſcriptum intelligunt, pro libertate & hæreditate certandum nobis eſſe uſque ad mortem. Nec porrò ignorant, ſi Epiſcopus Chriſtianum contrà legem excommunicat, ligandi poteſtatem ſibi quidem adimere poſſe, at vitam æternam nemini, niſi ſua ipſius peccata eam illi tollant, nec poſſe etiam pro terreno regno alicui tollendo vel acquirendo, Chriſtianitatis nomine quemquam privare, eumve cum Diabolo collocare, quem Chriſtus à poteſtate diaboli ſuo ſanguine redempturus venit. Pacem igitur ſi Pontifex velit, ita quærat, ne rixas moveat: non ſibi enim ratum credere, non poſſe ſe ad regnum Dei pervenire, niſi, quem ipſe commendat, Regem terrenum, ſuſcipiant. *Et alia*, inquit, *de juramentis & perjurijs & de tyrannide, de quibus ſcripſiſtis, nobis dicunt Regni Proceres, quæ veſtræ authoritati mandare nobis non convenit, ſed & alias comminationes in vos ſunt jaculati, quas adhuc nolo proferre, quaſque ſcio, ſi Dominus illis permiſerit, ut jam in deliberatione, ita ſine retractatione comminantes, in opere monſtrare curabunt. Et ut mihi experimento videtur, propter meam interdictionem vel propter linguæ humanæ gladium, niſi aliud eis obſtiterit, Rex noſter vel regni ejus primores non dimittent, ut quod cœperunt, quantum potuerint, exequantur.* Magnus nimirum ille Antiſtes Hadriano procerum verbis liberiùs inſinuabat, quod incommodius fortè ſuis. Pro ſe tandem perorans, in regno Caroli cum degat, ipſe vero in civitatem ſuæ Diœceſeos ultro citroque commeet, in quâ innumeri omnis generis viri ex utroque regno converſentur, non poſſe ſe, pravo mercenarij exemplo, Eccleſiam ſuam & populum ſibi commiſſum fugiendo deſerere. Carolo itaque & ijs qui eum ſequuntur obſecuturum, ut cum grege ſuo pace frui poſſit. Regem etenim profiteri hanc poteſtatem prædeceſſores ſuos obtinuiſſe, quam nullius interdicto ſit dimiſſurus. Itaque eſſe quod Epiſcopi, ipſe præſertim, cui tam gravia ſit comminatus, videant, quomodo erga Regem ſe gerere debeant, cum Auguſtinus Apoſtoli ſententiam exponens dicat: *Apoſtolica doctrina, ut omnis anima ſub primoribus poteſtatibus ſubdita ſit, & ut reddatur omnibus onus, cui tributum, tributum, cui vectigal, &c.* Et hæ literæ ex communi Epiſcoporum regni conſilio ſcribebantur, qui Rhemis idcircò convenerant, Hadrianoque ſolenniter deſtinabantur, quo anno ſequenti **872.** vivis excedente, lis demùm finita eſt.

PROGRESSUS.

Anno 873. HAdriano ſecundo anno **873.** ſuccedit, ſecundum Platinam, Iohannes nonus, qui Papiſſam controvertentibus Iohannes octavus. Anno vero **875.** objit
Anno 875. ſine maſculâ prole Imperator Ludovicus, cujus occaſione, patrui Carolus Francorum, Ludovicus Germanorum Rex turbas cient, nec quieſcit Italia, pars dum Calvum invitat, pars Craſſum Ludovici filium; nec deſunt qui Italiæ imperium
Sigon. de regno Italiæ l. 5. Aimoin. l. 5. c. 32. & 33. reſtituere velint: quod Tuſculanorum Comitum præcipuè inſtitutum, quorum magna tum Romæ authoritas. Calvus prior armatus in Italiam deſcendit, qui jam inde à Nicolao primo aliquid in Italiâ molitus erat, & ante omnia Iohannem Pontificem, ſi regnum ei defertur, magnis muneribus delinitum, ſecu-

ecurum esse jubet; Ecclesiam enim se ab omni injuriâ vindicaturum, ipsique Ro-
nanam ditionem penitus remissurum. Iohannes itaque, qui remotiorem Impe-
atorem, quàm propinquum malebat, exterum quàm domesticum, suis lumini-
ous obfuturum, animum ei addit; utque Romam, coronam accepturus, conten-
lat, prolixè invitat, & sine morâ Augustum consecrat. *Et hinc*, inquit Sigonius,
*itulus Imperatoris Augusti, posthac sincerum Pontificis beneficium esse, annique im-
erij à consecratione Pontificiâ repeti cœpti*: sed clarius Coætaneus author, *Calvus* Author Italus Coætaneus, Eutropij Continuator.
*Romam veniens fœdus inijt cum Romanis, perdonans illis jura regni & consuetudines illius,
ribuens illis sumptus de tribus monasterijs, id est, Domini Salvatoris & beatæ Mariæ in
abinis, atque sancti Andreæ juxtà montem Soractis & de cæteris quàm plurimis monaste-
is fiscalia patrimonia. Patrias autem Samniæ & Calabriæ simul cum omnibus civitati-
us Beneventi eis contulit. Insuper ad decorem regni totum ducatum Spoletinum, cum
uabus Civitatibus Tusciæ, quod solitus erat habere ipse Dux, id est, Aricium & Clusium,
uatenus, ut is qui præerat regia vice antè Romanis, videtur post esse subjectus ijsdem.
emovit etiam ab eis Regias Legationes, assiduitatem vel præsentiam Apostolicæ electio-
s. Quid plura? Cuncta illis contulit, quæ voluerunt, quemadmodum dantur illa quæ nec
ctè acquiruntur, nec possessa sperantur.* Facilior ex eo Calvus, quod hinc frater Lu-
ovicus Germaniæ Rex, præ indignatione, eum in Galliâ vexaret, illinc Caro-
um Crassum filium in Italiam, conatibus suis incommodaturum, cum exercitu
ansmitteret. At saltem, inquit, *ab illo die honorificas consuetudines Regiæ dignitatis
emo Imperatorum, nemo Regum acquisivit, quia aut virtus defuit, aut scientia, pro mul-
regni contentionibus & assiduis divisionibus, unde multa prælia, direptiones & rapinæ
erunt in regno.* Notant interim Historici, Sigonius ipse, quicquid decessores Sigon. de regno Ital. l. 4.
ontificibus donatum voluissent, *jus, Principatum, ditionem*, disertè retinuisse: in
xarchatum, in Ducatum Romanum ipsum: quæ jam regula in Calvo fatiscere
epit, à successoribus licet identidem repetita. Item huc usque imperium à patre
filium transiisse, & primogenitum illicò demortui locum cepisse, sicque Pipi-
o Carolum, Carolo Ludovicum, Ludovico Lotharium, Lothario Ludovicum
cundum succesisse; quodque ab Archiepiscopo Mediolanensi Reges Longobar-
orum, aut ab Episcopo Romano Imperatores coronarentur & consecrarentur,
tantùm institutum, ut solenniori ritu populo commendarentur. At huncce
ohannem, ex necessitate Calvi commodum captantem, alijs jam verbis uti, alio
iam spectare: quod ex Synodo Romæ habitâ, quin & postmodùm Lutetiæ,
arum fuit: ubi postquam Carolum Calvum laudibus extulit & longè plura in e-
s honorem, quâm olim Hadrianus secundus in vituperium declamavit, addito,
icolao primo prædecessori divinitus id revelatum, disertis verbis subjungit:
opterea elegimus & approbavimus (Calvum) *unà cum annisu & voto omnium fra-
um & coepiscoporum nostrorum atque aliorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ministrorum,
mplique Senatus, totiusque populi Romani gentisque togatæ, & secundum priscam
nsuetudinem solenniter ad imperii Romani sceptra proveximus, & augustali nomine
coravimus.* Quin & ad ejus unctionem illud Psaltæ de Christo Domino perpe- Psal. 45.
m accommodat. *Ungimus*, ait, *eum extrinsecus oleo, ut interioris quoque Spiritus
ncti unctionis monstremus virtutem, quià unxit eum Dominus Deus suus, præ consorti-
suis, Christum hunc oleo lætitiæ delibutum extrinsecus faciens & principem populi sui
nstituens, ad imitationem scilicet veri Regis Christi, filij sui, Domini nostri: ita quod ipse
idet per naturam, iste consequeretur per gratiam.* Atenim, vix Româ excesserat, Co-
tes Tusculani, quorum princeps Albertus Marchio, in Iohannem conspirant,

adstipulante Formoso Portuensi Episcopo, & pluribus alijs, eoque adigunt, ut anno sequenti 877. Legatos ad Calvum mittere cogatur Forosemproniensem & Senogallensem Episcopos, qui eum, ut cum exercitu redeat, hortentur, tùm à Tusculanis Romam, tum à Saracenis Italiam vindicaturus. Ut autem animum ei faciat, Synodum Romæ habet, in quâ electionem & consecrationem ipsius Romæ celebratam ratam esse in perpetuum jubet, dirisque gravibus, quicumque eum ausi fuerint infirmare, devincit. At incommodè accidit, ut Alpeis jam attingentem febris repentina corriperet, quâ occasione, pulvere quodam mortifero, ex Sedeciæ Iudæi medici sui sententiâ, hausto, brevi decessit. Nec omittendum, quod de hoc Iohanne Regino Monachus habet: Ludovicum secundum Imperatorem Beneventi captivum detinuerat Adalgisus, quem nonnisi magnis Sacramentis obstrictum & devictum dimiserat. Igitur, *Romam venit*, inquit Ludovicus, *ibique conventum celebrans coram summo Pontifice multa super Adalgisi tyrannide conqueritur. Tunc à Senatu Romanorum idem Adalgisus tyrannus atque hostis Reipublicæ est declaratus, bellum etiam & adversus eum decernitur.* Et quia hærebat ei in animo scrupulus, Sacramenti utique religio, hunc Iohannes Ludovico eximit, cujus deinceps successores pro libidine exemplum facilè secuti. Subjungit itaque: *Iohannes Papa Imperatorem à juramento, quo se obligarat, authoritate Dei & sancti Petri absolvit, affirmans nihil obesse, quod ad mortis periculum evadendum coactus fecerat: Nec Sacramentum esse dicendum, quod contrà salutem reipublicæ, quamvis cum multis execrationibus fuerit prolatum.* In pari casu Ethnici quem non ei pudorem incuriant? *At his*, inquit, *adhortationibus principis animus ad rediviva certamina provocatur, tamen ne à suis perjurus diceretur*, (Papa ipso religiosior) *nequaquam ipse contrà tyrannum procedit, sed Reginam cum exercitu dirigit.* Et hæ jam curiæ Romanæ Strophæ, his jam artibus sese fidei vinculis expedire norant. De donatione illâ fictitiâ Constantini multus anteà nobis sermo. Inter Calvi & Crassi certamina, patrui utique & nepotis, Calvo Iohannis gratiam exambiente, conficta videtur. Et magno quidem authore. Ut enim stylum ævo illi congenerem omittamus, Otho tertius Cæsar in illo Diplomate, quod Asisij in Archivis Romanæ Ecclesiæ asservatum, indéque erutum suprà diximus de Donatione illâ loquens: *Hæc sunt commenta*, inquit, *ab illis ipsis*, (Pontificibus) *inventa, quibus Johannes Diaconus, cognomento Digitorum munitus, Præceptum aureis literis scripsit, & sub titulo Magni Constantini, longi mendacij tempora finxit.* Quem, quo tempore vixerit, si roges, author sit Trithemius, Carolo Calvo Rege, Iohanne septimo floruisse, vitamque Gregorij primi libris quatuor conscripsisse; Platina adeò Papam posteà, Iohannem nomine nonum creatum fuisse. Ut jam non mirum sit, si Baronius Tomo Annalium tertio, fraudem extenuaturus, dicat, Donationem illam à Iohanne Diacono ex depravato Græcorum exemplari, *ambiguam reddi potius, quam probari*; Præfractè imò in duodecimo: *Penitus commentitiam, prorsusque falsam* pronuntiet. De Donatione verò ipsâ Caroli Calvi idem Otho: *Hæc sunt etiam commenta quibus dicunt quendam Carolum S. Petro nostra tribuisse, sed respondemus, ipsum Carolum* (Calvum) *nihil dare jure potuisse, utpote jam à Carolo meliore,* (Crasso) *fugatum, jam Imperio privatum, jam destitutum, & annullatum. Ergo, quod non habuit dedit: sic dedit sicut nimirum dare potuit, utpotè qui malè acquisivit, & diu se possessurum non speravit.* Qua etiam de fuga videantur Annales Anonymi Francorum à P. Pithæo primùm editi. Docet & nos porrò insignis hîc Iohannes Pontifex, *Pallio* quanta insit virtus; Wiliberto Coloniensi Episcopo mittens, ut merci huic suæ prætium conciliet.

Anno 877.

Anno 873. Regino in Chronic.

Oth. 3. in Diplomate Donationis Sylvestro 2. factæ. Trithemius in Script. Ecclesiast. Platina in Ioh. 9. Baron. Annal. Tom. 3. ann. 324. & Tom. 12.

Otho ibid.

Epist. Iohannis ad Wilibertũ Episcop. Coloniẽs.

allij namque usus, inquit, *inter cætera tantæ virtutis est, ut postquam collatum fuerit, cui nfertur, omnem de retroactis excessibus calumniam adimat, non quod crimina purget, sed od tanta debeat esse circumspectio ferentis, ut non nisi his carenti tantum munus conferre teretur. Unde imperfectus est cui tantum donum aufertur, nec potest esse firmus sive perctus, qui hujus sacri non fuerit adjumenti collatione firmus & integer.* Cum omnibus discriminatim conferatur, quorsum hæc circunspectio? proinde & quæ ipsi affintur virtus?

OPPOSITIO.

AD propositum redeo. Non diu igitur Iohannis Pontificis, quod prædicatur, beneficio Calvus fruitur, magno licet authoritatis, tum Cæsareæ tum Regiæ spendio. Aimoinus in primis author, apud Pontigonem in Gallijs Synodum inxisse, *ex consilio*, inquit, *Iohannis Tuscanensis & Iohannis Aretini, atque Ansegisi nensis, authoritate etiam Apostolicâ & sanctione suâ.* Sic enim præter antiquum dinem utramque copulare cœptum. In ea verò in vim Epistolæ Decretalis hannis Papæ, volebat Calvus Ansegisum illum Senensem eâ authoritate Priatem constituere, *ut quoties utilitas Ecclesiastica dictavisset, sive in evocandâ Synodo, ve in alijs negotijs exercendis, per Gallias & Germanias Apostolicâ vice frueretur, & creta sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficerentur, & rursum quæ gesta issent, ejus relatione si necesse fuisset, Apostolicæ sedi panderentur, & majora negocia difficiliora quæque, suggestione ipsius à sede Apostolicâ disponenda & enucleanda ærerentur.* Aimoin. l. 5. c. 32. & 33. Petunt hîc Episcopi nostri, *ut eis permittatur ipsam legere Epistolam, ibus erat directa, quod Imperator non acquiescit*: fortè quia puduit, tantum ab eis uæri, quid de his jussis Apostolicis responderent: Responsio autem talis fuit: *t servato singulis Metropolitanis jure privilegij, secundum sacros Canones & juxta Deeta sedis Romanæ Pontificum, ex eisdem sacris Canonibus promulgata, Domini Iohans Papæ Apostolicis jussionibus obedirent. Et cum Imperator & Legati satagerent, ut rchiepiscopi absolutè responderent, se obedituros de Primatu Ansegisi, aliud ab eis responsum extorquere non possunt, excepto quod Frotharius Burdegalensis Episcopus, quonià Burdegala ad Pictavos, indeque ad Bituricum favore Principis, contra regulas se conlerat, per adulationem respondet, quod Imperatori placere cognosceret. Tunc motus Imrator Papam suas sibi vices in Synodo commisisse, dixit & quod ijsdem præcepit, ipse equi studeret. Et accepit ipsam Epistolam involutam, una cum Iohanne Tuscanensi & hanne Aretino, & dedit illam Ansegiso & jussit sellam plectilem poni ante omnes Epispos Cisalpini regni sui, juxta Iohannem Tuscanensem, qui ad dexteram illius sedebat & æcepit Ansegiso, ut supergrederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sellâ, hemorum Archiepiscopo reclamante, audientibus omnibus, hoc factũ sacris regulis obviare. nperator tamen in sententiâ suâ permansit, & petentibus Episcopis ut liceret eis saltem emplar sibi de Epistolâ directâ sumere, nec hoc ullo modo impetravere, & sic soluta est Sydus in die illâ, &c. Quintò: Nonis Iulij convenerunt iterum Episcopi sine Imperatore, & bitę sunt contentiones de Presbyteris ex diversis parochijs clamantibus ad Legatos Apolici, & sic soluta est Synodus in hac die.* Iterũ conveniunt eodẽ loco, & mittit Impera*r novos Iohannis vicarios, per quos sceptrum & baculum aureum ipsi, sed & Imperatrici na miserat, pallia & armillas cum gemmis*, qui durius Archiepiscopos & Episcopos crepent, qui pridie non venerant, quibus tamen respondentibus, quod non secus sui antecessores, illius antecessoribus regulariter obedirent, facilius est admissa eo

 rum

rum responsio. Urgent nihilominus iterùm, Primatum Ansegisi recipiant, quod nihilo magis obtinent; ut tandem Imperatorem ipsum, more paratum Græcanico, & coronatum, Synodum ingredi oporteat, deducentibus eum Legatis more Romano vestitis, *& quandam schedulam legentibus ratione & authoritate carentem, quædam etiam capitula à Legatis Apostolici & ab Ansegiso & eodem* Odone *sine conscientiâ Synodi dictata, inter se dissona, & nullam utilitatem habentia, verùm & ratione & authoritate carentia, & ideo hîc non habentur subjuncta.* Ac tandem, *post multas ab Imperatore & Legatis Apostolici contra Episcopos habitas querimonias*, de primatu nominatim Ansegisi, *tantùm in novissimo, quantùm & in principio Synodi exinde obtinuit.* Adeò miser iste Imperator à fatali hoc calice infatuatus erat, quo Sedechiæ illius Iudæi poculum non lethale magis, in proprium commodum, mirum quam obfirmatus: evanido imaginarij imperij splendore præstrictus; Adeo contrà, in mediis his præstigiis, perspicaces Gallicani nostri Episcopi, ab hac plagâ libertati suæ inflictâ, quanta porrò absurda consecutura essent, eminus ante videntes.

PROGRESSUS.

Ann. 878. MOrtuo Calvo, Comites Tusculani Romæ vires redintegrant, & sub annum 878. Iohannem, à quo anathemate perculsi, in carcerem conjiciunt, qui tamen factionis suæ ope elapsus, in Provinciam trajicit, indeque ad Ludovicum Balbum, Calvi filium deducitur, qui Trecis ei obviam factus. Ibi Iohannes generalem Synodum cum Episcopis Galliarum & Belgicarum provinciarum agens, anathema, quod in adversarios decreverat, *relegi facit & consensum Episcoporum in eadem excommunicatione quærit:* in Formosum præsertim, quem omni Ecclesiasticâ dignitate spoliaverat, jurareque adegerat, neque ad Episcopatum reversurum neque Romam repetiturum. Quod præcipuum, Rex & Pontifex, communi necessitate suadente, fœdere se devinciunt; Rex quidem pollicitus Iohanni, se in omnes inimicos præstò futurum; Iohannes Ludovicum se in Imperatorem coronaturum, quod solenni ritu in Galliâ peractum; sicque ab invicem amicè discesserunt. At Iohannes Romam reversus, Sarracenos, se absente, Romana littora occupasse ut comperit, mox & Ludovicum Balbum vitâ functum intelligit, ut jam nova consilia inire necesse habeat, novo sibi opus præsidio arbitratus, Carolum Crassum Germaniæ Regem, qui primus Italiam cum exercitu ingressus, Augustum coronat, eâ lege, ut Ecclesiam adversus quoscunque hostes, Sarracenos nominatim tueatur: In voce illa generali, Comites Tusculanos haud dubiè complexus. Et hunc jam tertium inaugurat Iohannes, cui non diu superstes, anno 882. ex hac vitâ migrat. Exempla interim successoribus, quæ sequantur egregia admodum relinquit. In quadam enim ad Carolum Crassum Epistolâ: *Bosonem,* inquit, *Principem, per adoptionis gratiam, filium meum effeci, ut ille in mundanis discursibus, nos libere in his quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus.* Petrus sanè in ministerio suo exequendo, Principe in coadjutorem assumpto, ne dum militiæ duce, opus habuisse non legimus. Primus etiam ausus *indulgentiam* concedere ijs, qui adversus Paganos & infideles aut pugnarent, aut pugnando occumberent: En verò ejus verba: Rogatus à Galliarum Episcopis, num qui pro fidei defensione mortui aut morituri, indulgentiam & remissionem peccatorum obtinere possent: *Respondemus,* inquit, *audenter Christi Dei nostri pietate, quoniam illi qui cum pietate Catholicæ religionis in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ suscipiet.* Quorsum igitur

[Margin notes: Aimoin. l. 5. c. 37. — Ann. 882. Iohan. Epist. 9. — Iohan. Epist. 144.]

tot

tot Missis pro defunctis, tot posterioribus fundationibus & oblationibus opus? Et verò à Latronis exemplo è cruce in paradisum, recta & sine medio translato id probat: Concludit nihilominus, quasi syngrapham penes se manere velit. *Nos nostra præfatos mediocritate, intercessione beati Petri Apostoli, cujus potestas ligandi atque solvendi est in cœlo & in terrâ, quantum fas est, absolvimus, precibusque illos Domino commendamus.* Sed incommodè accidebat, quod quicumque ei usquequaque non obtemperabant, Ecclesiæ perduelles censebantur, consequenter *Ethnici & publicani*; Martyres proinde, uti deinceps videbimus, quicumque Pontificibus contrà Principes & Imperia Christiana, stipendia facientes, cadebant. Et hîc ipsius in hac sanctione sensus, ut ad eos pertineat, qui contrà Tusculanos Comites sibi militant. In hoc verò præcipuè *carnalem* Iohannis istius *prudentiam* notare debuerat Baronius, cujus causa eum & à Deo punitum, & ab omnibus principibus derelictum pronuntiat, quibus adblandiri, inquit, (nos, imponere) voluerat. Baron. to. 10. an. 882. art. 3.

OPPOSITIO.

IOhannes, dum in Galliâ erat, inquit Aimoinus, *exemplar quasi facti præcepti à Carolo Imperatore protulit, de donandâ Abbatiâ Sancti Dionysij Romanæ Ecclesiæ, quod compilatum consilio Frotarij & Adalgarij Episcoporum & aliorum consiliariorum Ludovici Regis à plurimis credebatur, ut à Goslino ipsam Abbatiam, velut ex ratione tollere & sibi habere possent*; Et rogabat Iohannes Ludovicum *ut seper illius præceptum privilegium faceret, suóque præcepto illud patris sui firmaret, quod argumentum sicut factio & non ratio imperfectum remansit*: nec quicquam etiam Pontifice præsente obtinere potuit. Cum etiam Episcopi nostri intellexissent Iohannem consensisse, ut Hincmarus cæcus Missam cantaret, id est, in munus suum restitueretur, ut à suâ authoritate id minimè pendere intelligat, ex improviso surgunt, *aliarum provinciarum Episcopi, sed & aliarum regionum Metropolitani, qui sine præceptione Papæ vestimentis Sacerdotalibus indutum, in præsentiam ipsius, indeque sublatum, cantantes in Ecclesiam adducunt & signum benedictionis super populum dari faciunt, sicque Synodus soluta est.* Et jam Hincmarorum patrui & nepotis controversia finitur, quorum hic Episcopatu destitutus Papam appellabat, ille appellationi minimè parendum ratus à Regibus nostris primum defensus, demum à Calvo & Balbo, vanâ imperij spe lactatis, derelictus, ad hunc usque postremum actum, cum nostris Episcopis constanter perstitit: quem interim Baronius miraculi loco nobis proponere non verecundatur. Et in Hincmarum quidem Rhemensem debacchatus paginas implet, cujus interim crimen si rogas, *non vult*, inquit, *Decretalia Pontificum Romanorum à sanctis Conciliis recepta & approbata recipere, nec sequi, nisi prout sunt sequentia*, quod, inquit, est, *profiteri pariter ac diffiteri*, quo crimine utinam nullum esset majus: Nostra enim Sorbona, tot retro seculis, quid aliud docuit? Baronius tamen ipse de eo sententiam suam proferens: *Si*, inquit, *de ipso quid sentiendum æquo judicij libramento dicendum sit, quo ad scientiam pertinet, si agitur de peritiâ Canonum, planè dixeris eruditissimum, licet interdum nimis eis favens super Apostolicæ sedis Decreta eos extulerit.* Quid mirum si homuncioni Synodum præferat? *Si de facultatibus Theologicis, ipsum quidem invenimus excultissimum, ut in his quæ contra Gothescalcum Prædestinatianum hæreticum abundè scripsit.* Et hæc in Occidente hactenus.

Aimoin. l. 5. c. 37.

Baron. to. 10. an. 878. art. 26. & seq.

In Oriente Nicolaus primus & Hadrianus ſecundus nihil non ſategerant, ut ex Baſilij parricidio fructum caperent, Photio in ejus gratiam depoſito, ſuffecto in illius locum Ignatio; Et Hadrianus præſertim partim vi, partim dolo, ut Romam appellaretur, extorſerat, quamquam in Synodo id obtinere non potuerat; En verò Iohannes, ſuo ipſius facto, incautiùs prædeceſſorum opus deſtruit. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus conſtitutus, non omnibus ſatisfecerat, non Imperatori, quia ad omnem ejus libidinem, non quantum vellet, flecti facilis, non Iohanni ipſi, quod Bulgaricas Eccleſias dimittere nollet, unde & anathema illi Iohannes etiam interminatus. Ut igitur vitâ exceſſit, Baſilio Photium reſtituere in mentem venit, & quia Romanâ authoritate exauctoratus fuerat, per Legatos apud Iohannem agit, ut ei Eccleſiæ communio reddatur, indeque in integrum reſtituatur. Idcircò multas illi rationes proponit, multa & magna pollicetur, ſic Orienti pacem redditum iri, ſic Epiſcopis, quos Ignatius ipſe ordinarat, conſultius videri, alias quotidie novis motibus occaſionem dari; Si faxit, claſſem ſe ſubminiſtraturum, quæ Hetruriæ & Latij oram adverſus Saracenos tueatur, facturum etiam ut Photius Bulgaricas Eccleſias Romanæ ſubjiciat. Ambitio (*prudentiam carnalem Deo inimicam* dicamus cum Baronio) Iohannem ita tranſverſum agit, ut contrà jusjurandum, contrà amborum prædeceſſorum placita, Nicolai primi præſertim, qui nuper illis *tertius Elias*, Photium reſtitueret, *Luciferum* ab illis cognominatum, inque ſolio collocaret. Photium interim, inquit Baronius, qui ex quo damnatus, nullum pœnitentiæ ſignum dederat, præfractæ & deſperatæ rebellionis complura in Synodi contemptum, altare contra altare erexerat, ſchiſma apertè & fecerat & foverat: ut his omnibus, ubi ſuâ intereſt, nihil penſi eſt, omnia ſunt promiſcua; quam ob mollitiem, perſuaſum nobis vult Baronius Iohannem hunc vocatum *fœminam & Papiſſam*, ut ab illâ, de quâ ſuprà, mentes noſtras avertat. Verùm, unde hoc illi? cedò vel unum authorem, & unde tot circumſtantiæ? & eam ne ſibi fidem conſecutus videtur, ut quia dixit protinus mereatur fidem? At vix Photius reſtitutum ſe videt, Synodum univerſalem Conſtantinopoli habet, in quâ Iohannis literas veras an falſas exhibet, & falſas quidem Baronius contendit, quibus priorem illam Conſtantinopolitanam irritam facit, quæ illis vulgò univerſalis octava, ſuæque, id nominis ordiniſque tribuit, Oecumenicam octavam appellans, quam utique Zonaras ipſe Græcus Monachus eo nomine & ordine cum ſuis omnibus & actionibus & Seſſionibus, in ſuo de Synodis libro, & recenſet, & deſcribit. Et huic verò intererant tres Iohannis Legati, Paulus & Eugenius Epiſcopi & Petrus Preſbyter Cardinalis, quos ex ipſis Actis conſtat à Photio tam male habitos, ut non alij unquam tantâ ignominiâ excepti legantur. Notant 1°. adfuiſſe 380. Epiſcopos, cum in priore 101. tantum: 2°. Nicolaum primum & Hadrianum ſecundum tanquam omnium malorum inventores damnari, Iohannem laudibus in cœlũ evehi. Tertiò: ad Eccleſias Bulgariæ quod attinet, Iohannis Legatos, quandoquidem de finibus ſit quæſtio, ad Imperatorem ablegari. Quartò: Canone in eam rem diſerto ex ipſorum conſenſu ſtatui: Quos Pontifex excommunicaverit, Patriarcha ne recipiat, ne viciſsim Pontifex, quos Patriarcha. Quâ ratione à Patriarcha ad Pontificem omnes appellationes præſcindantur, quibus obtinendis Hadrianus parricidæ ſeſe conſortem fecerat. Denique, contrà quàm Iohannes Legatis in mandatis dederat, Photium, præſentibus eis, perpetuò primam ſedem obtinuiſſe: Ut non mirum ſit, ſi Baronius ſeſe tantopere cruciet, hanc Synodum à Photio ſuppoſitam, nunquam imò habitam, æſtuabundus conteſtetur. Cum tamen præter

Anno 878.

Barôn. To. 10. anno 878. art. 4. & 5. & ſeq.

ter Canones, qui apud Zonaram & Balsamonem extant, hæc ipsa Acta nobis ipse ex Vaticano Græcè producat; Quin & nos doceat, ad Iohannem cum postea llata essent, ab eo damnata fuisse, ejuratos & Legatos: quam igitur habitam oportuit, quos & in ea consensisse, quæ minus probaret, necesse sit: Et quænam illa rogo, nisi quæ in hisce Actis continentur? Hinc verò nova contra Photium anahemata, renovatum inter Orientem & Occidentem schisma.

Idem ann. 879. art. 72. Iohann. ad Photium Epist. 250. Baro. ann. 881. art. 5. & seq.

Cæterùm docent hoc loco Historici, sub Iohanne, divisam in partes Romam, quarum una Comitum Tusculanorum, qui modò apertà vi, modo per ambitum gnatos suos, aut amicos ad Pontificatum evehebant, intereà dum Principes nostri ese partim mutuò obturbant, partim Normannorum incursionibus distinentur, qui in oras nostras exscendere jam assueti, tandem pedem sibi in Galliâ difigendum tatuebant. Inde verò ajunt antiquæ disciplinæ ingens casus, inde simoniæ vires, nde Pontificum multiplicia decreta, quæ sese mutuò destruant. Etenim Iohanni uccedit Marinus an Martinus, qui capiendi Iohannis apertè conscius, *malis artius*, inquit Platina, *Pontificatum adeptus*; Et is Formosum continuò dignitati restiutum, etiam Sacramento liberat. Marino demùm ab eadem factione Agapetus, qui Hadrianus tertius. Moritur verò intereà sine prole Carolus Crassus, unaque lesinit & Francorum imperium & Carlovingiorum in Italiâ decus. Sanè coguntur Itali confiteri, dum Francorum regnum stetit, Italiam sub justis eorum imperijs, cum ad sobolis incrementum & cultum ædeficiorum & rectarum disciplinarum ornatum, tùm in primis ad religionis sanctitatem & imperij dignitatem profecisse. E contrà, ex quo in aliam potestatem, Principum licet Italorum translatum fuit, perjisse, reipublicæ statum pessum isse & Ecclesiam, ea tempora ingruisse, quibus nulla alia tetriora, fœdiora, vel principum nequitiâ, vel populorum nsaniâ in totâ antiquitate reperiantur. Et deinceps igitur pejora in dies expectemus abusuum, vitiorum, mysterij adeo iniquitatis, non tam solstitium quàm præcipitium.

Platina in Martino.

Sigon. de regno Ital. l. 5. sub finem & 6. sub initiū.

PROGRESSUS.

Hadrianus tertius ergo anno 885. occasione usus, partim à principibus Romanis persuasus, à quibus in sedem evectus, partim proprio commodo impulsus, duo decreta edicit, quibus & Ecclesiam Romanam & Italiam emancipâturus videtur, eo securiùs, quod Normanni crebris excessionibus & impressionibus, & Francos & Germanos in proprijs occupatos, mirum quàm distinebant. Primum hoc fuit: *Ne in creando Pontifice Imperatoris expectaretur authoritas:* In quod unum Pontifices pluribus retro seculis intenti; Alterum: *Ut moriente Rege Crasso sine filijs, regnum Italicis Principibus unà cum titulo imperij traderetur.* Quod ab hinc aliquot annis contendebat Albertus Tusciæ Marchio, Tusculanorum caput, qui Hadriano Pontificatus author: Utrumque Ecclesiæ pariter & reipublicæ exitiale: utrumque licet, ut jam ante obitum Crasi, antevertentibus consilijs præceptum, ita & intrinsecus & extrinsecus domi forisque, uti suprà vidimus, obturbatum. Berengarius igitur Dux Forojulij & Vido spoleti, quisque Italiæ regnum dum ad se trahit, Italiam in partes scindunt; Et Vidonis quidem factio potentior, Berengarij, inquit Sigonius, *licet causa justior*, authoritate suffulta Stephani Papæ, qui Hadriano tertio successerat. Quare, post aliquot certamina, in quibus superior evaserat, anno 891. Romæ coronatur, eâ tamen lege, ut donationes, quæ Pipini,

Anno 885.

Platina in Adriano 3. Sigon. li. 5. de regno Italiæ.

Simoneta l. 5. c. 15. Martin. Polon. in Hadrian. 3.

Anno 891.

ni, Caroli, & Ludovici primi dicuntur, Stephanus ab eo confirmari velit. Stephanus iſte quidem eò ſuperbiæ provectus, ut Decretum ejus apud Gratianum extet: *Quicquid Eccleſia Romana ſtatuit, quicquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter obſervandum eſt.* Nempe, quo in illis ſanctitatis, doctrinæ, virtutis minus, eo audacius ſua juſſa authoritate & potentiâ ſibi munienda arbitrabantur. Moritur in eo Stephanus ſextus, indeque factiones Romanæ expergefieri & animos ſumere, Tuſculana Sergium, ex ſuâ proſapiâ, adverſaria Formoſum, quem Iohannes excommunicaverat, eligit, doctrinâ quidem conſpicuum magis, at cui probro ducebatur malè ſervata fides, quod Epiſcopatum Romanum ſe nunquam affectaturum juraſſet. Quamquam exceptio illi ad manum, hocce Sacramento à Marino Papa fuiſſe liberatum. Et Vido interim Sergium tuebatur, Formoſus licet, Sergio vi pulſo, ſedem teneret. Itaque, totus hic Pontificatus nihil niſi ambitus, latrocinium perpetuum, dum modò hic, modò ille ſuperior evadit, uſque dum Formoſus moleſtiarum pertæſus, quæ ſibi à Sergio, Vidonis ſtudijs, mox & Lamberti filij ſubnixo, exhibebantur, Arnulphum Regem, Bojorum ducem, Carlomanni filium, & Caroli Craſsi nepotem, ſibi ex Germaniâ per occultos nuntios evocandum ſtatuit: qui cum exercitu Italiam emenſus, Romamque per vim ingreſſus à Formoſo Imperator inungitur & coronatur. Sigonius, *ſe à Formoſo Auguſtum inungi imperavit*, ac populum Romanum in hæc verba jurejurando adegit: *Teſtor Deum, omneſque Divos, & per divina myſteria juro, me, quoad vivam, fore in poteſtate Imperatoris Arnulphi, neque Lamberti aut matris ejus rebus adfuturum, neque ut dignitatem aliquam adipiſcantur aut hanc urbem ſervitute premant, operam daturum.* Indeque, eâdem viâ Sergium Româ exegit. At non multò poſt, Ageltrudam Lamberti matrem cum obſideret, mulier ad vim impar, ad dolum ſe confert, occultéque per miniſtrum pecuniâ corruptum, ſoporiferum ei poculum præbet, quo ſumpto repente ſomno captus, poſt triduum demum excitatus, cum neque ſentiret, neque quæ ſentiret exprimere commodè poſſet, ac mugitus potius quam voces ederet, bello relicto, in Lombardiam ſeſe recepit. Formoſo ſub Decembris finem ſuccedit Bonifacius ſextus, huicque, quindecim tantùm poſt diebus, Stephanus ſeptimus, Sergianâ ſuperante factione, ſuffectus: quippe quæ ex Arnulphi receſſu animos reſumpſerat. Tum verò, quo ſpiritu animarentur, nemo non vidit, quando vix in ſolio collocatus iſte, nihil antiquius habet, quam ut Formoſi memoriam aut infamet, aut extinguat, cadaver ejus ex ſepulchro extrahi, inque ſedem Romani Pontificatus, Sacerdotalibus indumentis in mediâ Synodo poni jubens, damnandum utique cum ſuis Actis. Narrant ſanè authores hujus temporis, horrendum auditu, *impium, doctrinarumque ſanctarum inſcium*, miſerum cadaver per ſarcaſmum compellaſſe. *Cum Portuenſis Epiſcopus eſſes*, inquit, *cur ambitionis ſpiritu, Romanam univerſalem ſedem uſurpaſti? Quibus expletis, ſacratis mox exutum veſtimentis, digitiſque tribus abſciſsis, quibus benedicere moris erat, in Tyberim jactare præcepit, cunctoſque quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos, iterum ordinavit.* Hîc Luitprandus Ticinenſis Eccleſiæ Diaconus, qui tum vivebat, ad tantum ſcelus, mirum quam commovêtur. Onuphrius tamen in dubium revocare nititur, quod, non ſecùs quàm in Papiſſâ totam antiquitatem evertere eſt. Author Annalium Abbatiæ Fuldenſis, *Bonifacio ſucceſsit Apoſtolicus Stephanus nomine, vir famâ infandus, qui anteceſſorem ſuum Formoſum, inaudito more, de ſepulchro ejectum & per advocatum ſuæ reſponſionis depoſitum, foras extrà ſolitum ſepulturæ Apoſtolicæ locum ſepeliri præcepit.* Et Monachus eſt qui loquitur. Melioris fidei Sigonius, qui omnes hujus facti cir-

D. 19. C. enimvero.

Sigon. de regno Ital. lib. 6.

Luitprand. l. 1. cap. 8.

Platina in Formoſo, & ib. Onuphrius.

Leo Oſtieñſis l. 1. c. 48

rcunstantias describit, quin & Acta Ravennatis Concilij à Iohanne 10. promulta refert his verbis: *Synodum à Stephano sexto Pontifice decessore nostro celebratam, quâ cadaver Formosi Pontificis è sepulchro extractum & quasi ad judicium adductum que damnatum est, quod nunquam alias factum accepimus, penitus abrogamus, & ne postc tale aliquid fiat, per Spiritus sancti judicium interdicimus.* Adjungit, Arnulphi inaugurationem irritam pronuntiasse, Lambertumque, qui suis partibus studebat, unxisse. Baronius imò ipse id omninò agnoscit, tantùm Stephano septimo, od alij Sergio, nobiscum tribuit: *furore percitus homo,* inquit, *non quod jure liceret, l quod exæstuans rabies suasit, implevit: non enim fuit error in fide, sed violenta tyran- in facto.* Quæ propria ipsius verba. Interim anno 897. succedit Stephano omanus, qui mox Synodo convocatâ, Stephani contra Formosum Acta, ipsius e adeo damnationem damnat. Idem faciunt Theodorus secundus & Iohannes cimus, qui alijs nonus. Sed hic solennius in Synodo 74. Episcoporum Ravennæ lictâ, ubi sententiam singulorum rogans, Stephani suæque Synodi Acta canllat, Episcopis & Presbyteris, qui interfuerant, vim & metum causantibus par, Sergium ejusque sequaces restitui vetat, qui Formosum sepulchro extraxent, Stephanum nempe ipsum, sepulchri violati reos peragit, Formosumque (ex- clerum licet Romanum ex Onuphrio, sed sine præjudicio electum) Papam itimum pronuntiat, & Episcopos, quos Stephanus deposuerat, restituit. Et men Arnulphi Imperatoris consecrationem infirmat, Lamberti roborat, quam tephano, Ecclesiæ bono, factam agnoscit. Quod scilicet in Lamberti gratiam ulsit, cujus potentiam, tum in Italiâ, tum in Româ ipsâ, reformidabat. Quâ am ratione, contrà quam Adrianus tertius evicisse sibi videbatur, renovata lex, deinceps Pontifices, nisi præsentibus Regis legatis, aut Vicariis, consecraren-r. Acta verò hujus Synodi, inquit Sigonius, Mutinæ apud Canonicos Eccle-, scripta reperiuntur. Quamquam huic legi non multò post vis facta, quando-idem mortuo Iohanne sublectus Benedictus quartus, inexpectatâ Regis senten-, à Tusculanorum factione consecratur. Et hæc ad annum usque 900. per-gunt.

Sigon. de regno Ital. l. 6.

Baron. an. 897. art. 2.

Anno 897.

Anno 900.

OPPOSITIO.

Atalem hunc progressum ipsa iniquitas reprimere idonea, si Ecclesiæ Christianæ aliquis adhuc sensus, ut aliâ intercessione non foret opus, nî etiam, quod iritus Dei in scripturis prædixerat, immotum esse necesse esset. Testantur im ipsæ Pontificales Historiæ, eo tum ambitionis Clerum Romanum venisse, Papatum per fraudem obtinere, per vim invadere, nemini religio, ludus cuique et: Videri etiam in rem judicatam transijsse, ut decessoris Acta successor, quasi gnitatis suæ moram ulturus, rescinderet; Nec alium quam Platinam ipsum thorem volumus. Verùm hîc orbis Christianus quid tum diceret, cum Pontiem à Pontifice de sepulchro extrahi videret, quos ille Episcopos inauguraverat, nc exaugurare, Acta indiscriminatim decessoris, suorumque quasi aversione, cindere, proscindere, ordinationes, missiones, universam administrationem vocare, convellere, Synodum Synodo evertere, extinguere; In quibus tamen rique confidenter & præfractè: *per Sancti Spiritus judicium edicimus, interdicimus.* iritus sanctus igitur, si eis fides, sibi ipse contrarius, sibi ipsi adversa veritas? ec eo minus tamen ore rotundo profantur, *quicquid Ecclesia Romana statuit vel ordinat*

Plat. in Stephano 6.

D. 19. C. enimvero.

ordinat ab omnibus perpetuò & irrefragabiliter observandum est. Luitprandus certè, Formosi facto graviter offensus, manifestum Stephani errorem non diffitetur. *Sanctißime pater*, inquit, *quàm male egerit, in hoc etiam poteris animadvertere*, (nempe qui omnes Formosi ordinationes & quicquid ex eis profectum cassaret) *quoniam & hi qui à Juda, Domini nostri Jesu Christi proditore ante proditionem, salutem, seu benedictionem Apostolicam perceperant, eâ post proditionem, propriique corporis suspensionem minimè sunt privati, nisi quos improba fortè fœdarunt flagitia. Benedictio siquidem, quæ ministris impenditur, non per eum qui videtur, sed qui non videtur, Sacerdotem infunditur;* Iesum Christum Dominum nostrum. Bellarminus ei satisfacere conatur, non exauctorasse inquiens, formali Decreto, quos Formosus ordinaverat, sed tantum de facto reordinasse: *hæc jussio*, inquit, *non ex ignorantiâ aut hæresi, sed ex odio in Formosum procedebat;* Imò ex suis ipsorum authoribus, id solenniter, Synodi authoritate Romæ definitum didicimus, & Decreto quidem in eam rem diserto. Tergiversari verò si hoc pacto licet, cui non sceleri effugium pateat? Hæresis etiam illa Stephani, imò Romanæ Synodi num exigui momenti? cum Formosum nec esse Pontificem, nec esse potuisse, & asserunt, & decernunt? Qui inquam sese caput Ecclesiæ facit, in Ecclesiæ capite cognoscendo cum fallitur, conscientiam & scientiam suam hìc scrutentur, num in levem hæresim cadit? Sed hic Sigebertum authorem sequi vult, *Stephanum sextum reclamantibus penè omnibus qui dicat per vim exordinasse à Formoso ordinatos.* Annon verò eo magis hæreticus, quo pertinacior, quo fratrum consilio emendari minus idoneus? Quin sanè Sigebertus anno 902. disertè *ordinationes ejus omnes irritas esse debere decernit & alia horribilia dictu in eum fecit.* Decretum igitur illud fuit. Anno vero 903. de Synodo Ravennate sub Iohanne decimo agens, cui Gallorum Episcopi intererant, *coram eis*, inquit, *combusta est Synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.* Quod igitur proximè sequente Synodo constitutum; In Annum porrò 900. dixerat ex hac occasione, *quæstionem hanc multo cum scandalo per multos annos controversam & agitatam fuisse in Ecclesiâ, aliis ejus & ab eo ordinatorum consecrationem irritam esse debere præjudicantibus, aliis è contra qualiscumque fuerit Formosus, tamen propter Sacerdotalis officij dignitatem & fidem eorum, qui ordinati fuerant, omnes consecrationes ejus ratas esse debere, saniori consilio judicantibus.* Quæ sane quæstio cum non facti sit, sed juris, solutionem Bellarmini vanam esse nemo non videt.

Luitprand. l. 1. c. 8.

Bellarm. l. 4. de Pont. Rom. c. 12

Sigebertus in Chron. anno 902. Ann. 903.

Ann. 900.

Certè Baronius, de his temporibus loquens, inhorrescere videtur totus, & *infelicißima Ecclesiæ Romanæ tempora, atque omnium luctuosißima* vocat, *quibus ipsam contingit domestico bello exagitari atque persecutione vexari, ita ut nullam unquam sive à Gentilibus sive ab Hæreticis, sive à Schismaticis diuturniorem atque molestiorem persecutionem illa passa sit, quam pertulit ab Adalbertis Tusciæ Marchionibus.* Sed culpam in Principes Tusculanos, qui Romæ authoritate pollebant, rejicit, quasi pars altera sanctiores Pontifices daret, quasi non & hi per ambitum latrones, proinde per fenestram ingressi, non jam per ostium: *Cum verò*, inquit, *hos Romana Ecclesia passa est tyrannos Tusciæ Principes, dominantes sive pecuniis sive armis populo Cleróque Romano, per quos intrusi in cathedram Petri, solium Christi, sunt homines monstruosi, vitâ turpißimi, usquequaque fœdißimi, Domina Gentium,* sic Ecclesiam Romanam vocat, *vestimentis exuta gloriæ atque lætitiæ, mœrens, dolens & lugens, sedit in tristitiâ.* Et hìc notet Lector adversus perpetuam, quam urgent, successionem, quantam nobis argumentandi ansam præbeat, cum ex ipsius confessione, de decem hìc Pontificibus, sese nullo medio consequentibus, agatur. Addit verò Deum ita rem instituisse

Baron. To. 10. anno 897. art. 4. & anno 900. art. 2. 3. 4.

..isse, ut orbis intelligat, non ut Rempublicam, Ecclesiam à prudentiâ aut virtute ..ubernatorum, sed a promissionis suæ efficaciâ pendere, quæ eam in perpetuum ..rmam stabilemque reddat. Eccur igitur ei novum, hoc si credit, hoc si seriò ..ofitetur, quod personalis ista successio interrumpatur? Num enim unquam fa..ilias à monstris proseminari vidit? Et cum in Ecclesiâ contingunt, quod ipse ..gnoscit, annon tum propriè divinæ misericordiæ locus? quæ etiam ex lapidibus ..brahamo suscitet semen, Antichristos Christi sedem occupantes spiritu oris sui ..ofliget, exterminet? Agnoscit & Baronius, dum Formosi cadaver Stephanus ..dit, *Sacrosanctam basilicam Lateranensem, primariam Pontificis sedem, impulsore ..ngelo, ab altari usque ad portas penitus solo prostratam, corruisse*, illam ipsam, inquit, ..*quâ sedes Stephani existebat.* Quod nobis argumento, ab illo potius extermina..re Angelo admonitos nos, rudera deinceps Ecclesiæ hîc quærenda tantùm. Nec ..terim obliviscamur, Stephanum in carcere propter scelera strangulatum, à ..hanne decimo sanè successore, *piæ memoriæ Stephanum*, In Actis Ravennatis Sy..odi appellari, quod, *prædecessoris* reverentiâ fieri Baronius dicit. Nos quidni po..us, quia pia jam illis omnis impietas: virtus & vitium cum jam ipsis solâ utilitate ..finiantur? Art. 6. Baron. To. 10. anno 904. art. 4.

Cæterùm, hoc tempore florebat Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus, ..lus ferè hoc seculo Theologiæ nomine celebris, qui sanè in his verbis, *super hanc ..tram ædificabo Ecclesiam meam*, Episcopi Romani nullam rationem habuit. *Quia*, ..quit, *confessus est Petrus ipsum Filium Dei, dicit* (Dominus) *hanc confessionem quam ..nfessus est, fundamentum futuram fidelium, ita ut omnis homo conditurus domum fidei, ..nc confessionem, fundamenti loco, sit substraturus, &c. Quin*, inquit, *unusquisque no..ûm est Ecclesia, domus Dei factus, unde si in hac Christi confessione invitamur, portæ ..eri seu peccata non prævalebunt nobis.* Ut ad Ecclesiam Romanam hoc privilegium ..rtinere nequaquam intellexerit, sed ad omnem Christianum qui domus Dei & ..cclesia ipse sit; In hæc quoque verba, *Tibi dabo claves regni cœlorum, &c. Claves*, ..quit, *intellige ligantes aut solventes, delictorum aut condonationes, aut redargutiones. ..ui enim sicut Petrus digni habiti sunt Episcopali gratiâ, potestatem habent dimittendi aut ..tinendi peccata. Nam licet ad Petrum tantum dictum sit illud, Tibi dabo, tamen omni..s Apostolis olim datum est, quando dixit, quorum peccata remiseritis, remittentur, illud ..im, dabo, futurum tempus significat, nempe post resurrectionem.* Ut eas proinde non ..agis hoc in loco Petro quam cæteris attributas existimet. In Epistolâ etiam ad ..alatas perspicuè *Paulus ostendit se Petro æqualem esse:* Et plures consimiles loci in ..oc authore occurrunt, quamquam is inter postremos & eos quidem, quorum li..os corrumpere & temerare studuerunt, hujus seculi controversiis accommo..ndos. Theophyl. in Matth. c. 16. Ioan. 20. Theophyl. ad Gal. c. 2.

PROGRESSUS.

..Eculum jam ingredimur, eo tantum insigne, quod Italiam confusio, Eccle..am caligo, Pontifices aut ignavia aut præceps in omne malum libido, omni ..parte occupat, ut non mirum sit, quod Baronius ab his verbis id ordiatur: ..culum, *sui asperitate ferreum, boni sterilitate, malique exundantis deformitate plum..um*, Ad Rempublicam quippe, Lamberto Augusto per proditionem occiso, ..Berengarius Princeps, virtute conspicuus, eluctatus sibi videtur, Benedictus

tertius, qui aliis quartus, impellente Marchione Alberto, Ludovicum tertium, Arnulphi Imperatoris filium, in eum accersit, & mox Romæ coronat. Berengarius eum ex improviso Veronæ adortus profligat, captum oculis privat, sibique imperium in multos annos asserit, utcumque Pontificum factio, Alberti Marchionis potentiâ subnixa, qui tum Romæ arbiter, prosperos ejus successus interpellet. Divexabant impunè ex alterâ parte, hinc Hungari, inde Saraceni quasi certatim universam Italiam, nec deerant, qui, rerum præsentium fastidio, exteros principes invitarent, Rodolphum Regem Burgundiæ, Hugonem Arelatensem, qui, quasi per vices Italiam cum copijs ingressi, Romæ coronam suscipiebant, eâ perpetuò conditione, ut decantatas illas donationes ratas haberent. Et hi quidem, quia Pontificum ope indigebant, de suâ subinde authoritate multum remittebant, nec eo melius tamen rem gerebant. Ad Ecclesiam verò, in tantâ rerum perturbatione, quam lurida ejus facies, judicare cuique facile, in Italiâ præsertim, ubi toto hoc temporis intervallo, non ullus vir celebris apparet, non ulla actio occurrit, in quâ

Platina in Benedicto 4. & Leone 5. Ecclesiasticæ sollicitudinis vel vestigium. Itaque qui Historiam scribunt, Pontificem non parum sibi commendasse videntur, cum *nihil fecisse* dicunt, ut malè facere illis jam & innatum & solenne. Anno 904. moritur Benedictus quartus.

Ann. 904. Perruptis omnibus legibus, ajunt, successor eligitur Leo quintus, quem post

Sigon. de regno Ital. l.6. quadraginta dies Christophorus ejus Capellanus spoliat, & *novo exemplo*, inquit Sigonius, *malis artibus*, ait Platina, Domini locum invadit. Prodit Sergius à

Platina in Christoph. Pontificatu bis jam depulsus, qui in gratiam cum Marchione Alberto reversus hunc supplantat, seseque in ejus solio collocat. Tum igitur quasi plenis velis in Formosi memoriam invectus, ejus Acta irrita pronuntiat, ut in eo, quàm in Stephano justificando non minus Bellarminus laboret: Nec verò amplius aut Cleri electio aut populi consensus attenditur. Hic Platina: *Vide quæso, quantum isti*

Platina in Sergio 3. *degeneraverint à majoribus suis. Illi enim, utpote viri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ vacantes: hi verò largitione & ambitione Pontificatum quærentes, & adepti posthabito divino cultu, non secus ac sævissimi quidam tyranni inimicitias inter sese exercebant: suas voluptates posteà securius expleturi, cum nullibi extarent, qui eorum vitia coercerent.* Sergio demùm anno 911. Anastasius succedit,

Ann. 911. huic postmodùm anno 913. Landus, & Lando rursum Iohannes undecimus,

Ann. 913. Ravennatum Archiepiscopus, in eo tantum laudabiles, quod non diu viverent,

Platina in Christophoro & seq. *Deo eos*, inquit Platina, *tanquam monstra quædam è medio tollente.* At de Iohannne Sigonius candidè: *Comitiis Pontifici creando indictis, nihil ex legibus actum est. Siquidem Albertus Marchio Theodoræ socrus instinctu, neque ex Ecclesiâ Romanâ, sed ex Ravennati, neque Cleri suffragijs, sed proprijs opibus successorem Iohannem Ravennatem*

Luitprand. l 2.c.13. *Archiepiscopum dedit.* Luitprandus magis Sonorè: *Hic*, inquit, *tam nefando scelere, contra jus fasque, Pontificium culmen obtinuit. Theodora Scortum impudens Romanæ Civitatis non inviriliter monarchiam obtinebat: quæ duas habuit natas Maroziam atque Theodoram, sibi non solùm coæquales, verùm etiam Veneris exortivo promptiores. Harum una Marozia ex Papa Sergio Iohannem, qui post Iohannis Ravennatis obitum sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitatem obtinuit, nefario genuit adulterio; Ex Aldeberto autem Marchione Albericum, qui nostro post tempore Romanæ urbis principatum usurpavit. Theodora meretrix impudentissima Veneris calore succensa, in hujus speciei decorem vehementer exarsit, secumque hunc scortari non solùm voluit, verùm etiam atque etiam post compulit. Hæc dum impudenter aguntur, Bononiensis Episcopus moritur, & Iohannes iste loco ejus eligitur. Paulo post ante hujus diem consecrationis nominatus Archiepiscopus* Ra-

Ravennæ diem obijt, locumque ejus Iohannes Theodoræ, priore Bononiensi Ecclesiâ desertâ, ambitionis spiritu inflatus contrà sanctorum Patrum instituta sibi usurpavit. Romam quippe adveniens, mox Ravennatis Ecclesiæ ordinatur Episcopus. Modicâ verò temporis intercapedine Deo vocante, qui eum injustè ordinaverat Papa, defunctus est. Theodora autem Glycerij mens perversa, ne amasij ducentorum milliarium interpositione, quibus Ravenna sequestratur à Româ, rarissimo concubitu potiretur, Ravennatis hunc Ecclesiæ Archiepiscopatum coegit deserere, Romanumque, proh nefas, Pontificium usurpare. Reliqua verò Historia apud Luitprandum & amplioribus & fœdioribus verbis exponitur, quibus libenter parco. Hìc autem est Iohannes ille, quem Frodoardus in Rodolphi Regis gratiam, Rhemensem Episcopum quinquennem puerum creasse refert, unde exclamabundus Baronius: *Vidisti Lector cujus authoritate Pontificis (si tamen ipse Pontifex est dicendus) id primùm fuerit introductum in Ecclesiâ Dei, Iohannis decimi,* (qui nobis cum Platina undecimus) *quo turpior nullus, cujus sicut ingressus in Cathedram Petri infamissimus, ita & exitus nefandissimus.* Iam Marozia ejus filia, ut Albericum Marchionem virum suum amisit, privata vivere nesciens, Vidoni Tusciæ Marchioni nubit, eóque consilio, ut Urbis Romanæ Principatum, qui fuerat Alberti, ad eum traducat. Et quia Iohannes obstabat, marito, ut eum de medio tollat, persuadet. Is verò confosso primùm in ipsius oculis fratre, Iohannem in carcerem conjectum, injecto pulvillo suffocandum curat. Moritur demùm & Vido: Ac tum Marozia, imperij tenax, cum Hugone Arelatensi de nuptijs agit, urbisque imperium pollicetur, qui aliâ ex parte in Italiam invitatus, conditionem accipit, & maturato itinere Romam contendens, nemine contradicente, admittitur. Verùm, prudenti alioqui Principi excidit forte, ut, cum Albericus, matris hortatu, aquam ei ad abluendas manus minus scitè præberet, alapam juveni impingeret, quam contumeliam ulturus, Romanos protinus adit, inque Hugonem ad seditionem concitat, quem in arce ipse adortus eò adigit, ut de muris sese dejicere cogeretur, unde Albericus & Consulum nomen Romæ renovat, & ipse Consulari potestate civitatem administrat, Urbisque statum ita immutat, ut ab eo deinceps & suis electio Pontificum longo post tempore penderet. Sic Leoni sexto Iohannis undecimi successori, anno 928. Stephanum septimum substituit, qui Onuphrio octavus, & anno 930. Stephano septimo Iohannem duodecimum, Sergij tertii & Maroziæ filium ex adulterio, uti dictum est, susceptum, fratrem suum uterinum, quem Sigonius aptè *sedere jussum* dicit: ut & rursum anno 935. Iohanni duodecimo Leonem septimum successorem constituit. Cumque Rex Hugo, anno 938. Leoni septimo Stephanum octavum successorem curasset, Alberici factio, per civilem tumultum, tam fœdis vulneribus eum afficit, ut, præ verecundiâ in publicum prodire nolens, nimio animi dolore extingueretur: in cujus locum Martinus secundus, aliâs Martinus tertius, Pontifex factus, cujus locum, quarto post anno, Agapetus secundus tenuit. Quo & sub annum 996. sublato, Albericus Consul, quæ ejus potentia tùm fuit, filium suum Octavianum, ætate licet & moribus juvenem, corruptâ in idipsum nobilitate, in Pontificiam dignitatem evexit: Is Platinæ Iohannes decimus tertius, Onuphrio duodecimus nominatur. Scrutatur hìc Baronius Octaviani ætatem, quia Imperator Otho Italiam ingressus dicere suetus: *Puer est, facilè bonorum mutabitur exemplo virorum:* cum jam octo annos sedem tenuisset: ac tandem, subducto calculo, etiamsi Alberici primogenitus fuisset, quod non erat, decimum octavum annum attingere non potuisse, concludit; Iudicet hinc Lector, qualis hic Patrum Pater: *ut præsideat*, inquit, *regimini spiri-*

Frodoard. Histor. Rhemens. l.4.c.19.

Baron. To. 10. anno 925. art. 9. 10. 11.

Luitpr. lib. 3.c. 12.

Ann. 928.

Ann. 930.

Ann. 935.

Ann. 938.

Ann. 942.

Ann. 956.

Baron. to. 10. ann. 955. art. 2. 3.4.

spirituali totius orbis Christiani : Abortivum istum tunc parturiit Romæ tyrannis, vi pollens, armis omnia miscens, omnia audens, atque subvertens, ut nullo pacto dicendus tunc fuerit legitimus iste Pontifex, in cujus electione nulla lex sit suffragata, sed omnia vis & metus impleverint, cum qui nec ætate Diaconus esse potuit, ostensus sit tanquam mimus in scenâ Pontificem agens. His omnibus num Baronium addere jam sufficiat: *Accedente tamen consensu, hunc tolerandum utcumque, perditissima illa tempora suasisse, magis quàm Ecclesiam schismate scindere :* Et hoc notetur, quia, non multo post, eum illis longè præfert, qui solenni ritu, in mediâ Synodo electi. Iuvat verò de utroque Iohanne Luitprandum oculatum testem audîre, unde hujus sedis, quo jam impudentia evasisset, manifestius fiat. Ad Iohannem duodecimum igitur præter ea quæ jam ex eo protulimus de Maroziâ ejus matre, hos versus habet, ubi Hugonem ad nuptias pariter & Romanum principatum invitat.

Luitpr. lib. 3. c. 12.

Quid Veneris facibus compulsa Marozia sævis,
Conjugis ecce tui spectas tu suavia fratris
Nubere germanis satagens Herodia binis.

Incestum nempe exprobrans; Rursum.

Advenit optatus ceu bos tibi ductus ad aram,
Rex Hugo, &c.

Albericum etiam Romanos hortantem, ut infame hoc jugum excuterent, his verbis inducit: *Romanæ urbis dignitas ad tantam est stultitiam deducta, ut meretricum etiam Imperio pareat; Quid enim fœdius quidve turpius, quàm ut unius mulieris incestui pareat?* Etenim Iohannem duodecimum amasium suum Theodora mater Pontificem fecerat. At ad decimum tertium veniens, vitam ejus non jam suis sed bonorum quorumque verbis nobis describit. *Testis est Raineria, sui ipsius militis vidua, quam cæco captus igne, multis præfectam urbibus, sacrosanctis beati Petri donavit aureis crucibus, atque calicibus. Testis & Stephana ejus amica, quæ in effusione ejus, quem ex eo conceperat recens hominem è vita exivit. Quod si cuncta taceant, Lateranense palatium, sanctorum quondam hospitium, nunc prostibulum meretricum, non silebit amicam conjugem, Stephanæ patris concubinæ sororem. Testis omnium præter quam Romanorum absentia mulierum, quæ Sanctorum Apostolorum limina orandi gratiâ timent visere, cum nonnullas ante dies paucos hunc audierint conjugatas, viduas, virgines vi oppressisse. Testes sunt sanctæ Apostolorum Ecclesiæ, quæ non stillatim pluviam, sed totum intrinsecus supra ipsa etiam sacrosancta altaria imbrem admitterent.* Quorum ille criminum insimulatus, accusatus, convictus ut sigillatim videbimus; Adeò ut Platina celare non potuerit, *illum ab adolescentiâ omnibus probris ac turpitudine contaminatum fuisse*; Onuphrius non dismulet; non Sigonius ipse; *Pontificatus ipsius*, inquit, *ut fœdum ingressum, sic tristem exitum cum maximâ totius Ecclesiæ offensione & ipsius Italiæ perturbatione adeptus est. Quod malum sæva hoc anno oborta tempestas portendisse videtur, qua lapis ingens de cœlo cum tonitru cecidisse, & templa multa de cœlo tacta, & aliquot fulmine icti fuisse Sacerdotes dicuntur.* Certè Rolwinkus, author Fasciculi temporum hoc seculum ut ingreditur, exclamat: *Heu heu Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, qualia contigisse circa hęc tempora, etiam in sanctâ sede Apostolicâ, quam usque huc tanto zelo custodisti, legimus scandala: Quales contentiones & æmulationes, secretæ invidiæ, ambitiones, intrusiones, persecutiones. O tempus pessimum, in quo deficit sanctus & diminutæ sunt veritates à filiis hominum, &c. Isti octo Poncifices successive sequentes, brevi tempore sederunt,* ne-

Platina in Iohan. 13. Sigon. l. 7. de regno Italiæ.

nescio aliquid notabile de ipsis dicere, quod nonnisi scandalosa de ipsis reperi, præter inauditam in sanctâ sede Apostolicâ contentionem unius contra alium. Nam Stephanus confirmans facta Iohannis octavi Formosum damnavit, & ejus facta irrita decrevit, & corpus ejus mortuum dehonestavit, digitis duobus abscissis manum in Tyberim projici mandavit, omninò ingratus contumeliam pro gratiâ reddens, quia Formosus anteà Episcopum Anagniæ fecit. Sed breve tempus finem imposuit negocio, &c. Et sic de cæteris; Sergium etiam tertium, Formosum mortuum vestibus Sacerdotalibus indutum, capite truncasse asserit, quod Platina levius, *capitali supplicio ac si viveret affecit*: quamquam ipse horum Pontificum neminem absque elogio reliquit: Cum Formosum, *largitione potius quàm virtute ad Pontificatum evectum fuisse*, dicit; Stephanum sextum, *sponte & largitionibus*; Romanum primum, *alienæ famæ invidiâ sicuti solent qui omnibus propriis contaminati sunt*. Theodorum secundum, *seditiosorum vestigia sequutum*, Christophorum primum, *Leonem in vincula conjecisse, quod fieri sine magnâ seditione & multorum interitu non potuit*. Iohannem undecimum, *spiritum militarem magis, quàm religioni deditum*; Et mitiùs fortè quam oportuit. De cæteris verò generatim: *Vide quæso quantum isti degeneraverint à majoribus suis, illi enim, utpote viri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ vacantes: hi verò largitione, & ambitione Pontificatum quærentes, & adepti, posthabito divino cultu, inimicitias non secus ac sævissimi quidam tyranni inter sese exercebant, suas voluptates posteà securius expleturi, cum nullibi extarent, qui eorum vitia coercerent*. Etenim inquit, *sanctitate & doctrinâ, quæ non nisi magnis laboribus consummataque virtute comparantur, Pontificium decus sine ullis opibus, primo quidem auctum est inter tot hostes & obstinatos persecutores Christiani nominis, mox verò ubi cum ipsis opibus lascivire cœpit Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo Principe flagitia hominum tum coercente, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione, sanctissima Petri sedes occupata est potius, quàm possessa*. Hæc ipse, Paparum hujus seculi vitam describens, ut alio nobis teste opus non sit. Quid si verò Cardinalis Baronij purpuram, ad tantarum turpitudinum conspectum, pudibundus perfundit rubor, cum hanc Pontificum seriem absque præfatione attingere non potest, quin apud Lectorem profiteatur, visurum se jam *abominationem desolationis in Templo*, tum à Daniele, tum à Domino ipso prædictam. Edicat igitur & ipse nobis fidelibus quid faciendum, nisi ut ex ipso Servatoris præcepto *ad montes fugiamus*, à Babylone suaque turpitudine actutum discedamus; Cum rursum ingenuè agnoscat hos Pontifices, *Proh pudor, proh dolor*, inquit, *tot monstra visu horrenda fuisse intrusa in eandem sedem Angelis reverendam*; Et quod inquit, *ex eis oborta sunt mala, consummatæ tragœdiæ?* Quibus tunc, *ipsam sine maculâ, & sine rugâ contigit aspergi sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitijs, ex hisque perpetuâ infamiâ denigrari?* De Sergio nominatim & de Theodorâ ejus meretrice, postquam Luitprandi locum connotavit: *Audivisti Lector temporis hujus deploratissimum statum, cum Theodora senior, nobile scortum, monarchiam obtineret in Urbe*; Et in hac voce Ecclesiam designare solent. *Sed unde infami mulieri tanta dignitas*, inquit, *Erat ista nobilis Romana fœmina, senatoriâ orta propagine, excellens pulchritudine, ingenio versutissima, ex adulteri*, Sergij Pontificis, *potentiâ sibi peperit monarchiam*. Notetur hîc successio; *hæc pessima fœmina, eâ arte dominium est consecuta, possidens arcem, illudque in posteros propagare curavit, filias prostituens Pontificibus, sedis Apostolicæ invasoribus, & Tusciæ Marchionibus, ex quibus tantarum invaluit meretricum imperium, ut pro arbitrio legitimè creatos dimoverent Pontifices, & violentos ac nefarios homines illis pul-* sis

Platina in vitâ horũ. Pontificũ.

Daniel. 9. Baro. ann. 900. art. 1. 2. 3.

Barôn. Tô. 10. 908. art. 5. 6. 7.

ſis intruderent; Et hunc porrò miſerum Eccleſiæ ſtatum, *quam meretricum*, inquit, *arbitrio Deus permiſit infamari*, dicamus cum Iohanne, *meretricis magnæ*, Imperium per totum hoc ſeculum extendit.

OPPOSITIO.

IAm, cum Luitprandus, Eccleſiæ Ticinenſis Diaconus, tam liberè loqueretur, non dubium quin plures ubique ſaltem muſſitarent. Proſtibulum enim toto orbe famoſum Romæ dominari, Pontificibus imperitare, Pontifices pro libidine creare, qui viderent, quidni *fornicationum matrem*, quaſi per Epitomen ſibi repreſentarent? Et hoc interim tempore urgebatur cœlibatus: hæreſis erat Sacerdotis conjugium, ut conjugatis non ulla lex, non ullum ſupplicium ſatis eſſet. Dimicabatur etiam de reali corporis Chriſti in hoſtiolâ præſentiâ, ſummâ cum vehementiâ, ut, quò minus Deum in cœlo credebant, eo impenſiùs in pane, in Sacerdotis manu, verbis ſuis, imo nutu, evocatum, aſſererent; Nempe, quod dicit Apoſtolus, infidelitatem conſequebatur turpitudo, impietatem omnimoda morum labes.

Italia igitur, monſtrorum ejuſmodi plus ſatis pertæſa, de remedio tandem cogitare cogitur; Cæteroquin Berengarij junioris & filij oppreſſionibus devexata, quæ omnis generis perſonis æque intolerabiles erant. Cum autem, extinctâ in regno Germanico Carlovingiorum proſapiâ, Reges ſibi Germani in ipſâ Germaniâ quæſiviſſent, ad Othonem etiam Itali ſibi confugiendum putant, Regis Henrici filium, Saxoniæ Ducis, qui & ibi regebat, & virtutis, juſtitiæ præſertim, nomine magnopere commendabatur. Quin aſſerunt nonnulli, Iohannem iſtum, partim efflagitantibus Italiæ primoribus, partim laceſſentibus Berengarijs, Legatos ad Othonem miſiſſe Iohannem Diaconum & Aſonem ſcriniarium, rogatum, ut Eccleſiæ maturè opem ferret, fortè, quod poſtea apparuit, ut ab ipſiuſmet injuriis eos vindicaret; Sed ut ut ſit, & cum Othone paſciſcuntur & ut Romam venienti coronam imperij pollicentur, ita & ipſe, *Romanam Eccleſiam & ipſius Rectorem Iohannem pro viribus exaltaturum, jurat.* Adde, *ut honorem, quem habet amittat, authorem aut impulſorem non futurum & quicquid de terrâ ſancti Petri ad ſuam poteſtatem pervenerit, ei redditurum, & cuicumque Italicum regimen commiſerit, jurare juſſurum, ut adjutor ejus ſit, ad defendendam terram ſancti Petri pro viribus ſuis.* Quibus tranſactis anno 961. Otho Romam accedit, ab omnibus magnificè excipitur, Pontifici Sacramento ſeſe devincit, eique viciſſim Pontifex, denique uti pollicitus erat, quicquid de terrâ ſuâ in poteſtatem ſuam redegerat, reſtituit, moxque Papiam ſe recipit. Inerat Sacramento, quod Iohannes Imperatori præſtitit, ſuper corpus Petri hæc clauſula: *ſe nunquam Berengario atque Adelberto filio auxiliaturum.* Is tamen, ut diſceſsiſſe Othonem videt, illicò ad Adalbertum mittit, eique contrà Imperatorem nihil non pollicetur: quamquam ipſe ad Othonis, ſuo rogatu adventantis, nuntium, ita obſtupuerat, ut relictâ Româ, Sarracenorum fidei ſeſe commiſſurus Fraxinetum confugeret; Novum hoc & parum credibile Othoni primâ facie, quare è familiaribus Romam delegare viſum, qui clanculum rem totam explorarent, & boni quique cives, non eſſe quod de eo ambigeret, aſſeverabant; crederet imò, *quod Diabolus non magis oderit creatorem quàm Iohannes Papa ſanctiſſimum Imperatorem, ſuum licet ex Adelberti manibus liberatorem.* Quocircà Iohannem ei, ut ſupra, apud Luitprandum, omnibus ſuis coloribus depingunt; *Nempe hoc rei eſt,*

Luitprand. l.6.c.6.7.8 9.10.11.12 & uſque ad finem.

Luitprand. l.6.c.6.

ſt, ajunt, *quod tanta ei cum Imperatore ſancto diſcordia eſt, Lupis & agnis quanta ſorti-
o obtigit. Illi hoc ut impunè liceat, Adalbertum ſibi tutorem & defenſorem parat.* Impe-
ator, qui Papiæ adhuc hærebat, Romam quidem ſibi redeundum proponit, ſed
ta, ut obiter Berengarium caſtiget; Iohannes vero ſiniſtrum quid ſuſpicatus per
egatos inſinuat, juvenili ſe antehac ardore correptum quidem, ſed ſibi ratum eſſe
leinceps ſeriò ſapere, nonnullas etiam querelas proponit, ſuper quibus Imperator
i ſatisfacere conatur, ita tamen ut, odij exercendi materiam ſibi reſervaturus,
ninus ſe contentum præ ſe ferat. Itaque Adalbertum & accerſit & Romæ hono-
ificè recipit, verum adventante Imperatore, *major pars Romanorum optimatum
ancti Pauli caſtellum invadit, ſanctumque Imperatorem, obſidibus datis, invitat,* quo
uxta urbem caſtra metato, Papa ſimul & Adalbertus Româ aufugiunt; cives au-
em ſuſcepto cum ſuis omnibus in urbem *fidelitatem promittunt, hæc addentes &
irmiter jurantes, nunquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos præter conſenſum atque
lectionem Domini Imperatoris Othonis Cæſaris Auguſti, filijque ipſius Regis Othonis.*
Demùm, poſt triduum, rogantibus tam Romanis Epiſcopis quàm plebe, magnus
n ſancti Petri Eccleſiâ fit conventus, in quo ſedent cum Imperatore Archiepiſco-
i, ab Italiâ, pro Engelfrido Patriarcha Aquileenſi, languore in Urbe correpto,
Rodolphus Diaconus, Walbertus Mediolanenſis & Petrus Ravennas; Ex Ger-
naniâ & Franciâ plures Archiepiſcopi, & Epiſcopi plerique, & præcipui Italiæ
Epiſcopi ad minimum triginta, quin & Romani Epiſcopatus ſuffraganei ipſi,
omneſque Preſbyteri, Cardinales, Diaconi, & alij Eccleſiæ Romanę Officiarij;
Denique optimates omnes, Romanæ Urbis ſigillatim à Luitprando recenſiti,
quâ ratione *magna Synodus* à Lamberto Schaffnaburgenſi appellatur: In quâ qui- Lambert.
dem Imperator nihil omiſſurus, quod ad formulas juris pertineret, ſilentio facto Schaffna-
xorſus: *Cur Iohannes tantum declinaverit cœtum, cui eum maximè intereſſe decorum* burgenſ.
uit, ante omnia Patres rogat: *Tunc Romani Pontifices, Epiſcopi ſcilicet ſuffraganei,* Anno 963.
Cardinales Preſbyteri ac Diaconi cum univerſâ plebe dixerunt. Miramur ſanctiſſimam Luitprand.
prudentiam veſtram nos hoc velle percontari, quod nec Babylonicos, nec Ibericos, nec Indicos l. 6. c. 7.
*incolas latet; ita aperte diabolica pertractat negotia, ut nihil circuitionis utatur. Impera-
tor reſpondit, juſtum nobis videtur ut accuſationes maximè exprimantur, deinde quod a-
gendum eſt communi conſilio pertractetur. Tunc conſurgens Petrus Cardinalis Preſbyter,
ſe vidiſſe illum Miſſam celebraſſe & non communicaſſe, teſtatus eſt; Iohannes Epiſcopus
Narnienſis & Iohannes Cardinalis Diaconus ſe vidiſſe illum Diaconum ordinaſſe in equo-
rum ſtabulo, non certis temporibus, ſunt profeſſi; Benedictus cum cæteris condiaconis &
Presbyteris dixit, ſe ſcire quod ordinationes Epiſcoporum faceret prætio, & quod annorum
decem Epiſcopum in Tudertinâ civitate ordinarit. De ſacrilegio non eſt neceſſe percontari,
quia plus videndo, quàm audiendo ſcire potuiſſemus. De adulterio dixerunt, quod oculis non
viderant, ſed pro certo ſcirent, viduam Rainerij & Stephanam patris concubinam, & An-
nam viduam cum nepte ſuâ abuſum eſſe, & ſanctum Palatium lupanar & proſtibulum feciſ-
ſe, venationem dixerunt publicè exercuiſſe: Benedictum ſpiritualem patrem ſuum lumine
privaſſe & mox mortuum fuiſſe; Iohannem Cardinalem ſubdiaconum virilibus amputatis
occidiſſe, incendia feciſſe, enſe accinctum galeâ & loricâ indutum fuiſſe teſtati ſunt. Dia-
boli in amorem vinum bibiſſe omnes tam Clerici quam laici acclamarunt. In ludo aleæ,
Iovis, Veneris, cæterorumque Dæmonum auxilium popoſciſſe dixerunt. Matutinas &
Canonicas horas eum non celebraſſe, nec ſigno crucis ſe muniſſe profeſſi ſunt.* Sed quia
viros dignitate eximios invidia plerumque inſectatur, proinde & calumnia, ad-
jurat rurſum eos Imperator, nihil adverſus eum proponant, quod non planè

 com-

comprobatum sit; Ad hoc universa Synodus vociferari, *quasi unus vir: Si non & quæ per Benedictum Diaconum lecta sunt, hisque turpiora & ampliora Iohannes Papa indigna commisit facinora, non nos a peccatorum vinculis absolvat, Apostolorum princeps beatus Petrus, qui verbo cœlum indignis claudit, justis aperit, simus anathematis vinculo innodati, atque in die novissimâ in sinistrâ parte positi.* Nec eo minus tamen rogat Imperatorem Synodus, *mittantur ei literæ*, ut adveniat, seque purget, quæ illico sunt ei destinatæ & quidem tum Imperatoris, tum Archiepiscoporum nomine, in quibus, quæ ei impinguntur crimina in pauca perstringuntur: ad quæ ille, *omnibus Episcopis scribens neglectim. Nos audivimus dicere quod vos vultis alium Papam facere, si hæc feceritis, Excommunico vos de omnipotenti Deo, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & Missam celebrare.* Adveniunt, dum hæc Epistola legitur, qui prius deerant religiosi, à Lotharingiâ, Henricus Treverensis Archiepiscopus; ab Æmiliâ & Liguriâ Wido Mutinensis, Geso Tortonensis, Sigulphus Placentinus, quorum & consilio tum Otho, tum Synodus ipsa rescribit: *Si venire & objecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cum præsertim vos venire nihil impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo, tunc excommunicationem parvi pendemus, eam potius in vos retorquebimus, quoniam quidem justè facere possumus. Iudas*, inquiunt, *Domini nostri Iesu Christi proditor, imò venditor, cum cæteris prius ligandi atque solvendi potestatem à Magistro accepit, &c. Quamdiu bonus inter discipulos fuit, ligare atque solvere valuit: postquam vero cupiditatis veneno homicida factus vitam occidere voluit, quem postea ligatum solvere, solutum ligare potuit, nisi se ipsum quem infœlicissimo laqueo strangulavit?* Nimirùm, ut ex his intelligat, non obstare quam obtendit Petri sedem, quin ipse & fiat & sit Iudas. Imperator tandem, qui hactenus nihil de eo speciatim conquestus, ut idoneè aliunde convictum videt, pro suâ moderatione apud eos exponit, *ut sua opera ereptus è faucibus inimicorum, oblitus juramenti, & fidelitatis, quam sibi supra corpus sancti Petri promiserat, Adalbertum Romam venire fecerit, contra ipsum defenderit, seditiones fecerit, videntibus suis militibus, Dux belli factus loricam & galeam induerit*, Sanctamque Synodum rogat *quid super hoc decernat, edicat.* Tunc igitur Synodus: *Inauditum vulnus inaudito cauterio est exurendum, si corruptis moribus sibi soli & non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot prius casti hujus facti sunt imitatione incesti? Quot probi hujus exemplo conversationis sunt reprobi? Petimus itaque magnitudinem imperij vestri, monstrum illud nullâ virtute redemptum à vitiis, à sanctâ Romanâ Ecclesiâ pelli, aliumque loco ejus constitui, qui bonæ conversationis exemplo nobis præesse valeat.* Quâ sententiâ ab Imperatore probatâ, *omnes unâ voce edicunt. Leonem venerabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ protoscriniarium, virum approbatum, ad summum sacerdotij gradum nobis in pastorem eligimus, ut sit summus & universalis Papa Romanæ Ecclesiæ, reprobato ob mores improbos Iohanne Apostatâ.* Quod cum omnes tertiò dixissent, annuente Imperatore ad Lateranum ducitur. Hæc anno 963. Post paulò verò rebus, quæ præcipuè urgebant, compositis, aliam Romæ Synodum cum Leone celebrat Imperator, in quâ cognito ab omnibus, non aliam horum tumultuum subesse causam, quam quòd posthabito Caroli magni instituto, quin & ab Adriano tertio conculcato, *plus dignitati*, inquit Sigonius, *quam quieti Ecclesiæ studente*, in eligendo Pontifice, omnia per ambitum fierent, de eo firmando inque integrum restituendo sancita lex: & quod frænum, tam studiosè excusserant, Pontifices Clerusque Romanus, rursum admittere coacti. Legitur illa apud Gratianum, D. 63. nec non Sigonium ipsum in Historiâ. *Exemplo beati Hadriani Apostolicæ sedis antistitis, qui*

Sigon. l. 7. de regno Italiæ.

D. 69. C. in Synod: 23. Sigon. l. 7. de regno Italiæ. Fasciculus temporum Ann. 964.

D. Ca-

D. Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum, Patriciatus dignitatem, ac ordinem Apostolicæ sedis & investituram Episcoporum concessit. Ego Leo quoque servus servorum Dei, Episcopus cum toto Clero ac populo Romano constituimus ac confirmamus & corroboramus & per nostram Apostolicam authoritatem concedimus atque largimur, D. Othoni Regi Teutonicorum ejusque successoribus regni Italiæ, in perpetuum, facultatem eligendi successorem atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos seu Episcopos, ut hi ab eo investituram accipiant, & consecrationem unde debent, exceptis ijs, quos Imperator Pontificibus & Archiepiscopis concessit; ut nemo deinceps cujuscumque dignitatis vel religionis eligendi vel Patricium, vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quemcumque Episcopum ordinandi habeat facultatem, absque consensu ipsius Imperatoris, quod tamen fiat absque omni pecuniâ, & ut ipse sit Patricius & Rex. Quod si à Clero & populo quis eligatur Episcopus, nisi à suprà dicto Rege laudetur & investiatur, non consecretur. Si quis contrà hanc Apostolicam autoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subjacere decernimus, & nisi resipuerit, irrevocabili exilio puniri vel ultimis suppliciis affici. Summa Canonis apud Gratianum, *Electio Romani Pontificis ad jus pertinet Imperatoris*. Testatur verò Theodoricus à Nyem, qui sub Iohanne vigesimo tertio, se diploma ipsum, unde excerpta est, Florentiæ vidisse, *pro dignitatis Imperialis privilegio*, asservatum; (ut & apud Krantzium integra proponitur), cum hac clausulâ: *Quòd hoc Concilium sub pœnâ excommunicationis universalis Ecclesiæ latæ sententiæ servari debeat.* Ut jam portentosis Cleri libidinibus & lascivijs coercendis redivivâ Caroli Magni lege esset opus: quam tamen ut inviti ferunt, ita, quâ datâ occasione, abdicare parati sunt, ut omnis jam disciplinæ impatientes evaserant. Etenim, ut Imperator copias suas dimisit, Iohannem illico accersunt, qui, contrariâ Synodo convocatâ, Leonem deponit, Acta ejus abrogat, Synodum damnat, Synodum etiam appellari vetat, *prostibulum* imò *favens adulteris*, & quot Leo ordinaverat, deponit: quos, ut nihil sibi à Leone collocatum significent, hoc dictum manu sua porrigere jubet: *Pater meus nihil sibi habuit, nihil etiam mihi dedit.* Tandem verò *quadam nocte, extra Romam dum se cum cujusdam viri uxore oblectat, à Diabolo adeò percutitur, ut intra dierum octo spatium, eodem vulnere moriatur.* Et hîc exclamat Author, *Eia Deus æterne, quâm dispares sunt illi prioribus. O abyssus judiciorum Dei, quis investigabit ea.* Sunt tamen qui *à marito* confossum scribant. At Romani juramenti, quod Othoni promiserant, immemores, Benedictum absque ejus filiique consensu, eligunt, Papâ constituunt, contraque Imperatorem defensuros, juramento sese devinciunt. Quo audito Imperator graviter commotus Urbem vallat, eaque, invitis Romanis, recepta, Benedictum sedis invasorem, non modo Papatu, sed & Sacerdotio solenni more, crimen suum confessum spoliat, Leonemque octavum sedi restituit. Quâ occasione, quasi par relaturus Leo, in Imperatoris, posterorumque tum Imperatorum, tùm Regum Italiæ, gratiam: diplomate in perpetuum valituro, omnibus donationibus Ecclesiæ Romanæ concessis, à Carolo, Pipino, Ariperto, Iustiniano, renuntiat: seu illæ instrumento à Notariis excepto constent, seu Imperiali diplomate, seu quovis alio pacto, cujus quasi testes adhibet, *Sacrorum Euangeliorum Codices, reliquias complures, sanctam crucem, caligas pedum, vestem Domini inconsutilem & corpus beati Petri, cum terribilibus Sacramentis à Papa prædicto & suis Cardinalibus, per consensum & authoritatem totius populi Romani, tam Clericorum quàm Laicorum, de omnibus ordinibus Romanis, ex unaquaque regione præsentibus ac confirmantibus.* Quin & exprimuntur sigillatim in hac renuntiatione omnes pro-

Krantzius l.4.c.10. Saxoniæ.

Sigebertus anno 693.

Luitprand. l.6.c.11. Fascicul. Tempor.

provinciæ, inſulæ, Civitates, Urbes, Caſtella, quæ in Imperatoris Ludovici donatione recenſentur, nullâ plane exceptione, multa etiam quæ ibi nominatim non habebantur; *Et hæc omnia habeatis & poſſideatis*, inquit, *ad uſus curiæ, & militiarum veſtrarum, ad bellandum & expugnandum contra prædictos Paganos, & contra rebelles Romani imperij*; Addito, ſi quis ejus effectum impedire voluerit, eum præterquam *quod ex lege Iuliâ læſæ Majeſtatis pœnam incurreret, etiam Divi Petri iram* experturum; In fine denique, poſt ſolenne illud *fiat, fiat*, diſertè & nominatim ſubſcribunt omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Cardinales Preſbyteri & Diaconi, præcipui quique Eccleſiæ Romanæ officiarij, Conſules etiam, exconſules; Senatores & alij Patricij Romani, Principes regionum & quicumque huic Bullæ ſuâ authoritate robur addere poſſe viſi; Quæ præterquam quod in pluribus antiquis Bibliothecis invenitur, à Theodorico à Nyem Pontificum ſecretario, unà cum ſuperiori illâ, integra refertur, ut quicquid Baronius contra cavilletur fruſtrà omnino ſit. Quod enim ſubſcriptos notat quatuor Italiæ Epiſcopos, qui in anni proximè præcedentis Synodo alio nomine cenſeantur, Albanus, Præneſtinus, Tiburtinus, Narnienſis, cui adeo mirum, ſi in tot Epiſcopis, qui huic Synodo intererant, quatuor intra anni ſpatium moriantur? imò, quòd in tantâ rerum perturbatione, tam crebrâ rerum ſacrarum nundinatione, locum etiam demutent? Faſciculus ſanè temporum utramque vidiſſe debuit, qui breviter pro more: *Iſte Leo ſtatuit, quod nullus Papa fieret ſine conſenſu Imperatoris, propter malitiam Romanorum, qui ſuos intrudebant; hic omnes donationes factas Eccleſiæ à Iuſtiniano, Carolo & alijs, Othoni conceſſit & ſuis ſucceſſoribus, ut Italiam ab invaſoribus defenderet.* Addit & judicium ſuum: *Sanctitas Papas dimiſit & ad Imperatores acceſſit hoc tempore.* Et ita ad annum 964. pervenimus. Nec hîc omittendum Iohannem hunc decimumtertium, aliâs duodecimum, qui nos pluſculum detinuit, quemque Platina *ſceleratiſſimum hominem vel potius monſtrum* appellat, ſi credimus Onuphrio, & mutaſſe nomen primum & mutandi poſteris exemplum dediſſe, qui utinam in pluribus & quidem pejoribus eum non eſſent imitati.

Faſciculus temporũ.

Ann. 966. Iam, ex hoc inſtituto, Leone octavo anno 966. mortuo, Azonem Protoſcriniarium & Marinum Sutrinum Epiſcopum Romani in Germaniam uſque ad Orthonem mittunt, de ſucceſſoris electione eum conſulturos, qui Augerium Spirenſem Epiſcopum, & Liſonem Cremonenſem Romam continuò delegat, in quorum pręſentiâ populus & Clerus Iohannem Narnienſem Epiſcopum Iohannis cujuſdam Epiſcopi filium Pontificem nominant. Is Platinæ decimus quartus, Onuphrio decimustertius Iohannes: Nec id tamen abſque Romanorum tumultu, qui externum jugum impatienter ferentes eum in carcerem conjiciunt, ut Othonem ijs coercendis in Italiam redire neceſſe ſit. Is verò Iohanni à ſe creato ut apud Italos gratiam conciliaret, *reddidit*, (inquit, Reginonis Continuator) *Urbem & terram Ravennatium, aliaque complura multis retrò temporibus Romanis Pontificibus à Berengario ablata.* Addit Sigonius, *Veterem Pipini, Caroli ac Ludovici donationem novo diplomate confirmaſſe*, ſed nullo authore. Sanè de hoc ipſo tempore, non alium, quam ipſum teſtem volumus. Ad annum enim 973. ſcribens. *Quanquam Italia à Rege, eodemque Imperatore, & à Romano Pontifice tenebatur, non eadem tamen erat in utroque auctoritas. Pontifex Romam Ravennamque & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis quàm Imperio, quod Civitates Pontificem ut Reipublicæ Principem, Regem verò ut ſummum Dominum intuerentur, atque ei tributa, obſequiaque præberent, & Pontificis vires in ſacris deteſtationibus verſabantur, quas Chriſtiani Reges tum*

Supplementum Reginon: Ann. 967. Sigon. l. 7. de Regno Ital. Otho 3. in Diplomate Donationis, quod Aſiſij ſervatur.

um maximè exhorruerunt. Quid clarius, unde Pontificis authoritatem, in ſpiritua-libus tantum poſitam fuiſſe intelligamus? Adde Othonem tertium ejus nepotem, de eâ nihil reſciviſſe, qui in ſua illa jam ſæpius memorata, quæ Aſiſij ſervatur, ejus non meminit: cum tamen anteriores omnes Conſtantini, Calvi, hanc non omiſſu-rus exagitet. Iam, Iohanni ſufficitur Benedictus ſextus, in cujus electione, ſervata Leonis Octavi lex, nempe expectatum Othonis mandatum. Verùm, Othone mortuo, ejuſque filio, varijs bellis tùm in Germaniâ, tum in Franciâ, occupato, Romani ad ingenium redire, qui ex occaſione defuncti, an potius Bonifacij Cardinalis ſcelere, ſtrangulati Benedicti, animos incendente Cincio cive Romano, Donum ſecundum, mox & Bonifacium ſeptimum, Benedicti car-nificem *corruptis comitiis* Pontificem denuntiant, quem & ipſum ſolio exturbat Benedictus ſeptimus, Comitum Tuſculanorum gratiâ fretus; ut hæc ſedes jam pridem aut per ambitum, aut per vim transferri & diripi ſolita. Quare Othonem ſecundum in Italiam iter maturare oportuit, & præter ordinem, ut Romanos re-primeret, ſeveritatem adhibere & Martyrum laudem ſibi deberi, non deerant qui ſuaderent: ſed diſtinctionem commodè adhibet Author Faſciculi: *Occiduntur*, in-quit, *ſicut in primitivâ Eccleſiâ, ſed non fiunt Martyres ut iſti: par pœna, ſed diſpar cauſa.* Moritur Otho & non multò poſt Benedictus: ſuccedit Petrus Papienſis Epiſcopus, Platinæ Iohannes decimus quintus, quem vix in ſolio collocatum Bo-nifacius ſeptimus, ſede olim pulſus, corruptis per ingentis pecuniæ largitionem, quam ex ſacrilegio contraxerat, Romanis, in vincula conjicit, & octo poſt menſi-bus fame an laqueo enecat, inque vacuam Pontificatus poſſeſſionem admittitur: ſubitaneâ tamen ipſe morte non diu poſt ſublatus. Iohannes decimus ſextus, Preſ-byteri cujuſdam filius, ſucceſſor ei datus, huicque rurſum Iohannes decimus ſeptimus, ut Platinæ dictum hîc verum inveniatur, quòd magno Reipublicæ Chriſtianæ commodo *monſtrorum iſtorum*, dum ſeſe mutuò collidunt, vita per-brevis eſſet. Notatur verò ab eo Bonifacius ſeptimus *malarum artium, ſa-crilegij, corruptelæ, affectatæ tyrannidis*, ut & Iohannes decimus ſextus, *divina huma-naque omnia cognatis & affinibus ſuis elargitus dicitur, poſthabito Dei honore & Romanæ ſedis dignitate: quem certè errorem*, inquit Platina, *ita poſteris tradidit, ut ad noſtram quoque ætatem pervenerit. Quâ quidem conſuetudine nihil dici pernitioſius poteſt, cum non ob religionem & Dei cultum appetere Pontificatum noſtri Sacerdotes videantur, ſed ut fratrum vel nepotum vel familiarium ingluviem & avaritiam expleant.* Et ſic de cæte-ris. Tandem cum Creſcentius civis Romanus, remotiore Othone tertio, Urbis imperium affectare auſus eſſet, exteris quam durum ſubjici, populo identidem ante oculos reponens, Iohannes, qui contra Dominum loginquum, quàm propinquum, exterum quam domeſticum mallet, Othonem hujus nominis tertium, in Italiam ut veniat, invitat, Imperatoremque coronaturum pollicetur: Verùm, morte prævento Iohanne, antequam Romam adveniret, Otho pro ſuo jure Ra-vennæ Pontificem creat Brunonem propinquum ſuum, ex domo Saxonicâ pro-gnatum ex ſuo Comitatu Preſbyterum, ac Romam conſecrandum præmittit. Is fuit Gregorius quintus, qui viciſſim eum anno 996. Romæ receptum cum Mariâ uxore coronavit. At ut Otho in Germaniam redijt, Creſcens animos reſumens Conſul ſupremus factus, Gregorium expellit, non à Populo electum, ſed merâ Imperatoris authoritate intruſum cauſatus; *Et Græcum quendam Placentinum E-piſcopum ex Cleri Populique conſenſu ſublegit.* Platina, *non minus pecunioſum*, inquit, *quàm doctum, cujus certè nomen inter Pontifices quidam ſupprimunt, utpote minus legiti-mè*

Ann. 967.

Faſcicul. tempo-rum.

Ann. 996.

mè creati. Quare, extorris Gregorius ad Othonem confugit, eque Germaniâ cum exercitu in Italiam reducit, qui Romam ingressus Crescentem in arce invadit, Iohannem decimum octavum excæcat, Gregorium restituit; Gregorium utique, inquit Martinus, & post eum Platina, qui in Othonis gratiam, legem in posterum valituram sancit. *Solis Germanis licêre Principem deligere, qui Cæsar & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator & Augustus haberetur, si eum Romanus Pontifex confirmasset.* Sed Onuphrius Gregorio quinto per errorem tribui, quod decimo debuerat, bonis argumentis evincit. Baronius verò post longam disceptationem eò redit, non creasse quidem illum Electores Imperij, sed statuisse Imperatores deinceps à Germaniæ Principibus eligendos fore; nempe ut illis Romam idcircò adire aut consulere non esset opus. Et jam ad res urbis Italiæque quod attinet, annum pulsamus 996. quarum, in tam multiplici Pontificum mutatione, quæ vix unquam absque cæde, seditione, intestino bello, externo exercitu, contingebat, quàm miserabilis esset status quivis judicet.

Platina in Gregorio. 5.

Baron. an. 996. art. 71

Ann. 996.

Baronius interim tantam rerum perturbationem & testatus & detestatus, cujus nec causam dissimulare, nec historiam præterire poterat, quod Imperator in solenni Ecclesię Synodo, cujus Luitprandus omnes circumstantias describit, res in meliorem statum restituere conetur, ferre non potest, ut Ecclesiam in imo barathro hærere, quam legitimi Principis manu inde retrahi & malit, & tolerabilius putet. Hæc Synodus, inquit, authore Othone primo Romæ anno 963. habita, abdicando execrabili illi Iohanni decimo tertio, quem ipse *monstrum* nuncupat, *Pseudosynodus fuit*, si quæ unquam antea; *in quâ magis Ecclesiasticum jus offensum, magis Canones violati, vulnerata traditio, conculcata, oppressa, atque majore dedecore prostrata justitia.* Quomodo verò, *quia ex quo habitus est ab eis Iohannes verè summus Pontifex*, seu per fas seu per nefas, seu sponte seu per vim (& quidem ipse supra confessus in ejus electione nihil legitimè actum) *ipsis cogendi Concilij facultas contrà Pontificem, absque ipsius consensu non fuit.* Et hic ebilescit, efflavescit totus; Presbyter utique Antichristum in Ecclesiâ adorare, syrma ejus levare idoneus. Ergone postquam & scortator ille & tyrannus in Ecclesiâ manifestus, aut lupanar eliminaturum speras, aut convocaturum, à quibus expellatur ipse, aut in ordinem cogatur, Comitia expectas? Et quæ porrò huc adducit, ineptiæ, pædantismus merus. Idem verò & de Concilio Lateranensi, post miseri hujusce Iohannis obitum asserit, nempe cui, qui solenni more, tanto Monstro subrogati Pontifices, illegitimi omnes, Leo octavus imprimus; nec nos in eo valde laboramus, quòd, uter præferatur, parum sit lucri. Unus Iohannes, quem ipse *monstrum* fuisse agnoscit, Pontifex illi legitimus.

Baro. ann. 963. art. 31. 32.

Causam verò dissimulare neutiquam potest: Constitutio illa Leonis in gratiam Othonis & successorum, quam nos D.63. supra attulimus, eum malè habet: unde & in Gratianum stomachatur: *Inconsiderate nimis*, inquit, *ista tractavit*: Hæc Synodus *pseudosynodus* fuit, hic Leo octavus *Pseudopapa*, adulterinus Pontifex; Et verò verum & legitimum, ubinam gentium jam reperiat? Item: Quid opus, inquit, habuit, Regem & Patritium pronuntiare, cum Iohannes duodecimus eum Imperatorem consecrasset? Sanè, quia non sibi à monstro ritè consecratus videbatur. At, quis, inquit, non videt, quàm illud abhorret à Romanorum Pontificum constitutionibus, ut violatoribus pœna mortis irrogetur? Imò quid frequentius? Constantiensem tantum Synodum consulat: ita tamen, ut magistratui politico, ut sese Pilati more exolvant, executio demandetur; At certè Gregorio deci-

Dist. 63.

Baro. ann. 963. art. 23

decimo tertio acquiescere debuerat, qui hanc constitutionem in Decreto reformato intactam reliquit, suoque silentio, notis etiam additis, comprobavit. Quin imò cum ipse alibi eam ipsam tanquam authenticam adhibeat, ut quod Imperatores sibi successorem eligunt, ex Pontificum concessione habere probet: *Magno Othoni, inquit, id primùm à Romano Pontifice reperitur esse concessum*, propria ejus verba adducens: quorsum jam aut quo pudore, eam in dubium revocare ausit? Baro. ann. 996. art. 41.

PROGRESSUS.

JAm quid in Franciâ nostrâ interea temporis ageretur, est quod repetamus; Et declinante quidem Carlovingiorum prosapiâ, variè divexata fuerat, usque dum Capevingiorum stirpe, seu alienâ socordiâ, seu propriâ solertiâ, rerum potita omnium ordinum consensu, Regnum Franciæ ad Hugonem cognomine Capetum transferretur, cujus posteritas Dei beneficio hactenus floret. Interim Carolus Lotharingiæ Dux Galliam ingreditur, jus suum armis disceptaturus: ac primum Arnulphi opera, Canonici Laudunensis, Lotharij Regis nothi, qui ultimi Ludovici pater: urbem occupat, & Adalberonem Episcopum in vinculis retinet: qui mox elapsus ad Regem Hugonem se confert; Nec id sine strage & direptione, ut ex Gerberti ad Othonem Imperatorem Epistolâ claret. *Episcopum suum*, inquit, *dolo & fraude circumventum cum propriâ Urbe Laudunensi captivavit, post multum cruorem humani sanguinis à se effusi, post prædas & incendia.* Ad Synodum etiam Rhemensem scribens. *Famosus Apostata factus, locum Judæ traditoris in Ecclesiâ tenet.* Quibus tamen nil obstantibus, Hugo eum & emendare & in suas partes pellicere satagens, mortuo Adalberone Archiepiscopo Rhemensi, qui successorem sibi optârat Gerbertum, Archiepiscopum illum ordinârat, acceptâ ab eo *authenticâ fidelitatis syngraphâ*, manu suâ exarata, ore jurata, & ab omni populo nobilitateque Diœceseos subsignata, *acceptis*, imò, *ab eo*, inquit Synodus, *terribilibus sacramentis.* Quod & ipse Gerbertus testatur. At ille Arnulphus, inquam, consilia nihilominus cum Carolo Lotharingo communicare pergebat, unde sex post mensibus, Rhemensem civitatem cum exercitu accedens, Arnulphi proditione, suscipitur: qui tamen per Adalgerum Presbyterum suum rem exequitur, seseque, dolum tecturus, cum cæteris Francorum Primoribus, qui tum in Urbe, Laudunum sub custodiâ duci curat. Et de hac secundâ *perfidiâ* Gerbertus: *Urbem ab eo proditam hostis invasit, sanctuarium Dei polluit, spolia diripuit, Clerum & Populum captivavit. Post hæc verò Arnulphus suos prædones sub anathemate posuit, atque, ut idem facerent Galliarum Episcopi, imperavit:* Quod ipse posteà sigillatim confitetur. Eo usque interim posteà in dissimulatione perseverans, ut decem & octo mensium spatio à Gallicanis Episcopis, ut sese tanto crimine purgaret, sollicitè admonitus, à præcipuis demum sceleris sui consortibus derelictus, ad Regis clementiam confugere non verecundetur, novoque & arctiore Sacramento devictus, ad ejus etiam mensam admittatur. Hugo igitur, tenero adhuc regno, mitiùs cum eo agendum ratus, ad Iohannem decimum sextum recurrit, deque eo per literas & Oratores conquestus, initio benignè accipitur; At inquit Synodus: *Posteà quàm Heriberti Comitis Legati equam corpore præstantem, niveo colore insignem, cum aliis muneribus Pontifici obtulerunt*, ei quippe quem Platina, *omnia divina & humana elargitum cognatis & affinibus*, dicit, *posthabito Dei honore*, sententiam mutat, *ut per triduum ante januas palatij defatigati, nec admissi infecto negocio* redeant, non tam

Gerbert. in Epist. ad Othonem & ad Wilderodonem Epis. Argentinens. Synod. Rhemens. C. 26.

Synod. Rhemens. c 25. Gerbert. in Epistolâ ad Othonem & ad Wilderodonem Episcop. Argentinens.

Synod. Rhemens. C. 27.

tam dimissi, quàm discedere coacti. At Hugo, qui inter has moras Rhemos & Laudunum receperat, Arnulphumque in suâ potestate habebat, anno 991. Nationalem Synodum Rhemis cogit, in quâ suâ ipsius confessione reus peractus Arnulphus solenni more deponitur,& Gerbertus in ejus locum à Rege collocatur, qui hujus Synodi Acta digerere à Patribus jussus, quę etiamnum à nobis leguntur. Tunc seriò commoveri Pontifex, non tam Arnulphi judicio, quam legitimâ illâ Gallicanorum Patrum libertate offensus, adeò ut Antisynodo Munsoni habitâ, eos qui Rhemensis Synodi sententiæ subscripserant, anathemate feriat, Gerberto Archiepiscopali functione interdicat, Regibus ipsis anathema comminetur, mirum ut sit, istos homines in Italiâ tot flagitijs infames, nostrâ patientiâ tam impudenter abuti, suis Bullis nostram Galliam tam audacter ludificari: ex occasione haud dubiè & novi & fluctuantis adhuc Imperij nostri. Pergit verò eodem genio Gregorius quintus, ac tandem tantas molestias pertæsus Gerbertus, negotium deserere, seseque ad Imperatorem Othonem tertium recipere cogitur. Verùm, quâ nihilominus constantiâ Pontificum arrogantiam Gallicani Episcopi exciperent, tempus jam postulat ut videamus.

Ann. 991.

OPPOSITIO.

ANno igitur 991. conveniunt Rhemis, sub Hugone & Roberto filio, celebriores quique Provinciarum nostrarum Episcopi, in hac Synodo nominatim recensiti, cujus Acta à Gerberto, qui post Sylvester secundus, eleganter descripta: ac primum *Seguinum Archiepiscopum Senonensem Synodo præfuturum constituunt, ordinis custodem, & omnium gerendorum interpretem declarant Arnulphum, eo quod inter omnes Galliarum Episcopos sapientiâ & eloquentiâ clarior haberetur.* Exponit ergò ante omnia quanti illorum intersit, Arnulphi Episcopi Rhemensis causam ritè expendi, & elucidari, cum de tanto crimine agatur, majestatis præsertim: *Ne nos*, inquit, *probro infidelitatis & perfidiæ, causa unius, insimulent: Si, inquiunt, justis legibus utuntur Episcopi, fidißimique suis regibus sunt, cur hominem impurißimum suis legibus non puniunt? Nimirum aliorum flagitia ideo moliuntur celare, ut impunè liceat eis peccare.* Ac tum præfatur Siguinus Archiepiscopus Senonensis: *Non patiar*, inquit, *discußionem fieri ejus, qui dicitur esse majestatis obnoxius, nisi fortè convicto supplicij indulgentia promittatur*, eoque Toletani Concilij trigesimum primum caput adducit: Sed excipiunt Episcopi, id si locum habet: *Periculosum est, judicia Ecclesiastica deinceps à secularibus non expectari:* Iudices Regibus facti, nî jus illis reddant. Ac proinde non esse quod hoc morentur. Secundò, proferter jusjurandum Arnulphi, Hugoni & Roberto Regibus præstitum, disertissimis verbis, dira illa sibi imprecantis, quæ Propheta proditori Iudæ Psalmo 109. *Fiant dies mei pauci, & Episcopatum meum arripiat alter, &c.* Suosque fratres & filios (Diœcesanos utique) deprecantis ut illud etiam suis signaculis comprobare non graventur. Tertio: Accersitur Presbyter Adalgerus, qui cum Rhemensem civitatem prodente colluserat, crimen ultrò & apertè confitetur: Arnulphum sceleris caput & authorem ciet, *manum etiam igni admovere* paratus, anathematis se horrore perculsum protestatus, in Arnulphum ejusque sequaces fulminati, quod ibi totidem recitatur verbis. Et illud quidem, quod notatu dignum, non authoritate Divi Petri, sedisve Romanæ, *Sed authoritate*, inquiunt, *ac potestate Apostolis traditâ, nobisque relictâ.* Quale & in negotio Laudunensis, ab eadem utrumque venâ. Rogat Siguinus, an exinde

Synod. Rhemens. C. 1. & 2.

Synod. Rhemens. C. 2, 3.

C. 11, 12, 13. & 14.

tinde Arnulphus abſtinuiſſet ab ijs qui ibi excommunicati: Reſpondet Adalge-
us: contrà, *omni eos fidelium communione dignatum.* Hicque leguntur Antioche-
næ Synodi Canon quartus, Carthaginenſis vigeſimus nonus, & decimus tertius,
quibus apertè damnabatur; Nec eo minus tamen rogat Arnulphus Epiſcopus
Aurelianenſis hujus Actionis moderator, liceat cuivis eum defendere, Clericis
is, Abbatibus omnibus; quin & jubentur, anathematis pœnâ cum omni fidu-
â & libertate pro ejus innocentiâ verba facere, quod ex omnium ſententiâ Si- C. 17. 18.
inus pronuntiat. Quare prodeunt Iohannes Scholaſticus, Romulfus Abbas 19. & 20.
nonenſis, Abbo Rector Floriacenſis libris inſtructi, anathematis ſe potiſſi-
um vi urgeri profeſſi, ſi quid, quod ad ejus defenſionem faceret, omitterent.
uartò: Adducunt, judicium Synodi declinaturi, Stephani Mauritaniæ Epiſcopi
Damaſum Romanum, Damaſique ad Stephanum, quæ jactantur, Epiſtolas:
nde *Epiſcoporum & ſummorum negotiorum Eccleſiaſticorum cauſas ſemper ad ſedem*
poſtolicam eſſe referendas, prætendunt. Item capita quædam ex Epiſtolis De-
etalibus, (quæ à nobis anteà falſi convictæ,) evincere ex his conati: Arnul-
um ante omnia reſtituendum, inconſulto Papa in ejus negotio nihil agendum,
i in omnem eventum, ab eo ſolo judicari debeat, & poſſit. Reſpondet &
finit Synodus ex duodecimo Canone Concilij Africani, cum *Clerici intrà an-*
m cauſam ſuam purgare contempſerint, nullam eorum vocem poſteà penitus audiendam,
: illos ideò reſtituendos. Eoque proferuntur plura exempla, nominatim Hilde-
anni Epiſcopi Bellovacenſis, Hebonis Archiepiſcopi Rhemenſis, Creſconij
illaregienſis & aliorum. Iohannem Pontificem per literas tum Regum, tum Cap. 23. 24
piſcoporum (quæ ibi leguntur) de totâ re certiorem factum, quibus & edicere
gabatur, contra iſtum hominem, quem tanto honore Rex dignatus ſit, gratis
dinarit, nec eo minùs tantorum ſcelerum convicerit, adde qui *vocatus ad pala-*
m venire contemnat, Invitatus ab Archiepiſcopis, & coepiſcopis, nihil ſe eis debere Cap. 25.
ſpondeat; Iudam utique alterum, quid ſtatuendum eſſet decerneret, ne ex ejus
ccaſione, *nomen Dei*, ajunt, *per nos blaſphemetur; Nec enim* dicebant illi Iohanni
ontifici, *judici Deo excuſationem prætendentis, ſi nobis quærentibus atque ignorantibus*
rmam judicij dare nolueritis. Et porrò ſubjungebant: *ut ſciamus & intelligamus*
r inter cæteros Apoſtolatum veſtrum præferre debeamus, quippe quem Petri
ucceſſorem aut agnituri eſſent aut ſecus, prout ſententiam ſuam, Canonibus
ique conſonam, comprobaturus eſſet aut minus, quam proinde in dubium non
vocandam minimè arbitrarentur. Nec tamen Iohannem literarum ſuarum
llam rationem habuiſſe, imò equum album ab Herberto Comite donatum,
àm ſuam Legationem pluris apud eum fuiſſe, maledicta etiam in reos ut expe-
ret, ſolidos decem poſtulaſſe; quod ſi minus juſtum, ne pro mille quidem talen- Cap. 27. 28
concedere debuiſſet. Denique hoc unum reſponſum habuiſſe, *ut is pro quo*
otus eſſet benè illi proſpiceret. Itaque non abs re in Synodum Carthaginenſem,
i 227. Epiſcopi intererant, Auguſtinus in primis, *quid de Romani Epiſcopi po-*
ſtate ſentiri vellet, in æternis monimentis ſtatuiſſe. Quæ quidem integra ibi lecta,
quâ conſtabat illis hæc præſertim theſis: Negotia in quibus locis nata ſunt,
nienda, ut appellandi ad Romanum Epiſcopum neutiquam ſit locus. Quia
rò in quæſtione verſabatur Arnulphi Rhemenſis cauſa, ad Iohannem referen-
eſſet necne, viſum Arnulpho Aurelianenſi, qui Synodum dirigebat, rem al-
us repetere, cujus orationem integram inſerere non pigebit. *Nos*, inquit,
everendiſſimi Patres, Romanam Eccleſiam propter beati Petri memoriam ſemper
Cc *hono-*

honorandum decernimus, nec Decretis Romanorum Pontificum obviare contendimus; salvâ tamen authoritate Nicæni Concilij, quod eadem Ecclesia Romana semper venerata est, &c. Duo autem sunt quæ magnopere à nobis prævideri debent, id est, si Romani Pontificis silentium, aut nova constitutio, promulgatis legibus Canonum vel decretis priorum præjudicare potest. Si enim silentium præjudicat omnes leges, omnia priorum Decreta eo silente silere necesse est; Si autem nova constitutio, quid prosunt leges conditæ, cum ad unius arbitrium omnia dirigantur? Videtis, quia his duabus causis admissis Ecclesiarum Dei status periclitatur, & dum Legibus leges quærimus, nullas omnino leges habemus. Quid ergo? Num privilegio Romani Pontificis derogabimus? Minime. Sed si Romanus Episcopus is est, quem scientia & vitæ meritum commendet, nec silentium nec nova constitutio metuenda sunt. Quod si vel ignorantiâ, vel metu, vel cupiditate abalienatur, vel conditio invidiam facit, (quod ferè sub hæc tempora vidimus, Romæ tyrannide prævalente,) tum multò minus idem silentium, & nova constitutio formidanda sunt. Non enim is qui quolibet modo contra leges est, legibus præjudicare potest. Sed o lugenda Roma, quæ nostris majoribus, clara Patrum lumina protulisti, nostris temporibus monstrosas tenebras, futuro seculo famosas effudisti. Olim accepimus claros Leones, magnos Gregorios. Quid dicam de Gelasio & Innocentio, qui omnem mundanam Philosophiam suâ sapientiâ & eloquentiâ superant? Longa series eorum est, qui suâ doctrinâ mundum repleverunt. Eorum itaque dispositioni, qui vitæ merito & scientiâ cunctos mortales anteirent, rectè universalis Ecclesia credita est, quamvis in hac ipsâ fœlicitate hoc privilegium tibi ab Africanis Episcopis contradictum sit, has credo quas patimur miserias magis, quàm typum dominationis formidantibus. Nam quid sub hæc tempora vidimus? Vidimus Iohannem cognomento Octavianum in volutabro libidinum versatum, etiam contrà eum Othonem, quem Augustum creaverat, conjurasse, &c. Hicque quot quantaque, tum ipse, tum successores, regnante Othone, scelera flagitiaque patrarint, quas cædes, strages, vindictas, ediderint, summatim perstringit. *Succedit Romæ in Pontificatu horrendum monstrum Bonifacius, cunctos mortales nequitiâ superans, etiam prioris Pontificis sanguine cruentus, sed hic etiam fugatus atque in magnâ Synodo damnatus, &c. Num talibus monstris hominum ignominiâ plenis, scientiâ divinarum rerum vacuis, innumeros Sacerdotes Dei per orbem terrarum scientiâ & vitæ merito conspicuos subjici decretum est? Quid est hoc Reverendissimi Patres? Vel quonam vitio fieri credendum est? ut caput Ecclesiarum Dei, quod in sublime erectum, gloriâ & honore coronatum est, ita in infamiâ dejectum, ignominiâ & dedecore deturbatum sit? Nostrum, nostrum est hoc peccatum, nostra impietas, qui quærimus quæ nostra sunt, non quæ Iesu Christi. Si enim in quovis ad Episcopatum electo, morum gravitas, vitæ meritum, divinarum ac humanarum rerum scientia subtiliter investigantur, quid in eo, qui omnium Episcoporum magister videri appetit, investigandum non est? Cur ergo in summâ sede sic infimus constituitur, ut etiam in Clero nullum habere locum dignus inveniatur? Quid hunc Reverendi Patres in sublimi solio residentem, veste purpureâ & aureâ radiantem, quid hunc (inquam) esse censetis? Nimirum, si charitate destituitur,* (si pro quia) *soláque scientiâ inflatur, & extollitur, Antichristus est in Templo Dei sedens, & se ostendens tanquam sit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur, in Templo Dei tanquam statua, tanquam idolum est, à quo responsa petere, marmora consulere est;* Et tibi ne Lector faciat Baronius satis cum dicit, ejusmodi Pontificibus esse nihilominus quod obediant: *quippe cum Dominus, qui est sapientia increata & æterna, subditus fabro fuerit, atque Virgini Matri;* Nec enim eum, in horum monstrorum favorem, his exemplis abuti pudet. Et sanè nusquam Baronius splendidiùs ineptit. *Quo ergò consultum ibimus,* inquit Arnulphus,

Baron. an. 992. art. 20 21. 22.

Evan-

uangelium docet, quendam in ficulnea ter fructum quæsisse & quia non repererit, succide- voluisse, sed admonitum expectasse. Expectemus igitur Primates nostros, quoad possumus, que interim divini verbi pabula ubinam reperiri valeant, investigemus. Certè in Belgicâ & ermaniâ, quæ vicinæ nobis sunt, summos Sacerdotes Dei in religione admodum præstantes veniri in hoc sacro conventu testes quidam sunt. Proinde, si Regum dissidentium animositas n prohiberet, inde magis Episcoporum judicium petendum fore videretur, quàm ab eâ Ur- , quæ nunc emptoribus venalis exposita ad nummorum quantitatem judicia trutinat. uod si quispiam dixerit secundum Gelasium, Romanam Ecclesiam de totâ Ecclesiâ judi- re, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus Ecclesiâ judicare, is qui hoc dixerit, n nobis in Ecclesiâ Romanâ constituat, de cujus judicio judicari non possit, quamquam c ipsum Africani Episcopi impossibile judicant, nisi forte (inquiunt) quisquam est qui edat, unicuilibet posse Dominum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabi- us congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Sed cum hoc tempore Romæ nullus e sit (ut fama est) qui literas didicerit, sine quibus (ut scriptum est) vix ostiarius effi- ur, quâ fronte aliquis eorum docere audebit, quod minime didicit? Inde Canones & ecreta à Rei defensoribus prolata sigillatim expendit, nihil in eorum fraudem tum ostendit, in pari casu exempla valida ante oculos ponit, Ægidij Rhemen- Archiepiscopi in urbe Metensi à Galliarum Episcopis exauctorati, qui Argen- am in perpetuum relegatus, eique Romulfus successor datus, quod, contrà fi- em Regi Childeberto debitam, cum Chilperico amicitiam contraxisset. Nec men, inquit, *Magnus Gregorius privilegij Romanæ Ecclesiæ acerrimus defensor, cquam pro his aut contra hæc dixisse reperitur.* Item, Hebonis Archiepiscopi hemensis, apud Theodonis villam à Galliarum Episcopis ob læsam majestatem positi; Denique, inquit, *si Barbarorum gladiis circumsævientibus licentia comme- di Romam intercludatur, vel si Roma Barbaro cuilibet serviens, motu libidinis ejus in quod regnum efferatur,* nota (*efferatur*) *num interim aut nulla Concilia erunt, aut orbis rarum Episcopi ad suorum Regum damna vel interitus ab hostibus disponendarum rerum nsilia & Concilia expectabunt? Et certe Nicænus Canon, qui, ipsâ Romanâ Ecclesiâ le, omnia Concilia, omnia Decreta, eminentiâ sui exuperat, bis in anno Concilia debere ri dicit, nihilque inde ad Romani Episcopi authoritatem spectare præscribit.* Ut autem nifestum facit, eo jam loci Ecclesias devenisse, ut ijs Romam non amplius con- giendum sit: *Ut enim planius dicamus,* inquit, *palamque fateamur, post Imperij occa- n hæc urbs Alexandrinam Ecclesiam perdidit, Antiochenam amisit, & ut de Africâ eamus atque Asiâ, ipsa jam Europa discedit, nam Constantinopolitana Ecclesia se sub- xit, interiora Hispaniæ ejus judicia nesciunt; Fit ergo discessio secundum Apostolum, n solummodo gentium, sed etiam Ecclesiarum, quoniam cujus ministri Gallias occupave- t, nosque totis viribus premunt, Antichristus instare videtur: Et ut idem Apostolus , jam mysterium iniquitatis operatur, tantum ut qui nunc tenet, teneat, donec de medio t, ut ille perditionis filius reveletur, homo peccati qui adversatur & extollitur suprà Dei nen, Deique culturam. Quod jam in aperto fit, ut Romana potentia conquassata, re- ione profligatâ, nomen Dei frequentibus perjurijs impunè humilietur, ipsius divinæ gionis cultus, etiam à summis Sacerdotibus contemnatur. Ipsa insuper Roma jam penè à seipsâ discedit, dum neque sibi nec aliis consulit.* Ex his & perspicuè & liberè eos ocens, Romanæ Ecclesiæ rationem non olim habitam aut jam habendam, nisi atenus insignibus viris conspicua aut fuit, aut sit, quorum causa consulatur: si desint, si nulli sint, aliunde petendum sibi cònsilium, ex Belgio, ex Ger- niâ, ex orbe extremo, cum nulli prorsus loco sint alligandi. Quod idem

à compluribus jam Eccleſiis præjudicatum, ipſi eo ſtudioſius exequi debeant, quo Romanam tyrannidem propiùs experiuntur: Cum jam ibi ſedes Petri attendenda non ſit, cujus memoriam non venerantur, ſed ipſius Antichriſti. Perorans tandem, cum Roma ab ipſis conſulta nullam judicij formam promulgarit, ex ſacris
Cap. 29. & 30. legibus videndum, *à quot Epiſcopus in crimine detentus audiri debeat, & qui cauſæ ſuæ dicendæ adeſſe noluerit, quam ſententiam excipiat.* Ergò, Canones proferuntur, Carthaginenſis decimus, & ſeptimus, quibus, ut rei defenſores acquieſcunt, jubetur ipſe venire, inque Epiſcoporum ordine, jubente Synodo, conſidere. Ut omnia negare aut diſſimulare ſatagit, Arnulphus Aurelianenſis Epiſcopus ruborem incutit, propriis verbis eum convincit, domeſticos & vernas opponit, componit, qui teſtimonium ſuum comprobaturi, per ignitos vomeres incedere non recuſant; Supplicant ex Abbatibus ſuis nonnulli, liceat ei per Synodum, cum quibus voluerit conſilium capere; conceditur; Et Siguinum Epiſcopum Senonenſem deligit, Arnulphum Aurelianenſem, Brunonem Lingonen-
Cap. 30. & 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. ſem, Goteſmannum Ambianenſem, in quorum abſentiâ, multa ex Canonum capitulis in Synodo proferuntur, multa inter aſſidentes quaſi ad quæſtionem prævia conferuntur; tandem poſt multas tergiverſationes, partim probationum vi preſſus, partim ſtimulante conſcientiâ, Arnulphus ſubito in confeſſionem peccatorum ſuorum cum lachrymis & ſingultibus erumpens, plura quam ipſi noſſent, confitetur, ſeſeque ipſe Sacerdotio privari poſcit: Accerſuntur tum qui in Synodo Epiſcopi, ut teſtis ſimul ſibi & judex cauſam ſuam coram multitudine exponat. Quare ipſomet & conſentiente & flagitante Epiſcopatu deponitur: de formâ tantum quæſitum, quæ in antiquis Conciliis perveſtigatur; dumque variè varij, aliis illum propter genus, aliis propter florem juventutis mi-
Cap. 49. & 50. ſerantibus, Epiſcopis verò ruinâ fratris & Sacerdotalis dignitatis ignominiâ graviùs extimulatis, inter has querimonias Francorum Reges cum Primoribus Palatij, ſacro conventui ſeſe inferunt & Epiſcopis gratias agunt, quod pro ſalute Principum diutius conſultando, devotionem ſuam plenâ fide ſignâſſent, ſimulque geſtorum ſeriem breviter exponi petunt, quod ab Arnulpho Aurelianenſi præſtitum; Demum verò ut Synodus invidiâ liberaretur, inducitur reus ipſe, ore proprio ſententiam in ſeipſum laturus. Quod & diſertiſſimis verbis exequitur & nihilominus præ rubore, eloquij impos, petit, ut Arnulpho pro ſe loquenti credatur, qui ut omnia *expoſuit rogat, quid ad hæc dicis, quæ pro te hactenus loquutus ſum:* Ille verò, *dico & profiteor ſicut hactenus loquuti eſtis: Tum Aurelianenſis, Proſternite ergo coram tuis Dominis, coramque tuis Regibus, quos inexpiabiliter offendiſti, propriamque confitens culpam, pro tui vitâ ſupplica: qui pietate flexi, vivat,* inquiunt, *veſtro beneficio, noſtraque degat ſub cuſtodiâ nec ferrum, nec vincula metuens, niſi fortè ſpem in fugâ poſuerit.* Ac tum, *culmen honoris, quod gradibus extulerat, gradibus deponens,* reſignat Regi, quæ à Rege acceperat, Sacerdotalis quoque dignitatis inſignia apud Epiſcopos deponit, & libellum ſuæ abdicationis, ſecundum exemplar prædeceſſoris ſui Hebonis, perſcriptum, in medio conventu ore ſuo recitat: quod ibi verbatim legitur, ab omnibus Epi-
cap. 54. & 55. ſcopis qui aderant ſubſignatum, ſingulis illis dicentibus: *ſecundum tuam profeſſionem & ſubſcriptionem ceſſa ab officio.* Quo facto Clerum & Populum à Sacramentorum nexu obſolvunt, ut omnibus libera facultas in alterius tranſmeandi jura pateret; Et hîc Synodi finis, quam quidem fuſius nobis exponere viſum, unde omnibus manifeſtum fieret, in hoc negotio, Patres noſtri Gal-

li-

…icani quàm unanimiter per Arnulphi Aurelianensis os loquuti, quàm graviter, …naturè, moderatè, circumspectè versati; de Româ etiam & de Pontifice quid …am & sentirent & judicarent plerique. Sextò, excandescit idcircò Papa Io…annes, & Regibus anathema minatur: Hugo verò, qui competitoribus ex eo an…am præberi metuit, totius negotij seriem scripto expositam cum literis ad eum …nittit, his verbis: *Nihil nos contrà Apostolatum vestrum egisse scimus, quod si absen…ibus non satis creditis, præsentes de præsentibus vera cognoscite. Gratianopolis civitas …n fine Jtaliæ & Galliæ sita est, ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere …liti fuerunt. Hoc si vobis placet iterare possibile est. At si nos & nostra invisere libet, …ummo cum honore descendentem ex Alpibus excipiemus, morantem ac redeuntem debitis …bsequiis prosequemur. Hoc ex integro affectu dicimus, ut intelligatis & cognoscatis, nos …r nostros vestra nolle declinare judicia.* Sed Legatos in Galliam mittere Iohannes …naluit, quas inter moras Gerbertus (qui post Sylvester secundus) Epistolam ad …iguinum Archiepiscopum Senonensem, qui Arnulpho reo apud Pontificem fa…ere creditus, scribit, quæ sub finem Synodi legitur: *Oportuerat*, inquit, *pruden…iam vestram callidorum hominum versutias evitasse, & vocem Domini audire dicentis, si …ixerint vobis esse hic Christum, aut esse illic, nolite sectari; Romæ dicitur esse qui ea, quæ …amnatis, justificet. & quæ justa putatis damnet, & nos dicimus, quod Dei tantùm est …r non hominis ea quæ videntur justa damnare, &c. Deus dicit, si peccaverit in te frater, …ade & corripe eum, &c. Quomodo ergo æmuli nostri dicunt, quod in Arnulphi dejectio…e Romani Episcopi judicium expectandum fuit? Poterunt ne docere, Romani Episcopi ju…icium Dei judicio majus esse? Sed primus Romanorum Episcopus, imò ipsorum Aposto…orum princeps clamat: Oportet obedire Deo magis quam hominibus: Clamat & ipse orbis …rrarum magister Paulus, si quis annunciaverit vobis præter quod accepistis, etiam An…elus de cœlo anathema sit. Num quia Marcellinus Papa Iovi thura incendit, ideò cun…tis Episcopis thurificandum fuit? Constanter dico, quod si ipse Romanus Episcopus in …ratrem peccaverit, sæpius admonitus Ecclesiam non audierit, hic inquam Romanus Epi…copus, præcepto Dei est habendus sicut Ethnicus & publicanus. Quanto enim gradus …ltior, tanto ruina gravior est. Quod si propterea nos suâ communione indignos ducit, quià …ontra Euangelium sentienti nullus nostrum consentit, non ideo à communione Christi nos …parare poterit; cum etiam Presbyter nisi confessus aut convictus ab officio removeri non …ebeat, præsertim cum Apostolus dicat: Qui nos separabit à charitate Christi? Et ite…um: certus sum enim quod neque mors neque vita, &c. Privilegium Petri, inquit Mag…us Leo, non tenetur ubicumque non ex æquitate fertur judicium. Non est ergò danda …ccasio nostris æmulis, ut Sacerdotium, quod ubique unum est, sicut Ecclesia Catholica …na est, ita uni subjici videtur, ut & pecuniâ, gratiâ, metu, vel ignorantiâ corrupto, ne…o Sacerdos esse possit, nisi quem sibi hæ virtutes commendarint: Sit lex communis Ec…lesiæ Catholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones spiritu Dei constituti & …otius mundi reverentiâ consecrati, Decreta sedis Apostolicæ ab his non discordantia, …c. Valete & à sacrosanctis & mysticis suspendere vos nolite.* Interim ægrè hæc pas…us Iohannes modo Romæ modo Aquisgrani Synodum assignat, ad quam Epi…copi nostri, extra regnum non teneri causati, convenire detractant; Demùm …c Munsoni in finibus Galliæ, ubi solus Gerbertus, ab Hugone Rhemensis Archiepiscopus nominatus, fidenter comparet, coramque Leone Sancti Bo…ifacij Abbate, Pontificis Legato, compluribus Germaniæ & Italiæ Episco…is adsistentibus, Patrum Gallicanorum causam tuêtur; tam strenuè, ut incon…ulto Papa, Legatus ulterius progredi non audeat, rem in aliam Synodum Rhemis

convocandam rejiciat: Gerberto tamen Episcopali functione, lite pendente, interdicat: qui sanè in os illicò respondere non veritus: *Non esse in potestate cujusquam Episcopi & Patriarchæ & Apostolici, quemquam fidelium à communione removere, nisi sponte confessum & convictum, & ad Concilia venire nolentem: sibi autem nihil obstare horum, quippe qui nec confessus nec convictus, & qui solus de Galliâ ad Concilium venerit.* Verùm, Gerbertus postmodum in Germaniam ad Imperatorem Othonem tertium se confert, apud quem olim educatus, à quo non multo post Ravennæ Archiepiscopus factus; Nimirum, qui Reges nostros in novo regno nondum satis firmatos, nec omnibus probatos, a Pontificis Romani artibus sibi metuere animadverteret: Et porrò nequicquam obnitentibus Episcopis nostris, Arnulphus ille, in secundâ Synodo Rhemensi, sedi restituitur, quod Leonem Pontificis Legatum obtinuisse, verisimile, quòd *Iohannes Regis Roberti matrimonium confirmasset*, sicuti ex Gerberti ad Reginam Adeleidam Epistolâ apparet. Adde etiam Gerbertum, ijs, quæ proponebantur, conditionibus, Episcopatum retinere noluisse. Matrimonium vero illud, ex quadam Hugonis Epistolâ, quæ inter Gerberti Epistolas legitur, Regis Roberti cum Berthâ Rodulphi Burgundiæ Regis sorore, fuisse videtur: quod posteà propter cognationem spiritualem, quæ consanguinitati accedebat, diremptum fuit: Ut non rarò accessoria principali causæ obsunt, circunstantiæ substantiam ipsam evertunt. Hîc Gerbertus sibi temperare non potest, quin Apologiam Ecclesiæ Gallicanæ scribat: suam utique ad Wilderodonem Episcopum Argentinensem Epistolam, in quâ ex antiquis Ecclesiæ Canonibus legitimam Episcoporum nostrorum agendi rationem exponit his verbis: *Silentium Pontificis Romani, aut ejus dissimulatio, vel nova constitutio jam constitutis præjudicat legibus, sed improborum hominum cavillatio est, &c. Tu dicis Arnulphum incendia, seditiones, traditiones, flagitia, captivitates, suorumque direptiones exercentem, suorum Regum interitus molientem, patriam hostibus prodentem, divina humanaque contemnentem, nec communione debuisse privari, nec potestate Principis abjici, sine Episcopi Romani jussione: cum Apostolus dicat: quia Princeps non sine causâ gladium portat, sed ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Favete omnes, qui Regibus vestris fidem promisistis, promissamque servare vultis, qui Clerum vobis commissum & populum nec tradidistis, nec tradere disponitis, vos, inquam, qui tantorum scelerum facta perhorrescitis, favete his qui obediunt Deo jubenti: Peccantem & Ecclesiæ non obaudientum habendum sicut Ethnicum & publicanum: qui iterum dicit vobis: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui transgredimini mandatum Dei, &c. Et ne quis nos in invidiam adducat quasi privilegijs Romanæ Ecclesiæ derogantes, audiat Hieronymum dicentem: Si authoritas quæritur, orbis major est Urbe: Quod si persona major Presbytero quæritur, ille sacerdos magnus Leo Papa accedat: Non tenetur,* inquit, *Petri privilegium, ubi non ex ejus æquitate fertur judicium, &c. At quid judicata, si judicanda exinde non informantur, aut quomodo mansuras in æternum leges trecenti decem & octo patres constituerunt, si horum constituta ad unius libitum permutantur, aut perimuntur? Apiarius Presbyter, ab Afris damnatus, à Romanis communioni restitutus est. Scribunt Africani Papæ Cœlestino, contra Nicænam Synodum factum videri. Ajunt calumniatores nostri summum Sacerdotem Arnulphum à summo Sacerdote Romano debuisse tantum dijudicari: ait beatus Augustinus, si Cæcilianum totius Africæ primatem ejus accusatores, quod in vitâ non potuerunt post mortem convincant, à sacrorum proditoribus voluminum ordinatum, vel ipsum proditorem fuisse & post mortem sine retractatione se ei anathema dicturum. Licuit ergo Episcopis Galliarum viventi Arnulpho, confesso & convicto, ut Ethnico & publicano dixisse anathema: licuit, inquam, sequi Evangelistas,*

Gerbert. in Epist. ad Adeleidam Reginam.

Gerbert. in Epist. ad Wilderodonem, Episcopum Argentinensem.

ctas, *Apostolos, Prophetas, sacra Concilia, vivorum Apostolorum Decreta, ab his quatuor non discordantia, semper in usu habita, semper habenda, &c. Pressa jacet tyrannide omnis Ecclesia Gallorum, atqui non à Gallis, sed ab his à quibus sperabatur salus. Sed una salus hominis ô Christe tu es. Ipsa Roma, omnium Ecclesiarum hactenus habita mater, malis benedicere, bonis maledicere fertur, & quibus nec Ave dicendum est, communicare, tuamque legem zelantes damnare, abutens ligandi & solvendi potestate à te acceptâ.* Qui interim Floriacensis Abbatiæ monachus non *à progenie*, quod ipse fatetur, *nec ab opibus commendatus*, scientiæ & prudentiæ tantum nomine *nobilioribus & ditioribus* antelatus.

Et hic jàm annum millesimum attigimus. Nequis verò existimet, aut nos, aut quos adducimus authores de Ecclesiæ Romanæ statu, aliquo animi æstu abreptos, loqui, ipsius Cardinalis Baronij judicium inserere juvat: Et de toto quidem hoc seculo, quale Tomo Annalium suorum decimo extare voluit: *Quæ tunc facies Ecclesiæ Romanæ?* inquit, *quàm fœdissima, cum Romæ dominarentur potentissimæ, æque ac sordidissimæ meretrices? Quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasij Pseudo-pontifices, qui non sint nisi ad consignanda tanta tempora in catalogo Romanorum Pontificum scripti. Quis enim à scortis hujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere posset, Romanos fuisse Pontifices? Nusquam Cleri eligentis vel consentientis posteà aliqua mentio, canones pressi silentio, decreta Pontificum suffocata, proscriptæ antiquæ traditiones, veteresque in eligendo summo Pontifice consuetudines, sacrique ritus & pristinus usus prorsus extincti. Sic vindicaverat omnia sibi libido seculari potentiâ freta, insaniens, œstro percita dominandi. Dormiebat tunc planè alto (ut apparet) sopore Christus in navi, cum ipse flantibus validis ventis, navis ipsa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui ista non videre dissimulans, sineret sic fieri; dum non exurgeret vindex. Et quod deterius videbatur, deerant qui Dominum sic dormientem clamoribus excitarent discipuli, stertentibus omnibus. Qualesnam reris delectos ab hisce monstris Presbyteros & Diaconos Cardinales fuisse putandum, cum nihil tam naturæ insitum sit, quam unumquemque sibi similem generare? Quos in omnibus his, à quibus delecti fuerint, consensisse dubitare quis poterit? imitatosque esse ipsos, sectatosque eorum vestigia quis non facilè credat, & optasse hos omnes Dominum dormiisse semper, & nunquam in judicium surrecturum, evigilaturum nunquam ad ipsorum cognoscenda & punienda facinora quis non intelligat?* Et ex hoc solo loco judicet Lector, quam tantopere ostentant Episcoporum Romanorum successionem, quo jure defendere possit. Baron. Annal. to. 10. an. 912. art. 8.

Nec hîc omissum volumus, Glabrum nostrum à Baronio reprehendi, ubi tamen Gallicanæ Ecclesiæ fidem gnaviter exprimit. Fulco Comes Andegavensis, Ecclesiam cum extruxisset, Romam ipse cum ingenti pecuniâ iter suscipit, quam Iohanni decimo septimo tradit, ut Legatum in partes mittat, qui eam consecret. Annuit Iohannes & Cardinalem eo dirigit jussum facere, quod Fulconi videretur: Verùm, inquit Glaber, *hoc utique audientes Galliarum quique Præsules, præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæcâ cupiditate processisse, dum videlicet unus capiens, alter raptum suscipiens, recens in Romanâ Ecclesiâ schisma creavissent. Universi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is qui Apostolicam regeret sedem, Apostolicum primitus ac Canonicum transgrederetur tenorem. Cum insuper multiplici sit antiquitus authoritate roboratum; ut non quisquam Episcoporum in alterius diœcesi id præsumat exercere, nisi Præsule, cujus fuerit, compellente seu permittente;* Ne quidem excepto Episcopo Romano, cujus proinde diœcesim toto orbe patere Glaber Historiar. lib. 2. c. 4. Baron. to. 10. an. 996. art. 21. 22. 23. 24.

mini-

minimè intelligat. Pergit. *Congregatâ innumerabili ad dedicationem populi multitudine, cum flabris undique ſerenum conſiſteret cœlum, repente ſupervenit à plagâ Auſtrali vehementiſſimus turbo, qui ſolutis laquearibus univerſam Eccleſiam evertit. Quod cum multi per regionem factum comperiſſent, nulli venit in dubium, quoniam inſolens præſumptionis audacia irritum conſtituiſſet votum,* (Fulconis) *ſimulque præſentibus ac futuris quibuſque, ne huic ſimile agerent evidens indicium fuit. Licet namque Pontifex Romanæ Eccleſiæ, ob dignitatem Apoſtolicæ ſedis, cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet tranſgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unuſquiſque Orthodoxæ Eccleſiæ Pontifex ac ſponſus, propriæ ſedis uniformiter ſpeciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quidpiam in alterius procaciter patrare Epiſcopi diœceſi.* Et in Monachi hujus ſententiâ, Eccleſia noſtra quid tum ſentiret, agnoſcamus.

PROGRESSUS.

Quod jàm aggredimur ſeculum non ſanè proficit in melius, unde & Carthuſianus ſub annum milleſimum notat, tempus ingruere monſtruoſum, magicis artibus & omnis generis maleficiis infame: his præſertim verbis. *Tempus effeminatum incepit circa annos Domini* 1000. *in quo fides Chriſtiana valdè cœpit deficere & declinare à priſtinâ virilitate, ut apparet in prophetiâ ſanctæ Hildegardis, &c. auguriis & maleficijs intendebant, & erat ſacerdos ſicut populus.* Iohanni decimo ſeptimo ſucceſſerat Gregorius quintus, gente Saxo, ab Othone tertio Ravennæ è ſuo Comitatu delectus, Romamque conſecrari miſſus, ubi non multò poſt Imperatori coronam impoſuerat. Verùm, vix in Germaniam faciem verterat, Creſcens Conſul, Gregorium urbe exigit, eique Antipapam opponit: quâ occaſione Otho, Gregorij impulſu, Romam reverſus, graves à ſeditionis authoribus pœnas repoſcit. Gregorio verò paucis poſt diebus defuncto, congregatis Clero & populo, Gerbertum illum, de quo toties antea, ſufficit, quem adoleſcens præceptorem habuerat; Huic Sylveſtri ſecundi nomen. Quod ex pluribus ejus ſcriptis, quæ in diverſis adhuc Bibliothecis aſſervantur, facile conſtat, in ſublimiorum quarumque ſcientiârum, Mathematicarum præſertim arcana penetrarat. Sed ut erectiora illa ingenia difficulter tenent modum in Necromantiam uſque pervaſiſſe, multis authoribus, non ſine magno vituperio creditur, cujus adeo ope ad Pontificatum ſibi gradum fecerit. Creditum verò hoc ab ijs, quibus tum ad ſecretiora acceſſus, tam conſtanter, ut quicumque hoc ſeculo ad ſedem Romanam adſpirabant, hanc artem profeſſi, hac ſibi viam ad eam ſtraviſſe exiſtimentur. Puderet referre, nî Martinus Polonus, Vincentius Bellovacenſis, Galfridus, Malmelsburienſis, Antonius Archiepiſcopus, Henricus Erfordienſis, Carthuſianus, Platina, Stella, alij verbis præirent, plerique abſolutè, hanc Gerbertum artem ex libro hauſiſſe, authores ſunt, quem Hiſpali in Hiſpaniâ ſuffuratus erat, Diabolo inde fidem & hominium præſtitiſſe, caput æneum, per quod Dæmon conſultus reſponderet, in conclavi habuiſſe, quem cum, quam diu regnaturus eſſet, conſuleret, non prius moriturum aſſeveraſſe, quam in Hieruſalem Miſſam celebraſſet; Quæ profectio cum ab ejus mente plurimùm abeſſet, longævam ſibi vitam haud dubiè ſpondebat. At febre correptum Romæ in Eccleſiâ ſanctæ Crucis, cui nomen Hieruſalem, dum Miſſam in Quadrageſimâ celebrat, ex ſtrepitu dæmonum mortem adeſſe ſenſiſſe, & oraculi demùm ambiguitatem animadvertiſſe, indeque tanti peccati gra-

Faſcicul. Tempor. ann. 1000.

Martinus in Chron. Galfridus in ſupplement. Sigeberti. Anton. Archiepiſ. tit. 16. part. 2. ſect. 18. Vincent. l. 24. c. 98. Henricus Erford. in Chronico. Platina in Sylveſtr. Ioannes Stella ibid.

…tate commotum, quibusdam Cardinalibus rem aperuisse, satisfactionisque loco …andasse, ut post mortem, truncum corporis sui laceri & disjecti, quemadmodum …erebatur, *bigæ superimponerent, eoque loci sepelirent, quo sponte ab equis vectum foret*; …quos igitur ipsos sponte ad Lateranensem Basilicam substitisse, eoque loci Car…inalium mandatu sepultum fuisse: *Ejus porrò sepulchrum collisione ossium, & sudore …misso, ab eo tempore dicitur semper Pontificum mortem prædixisse*; Quæ tamen narratio …quibusdam hodie in dubium revocatur, à Baronio in primis, quod apud Gla…rum, & Dithmarum non extet, à quibus contrà eleemosynæ nomine commen…atur: sed Malmelsburiensis monachus tanquam extra omnem controversiam …ositam proponit, & omnes ejus circunstantias describit, quin & penes se veterem …brum esse quo Pontificum nomina continentur, qui de Sylvestro: *Vitam turpiter …nivisse* dicit; Et Benno Cardinalis: *Gerbertus paulò post completum millenarium as…ndens de abysso permissionis divinæ, quatuor annis sedit, mutato nomine dictus Sylvester …cundus, & per quæ multos decepit, per eadem Dæmonum responsa deceptus morte impro…isâ, Dei judicio est interceptus.* Et mox Historiam illam subjungit. Addit Benno …iscipulos habuisse Theophylactum, & Laurentium, qui Dæmonibus sacrifica…ant, interque eos & plures alios, post ipsius obitum, certatum, uter ijsdem arti…us Papatum obtineret, quin & successores, longo post tempore, Magiam idcirco …rofessos, quod deinceps accuratius exponetur. Baronius sanè, licet miserandum …ylvestri exitum præ horrore controvertat, de eo tamen sinistrè admodum judi…at: ut hoc seculum, à publicâ hujus sedis abominatione exorsus, eadem etiam …oncludat. Ante Papatum enim Sylvestrum depinxerat, *curialem inter curiales, …c profiteri cœpisse, ut garrulitate, dicacitate, oblocutione, detractione, adulatione, animi …uplicitate ad simulandum atque fallendum summâ dexteritate compositus, omnes facile …ntecelleret.* At ut ad Papatum accessit, quod aliis usuvenisse fingit, non eum Ca…hedra transsubstantiat: *Contra*, inquit, *ut liberè fatear tantâ sede indignissimus fuit, …& ista adeò indigna pati coacta est Romana Ecclesia, cum per Principes seculi electiones …Romanorum Pontificum factæ sunt.* Nec interim videre vult, Cleri ambitu & factio…e non eligi meliores; Certè Sergius successor Sylvestro Epitaphium posuit, ubi …reatum ab Othone tertio Pontificem agnoscit his verbis:

Benno Cardinal. in vitâ Hildebrand.

Baron. an. 991. art. 6. 7. & 992. art. 3. Anno 999. art. 2.

Post annum Romam mutato nomine sumpsit.
Obtulit hoc Cæsar tertius Otho sibi.

Et quod porrò Sigonius asserit, ejus rogatu Othonem tertium donationes, quæ …icuntur Pipini, Caroli, Ludovici, Ecclesiæ Romanæ renovâsse; ut nullo authore …dducit, ita ipso Othone teste refellitur. In Donatione enim illâ, cujus Diploma …Asisij in Archivis Pontificiis asservatur, octo tantùm Comitatus Sylvestro …Magistro donat, uti suprà à nobis notatum: quorum proinde donatione cætera …xcludit; quin & Paleam illam Constantini explodit, & Pipini, Caroli, Ludovici …on agnoscit, & Calvi ipsiùs suggillat & pro nihilo habet; Adde, non sine sedis …nfamiâ, Sylvestro, Satanæ mancipio, hanc dominationem acceptam hac ratione …erri.

Othonis 3. Diploma Donationis, quod Asisij servatur. in Archivis Ecclesiæ Romanæ.

Sylvestro succedit Johannes Sicco Romanus, anno 1003. Platinæ decimus no…us, qui quinque tantum menses superstes; quo tamen perbrevi spatio evicisse …cribitur, ut frustrato Populo, electio Romani Pontificis ad solum Clerum …Romanum pertineret, unde Cardinalibus aucta in immensum deinceps authori…as; Hæc verba utique usurpare solitus, *ducendum esse populum, non sequendum.* …Quamquam statutum hoc longo post tempore non tenuit. Tribuit ei etiam

Bacontorpius in prologo in 4. sent. q. 10.

 Stella,

Stella, *Festum omnium animarum*, Odilonis primum Abbatis Cluniacensis inventum, quod Iohannes cæteris deinceps observandum sanxerit. Sequitur Iohannes vigesimus, cognomine Fasanus, & mox Sergius quartus, neuter aliquâ re insignis: Deinde Benedictus octavus, Benedictus nonus, Iohannes vigesimus primus, An. 1045. Sylvester tertius, Gregorius sextus, qui ad annum millesimum quadragesimum quintum nos deducunt, nobis unâ quasi fideliâ dealbandi, quia plerique & factione Comitum Tusculanorum creati, & si quæ suis authoribus fides, Magiæ crimine infames. Benno Cardinalis in Hildebrando, qui Gregorius septimus; *Doctrinas Dæmoniorum accepit à magistris suis, à Theophylacto, qui cognominatus est, Benedictus Papa nonus, à Laurentio, Amalfitano Archiepiscopo, à Iohanne Archipresbytero sancti Iohannis de portâ Latinâ, qui postea cognominatus est Gregorius sextus Papa;* De Theophylacto aut Benedicto nono peculiariter: *Sacrificijs Dæmoniorum fuit deditus, in Sylvis & montibus mulieres post se currere faciebat, quas magicis artibus ad sui amorem coegerat. Testantur hoc libelli ipsius inventi in domo ejus, postquam vitam malè finierat. Is dum ad Ecclesiam rediret de Sylvarum secretis, ubique secum habens prædictum Laurentium Principem maleficiorum, cum eo etiam publicè de Mathesi disputabat, & de complice & discipulo suo Papa securus, gaudebat etiam publicè in conventu Episcoporum & Cardinalium & Senatorum auguria sua magnificare;* Denique, inquit, *à Diabolo in sylvis fuit suffocatus, Archipresbyter in exilium missus, Laurentius in fugam coactus.* Cæterùm, aliarum rerum ignarus adeò, ut collegam secum consecrari voluerit, qui officium celebraret, unde ab Onuphrio *homo nihili*; per intervalla licet decem & eo amplius annos regnarit. Narrant plures authores, Petrus Damianus Cardinalis inter alios, huic ætati vicinus, Benedictum istum post obitum cuidam Anachoretæ prope moletrinam *horribili figurâ* apparuisse, *corpore, capite & caudâ Asino similem; rogatum verò de tam stupendâ metamorphosi, respondisse, eâ specie aberro, quia in Pontificatu, sine lege & sine Deo, ut bestia vixi.* Damianus hic licet strenuus Pontificum satelles, ut suo loco videbitur. De Sylvestro tertio idem Cardinalis, *Ecclesia gravi schismate lacerata, bellis feralibus & immensis cædibus laniata.* Waltramus verò suæ imperitiæ conscium, cum Imperatorem in Italiam adventare intelligeret, Archidiacono sancti Iohannis Portæ Latinæ, Mago perinsigni, pro 1500. auri libris, Pontificatum resignasse. Ut & Glaber Papam eum electum dicit, *puerum duodecim annorum*, propter opes quibus affluebat. At Baronius sanè ingenuè *decennem*; Platina igitur de illis omnibus: *Eo devenerat*, inquit, *tum Pontificatus, ut qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vitæ & doctrinâ valeret, is tantummodo dignitatis gradum bonis oppressis & rejectis obtineret, quem morem utinam aliquando non retinuissent nostra tempora, sed hoc parum est, pejora (ni Deus caveat) visuri aliquando sumus.* De Sylvestro nominatim, *non per ostium sed per posticum intrârat, ut fur & latro.* Et hi interim Ecclesiam agebant, ferebant, in eaque ad extremos usque orbis fines pro libidine dominabantur. Quin & de regnis & imperiis pro arbitrio statuebant, nempe ut impleretur prophetia illa, de *Regibus vino calicis sui inebriandis*, quandoquidem Benedictus nonus ex Glabro legem sancit, *ne quisquam audacter Romani imperij sceptrum præproperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, nisi quem Papa sedis Romanæ delegerit, morum probitate aptum Reipublicæ, eique insigne imperiale commiserit.* Quippe, inquit, *Pomum aureum insigne præcepit fabricari atque circumdari per quadrum prætiosissimis quibusque gemmis ac desuper auream crucem inseri.* Vacante etiam per Conradi obitum imperio, Petro Regi Hungariæ per Legatos illud offert, cũ diademate his versibus inscripto.

Cardinal. Benno in vitâ Hildebrandi.

Martinus in Cron. Platina in Benedicto 8. Petrus Damianus in libro qui inscribitur gratissimus

Herman. contractus in Chronic. Waltramus de investiturâ. Glaber. Hist. lib. 5. Platina in Sylvest. 3. & aliis.

Glaber. l. 1. in fine.

Petra

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Nimirùm, quò Princeps quisque remotior eo suis rebus commodior & gratior, perpetuò additâ conditione *de donationibus* confirmandis. Sed videamus jàm de hac rerum confusione Ecclesia quid sentiret.

OPPOSITIO.

AT hoc sanè non aliis quàm Monachis authoribus discere liceat, penes quos solos, hoc tempore, scribendi facultas; ac quorum saltem testimonium omni exceptione majus, ex proprio utique sinu depromptum. Apud Glabrum igitur Cluniacensem Monachum authorem coætaneum, qui Historiam suam Odiloni Abbati inscribit, Henricus secundus Imperator Archiepiscopos & Episcopos, ex suis omnibus ditionibus convocatos, his verbis compellat: *Omnes gradus Ecclesiastici à maximo Pontifice usque ad Ostiarium opprimuntur per suæ damnationis prætium, & juxta vocem Dominicam, in cunctis grassatur spirituale latrocinium.* Subjungit author: *Et hæc non solùm in Gallicanis Episcopis pullulaverat nequitia pessima, sed totam occupaverat Italiam; omnia quippe ministeria Ecclesiastica eo tempore ita habebantur qualia, quasi in foro secularia mercimonia.* Quare, Episcopis attonitis non aliud quàm ad ejus misericordiam perfugium. Ille verò consolaturus, *Ite*, inquit, *& quod illicitè accepistis, benè disponere satagite.* Et legem reprimendis hujusmodi ordinationibus sancit. De sede ipsâ Romanâ, *ipso tempore Romana sedes, quæ universalis jure habetur, in orbe terrarum, præfato morbo pestifero, per viginti quinque annorum spatia, miserrimè laboraverat, fuerat enim eidem sedi ordinatus quidam puer circiter annorum duodecim, contra jus fasque, quem scilicet sola pecunia auri & argenti plus commendavit, quàm ætas & sanctitas. Et quoniam infelicem habuit introitum *, infeliciorem persensit exitum, quippe referre turpitudo illius conversationis & vitæ;* Idem alibi: *Tunc, tum in seculari potestate, tum etiam in Ecclesiasticâ religione totius criminis personæ constiterant, in puerili ætate; propter peccata enim populi contigit tunc illud Salomonicum, quod ait: Væ tibi terræ. Nam & ipse universalis Papa Romanus nepos scilicet duorum, Benedicti atque Iohannis, qui ei præcesserant, puer ferme decennis intercedente thesaurorum pecuniâ electus extitit à Romanis, à quibus exinde frequenter ejectus ac inhonestè receptus nullâ potestate viguit. Et ut jam superius taxavimus cæteros tunc temporis Ecclesiarum Prælatos aurum potius vel argentum exaltabat, quàm meritum. Proh pudor, de his evidentissimè Scriptura ait, imo os ipsius Dei: Principes extiterunt & non cognovi.* Est verò ei sermo de Sylvestro tertio. Alibi eo pervasisse Romæ avaritiam testatur, ut cum ambitione certet. Itaque cum sub annum millesimum vigesimum quartum à Constantinopolitanâ sede Legati Romam venissent cum immensis muneribus, tum Imperatoris Basilij, tum ipsius Patriarchæ, ut ex Pontificis consensu Ecclesia Constantinopolitana in Oriente pro universali haberetur, non secus ac Romana in Occidente, parum abfuit quin Iohannes vicesimus primus id concederet; & Græci, inquit Glaber, *aureo pugillo murum frangerent ferreum.* Etenim subjungit, *licet pro tempore philargyria mundi regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locavit. Mox namque ut vidêre Græcorum sibi deferri fulgidas opes, versum est cor illorum ad fraudulentiæ diverticula, pertentantes an fortè clanculo concedere quiverant, quod petebatur.* Verùm, cum res ad multorum aures pervenisset, intercedentibus nonnullis, Græci re infectâ dimittuntur. Guilielmus Malmelsburiensis Monachus

An. 1047.

Glaber Hist. lib. 6. c. 5.

Glaber. l. 5. c. 4.

Glaber. l. 4 c. 5.

An. 1024.

Glaber. l. 4 c. 1.

chus Anglus, hoc eodem tempore, quam teter esset Romæ omnium rerum status, tanquam de latrocinio publico loquens, nobis ante oculos ponit. *Quid de urbe olim habitaculo sanctitatis dicam*, inquit, *ibi in medio foro sicarij vagabantur, genus hominum infidum & versutum. Si quis semitarum observatores aliquo transisset artificio, capitis scilicet periculo, Apostoli Ecclesiam videre cupiens, in sicarios incidens nullo modo sine substantiæ vel salutis damno domum revertebatur. Super ipsa corpora sanctorum Apostolorum & Martyrum, supra sacra altaria gladij nudabantur & oblationes accedentium vix dum appositæ de manibus abripiebantur, abreptæ & in comessationes & scortorum abusiones consumebantur. Tantorum malorum turbo Gregorij Papatum offendit*, cui congeminatis anathematis vix an ne vix quidem remedium adhibere potuit, obstantibus ei toto sedis suæ tempore Cardinalibus adeo ipsis. Rolwinkus in Fasciculo sub id temporis, *de pluralitate beneficiorum, quæ circa hæc tempora nimis invaluisse videatur, & deinceps continuata multumque dolenda ambitione Prælatorum & Symoniaca labe, & plurima scripta sanctorum Patrum habentur detestantia abusiones istas. Et nota quod facile inventi sunt pauperes Clerici & doctores, qui pluralitatem beneficiorum & pompam Ecclesiasticorum reprehenderent, donec offerret se occasio participandi, quæ communiter nihil excepta avaritia excæcavit eos; Scribitur de quodam magnæ literaturæ magistro, qui valde solenniter disputavit contra divitias prælatorum & fastum eorum, quasi omnino sic vivere non liceret. Et hæc cum nuntiata Domino Papæ fuissent, plausibiliter respondit: Demus ei bonam præposituram, & hæc & illa beneficia & bene placatus erit, factum est ita, & ecce protinus sententiam mutavit, dicens, nunquam intellexi hanc materiam præter modo, &c.* Comparat vero statum Ecclesiæ hujus ætatis cum Israëlitico sub Hieroboamo, cum aureos vitulos in Israële erexit. *Viri sancti communiter asseruerant*, inquit, *idem de Ecclesiastico statu esse timendum, & jam in pluribus mundi partibus completum cernimus; Clerici qui nihil possidere deberent præter rationabilem competentiam neque se de temporalibus intromittere, omnia possidere, omnia gubernare volunt, & idcircò ut beatus Bernardus dicit, qui ordinem nullum servant, illuc properant, ubi sempiternus horror habitat, &c. Lector noli sequi consuetudinem periculosam, noli te per Papæ dispensationem excusare, ac sequere consilium eorum qui Deo jam in cœlestibus conjuncti sunt, ne cum vitulis aureis æterno igni confleris.* Intereà, anno millesimo quadragesimo sexto Henricus secundus Imperator in Italiam iter suscipit, partim imperij possessionem aditurus, partim bonorum suasu Ecclesiæ labi remedium allaturus, quam tres Pontifices, sese mutuò exturbantes, discerpebant; Benedictus, Sylvester, Gregorius, intra urbis ipsius mœnia stationes stationibus opponentes, Sylvester apud sanctam Mariam majorem, Benedictus in Palatio Lateranensi, Gregorius apud sanctum Petrum, unde versus eremitæ cujusdam ad Henricum.

Imperator Henrice Omnipotentis vice
Unica Sunamitis Nupsit tribus maritis
Dissolve connubium, Et triforme dubium.

Platina *tria teterrima Monstra* appellat, qui in Sylvestro tertio, *pejora visuri aliquando, ni Deus caveat, cum qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate & doctrinâ valet, bonis oppressis tantummodo gradum obtineat; Non jam*, inquit, *per ostium, sed per posticum intrant, ut fur & latro*; & de pluribus hoc seculo idem. Et in hoc solo dissidio, quot nobis proponenda excidia; Itaque Rex in Longobardiâ susceptus, antequam Romam accedat, plurimorum Episcoporum Synodum apud Sutrium convocat, ubi Gregorius sextus, per largitionem Pontificatum ade-

Guilielm. Malmelsb. l. 2 de gestis Regum Anglor.

Fasciculus temporum.

Ann. 1046.

Otho Frisingens. l. 6, c. 31. Gregor. Hemburg. in admonitione de usurpat. Paparum Roman. ann. 1461. Herman. Contract. & Carthusian. & Sigebert. in Chron. Platina in Gregor. 6. & Sylvest. 3

adeptus, convincitur, omniumque consensu exauctoratur, Nec non alij duo dejiciuntur. Romanis verò, in quem oculos conjicerent, dubijs, frustraque circumspicientibus *illis*, inquit Martinus, *canonicâ & imperiali censurâ depositis*, Sutgerum Episcopum Bambergensem, motu proprio ex suo comitatu virum probitate & doctrinâ conspicuum, Pontificem Imperator constituit, cui nomen Clemens secundus. Quin & Sigonius, *Ecclesia jam propè per ducentos annos ægrotans, & multa & ea valida remedia requisivit, usque adeò, ut ad extremum, ne ignem quidem & ferrum, quæ ultima insanabilium morborum sunt medicamenta, repudiarit*; Unde forte asse Martinus, *per vim substituit, Romanis sibi promittentibus se sine ipsius consensu nunquam Romanum Pontificem electuros.* Leo sanè Cardinalis Ostiensis hos tumultus in Chronico perstringens: *Romæ Benedictus Papa, cum annis duodecim Apostolicæ sedi præfuisset, à Romanis ejectus est, & Iohannes Sabinensis Episcopus, cui nomen Sylvester impositum est, non tamen gratis, in Romanum Pontificem subrogatus. Qui cum præfuisset mensibus tribus, Benedictus ille prius abrogatus, adnitentibus propinquis suis, Tusculanis proceribus, pulso Sylvestro Romanam sedem iterum occupat; Nec multo post invisum se cunctis aspiciens Iohanni Archipresbytero, qui quasi religiosior habebatur, Papatu tradito, ipse cupiditates suas liberius executurus in paternam se recipit domum.* Ut clarioribus verbis exprimere non potuerit, in tribus illis qui melior habebatur nequissimum fuisse; *At Henricus Imperator*, inquit, *Conradi filius, his de sede Romanâ & Apostolicâ nefandis auditis, cœlitus inspiratus anno Domini millesimo quadragesimo septimo Italiam petens, adiit Romam, cupiensque sedem Apostolicam hujusmodi purgare maculis, Sutrij restitit, & super tali tantoque negocio deliberaturus, universale ibi Episcoporum Concilium fieri statuit. Igitur ad ejus imperium congregatâ illic Episcoporum, Abbatum, religiosorumque virorum grandi multitudine, Romanum quoque Pontificem, qui Concilio præesset, invitat. Quid multa? Concilio habito, Synodicis Canonibus, atque sententiis Gregorius Simoniacus probatus, sponte suâ sede desiliens, Pontificalibus se infulis exuit, & humi prostratus, temeratæ dignitatis veniam sibi humiliter petiit*; Ac proinde non consentit Leo cum Baronio, Imperatori fas non esse, sese sedis Romanæ negociis immiscere, quem contrà divinitus ad *id inspiratum* dicat; quin addit successorem ei procurasse; *& ob hujusmodi res tam prosperè, tam Canonice gestas, eidem Henrico, Patriciatus honorem Romani ut olim Carolo Magno tribuisse, præterque Imperij coronam torque eum uti decrevisse.* Hoc eodem anno Ecclesiæ reformandæ aut spe, aut specie Synodus habetur, ubi de Simoniâ primùm agitur, quæ labes eo penetrârat, inquit Sigonius, *Pontificibus aut conniventibus aut non impedientibus*, ut Episcopis ordines Clericis vendere, Clericis consequenter functiones suas venales laicis prostituere, mos esset; ac propterea quærebatur, *num qui à Simoniaco Episcopo initiati essent, ordinem retinere deberent; Decretum igitur, Clericus Simoniacum, cum initiaretur, si scivisset, quadraginta dierum piaculò sese expiaret, inque accepti ordinis ministerio pergeret*; quandoquidem alioquin omnes quasi recudendi fuissent. Ad turbas etiam compescendas, quarum ex non observatâ Lege origo, quâ Pontificis designatio, absque Imperatoris authoritate, nullius roboris esse debuerat; Decretum denuò Henrico Imperatori *veteres honores instaurandos, ut Patritius Romanus esset*, atque pro suo judicio Romanam Ecclesiam ordinâret, neque posthac sine ipsius authoritate Romanus Pontifex crearetur; Author Petrus Damianus Ostiensis Episcopus. Et hac quidem ratione Henricus res sibi in pristinum ordinem restituisse videbatur, quo interim in Germaniam vix converso, Benedicti noni discipuli, Gerardus Brazutus & Hildebrandus veneno insidiati, Clemen-

Sigon. l. 8. de regno Italiæ. Martinus in Chron.

Leo Ostiēs. c. 80.

Sigon. l. 8. de regno Italiæ.

Petrus Damianus in lib. gratissimus. Platina & Onuphr. in Clemente. 2.

mentem de medio tollunt, quo novem vix menses superstite, Benedictum illum in sedem intrudunt. Nec eo minus tamen Imperator privilegij sui tenax, Popponem Episcopum Brixiensem Pontificem instituit, Damasum nomine secundum, qui & ipse non sine eorundum industriâ viginti tres tantum dies sedit; ejusque rursum in locum Brunonem Tullensem Episcopum eodem jure sublegit, qui Lec nonus appellatus. Nempe quod Romani, ut verisimile est, partium pertæsi, quæ ducentos jam annos Pontificatus causâ Urbem discerpebant, dum quo quisque factiosior, eo supremo fastui propinquior, ni Imperatorum authoritas intervenirет, pacem se obtinere non posse adnimadvertebant, id licet & ipsi impatienter ferrent. Nec enim omittendum, quod Cardinalis Benno notat, Gerardum Brazutum, Benedicti noni familiarem, *Subdolâ familiaritate sex Romanos Pontifices intra spacium tredecim annorum veneno suffocasse, quorum nomina hæc sunt, Clemens, Damasus, Victor, Leo, Stephanus veneno, Benedictus decimus*, per vim & fraudem sublati.

Baron. Vol. 11. anno 1002. art. 3. & 6.

Hîc Baronius quid regeret nobis? Et de toto hoc tempore quid statuet? Sanè postquam in toto antecedente volumine, Pontifices, quotquot sedem his 100. annis tenuerant, monstra execrabilia pronuntiavit, tandem in Cæsarum Othonum prosapiam ex abrupto sententiam fert; In Othonis tertij personâ justo Dei judicio defecisse illam profatus, veneno per Crescentij uxorem propinato, quod pravo Osiæ exemplo, Arcæ licet sustinendæ, manum admovere ausi essent, authoritatem suam bono licet zelo adhibere, ut monstris illis deturbatis, alij in solio Pontifices collocarentur; Ergone jure Canonico in Baronij patriâ monstra educantur? Ergone expectare nobis necesse, dum ipsi sponte solio excedant? Imperatores imò & Reges Christiani annòn tenentur, ut olim Ezechias, Iosias, alij, Templum Dei sartum tectum tueri, Ecclesiæ reformationem procurare? Et porrò, ad Ecclesiam Christi Antichristo prodendam, exponendam, quid proclivius? In hoc igitur interstitio, quod quinquaginta plus minus annos continet, num, vel suo judicio, probiores, alijs saltem tolerabiliores? Audiamus quid ipse

Idem Vol. eodem, an. 1024. art. 3. & 4.

de Iohanne, uti numerat, vicesimo, execrandi Benedicti illius fratre, quem ob sua flagitia in imo ipse Purgatorio collocat. *Indignus*, inquit, *iste & indignè atque tyrannicè sedem occupabat, & malis artibus ascendit ad ipsam. Et rursum secularis potentia*, nempe Marchionum Tusculanorum, *nobis peperit monstra.* Et hoc tamen monstrum, ipsomet teste, sanctum Romwaldum in sanctorum Canonem refert, sanctum Martialem Apostolum pronuntiat, & Decreto quidem in eam rem expresso, in Lemovicensium gratiam. Iohanni succedit Benedictus nonus. Quid Baronius? Albericus Comes ex suâ familiâ duos Pontifices habuerat, Benedictum & Iohannem fratres, & ægrè ferebat Pontificiam dignitatem alio transferri; Intrudit igitur filium suum decennem per largitionem, & hunc rursum, judice Baronio, tyrannum, Ecclesiæ probrum, monstrum. Etenim, ut cætera omittamus, decenni puero universali Papa, Patrum patre, quid portentosius? Et tamen si quis obloquatur, furit, bacchatur, tanquam oestro percitus, imò ex hac turpitudine utilitatem, gloriam captat; ex hac, quam fassus est, intrusione jus sibi quærit. Vides, inquit, Ecclesiæ Romanæ authoritas quanta tum fuerit, puer ille licet & quidem intrusus, per totam Ecclesiam agnoscebatur pro Pontifice, adeò ut Archiepiscopi Hamburgenses pallium ab eo accipiant, nullum non Papale munus obeat. Ergone pueri hujusce ordinationem tueri non verebitur, qui ipse nullius ordinis capax? Cæterùm, Simoniacus ipse per largitionem

Glaber. l. 4. c. 1. 2. 3. Idem ann. 1027. art. 13. & 14. & an. 1032 art. 2. 3. Baro. anno 1031.

tionem creatus, & alios per multiplicem Simoniam creare solitus; qualem eum nobis describit Petrus Damianus, Episcopus Ostiensis, inter Pontificum satellites primarius: *O scelus & ferale prodigium*, inquit, *Petrus cogitur nundinas Simonis ex suâ quantitate persolvere, qui Simonem cum omni suo commercio cognoscitur perpetuâ maledictione damnasse*: Et in versibus, *heu sedes Apostolica, orbis olim gloria, Nunc pro dolor efficeris, Officina Simonis, Terunt incudem mallei, Nummi sunt tartarei.* Et tamen Benedictus ille duodecim circiter sedit annos, ut maturior illi ætas duorum & viginti fuerit annorum. Euge qui successionem, qui vocationem suam tantopere venditant missiones istius quo pudore tutari possint? Nec verò Sylvestri tertij meliores, qui, Ptolomei consulis Romani factione, Iohannis sedem interrumpit, de quo Baronius: *Erat & iste Episcopus Sabinensis, qui & malis artibus, nempe collatâ pecuniâ, ad sedem Petri sibi ascensum paravit.* Quod utique absque authorum suorum injuriâ reticere non potuit, Hermanni Contracti & Leonis Ostiensis qui supra testati, Romanos flagitiorum Benedicti pertæsos, eum expulisse Sylvestrumque substituisse; *Non tamen*, ajunt, *gratis*; Aliquot etiam post mensibus Benedictum propinquorum auxilio rursum sedem invasisse, utque voluptatibus liberius vacaret, Iohannem Archipresbyterum sibi subrogandum curasse, *qui quasi religiosor habebatur*; (magis hypocritam parum abest quin dicat,) de tribus vero illis Otho Frisingensis suprà, Romam quam miserè discerperent, *Egomet*, inquit, *in Urbe, Romanis tradentibus, audivi.* Baronius denique tres illos *Pseudopapas* vocat, *& tricipitem Bestiam, portis inferi emergentem.* Ubinam igitur sedes illa, contra quam non prævalent portæ inferi? Cerberum, ut illum apud Poëtas, piceâ offâ in os ingestâ suffocandum; Et ubinam rursum scaturigo illa perennis Spiritus sancti? Quam quidem offam, inquit, bonus quidem Gratianus vir zelosus illis coxit; En tibi quo pacto: *Præfatos viros adiit, eisque à sede sanctâ cedere persuasit pecunia; Benedicto redditibus Angliæ, quia majoris videbatur esse authoritatis, relictis.* Romani verò, gratiam Gratiano, tanquam liberatori suo, relaturi, eum Papam faciunt. Is fuit Gregorius sextus. Rogo jã, hæc transactio apud Canonistas nũ ferenda? Num absque Simoniâ, quæ evidenter in ejus utilitatẽ cedat? Et verò ejus seu causâ, seu prætextu postmodum in Concilio Sutrino, authore Imperatore Henrico, consentientib. Romanis, sede pulsus fuit, Bambergensisque Episcopus in ejus locum suffectus, ex exteris delectus, quod, inquit Leo Ostiensis, *proh dolor* Romæ idoneus nemo inveniretur; Sed Baronius hanc vocem gravatè fert, qui electionẽ hanc *detestabilem Henrici præsumptionem* vocat, & vehementer exagitat, proinde Clementis Papatũ pro legitimo habere nequit; At enim toto hoc tempore Papam aliquem quando nam nobis inveniet? & ad eam, quam jactant, successionem, undenam tantum hiatum implebit? ni fortè Benedicti noni abominationibus supplendum putat, qui etiamnũ superstes, post Clementis obitum in solium jam tertiùm involat. Nec omittendum, unde libertatem Ecclesiarum nondum penitus oppressam intelligas, Henricum Germaniæ Regem anno 1006. Synodum Francofurti habere, de quâ Dithmarus in hæc verba: *generale Concilium in Francofurto à Rege ponitur, & hoc ab omnibus Cisalpinis Antistitibus visitatur.* Idque ut Bambergam in Episcopatũ eligeret: quod fecit quidẽ & Episcopum Eberardum nominavit, à Willegiso Synodi præside consecratum, inconsultâ Româ; Henricum etiam filium aliam anno millesimo quadragesimo septimo indixisse, in quâ Simoniacos acriter repressit: Glaber disertè, *coadunari fecit ex omni Imperio suo tam Archipræsules quàm cæteros Pontifices*; Perorans verò, postquam omnes Simoniacos anathemate perculit, in hæc verba protestatur, *sicut mihi*

Baro. ann. 1044. art. 2

Herman. in Chronic. Leo. l. 2. c. 80.

Otho Frisingensis, supra.

Baro. ann. 1043. & 1044.

Leo Ostiẽs. lib. 2. c. 80.

Dithmar. l. 6.

Ann. 1047. Glaber. l. 5. c. 5.

mihi Dominus coronam imperij solâ miseratione suâ gratis dedit, ita & ego quod ad religionem ejus pertinet gratis impendam; Romæ hîc nulla mentio. Sed Baronius pro more lepidè, putare se Clementem secundum huic Synodo interfuisse, quamquam sine authore; debuit enim, inquit, Imperator ex officio manū auxiliarem ei præbere, edicto illo suo; quod utique de facto exequitur, sed ut verò demus Clementem interfuisse; cum in totâ hac Actione non memoretur, annon potius causam suam lædit? Sic in Hispaniâ, anno millesimo duodecimo, habetur Legionensis Synodus, in quâ Patres. *Nos*, ajunt, *convenimus apud Legionem, & jussu ipsius Regis*, Alfonsi quinti, *talia Decreta decrevimus*, quorum titulus, *Decreta Adelfonsi Regis & Geloiræ Reginæ.* Ut & in Galliis, anno millesimo decimo septimo, Aurelianensis, in causâ hæreseos, à Rege Roberto convocatur; is licet, omnium coætaneorum Authorum testimonio, pietatis nomine commendatur.

Baro. Vol. 11. ann. 1012. ex script. Cod. Ant. August. art. 16. Glaber. l. 3 c. 8.

PROGRESSUS.

QUi sequuntur 30. anni sub diversis Pontificibus ministerio an magisterio Hildebrandi usis, occasiones eis præbent, unde de novo ad se rapiant, quod Henricus Imperator sibi asseruerat, restitutâ antiquâ illâ lege, quæ in solenni Synodo inter Hadrianum primum & Carolum Magnum constituta, sub Carlovingijs demum, Othonibus & alijs Germaniæ Regibus obtinuerat. Erat Hildebrandus ille natione Hetruscus, professione Cluniacensis Monachus, malis artibus, quod Benno Cardinalis & Archipresbyter Romanus testatur, eam dignitatem adeptus. Henricus verò tertius Henrici secundi Imperatoris filius, quinquennis tantùm, sub tutelâ Agnetis matris educabatur, cujus pupillari ætate, quod plurimùm usu venit, Hildebrando abuti visum, nempe quàm plerumque & infirma consequantur consilia & fluxa per hominum perfidiam obsequia; At Satan inprimis sese per suos emissarios huic negotio immiscuit, dum, illi ut facilius optatis potiantur duarum hæreseων, prætextu, populum sibi ludificandum proponunt. Harum altera Simonia, munerum Ecclesiasticorum venditio, seu illa pecunia seu re aliquâ æquivalente væneant, nihil licet Romæ tum frequentius, ubi Papatus ipse prostituebatur nedum prostabat; ubi Papæ dignitates omnes Ecclesiasticas divendere soliti, Satanæ adeò ipsi, Papatus nomine, quod vidimus, hominium præstare non veriti, Simones simul & Magi. Sed vocis hujus significatum longiùs extendebant, Principes eo crimine complexuri, qui populi & Cleri electioni authoritatem suam conjungebant, & Episcopos dignitate illâ investiebant; quos etiam, quod investituram à Principibus acciperent, non minus hæreseos teneri profitebantur. Quo & obtentu si quid in Republicâ ὕπουλον, studiosè fovebant, populorumque in Episcopos murmura, Procerum in Principes motus sollicitabant. Altera, Nicolaitarum, in quâ manifestus contra Ecclesiasticam historiam error an dolus, quandoquidem Nicolaus ille Diaconus in primitivâ Ecclesiâ ideo reprehensus legitur, quod continentiæ colore uxorem dimisisset, mox verò in omne genus libidinum præcipitem se dedisset, quod alibi ex Epiphanio & aliis enarravimus; Ejus verò criminis non alij magis rei, quam Clerici Romani, Pontifices etiam anterioris seculi, quos Romæ lupanar publicè exercuisse vidimus; Cum interim Nicolaitarum nomine præposterè intelligi velint, Episcopos & Presbyteros, qui juxta legem divinam Apostoli Canonem, primitivæ Ecclesiæ usum, Nicænæ Synodi

primæ universalis & complurium aliarum decreta, cum legitimis uxoribus matrimonium ritè contractum colunt; Utrumque Hildebrandi an potius magistri sui commentum, qui modò hujus, modò illius prætextu, Populum fascinat, Principes divexat, Episcopos traducit; Catastrophe autem eò pertinebat ut illorum imperium everteret, authoritatem & jura ad suam sedem raperet; quod & ejus exemplo deinceps cæteri.

Ad primum quod attinet, Leo nonus Pontifex ab Henrico secundo, aliis tertio, in Germaniâ destinatus, jamque purpuram indutus, iter suum per Galliam instituens, Cluniacum fortè divertit. Ibi Hildebrandus eum commonefacit, *illicitum esse per manum laicam summum Pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introire.* Verùm, si suum consilium sequi velit, viam ostensurum, quâ & Ecclesiæ sua libertas in electione canonicâ constet, & Imperiali majestati offensionis causa non præbeatur; nempe purpuram si exueret & peregrinantis habitu Romam adiret. Paret igitur Leo, & sese ad iter Hildebrandus simul accingit, eumque tanquam de novo à clero & populo eligendum curat; Addunt nonnulli, ob oculos ejus posuisse, Damasum secundum, ulciscente Deo, paucos dies vixisse, sed arcanum non aperiebat, rationem se qua breviaretur scitè invenisse, quàm nos ex Benno supra. Moritur Leo, anno 1054. & Romani partim Imperatorem reveriti, partim, inquit Sigonius, neminem apud se successione dignum conspicati, Hildebrandum ad eum delegant, Populi & Cleri Romani nomine Pontificem poscíturum. Is Guebhardus fuit, Episcopus Eichstatensis, Victor secundus dictus, qui, ut ars illa tunc familiaris, veneno per subdiaconum calici mixto, tantumnon sublatus, & hic quidem rerum statum non innovavit. At sub annum millesimum quinquagesimum sextum, Agnete Augustâ, Henrici tertij tutrice, summam rerum tractante, Victoréque secundo, anno 1057. vitâ functo, Romani successorem electuri Comitia convocant & Cardinalem Fredericum, Ducis Lotharingiæ filium, quasi vi raptum, consecrant, indeque Agnetem per legatum de re totâ edocent, quæ eo rerum statu facilè assentitur; Is fuit Stephanus nonus, Baronio decimus, qui ut investituram ab Henrico tertio accipere meditatur, quæ illis vulgo Simonia, brevi moritur, eique Comitum Tusculanorum studiis, partim suffragia redimentium, partim & apertam vim minitantium, Iohannes Velitrensis Episcopus propinquus succedit, quod authores seculi palam testantur, bonarum literarum planè ignarus, Petrum verò Damianum Episcopum Hostiensem nequicquam protestatum, ad eum consecrandum adigunt, indeque populo per largitionem corrupto, adorandum proponunt. Is fuit Benedictus decimus. Ut hinc, libertate quàm perperam uterentur, quàm etiam malâ fide Imperiales Simoniæ insimularent, videre liceat cuivis. Cum hi contrà, quos undequaque circumspiciunt, insignes authoritate & doctrinâ viros ad Pontificatum promovere conarentur. Verùm, quia Clerus Hildebrando promiserat, sedes si vacaret, neminem eo absente electum iri, paucis post diebus, Antipapam ipse opponit, Gerardum Burgundum Florentinum Episcopum, Nicolaum cognomine secundum, cui, pudore potius quàm conscientiâ motus, cedit Benedictus decimus; Is verò Hildebrandum sibi ascíscit, cujus operâ in rebus gerendis sublevetur. Igitur ejus consilio Synodus Laterani habetur, eo quidem prætextu, ut in posterum ejusmodi incommodis non sit locus, revera, supplantandis omninò Imperatoribus; quippe in quâ statutum, *Ut obeunte Romanæ Ecclesiæ universalis Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes mox Christi Clericos*

Otho Frisingens. l. 6. c. 23.

An. 1054. Sigon. de regno Ital. l. 8.

Ann. 1056.

Sigon. de regno Ital.

D. 23. C. in nomine.

Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedant; Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsâ non invenitur, ex aliâ sumatur. Addebatur verò perfunctoriè, *salvo debito honore & reverentiâ dilecti filij nostri Henrici qui impræsentiarum Rex habetur & futurus Imperator Deo concedente speratur, & jam sibi concessimus sicut successoribus suis, qui ab hac Apostolicâ sede jus hoc personaliter impetraverint.* Cum anteà Pontificis approbandi jus penes Imperatorem esset, cujus imperium ne dum consensum, læsæ majestatis pœnâ, antequam consecraretur, expectare necesse haberet. Anathema interim & Antichristus ipso jure, qui alio modo in solio collocaretur. Ab hoc porrò Decreto etiam, quod Iohannes decimus nonus ante tentaverat quidem, sed infeliciore successu, Cardinalium authoritas invalescere, ut hoc tempore Petrus Damianus dicere incipiat: *Cardinales principaliter & Romanum Pontificem eligunt, & quibusdam aliis prærogativis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum atque Primatuum jura transcendunt. Isti sunt oculi unius lapidis, ipsi lucernæ unius candelabri, &c.* Anteà igitur non oculi in Ecclesiâ, non lampades? Rursùm: Nicolaus secundus ut Simoniæ crimen cum vocis significatu extendat, in odium Henrici tertij legem sancit: *Neminem per laicos Ecclesiam aut aliquod officium Ecclesiasticum obtinere posse, nec gratis nec precio.* Cum tamen quod *gratis* dicitur Simoniam propriè excludat, discrimen inter Laicos & Clericos non constituat. Adde ex pupillari Henrici ætate, novam ei crescendi occasionem. Robertus & Richardus Guischardi ex Nortmanniâ in Calabriam penetrarant, contrà Saracenos bellum gesturi, ibique pedem non infeliciter fixerant; Et Robertus quidem Ducem se Apuliæ & Calabriæ dicebat, Richardus Capuam tenebat, indeque ad portas usque Romanæ urbis populabundus excurrebat, uterque à sede Romanâ anathemate perculsi. Nicolaus igitur eâ conditione anathema relaxat, ut suas ditiones ligium Ecclesiæ Romanæ feudum profiteantur, annuique census loco duodecim denarios in singula boum juga ei persolvant, unde novæ litis cum imperio Imperatoréque materia. Et hæc ad annum usque nos deducunt 1060. Sed enim non minor in morum & doctrinæ corruptelâ, quam in tyrannide progressus; Morum, quandoquidem Sodomiticum scelus ex cœlibatus rigore eas radices in Clero Romano defigit, ut Petrus Damianus, eremum petere coactus, librum conscribat, cui titulus, *Gomorræus*, in quo omnes ejus species edisserit, quales tum apud eos bacchabantur, eumque Leoni nono inscribit, cujus adversus tanti mali diluviem opem implorat. Baronius ipse: *Vepres infausti, spinæ & urticæ agrum Patrisfamilias in immensum oppleverant, qui ex putore carnis, corruptionis fimo turpiter excreverant; omnis quippe caro corruperat viam suam, ut non tantùm ad eas abluendas sordes videretur satis esse diluvium, sed nefanda scelera ignem è cœlo Gommorrhæum, quo exusta est Pentapolis, postularent.* Et Leo quidem leges, Damiano monente, tulerat aliquas, quibus pænas tanto sceleri infligebat. Sed mox ipse in Leonis malevolentiam idcircò incidit, indeque Alexander secundus, Papatum consecutus, librum ipsum authori suffuratur, specie quidem, ut eum S. Salvatoris Abbati transcribendum daret, revera, ut supprimeret, occasionem captans quod obscænius rem expressisset; Quasi verò turpitudines ejusmodi moveri posśint, quin pædor illico excitetur. Hinc vero Damianus in Epistolâ ad Hildebrandum & Stephanum Cardinales acriter conqueritur, nec tamen sine evidenti ironiâ: *Et revera*, inquit, *est munditiæ Sacerdotalis ingenium, imo puritatis Papalis hoc est argumentum.* Doctrinæ verò, quandoquidem sub Victore secundo, annum circa 1055. inducitur pœnitentiarum redemptio,

Adde Ostiens. l. 3. c. 25.

An. 1056.

Petri Damian. liber qui inscribitur Gomorrhæus, cui præfixa Epist. Leonis 9. Baron. an. 1049. art. 10. & seq.

Ann. 1055.

eo prætextu, quod, inolescentibus peccatis, pœnitentiam in tot annos protractam homines ferre nequirent, interdum etiam, illâ nondum expletâ, morerentur; Quare, in divitum gratiam, statutum ut pecuniâ, possessionibus, aut alijs æquivalentibus, pro ratione annorum indictorum, redimi posset; Eo verò pertinent illa Damiani verba: *non ignoras quia cum à pœnitentibus terram accipimus, juxta mensuram muneris, eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus*; Quod & ipse erga Archiepiscopum Mediolanensem in suâ legatione usurpavit; Unde etiam, inquit Baronius, *ostendit bona Ecclesiastica ejusmodi fieri solita redemptione, aucta crevisse*; At pauperes annos illos redimere placuit afflictionibus corporeis, Psalmorum crebris in Ecclesiâ decantationibus, jejuniis, talitris, flagris & similibus, unde & Damianus idem, *Tria scoparum millia unum pœnitentiæ annum explent cum modulatione Psalmorum, &c.* Et ita rationem instituit, *ut viginti psalteria cum disciplinâ cantata centum annorum pœnitentiam expleant.* In eo demùm doctrinæ labes progressum facit, quod Petrus Damianus Monachis in eadem eremo degentibus præscribit: *Ut cum horis canonicis quotidie beatæ Mariæ semper Virginis officia dicantur.* Et sicut, inquit Baronius, *earum inter suos author ille fuit, ita etiam manifestum est eas ex eodem fonte manasse, ut illud ipsum toto Christiano orbe Occidentalis Ecclesiæ non à Monachis tantùm & Clericis, sed etiam à Laicis viris atque muliebribus quotidianis pensis persolvatur, monente Urbano Papa.* Et ejusdem illi ætatis & originis Flagellantium secta, Dominici Loricati exemplo inducta; Missa die lunæ, pro ijs qui in Purgatorio sunt, introducta, die Veneris in honorem passionis, die sabbati in honorem Virginis. Nempe ut superstitio & Papatus ijsdem gradibus ad fastigium procedant.

Baro. ann. 1055. art. 9 & seq.

Petrus Damianus in Epist. ad Fratres. Baro. ann. 1056. art. 6 & 7.

Petrus Damianus in Epist. ad Desideriũ Cassinatẽ.

Nicolao secundo succedit Alexander secundus, ex Nicolai Decreto, an audaci Hildebrandi consilio, Henrici pueritiâ abutentis, electus, (erat enim Henricus circiter annos undecim natus). Quod Agnes Henrici mater, absque suo mandato factum resciens, Concilium Basileæ indicit, ubi consentientibus etiam compluribus Italiæ Episcopis, Cadalous Parmensis Episcopus Pontifex creatur, cui Honorio secundo nomen. Tunc scissa in partes Italia, distrahentibus eam, armaque circunferentibus Pontificibus. Henricus etiam Hannonem Archiepiscopum Coloniensem mittit, qui in ipsâ Synodo Alexandro secundo exprobrat, non illi fas fuisse, injussu Imperatoris sedem tenere; abdicaret itaque, aut facti sui rationem aliquam redderet. Respondet Hildebrandus, Pontificum illorum ut plurimum interpres, *Alexandrum propter imminentes tumultus, sine Henrici authoritate subito consecratum: Henrici pupilli jura multo magis Ecclesiæ Romanæ esse curæ, quæ spiritus mater sit, quàm Agneti parenti, quæ sanguinis tantum necessitudinem prætendere posit*; quod igitur factum minimè ejurabat; & his artibus, ut finem suum consequerentur, sua consilia tegi putabant. Sed rejecta in aliam Synodum definitio, quæ de industriâ Mantuæ indicta, quod locus in Comitissæ Mathildis potestate, quæ Alexandri partibus studebat; Itaque ex composito instante Annone concessum ei, ut sacramento sese purgaret, quod per largitionem Pontifex electus non fuisset, quo facto ab omnibus confirmatur, indeque contrà Simoniacos, eodem quo antea sensu, decretum renovatur; Mox verò Petrus Damianus Legatus in Germaniam mittitur, qui illud Henrico tertio, additâ comminatione, significet: *si non flecteretur consiliis, se necessario vim Ecclesiasticam adhibiturum*: quem etiam illico rationem de re totâ redditurum Romam, indictâ *anathematis pœnâ*, citat. Et sic per pupillarem Henrici ætatem superiores illis evadere facile. Ut autem oculos populi præstringant, scelesti isti, qui nihil nisi mundum spirant,

Leo Ostiẽs. l. 3. c. 20.

miracula ediderant, Alexander Caſſini Dæmoniacum liberaverat, Aquino tranſiens claudam, aquam ei bibendam præbens, quâ manus inter ſacrificandum abluerat; Et hæc miracula quorſum? Legem ne forte aut Euangelium ut confirment? an veriùs ut ſuæ ambitioni tantùm patrocinentur? frivola proinde, futilia, vera ut dederis, mendacia nihilominus & à patre mendacij profecta, quatenus
Ann. 1072. mendacij firmamenta. Tandem anno 1072. Alexandro vitâ functo, Clerus Romanus Hildebrandum ſedere jubet, ſub tribus jam aut quatuor Pontificibus, artibus Pontificiis aſſuetum, earumque callentiſſimum, dicamus & pluſquam Papam, cum Damianus *Dominum Papæ* eum appellet, nec ei dicere verecundetur.

Papam ritè colo, ſed te proſtratus adoro,
Tu facis hunc dominum, te facit ipſe Deum.

Quatenus, Papa ipſe licet, ab ipſius ore pendebat; Is verò ſuperbiæ innutritus, uti poſtea videbimus, unde pomœria ſua proferat, nihil omnino reliquum facit. Et ſic porrò falſo Simoniæ prætextu potentiam ſuam diffundebant.

Nec minus Pontificum conatibus Nicolaïtarum color hoc tempore favebat. Secundum in Italiâ locum Eccleſia Mediolanenſis tunc obtinebat, ex Ravennæ depreſſione facta eminentior. Conſtabat enim octodecim Epiſcopis ſuffraganeis, viginti duobus Cardinalibus ordinariis, duodecim Canonicis Decumanis, & pluribus alijs eximijs officiarijs; Archiepiſcopum ita inſtituebat Rex, ut Romam adire non teneretur; Ille Regem viciſſim conſecrabat, ad imperium, hoc tanquam arrabone, promovendum. Itaque hanc tanquam in oculo maculam ægerrimè ferebat Pontifex, & eo quidem magis, quod Epiſcopus & Clerus Mediolanenſis ab eo nullatenus pendere vellent, ut eorum libertas, quamvis ſæpius à Pontificibus
Ann. 1059. tentata, hactenus illibata maneret. Anno igitur 1059. Stephano nono Pontifice, Arialdus Clericus Decumanus, cui malè cum Widone Archiepiſcopo conveniebat, cum Landolfo Cotta populi Præfecto in eum conjurat, & ne deſit prætextus in vim Papalis Decreti, ſæpius repetiti, exaugurandos eſſe conjugatos Sacerdotes, quod nos alibi expoſuimus, proponit, in idque Stephani patrocinium ſibi quærit; Habuerat Wido Synodum Fontaneti, prope Novariam, ubi ex omnium ſuffraganeorum Epiſcoporum conſenſu ſtatutum, uti Clericis omnium ordinum legitimas uxores habere liceret, & in Urbe magnâ contentione res gerebatur, plebe Landulphi, nobilitate Archiepiſcopi partes amplexâ. Landulphus
An. 1059. igitur anno 1059. Arialdum illum ad Nicolaum ſecundum mittit, qui, Eccleſiæ Mediolanenſis pervicaciam cauſatus, Judices de eâ quæ dicebatur hæreſi cognituros depoſcat. Is verò occaſione utendum ratus Petrum Damianum Hoſtienſem Cardinalem eò cum omni poteſtate delegat, qui legationis ſocio ſibi adſcito Anſelmo Lucenſi Epiſcopo (qui poſt Alexander ſecundus) Mediolanum contendit. Ibi quid à Damiano geſtum non ab alio melius, quam ſeipſo diſcamus, qui Legationis ſuæ progreſſum ſigillatim exponit. Vix de conjugatis Sacerdotibus hæreſeos nomine deponendis mandatum aperuit, populus affatim commovetur, Pontifici in Eccleſiam Mediolanenſem nihil juris eſſe, partam ſibi à majoribus & conſervatam hactenus libertatem nolle ſe turpiter amittere, Eccleſiæve alienæ jugum ſubire; itaque ad ſignum Campanarum & prægrandis tubæ clangorem omnes concurrere, confluere, eo animoſius quod Petrus Damianus Epiſcopum Mediolanenſem ad ſiniſtram, Ambroſium Lucenſum aſſeſſorem ſuum ad dextram collocaſſet; Sedato tamen tumultu, à Primatu Eccleſiæ Romanæ, ejuſque abſolutâ

lutâ poteſtate concionem exorſus, reliquas Eccleſias ab hominibus inſtitutas eſſe, Eccleſiam Romanam ſolam à Deo ipſo fundatam ediſſerit. Itaque ab ea tum cætera tum maximè Mediolanenſem, ortus ſui primordia & diſciplinæ rudimenta ſumpſiſſe, cui etiam ſubjici ejuſque Pontifici neceſſe habeant, quippe cujus arbitrio, ipſum quoque cœlum aperiatur, claudatur, ut qui ejus privilegio derogarit, hæreticus protinus cenſeatur. Et judica hîc Lector, quam bellè à Paulo exceptus fuiſſet, ſi præclaras illas, quas ab Hieruſalem ad Illyricum uſque fundarat Eccleſias, ab hominibus non à Deo fundatas, dixiſſet. Ad Mediolanenſem quod attinet, Nazarium inſignem Martyrem, *Petri baptiſma* à Lino ejus ſucceſſore accepiſſe, inde cum Celſo Mediolani Martyrio coronatum, *ſicut Scripturæ loquuntur*, inquit. Protaſium verò & Gervaſium ſanctos illos martyres, quorum ibi corpora venerantur, teſte ipſo Ambroſio, Petri diſcipulos extitiſſe, proinde & Eccleſiam Mediolanenſem, ut Romanæ filiam, matri obedientiam debere; Quæ concluſio ejuſdem cum præmiſſis naturæ, frivola, falſa, blaſphema omnino. Ubinam enim, quæ de Nazario loquuntur, Scripturæ, per Linum baptizato, cum Cardinalis Baronius ipſe in Martyrologio cogi ſe dicat, ut credat Nazarium & Celſum, Marco Aurelio, & Lucio Vero Imperatoribus, paſſos eſſe, ducentis, inquam, poſt annis, quod & ipſi Legendarii ultrò agnoſcunt: Cum etiam Gervaſium & Protaſium gemellos fratres S. Vitalis, & S. Valeriæ filios fuiſſe perhibeant. Eborduni apud S. Nazarium degentes, proinde & coætaneos, quod à Neronis regno quàm procul. Et ex Ambroſio porrò, quî hoc probet? Nazarium præſertim baptiſma Petri à Lino accepiſſe, quod ex ſanctâ Scripturâ quale? Et num aliud quàm ipſius Chriſti, abſque blaſphemiâ poteſt vel nominari? Cum Paulus ipſe, *numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* quid & dicturus *in nomine Petri?* qui tam acriter reprehendebat, qui dicebant: *Ego ſum Pauli, ego Cephæ?* Addebat & bonus hic Romæ Apoſtolus, Ambroſium cum Mediolani hæreſim Nicolaitarum pervincere non poſſet (quis unquam eo tempore de eâ vel inaudivit quidquam) auxilium à Papa Siricio poſtulaſſe, qui illi compeſcendæ, presbyterum, Diaconum, & ſubdiaconum miſerat, quod & ipſi ejus exemplo in pari diſcrimine requirere debeant. Quibus interim nugis id ſe apud populum conſecutum jactat, ut facturum ſe quodcumque vellet, polliceretur, Cœlibatus legem, de quâ nos alibi, acciperet, pœnitentia centum annorum Archiepiſcopo indicta, quam tamen, certa pecuniæ ſumma annuatim perſolvenda, ſeſe redimere poſſet. Verùm, ut Damianus admonet, *in Eccleſiaſticis cauſis noſſe quantùm valeat Eccleſiæ Romanæ privilegium*, caput rei eſſe non hîc ſubſiſtit. Cum enim eo Romam reverſo Clerus libertatem ſuam confeſtim recuperaſſet, Erlembaldus Cotta per Landulphi obitum Præfectus populi ſublectus, Arialdo illo inſtigante ſeditionem renovat, & ad Damianum rurſus mittit; Ille verò hoc tanquam oeſtro percitus, ne Ambroſio quidem ipſi jam parcit: *hoc*, inquit, *in Eccleſiâ Mediolanenſi non eſt novum, quæ ſemper diverſi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio, atque Ambroſio inchoato*; Auxentio ſanè Ariano, ſed quid Ambroſius commiſit, ut eadem culpâ involvatur? quem ipſe nobis nuperrime negotij ſui patronum proponebat; Eò ventum, ut Erlembaldus ipſe Alexandrum ſecundum anno 1065. de hoc negotio Lucæ conveniat, à quo contra Clerum Decretum impetrat, quod Archiepiſcopus, Mediolanum allatum, ipſâ Pentecoſtes die diſceptandum ſuſcipit. Verùm, ita rem inſtituerant Arialdus & Erlembaldus, ut factione ſuâ ad ſeditionem compoſitâ, conſiſtere Archiepiſcopus non poſſet.

Card. Bar. in Martyrol. Iunii 19. p. 341.

Iacob. de Voragine Gervaſio & Prothaſio.

1. Cor. 1. vs. 11. 12. 13.

Ann. 1065.

Ann. 1066. Anno sequenti 1066. pars ejus, haud dubiè par pari redditura, ita se comparat, ut Arialdus fugâ sibi consulere cogatur, ab eaque retractus tanquam malorum omnium author misero fœdóque supplicio crucietur, cujus exemplo perterritus Erlembaldus, sibi tum quiescendum existimat. At anno 1067. absentem Antistitem nactus, præsidijs majoribus comparatis, Erlembaldus cives apud se dicere sacramentum cogit, nec tam Sacerdotum ordinem quam ipsum Archiepiscopum divexat; adeo ut etiam in Urbem ad comprimendam seditionem reverenti violentas manus inferre non dubitet; tandemque, ut de toto hoc progressu ex fine sententiam feramus, à Pontifice, Hildebrandi auxilio, aliud decretum obtinet, *ut nullus Episcopus justus & legitimus habeatur, sine jussu Papæ, licet talis fuerit à Clero, populo & Rege declaratus:* in cujus robur & populum & Clerum Mediolanensem jurejurando adigit, quâ re perculsus Wido, quippe jam ætate confectus ac tranquillitatis cupidus, ultro se Sacerdotio abdicat, atque insignia honoris ad Henricum tertium in Germaniam mittit. Hæc interim omnia populo, cum Simoniæ & Nicolaismi condimento, proposita, quibus qui contradicerent, *cum Dathan & Abiron, Juda Pilato, & Caipha,* damnarentur. Hæc enim Mainardi Episcopi Silvæ Candidæ & Iohannis Presbyteri Cardinalis verba, qui in hoc negotio Pontificis & Legati & Mandatarij. Imperator igitur anno 1068. Godofrido Castillionæo Mediolanensi, illustri loco nato, eam dignitatem indulget, quem contra Alexander acri interdicto ab ineundo honore absterret: Erlembaldus verò, ejus partes amplexus, urbe excedere cogit. Sed Pontifex, Widone mortuo, Athonem Mediolanensem Clericum inducit, perque Erlembaldum in Episcopum suscipi curat, non sine ingenti populi dolore, qui hanc dignitatem, pro Romanorum libidine, agi ferrique jam videret. Et hinc novum cum Imperatore Henrico jurgium: Nempe ex fictitijs illis hæresibus, ut olim ex imaginum controversiâ, utilitatem hanc captabant Pontifices, aliorum utique Episcoporum oppressionem, legitimorum imperiorum imminutionem.

Ad progressum, Reges etiam memorare pertinet, qui Romanæ Babyloni sese Vectigales constituebant, ut impleretur temporis progressu, quod de Regibus in Apocalypsi meretricis calice inebriandis, meretricem proinde adoraturis. Casimirus igitur Rex Poloniæ anno 1045. regnum suum Pontifici *feudale & tributarium* facit, Benedicto, quod mireris, nono, immanissimo monstro, omnesque subditos capitatim obolum usualem quotannis, census loco, pendere jubet, ita ut nec ipse, nec sui unquam ab hoc contractu resilire possint; Facit idem Sueno

Epist. Alexand. 22. ad Suenon. Regem Daniæ. Ejusd. ad Guilielm. Regem Angliæ,

Rex Daniæ, anno 1069. Alexandro secundo invitante, quin & à successoribus longè anteà promissum exigente. Quod & eodem jure anno 1068. Guilielmo Angliæ Rege extorquet, cui persuasum vult, ab eo tempore, quo Christus in Angliâ cognitus, *regnum sub manu & tutelâ Petri,* id est, Romanorum Pontificum fuisse: Cum tamen Christianos Reges multis ante annis habuerit Britannia, quàm Roma de Papatu quidquam audivisset. Et hæc interim exactio passim *Denarius Petri.* At Gregorius septimus seu Hildebrandus non hîc alijs segnior. Notabile enim in primis, quod à Richardo Principe Capuano exigit jusjurandum: *Ego Richardus gratiâ Dei, & sancti Petri, Princeps Capuæ,* quâ tandem Theologiâ creaturam cum creatore copulat? *ab horâ & deinceps fidelis ero sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedi, & tibi adjutor ad tenendum & acquirendum & defendendum regalia sancti Petri, ejusque possessiones rectâ fide contrà omnes homines, & adjuvabo te ut securè & honorificè teneas Papatum Romanum & terram sancti Petri;* quarum sanè clau-

Gregorius 7. in Epist. post. 21. & l. 1. & l. 8. post Epist. 10.

claufarum, eo interprete, longa sequela; *& principatus nec invadere nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præsumam, absque tuâ tuorumque successorum, qui ad honorem sancti Petri intraverint, certâ licentiâ, præter illam quam tu mihi concedes vel tui concessuri sunt successores.* Quibus alijs verbis latronum ducem compellare potuisset? *Regi verò Henrico, cum à te admonitus fuero vel à tuis successoribus, jurabo fidelitatem, salvâ tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitate.* Hæc sub annum 1073. & in eadem verba anno 1080. jurat Robertus, Apuliæ & Calabriæ nomine, hominium præstans; Quin & si Gregorij septimi Epistolis fides anno 1073. Romam adit filius Demetrij Russiæ Regis, quem Petri vice regno investit, *indubitanter asseverans, illam suam petitionem patris consensu ratam fore & stabilem,* si regnum suum ex sedis Romanæ dono possideret: ineptâ hac adolescentis devotione evidenter abusus, quod vel stilus ipse indicat. Quâ & vecordiâ Comes Bernardus Comitatum Provinciæ, remissionem peccatorum impetraturus, ei donat: de donatione enim Comitissæ Mathildis suo loco. At notatu in primis dignum, à quâ venâ, quod ad Philippum Franciæ Regem scribit, peccatorum indulgentiam polliceri ausus, si suas partes tuendas suscipiat. *Nos volumus*, inquit, *& ex parte Apostolicâ jubemus, ut electionem, quam præfatæ Rhemensis Ecclesiæ Clerus & populus facturus est, nullo ingenio aut studio, quo minus canonicè fiat, impedias, sed si quis impedire aliquo studio tentaverit illi omnino contradicas, & adjutorium tuum impendas. Age igitur, ut non frustrà tuæ juventutis culpis pepercisse, nec in vanum te ad emendationem expectasse videamur, ac maximè enitere ut beatum Petrum*, id est Hildebrandum qui se Petri successorem facit, *in cujus potestate est regnum & anima tua, qui te potest in cœlo & in terrâ ligare, & absolvere tibi facias debitorem, & pro diligentiâ, justitiæque executione ipsius gratia, æternum dignè merearis auxilium.* Hic rogo, Satanæ vocem in Evangelio dominum tentantis quis non agnoscit? Verùm, aphorismi (*dictatus Papæ* vocant) ab eo sub annum 1076. promulgati, totum quantum nobis eum denudant: *Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata*; quorsum igitur Petrum allegant? *Quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis*, solus ergo ex Gregorio Magno pro suo jure Antichristi præcursor, Antichristus imo ipse: *Quod ille solus possit deponere vel reconciliare Episcopos*; Quid igitur de tot Episcopis dicendum, qui in Ecclesiâ per tot secula, in tot gentibus & legitimè & meritissimo jure, ipso & inexpectato & invito positi, depositi? *Quod Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus & adversus eos sententiam depositionis possit dare.* Sacra igitur universalia Concilia, in quibus varij Episcopi & præfuerunt & præsederunt, & sententiam Legatis suis præsentibus pronuntiarunt, sæpe etiam contra ipsos tulerunt, quo jam abeunt? *Quod absentes Papa possit deponere*; Et hoc, inquit Baronius, ut adversarijs ansam præscindat, Imperatori ipsi, quem absentem excommunicaverat; Quid igitur tantopere demirantur, quod in eum eodem jure sit usus? *Quod cum excommunicatis ab illo inter cætera nec in eadem domo debemus permanere*; Quid hoc rursum, nisi quod olim Ethnici Pontifices, aquâ & igni interdicere, & quam benè cum re Christianâ agitur, quod illis a paucis habeatur fides? denique, *Quod illi soli licet, pro temporis necessitate, novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere & è contra divitem Episcopatum dividere & inopes unire: Quod solus possit uti Imperialibus insigniis: Quod solus Papæ pedes omnes principes deosculentur: Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur: Quod nulla Synodus absque præcepto ejus debet generalis convocari: quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque illius authoritate: Quod majores causæ cujuscumque Ecclesiæ ad eum referri debeant:*

Gregorius l.2. Epist. 71.

Ann. 1080.

debeant: Quod à fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere: Quod de omnibus potest judicare, & à nemine judicari potest; Id omne, quia, *Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, testante Scripturâ, errabit: Quod Romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus: Quod unicum est nomen in mundo Papæ videlicet;* Tantum non dicturus numen; quod Apostolus de Domino, *Nomen supra omne nomen, unicum sub cœlo in quo salvari possimus.* Quid jam expectas Lector, nisi ut mox superaddat: quia Papa Christus, proinde & Antichristus ipse. Sed antequam præcipuas oppositiones attingamus, præmittenda sunt peculiaria quædam minimè contemnenda. Leo nonus, inquit Urspergensis Abbas, cum Moguntiæ versaretur & Archiepiscopus celebraret, accidit, ut Diaconus quidam, Hunibertus nomine, lectionem quandam legeret, quæ Romano usui non responderet; admonitus hujusce rei à quodam familiari Leo, bis terque silentium Diacono imponit, qui nihilo secius pergit: Itaque peractâ lectione ad se venire jussum de plano exauctorat. Archiepiscopus hîc excandescere, protestari, se officium non peracturum, nec ab alio peragi permissurum, nî Diaconus ipsi suus in integrum restituatur, adeò ut Pontifex, Archiepiscopo satisfacturus, sacris vestibus indutum, ei illicò reddere cogatur. Hîc author, *quâ in re & Pontificis authoritas & Apostolici consideranda est humilitas, dum & ille officij sui dignitatem defendere contendebat, & iste licet majoris dignitatis, Metropolitano tandem in suâ diœcesi cedendum perpendebat.* At Baronius pro more in Abbatem intumescit, eumque graviter suggillat; nihilo mitior erga Petrum Damianum, Sedis quantumvis zelatorem, nempe minus probantem, quod Leo bellis sese immisceret; dicere etiam ausum Cæsaris esse quæ Cæsaris sunt, Pontificis quæ Pontificis sunt tractare. Etenim dicebat Damianus in Epistolâ ad Firminum, *sicut ipse Dei Filius cuncta mundi furentis obstacula, non per districti examinis ultionem, sed per invictam superavit inconcussæ patientiæ majestatem, ita docet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quàm vel arma corripere, vel lædenti læsionibus respondêre, præsertim cum inter Regnum & Sacerdotium propria cujusque distinguantur officia, ut Rex armis utatur seculi, & sacerdos accingatur gladio spirituali, qui est verbum Dei, &c.* Et huc multos sanè Scripturæ locos adducebat, rationes etiam & exempla; Quin & hanc legem in Pontificem, in Leonem adeo ipsum stringebat, *Ad hæc si quis objiciat, Leonem bellicis usibus se frequenter implicuisse Pontificem, nihilominus verum esse dico quod sentio, quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet principatum, quia negavit, neque David idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia thorum alieni viri invasit, cum bona vel mala non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debeant qualitatibus judicari. Numquid hoc legitur vel egisse, vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias à Longobardorum feritate est perpessus? Num Ambrosius bellum Arianis, se suamque Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum? Causas igitur Ecclesiastici cujuscumque negotij leges dirimant fori, vel sacerdotalis edicta Concilij, ne quod gerendum est in tribunalibus Iudicium, vel ex sententiâ prodire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium, congressione bellorum.* Quid igitur Baronius? Repugnant, inquit, axiomata Damiani Ecclesiæ Catholicæ axiomatis, quæ hæreseos damnat, quicumque utrumque gladium Pontifici non tribuit; Itaque ex insigni Cardinali, quod in hoc mysterium impegerit, hæreticum jam nobis facit. At quibus judicibus, Gregorio nono, Bonifacio octavo posterioribus longè, quibus nemo unquam aut insolentior, aut protervior tyrannus, quique in propriâ causâ, in summo excandescentiæ suæ æstu contrà Imperatores hæc Decreta

Abbas Urspergens. in Chronico. ann. 1052. Baro. ann. 1053. art. 16. & 17. Idem ann. 1053. art. 10. & seq.

Petrus Damianus in Epist. ad Firmin.

Baro. ann. 1053. art. 14. 15. 16. & seq.

vomuerunt. Qui vel logicam à limine salutarit, principij petitionem annon hîc statim objecturus? Addit rursum, *usum in Ecclesiâ dogma illud probasse*; Quid si nos verò excipimus, imò abusum, imo corruptelam? Et huc nobis adducit quosdam Gregorij primi locos, Duces adversus Lombardos excitantis, qui Imperatoris jussu, & authoritate ad arma vocati. Verùm, num ipse suopte marte bellum gerit? bellum indicit? belli dux ipse? Excipit verò: nec Leo ipse manum conserebat, sed militiæ intererat; at cum confligendum erat prælio se subducebat, unde securus eventum spectaret; ut ex monarcha jam suo tubicinem nobis faciat. Notet interim hominis impudentiam Lector, qui Damianum hæreseos Tertulliani insimulare non vereatur, qui Christianos à militiâ arcebat; Quin & Iuliani Apostatæ qui Christianos quasi ex Euangelio quidvis pati inultos jubebat. Ergone omnium Christianorum vocatio eadem? & militum sanè ductori eodem argumento Missam celebrare liceat, quo sacerdoti: sacerdotum Principi, militiam exercere, militiæ præesse, ex Baronio fas erit. Cæterum curiæ Papalis statum non aliunde melius quàm ex Damiano didicerimus: Qui præ ejus horrore, galero abdicato, in Eremum fugit, Inde retractus Pontificalis obsequij prætextu, sibi ad orcum revocatus videtur, tanquam de atroci injuriâ apud Pontificem, & Hildebrandum expostulat. Scribens igitur Hildebrando, Alexandrum licet contra Honorium tueretur: *Sed adhuc fortasse*, inquit, *blandus ille tyrannus qui mihi Neronianâ semper pietate condoluit, colaphisando demulsit, qui me certè aquilino ungue palpavit*, Papa scilicet, ut eum Romæ retineret aut eò retraheret, *hanc querulus erumpet in vocem, Ecce latibulum petit & sub colore pœnitentiæ Romanum subterfugere quærit accessum, lucrari machinatur de inobedientiâ otium, & cæteris in bella ruentibus, hic sibi degeneris umbræ quærit opacum, &c.* Et protestatur quidem *sancto suo Satanæ*, (ita enim Papam vocat) in omnibus occasionibus contra Honorium præsto futurum, modo actutum eremum repetere sibi liceat. Ergo quid eum movebat: Sane si ei fides, Cleri Romani lascivia, à cujus contagione sibi tanquam à peste timet, ne viscera, ne cor, ne mentem subito invadat; eam verò in factis, in sermonibus omnis generis, Clero indignis exprimit. A quibus, inquit, *si nos pudore vel metu hæc declinare contendimus, mox inhumani, rigidi, & quos Hircanæ genuerint tygres, saxei judicabimur. Reprimo calamum, &c.* Dein luxus, *quotidie regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale convivium, & unde refrigerari debuerant indigentes, rubentium * tabularum* vel *trabearum reficiant gestatores, &c. Inter hæc omnia porro mala & illud excedit, & Diabolicam propemodum videtur æquare nequitiam, quia prædiis in militiam profligatis, omniumque possessiones terrarum, insuper & decimæ ac plebes adduntur in beneficijs secularibus.* Denique universalis labes; *Ejusmodi*, inquit, *ut eos à secularibus barbirazium quidem dividat, sed actio non discernat, nec sacra meditentur eloquia Scripturarum, sed scita legum & forense litigium; Multitudini Sacerdotum non sufficiunt tribunalia judicum & aulæ regiæ, dum Clericorum & Monachorum evomunt turbas, brevitatis suæ conqueruntur angustias; Claustra vacant, Euangelium clauditur, & per ora Ecclesiastici ordinis forensia jura decurrunt, &c.* Ab eadem verò mente Cardinalibus, sese ad Concilium accingentibus, rescribit, ne quod solent, quod sæpius expertus est, suffragia sua vendituri accedant, unde suo luxui subveniant; Quem ibi rursum plusquam regalem, planè Sardanapalicum omni ex parte describit; Vidisse enim se, qui præ gaudio exultarent, cum Synodus adventaret, *ac si trituræ in fine vindemialis proventus articulus immineret.* Et hæc nihilominus in illâ Ecclesiæ parte quæ Alexandrum secundum fovebat, cujus partes ipse probabat, ne nobis hîc regerant, de Hono-

Petrus Damianus in Epist. ad Alexand. & Hildeb.
*

rio secundo sermonem ei esse, quem pro schismatico ipse habebat; Quare ab Alexandro invitatus, ab Hildebrando ipso violenter incitatus, ut Mantuano Concilio contra Honorium sese sisteret, cujus nempe famâ & celebritate adversam factionem infirmare satagebant, ad convitia usque provehitur; Inscribitur Epistola, *Patri, filio, Papæ & Archidiacono*; Ibi Hildebrandum fodiens, an potius per ejus latus
Ann. 1064. Alexandrum ipsum, *sanctum Satanam meum humiliter obsecro, ut non adversum me tantopere sæviat, nec ejus veneranda superbia tam longis me verberibus atterat, sed jam circà servum suum mitescat, liventes quippe scapulæ jam deficiunt & sulcata tot plagis totque terga vibicibus tumescentia non subsistunt; Unde vir sapiens, flagelli,* inquit, *plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa, &c. Sed adhuc spiritum reprimo, labiis digitum superpono & licet seram, tamen adhuc misericordiam quæro.* Sed ad oppositionem veniamus.

OPPOSITIO.

HEnrico tertio impubere Pontificum conatus lenius excipiebantur, quamquam Agnes ejus tutrix, & optimates quorum consilio utebatur retinendæ authoritati, præscriptionem aliquo semper actu interpellabant; is licet non usquequaque suis votis responderet; Quærendus fuerat Nicolao secundo successor, indeque intestinum bellum Romæ exarserat, scissis inter Alexandrum & Honorium suffragijs; Romani in hoc incendio Legatos ad Imperatorem Augustam mittunt, eum ipsum inter alios qui Alexandrum consecrarat, qui ejus opem adversus hanc vim imploraret, *Alexander*, ajunt, *interturbat omnia, is contra morem majorum absque consensu vestro Sacerdotium sibi usurpat, à Normannis Pontificatum emit, vi & armis tenet, lupus atque Latro, non pastor, tyrannus non Pontifex est; En ego, qui ipsum à Normannis, Deum testor, coactus consecravi, præsto sum; quocircà consultissimi patres, huic pesti, ne latius serpat, occurrite.* Imperator itaque causam cogniturus Boconem Episcopum Halberstatensem, veritatem exquisiturum, delegat, qui pendente lite Alexandrum in officio tuetur. Honorius verò, id ægrè passus, Romam armatus ingreditur; Alexandrum defendebant Longobardi, Honorium Normanni, & Roma ipsa studijs discerpta, Turres Urbis & munitiora quæque loca inter Pontifices divisa; Godofridus Lotharingius, qui Imperatoris in Italiâ vices gerebat, intervenit, cujus authoritate & arma ponunt Pontifices, & cives domum quisque suam repetunt; Mox verò ambos ipse vocat, *En*, inquit, *pastores, qui oves (quarum lanâ teguntur, lac consumunt) committunt, pacem quam Christus Dominus Deusque noster reliquit, violant, pietatem polluunt. Ite in Germaniam ad Cæsarem, & ibi potius jure quàm bello, uter Pontifex sit, disceptate: Quem Cæsar, Principesque & Episcopi Pontificatu donare dignati fuerint, is absque vi cum pace omnium primario potiatur sacerdotio.* Quare utroque assentiente ad Synodū Mantuanam rejectum negotium, ita tamen ut Alexander consecratus, quippe & Laterano potitus, nomen & titulum retineret; sed moræ interim impatiens uterque, quod Imperator Hungarico bello occupatus, Italicis rebus minus superesse possit, adversis suæ factionis Synodis sese invicem anathematis persequuntur, adeò ut necesse habeat Imperator tredecim vix annos natus, Hannonem Archiepiscopum Coloniensem & Wencestaum Alteichensem cum pluribus alijs Episcopis & Principibus Mantuam mittere, ubi cum sese juri stitisset Alexander, Honorius contrà Hannoni significasset, *magistrum à discipulis doceri non oportere, se nequaquam ven-*

Aventinus l. 5. Boiorum ex antiquioribus.

venturum, nisi vicem Christi præsidendo defungi permittatur; Hanno Synodi præses, Imperatorisque vices sustinens, ex Synodi sententiâ respondit: *Magistrorum sacrosanctæ concionis, Ecclesiæque parendum sententiæ, divino oraculo obtemperandum esse*; Indeque Alexandrum ritè auditum, & quia deerat accusator, Sacramento sese purgare jussum, Papam pronuntiant, qui tamen, uti jam vidimus, Imperialis dignitatis non magnam deinceps rationem habuit. Hæc anno 1066. At, ut Hildebrandus inconsulto Imperatore Pontificatum adeptus, qui in eligendis prædecessoribus, non expectandi Augustorum mandati sepius author fuerat, nihil non ausurus rem cæteris acrius aggreditur. Id verò quia Henricum tertium jam annis majorem incurrit, ut magnis in orbe Christiano tumultibus occasionem dedit, ita & veritatem ex multorum ore elicuit. Hic solus, inquit Leodiensis Apologia sub annum 1066. *extremam manum Sacris Canonibus imposuit, sed sciamus quomodo; non utique fecit ut Gregorius primus hujus nominis Papa, qui in mortem Longobardorum sese immiscere noluit, hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, utebantur solo gladio spirituali usque ad ultimum Gregorium, id est, Hildebrandum, qui primus se & alios Pontifices, suo exemplo, contra Imperatorem accinxit gladio belli. Ad hunc usque*, inquit gravis Author, *Pontifices Romani Comitiis curiatis calatis à Sacerdotibus equitatu, plebe, senatu, per omnium generum suffragia electi fuerant, id ratum fuisse reperio, si Imperatores authores fierent, qui illos sicut alios Episcopos ad Concilia jure suo evocabant, &c. Sanctissimi Patres, quemadmodum Christus Dominus & Deus noster, Comites & legati ejus fecerunt & alios docuerunt, Cæsares in terris à Deo secundos, ante omnes mortales primos, à supremo nomine datos, divinitus constitutos, ab immortali Deo electos, & coronatos venerabantur, Dominosque suos vocare solebant. Gregorius septimus qui & Hildebrandus, fretus armis Normannorum, qui tunc per Apuleiam, Calabriam, Campaniam, quas vi occuparant, debacchabantur, confisus etiam opibus Machtildæ, mulieris impotentis, & discordiâ Germanorum, primus contra morem majorum, contemptâ Imperatoris authoritate, Pontificatum maximum occupavit: utramque personam sibi impositam esse à Christo, se quodcumque ut liberet, ligare, solvere posse, jactitare, utramque personem agitare*, (Ecclesiasticam & secularem) *Occidentem adserere, omnem potestatem in se transferre, neminem parem, ne dum superiorem ferre, justa aliorum diminuere, cæteris jus atque honorem præripere, cuncta in se transferre, Cæsares, Reges, Augustos, ut præcario regnantes flocci-facere, Pontifices, Episcopos in ordinem redigere, devovere, capite deminuere, lites, bella, concitare, discordias serere, factiones confirmare, jusjurandum, pacta, sacramenta solvere cœpit, etiamsi injuriâ vel ipsum Cæsarem affecerit, tamen semetui oportere, in quadam Epistolâ gloriatur; utpote qui errare non possit, & à Christo Domino Servatore nostro Petroque acceperit potestatem, ut solvat, ligetque utcumque libeat. Tum mores, ambitiones, avaritiaque corrupti paulatim invaluere, tempora periculosa cœpere, quæ nobis cavenda Christus servator noster Petrus ac Paulus longo ante tempore probè cantarunt. Tum illa quæ de Sylvestro & Constantino vulgò inculcantur, & alia plæraquæ, quæ ob modestiam Christianam referre pudet, non minus imperitè, quàm impudenter mendaciterque conficta sunt, simulata religio, species pietatis invasit. Compilationes, nundinæ sacrorum irrepsere, & sacrosancta philosophia humanis commentis, fabulis anilibus à Sycophantis, callidâ interpretatione, pollui, corrumpi, violari cœpit; adeò ut sine multorum pernicie religio sancta procurari & ad pristinam majestatem restitui non possit. Et hæc ab Hildebrando, qui primus Imperium Pontificium condidit, quod successores per quadragintos quinquaginta continenter annos invito mundo, invitis Imperatoribus, adeo duxêre, ut inferos, superos in servitutem redegerint, atque sub jugum miserint, atque cuncta fulmine perterritent.*

An. 1066.

Apologia Cleri Leodiensis. An. 1066.

Quo bruta tellus & vaga flumina.
Quo styx, & invisi horrida Tænari
Sedes, Atlantæusque finis
Concutitur, mutant ima summis.

Et hęc quidem licet professione Romanus, plura fortè, si licuisset, dicturus, quandoquidem in hæc verba concludit: *Imperator jam Romanus nihil amplius, appellatio modo est sine corpore, sine specie, tametsi ex arbore fructus cognoscatur & nemo ex spinis colligat uvas, & miles sui tribuni signum agnoscat, nobis tamen ante tempus non licet ullum judicare, sed cum summa potentia, maximo cœlestis sapientiæ studio, secundum Divi Pauli præceptum, expectandum est perpetuum æterni Prætoris edictum.* Ac si ad illud Apostoli de Antichristo alludere velit, *quid obstet aut retineat nostis*, (Imperium Romanum) *ut reveletur in suo tempore*; Hildebrandus verò ipse quis fuerit suo loco videbimus.

Nec tamen audaciam suam primâ fronte exeruit, imò Imperator Henricus, cum Comitem Heberardum Romam misisset, qui Romanos culpæ suæ admoneret, & ni sibi satisfieret, perperam electum declaraturnm minaretur, humiliter admodùm respondit, se invitum ad Pontificatum adactum, nec unquam se consecrari passurum, quin ex legatorum suorum relatione, ab Imperatore se comprobatum intelligeret; quibus verbis ita Imperatorem demulsit, ut suæ consecrationi facilè assentiretur. At statim Laterani Synodum cogit, ibique Canones contrà suas illas hæreses Simonis & Nicolai renovat, idoneos illi prætextus, unde & Henrici authoritatem imminuat, & si quid secus faciat, hæreticum eum pronuntiet; nempe quorum hic, si quæ superest, omnem illi Mediolani authoritatem tollat, ille quam in Germaniâ ex investiturarum jure retinebat, in dies substrahat. Summa erat, *non liceat Clerico uxorem ducere, nec per laicos Ecclesiæ investituram accipere, sub anathematis pœnâ.* Dignum vero notatu, huic Synodo interfuisse Comitissam Mathildam fœminam, quod Historiæ testantur, non minus impudicitiâ quàm superbiâ infamem. In vim igitur primi Decreti, Herlembaldus Mediolanensis Præfectus in Clericos sævit, inque die *Cœnæ Domini*, oleum per Godofridum, quem Imperator Episcopum fecerat, consecrari prohibet, aliudque oleum suppe-
An. 1075. ditat. Sequenti rursus anno 1075. oleum Paschalibus ceremonijs ipse subministrat, quod cæteris Sacerdotibus accipere abnuentibus, solus Luithprandus S. Pauli Sacerdòs, ipsi gratificatus, accipit; Quâ re plebs indignata urbe secedit, seque nemini antistiti parituram, nisi ab Henrico dato, protestatur; nec multo post in urbem reversa Erlembaldum invadit, ipsumque cum suo Luitprando necat; Godofrido interim à Pontifice non accepto, & sub anathemate hærente, non sine magnâ Henrici indignatione, qui nihilominus ad ejus libidinem sese attemperans, Theobaldum Castilionem in ejus locum nominat, qui à Mediolanensibus benignè acceptus; Et ex hoc solo actu judicet quisque, ipsa Italia hoc cœlibatus jugum quàm illibenter subiret. In Germaniâ idem Gregorius urget, Principibus eorumque uxoribus scribit, Sacerdotum conjugatorum Missas ne frequentent, Decretum suum imò exequantur, qui minus obsequantur, pro excommunicatis habeant, quippe qui *nec Sacerdotes esse, nec sacra celebrare possint*; Inde verò plebs in illos insolescere, *hostiam ipsam ab eis consecratam pedibus conculcare*, & eo tamen tempore quo opinio de reali præsentiâ grassari incipit. *Hinc verò, occasione arreptâ,* inquit Aventinus, *multi falsi Prophetæ nebulas offundunt, fabulis, miraculis, exempla vocant, à veritate plebem Christi avertunt, sacras literas interpretando suo negoci o servire cogunt, & por-*

& porrò paucissimis Veneri bellum indicentibus, quibusdam castitatem jactantiæ, quæstus ergo simulantibus, maxima pars sub honesto castimoniæ nomine stupra, incestus, adulteria passim & impunè committebant. Cum tamen quicquid Germaniæ in aliquot Synodis tentent, Legati etiam Gregorij à latere suo emissi aut comminentur, aut fulminent, ab Episcopis obtinere non possint, ut huic Decreto assentiantur, ne dum ut Sacerdotes conjugatos deponant, quippe sacrarum Scripturarum, veterum Conciliorum, primitivæ Ecclesiæ authoritate nixis. Adde, necessitate humanâ, præcepto divino, ex diametro cum Pontificio decreto pugnante. Hinc verò odij in Henricum nova materia, quod Gregorij bullas non satis strenuè promoveret. At, hærebat penitus in animo investituræ jus, cui Simoniæ apud Gregorium nomen, (& jam Alexander secundus anathema ostentarat) quod predecessorum suorum more, electos à Clero & populo Episcopos, authoritate suâ constitueret; fortè & aliquid pecuniæ, propter magna, quæ possidebant, feuda, eo nomine acciperet, quod Gregorius intervertere voluisset; sublevandi enim cleri zelo fecisse, nemo arbitretur, cum, neminem prædecessorum plures nundinationes in distribuendis muneribus Ecclesiasticis exercuisse, Historia testetur. Edicit ergo anathematis pœnâ, ab investituris abstineat; mox & Othonem Reginoburgi, Othonem Constantiæ, Bernardum Lausannæ Episcopos, & Eberardum & Ulricum Comites, qui Henrico à consiliis, excommunicat, inque Germaniam, qui de totâ re inquirant Ostiensem, Prænestinum, Curiensem, & Comensem Episcopos mittit; Henricum Norimbergæ obvium, quod ab Alexandro anathemate perculsum scirent, alloqui non dignantur. Nec eo minus tamen conventum generalem in Germaniâ postulant, in quo de Episcopis & Abbatibus Simoniacis cogituri sint; Inter quos obiter, quos Henricus ordinasse cognoscebatur, Ecclesiâ excludunt, Bambergensem in primis; Quin & anno 1075. cum Imperator Episcopos & Principes de hoc negotio deliberaturos Goslarię congregasset, Pontificis nomine coram significant, secundâ quadragesimæ hebdomadâ Romæ personaliter compareat, ad objecta sibi crimina responsurus, secus, se rursum ab Ecclesiæ corpore amputandum intelligat. Ut merito dixerit Malmelsburiensis de Gregorio loquens, *hic, quod alij mussitaverant, palam extulit, excommunicans electos, qui investituras Ecclesiarum de manu laici per annulum & baculum acciperent.* Quod & Leodiensis clerus in Apologiâ, *ultimam manum sacris Canonibus imposuit solus Hildebrandus, &c.* quem ille obtendebat zelum, manifestè deridens. Cum igitur Saxoniæ Principes & populi, quorundam gravaminum causâ an prætextu, in Imperatorem commoti essent, utque suæ causæ robur adderent, juvenilem lasciviam ei exprobrarent, Gregorijque idcirco opem implorassent, ille protinus, satis jam per se concitatos, ad rebellionem exacuit, & primo quoque die Germaniam se trajecturum, eosque ab Imperatoris potestate liberaturum pollicetur. Quia verò arduum esse hoc consilium intelligit, arctiori se fœdere cum Comitissâ Mathilde, cujus magnæ tum in Italiâ & ditiones & opes, sese conjungit, cum Normannis etiam Apuliæ & Calabrię Dominis, eo facilius, quod Henrici potentiam imminui, utrorumque maximè interérat; nempe qui authoritatem semel nactus & Mathildem, cujus in ditiones jus sibi vindicabat, & Normannos, qui non alio quàm prædonum titulo nitebantur, deturbare potuisset; Quare, inquit Leo Ostiensis, *Mathilda Comitissa Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriam & Tiguriam & Tusciam provincias Gregorio Papæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissimè obtulit. Unde in primis causa seminandi inter Pontificem & Imperatorem odij initium fuit. Quapropter Pontifex*

Malmelsb. l. 3. de gestis Regum Anglorum

Leo Ostiēs. l. 3. c. 48.

opportunitatem nactus, *eundem Imperatorem, quod sibi jura usurparet Ecclesiæ, communione privavit.* Addit verò ipse in Epistolâ, *præcepisse Mathildi Marchionissæ in remissionem peccatorum suorum, ut debellaret Henricum Imperatorem.* In quo boni istius viri Theologiam notare operæ pretium; Cum interim Henricus, nihil quod ad pacem pertineret omissurus, oratores ad Gregorium decernat, qua se à Saxonum calumnijs vindicet; At, inquit Aventinus, *nuncios ille Cæsareos objecta crimina à Saxonibus confutaturos, conatibusque ejus obstituros in vincula conjicit, frigore, fame, siti excruciat, per urbem circumductos Româ pellit,* eo quod, inquit, *ipsemet venire debuerat.* Itaque exhaustâ patientiâ, Henricus Wormatiæ conventum indicit, cui intersunt ex Italiâ plerique Episcopi, ex Galliis & Germaniâ, exceptis Saxonibus, omnino omnes; quin & ex Româ ipsâ eo advenit Cardinalis Hugo Blancus, cum Cardinalium & optimatum populi Romani literis, quibus Hildebrandum accusabant *ambitus & perjurij, eundemque pleraque avarè, superbè, facere conqueruntur, hocque rejecto alium pastorem postulant.* Ibi re deliberatâ, sententia in Hildebrandum pronuntiatur: *Hildebrandus qui se Gregorium nuncupat, primus sine consensu nostro adversus Imperatoris Romani, rerum Domini à Deo constituti, voluntatem, contra morem majorum, contra leges, contra auspicia Pontificatum maximum, quem pridem ambivit & judicio convictus, perpetuò objuravit, invasit; Monachus desertor est, novis dogmatibus sacrosanctam philosophiam adulterat, Divinas literas falsò interpretando suæ causæ servire cogit, concordiam Collegij scindit, sacra, profana, divina humana commiscet, utrumque juxta polluit. Diabolicis, hoc est, acerbissimorum hostium spurcissimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem commodat & credit. Testis, judex, accusator, inimicus idem est. Maritos ab uxoribus separat, scorta pudicis conjugibus, stupra, incestus, adulteria, casto præfert connubio, populares adversus Sacerdotes, vulgus adversum Episcopos concitat. Neminem ritè initiatum esse docet, nisi qui ab eo sacerdotium emendicaverit, atque ab ejus aurisugis mercatus fuerit: vili plebeculæ gratificari studet, vulgi imperiti auram captat, simulatâ religione decipit, defraudat, circumvenit, in Senatulo muliercularum de sacratissimis religionis mysteriis pertractat, supremi numinis legem, quâ se idem quoque ligavit, solvit, utrumque & Imperium & Pontificatum, sicuti Decij & falsorum Deorum cultores factitare consueverant, usurpat, &c. Divinæ majestati refragatur, Christianissimo Principi divinitus constituto & à Deo inaugurato resistit, versutus, fallax, obscurus, callidus imperium orbis, titulo Christi, sub ovinâ pelle ambit. Hasce ob causas sanctissimus Imperator Pontifices, Senatus, populusque Christianus illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, neque oves lupo committendas censent.* Quâ utique ratione ambas illas, quas obtendebat hæreses, Simoniæ & Nicolaismi, unanimi consensu evertunt, & porrò hoc ipsum Decretum non solùm Episcopi Germaniæ & Galliæ, sed Italiæ ipsius in Synodo Papiæ habitâ & sigillo & jurejurando singuli confirmant. Scriptum & Synodi Wormaciensis authoritate ad Hildebrandum, sese Pontificatu abdicet, & vitam privatam repetat, ad Clerum itidem & populum Romanum, alium ex lege majorum eligant, à personâ tamen Hildebrandi manum abstineant, quem divinæ justitiæ relinquunt. In tanto verò Episcoporum numero, soli contradicunt Albertus Wirthsburgensis & Hermannus Metensis, qui tamen à Guilielmo Ultrajectino seriò admoniti, communem sententiam amplexi, unà cum alijs subscribunt. Gregorius ut hoc sensit, animum non despondet, grandem pecuniæ summam à Mathilde mutuò sumptam inter populum spargit, pauperum pecuniam in stipendium militum vertit, populo Romano per adulationem antiquum decus ob oculos reponit, spem etiam libertatis facit; indéque Synodum Romæ

Clerus Leodiens. in Apol. Ann. 1106.

Aventinus l. 5. Annalium Boior.

Lambert. Schaffnab. de rebus Germ. Sigon. de regno Ital. l. 9. Author. vitæ Henrici 4.

Romæ adsignat. Ibi in medio conventu, nomine Wormaciensis Synodi Rolandus quidam Parmensis Presbyter ex improviso caput exerit, eumque insalutatum his verbis affatur. *Tibi* (ad Hildebrandum inquit) *Cæsar noster Christianissimus, Sanctissimi Italiæ, Germaniæ, Galliæ Episcopi, sacer ordo Christianus præcipiunt, ut te munere, quod astu, pecuniâ, gratiâ occupasti, confestim abdices. Nec enim fas est, invitis illis, te adversus authoritatem Imperatoris, contra Christianæ Ecclesiæ decretum, ovili Dei ultra incubare;* Mox ad conventum conversus: *Pientissimi*, inquit, *fratres, pastorem jure vestro deligite, deinde sacratissimus Consul Tribunus & Princeps vester more majorum author fiat. Iste enim Hildebrandus neque pastor, neque pater, neque pontifex, sed fur est, lupus, latro, atque tyrannus;* Et parum abest quin obruatur. Literis, quas ipse tradidit, hæc inerant verba: *Quia ergo & introitus tuus tantis perjuriis est initiatus, & Ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam per conversationem tam multiplici infamiâ dehonestasti, obedientiam quam tibi nullam promisimus, posthac nullam servaturos esse denunciamus.* Gregorius itaque, quasi recriminaturus, postridie Henricum regno Germaniæ & Italiæ, quantum in se est, spoliat, Principes & populos sacramento fidelitatis ei præstito liberat, Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum, & Ultrajectinum Bambergensemque Episcopos excommunicat, cæteris, nî Romam jus subituri veniant, idem intentat; Quo in decreto (nebulonis artem nota Lector) Petrum vindicem compellat: *audi me*, inquit, *Apostolorum princeps Petre, tu mihi beatusque Paulus frater tuus, optimi præter cæteros testes esse potestis, me invitum ad sanctę tuæ Ecclesiæ gubernationem esse protractum: ob eam rem mihi persuadeo, tibi placere, ut ego populo Christiano, tibi præcipuè à Deo commisso, presim, &c. Hac igitur fiduciâ nixus pro Ecclesię tuę honore ex parte omnipotentis Dei Patris & Filij, Spiritus Sancti, jure authoritatis tuæ, Henrico Regi, Henrici Imperatoris filio, qui adversus Ecclesiam tuam inauditâ superbiâ insurrexit, toto regno Germanię atque Italię interdico, &c. Ut gentes sentiant, quod tu es Petrus, & super tuam Petram Filius Dei ædificaverit Ecclesiam suam, &c.* Sic Sigonius non *super hanc Petram.* Contradicentibus autem nonnullis, Regem anathemate obstringi non posse: *An verò cùm Deus*, inquit, *Ecclesiam suam ter beato Petro commisit, dicens, pasce oves meas, ipsos Reges excepit?* Et sic, quod volebat, obtinuit.

Hinc itaque Hildebrandus ab Episcopis Italiæ, Germaniæ, Galliarum in Concilio Wormaciensi depositus; inde Henricus ab Hildebrando & Clero Romano Ecclesiæ communione & Regno privatus, ut partes quisque suas corroborent, omnem lapidem movent. Quia verò, quæ diu sub pupillari ætate administrantur imperia, vix unquam factionum expertia, surgunt illicò in Henricum multi Principes in Germaniâ, quibus Hildebrandus scitè proponit, à Zacharia olim Pontifice, propter solam socordiam, Childricum Regem Franciæ depositum, Pipinumque in ejus locum suffectum; Quidni idem sibi in quemcumque liceat, qui Petro rebellet? Et illi quidem, eo patrono, ejusmodi nugis conscientiam suam facilè mulcent. In his erant Hugo Alsatiæ Dux, ære alieno pressus, Rodolphus Sueviæ Dux, Imperatoris sororius, imperij spe lactatus, Bertholdus Zaringiæ dux ipsius gener, Welfo Dux Bavariæ, Moguntinus, Metensis & Wormaciensis Episcopi, nec non Abbates aliquot, seu anathematis terrore perculsi, seu principibus illis aliquâ ratione devincti, qui ex compacto omnes ab Imperatore deficiunt, animos & vires in eum jungunt, rebellantibus pridem Saxonibus manum auxiliarem porrigunt, & porrò Germaniam universam direptione, incendio, sanguine complent; ut hujus temporis historicis, quibus tam tetram,

tam abominandam confuſionem exprimant, nulla ſatis idonea verba ſuccurrant. Quam interim omnes boni Gregorio imputabant, qui quidem ajunt, *maximam partem tum privatim, tum publicè indignum facinus clamitant, pro concione Gregorio maledicunt, Hildebrando malè precantur, ipſum odio atque libidine dominandi præcipitem agi vociferantur, Antichriſtum eſſe prædicant: Pietatis ſub ſpecie,* inquiebant, *debacchatur, honeſtis nominibus bonum publicum ſimulat, titulo Chriſti negocium Antichriſti agitat, in Babyloniâ, in templo Dei ſedet, ſuper omne id quod colitur extollitur, quaſi Deus ſit, ſe errare non poſſe gloriatur, in excolendâ gloriâ ſuâ, pertinaci ſpei atque concupiſcentiæ Imperatoris ſuo arbitrio conſtituendi ſe devovit, homines non peccatis, ſed lege Chriſti atque ſacramentis ſolvit, pacem atque pietatem religionis noſtræ labefactat, bella, ſeditiones concitat, ſtupro, cædi, perjuriis, perfidiæ, rapinis, incendio indulget. Non ſolum ad ambitionem ſuam occulendam fabulas comminiſcitur, annales corrumpit, res geſtas invertit, ſed etiam cœleſtia oracula adulterat, divinas literas, falſò interpretando, ſuæ libidini ſervire cogit, ſacram hiſtoriam lacerat, inter mulierculas de ſacris philoſophatur literis; Quicquid dixerit legem Dei putat, ad aviditatem ſuam incongrua conquirit teſtimonia, ſententias depravat, ad voluntatem ſuam Scripturam trahit repugnantem. Nimium ſibi de Phariſæorum ſupercilio ſumit, ut quouſque damnare vel ſolvere arbitretur, cum apud Deum non ſententia Sacerdotis, ſed vita hominis quæratur. Præterea, Hildebrandus ille divinæ majeſtati refragatur, Chriſtianiſſimo Principi divinitus conſtituto & à Deo inaugurato reſiſtit. Huc omnes nervos intendit, ut duce gregis oppreſſo, in ordinemque redacto, in oves deſertas præſidio Imperatoris licentius impuniuſque graſſetur. Si omnis poteſtas à Deo eſt, maxima quoque, nempe Cæſarea ab eo ſit neceſſe eſt. Chriſtus, cum eum populus rebus imponere conaretur, aufugit & duos de hæreditate ambigentes, qui eum arbitrum cœperant, ad Cæſarem, cui imperium orbis terrarum commiſſum eſt, ablegavit. Pontificibus quoque Judæorum præcipit, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, cui vectigal ſolvit, tributum pendit, cenſum dedit. Idem nos divus Petrus docet, Deum timete, Regem honore afficite; Divi Pauli præceptum eſt, fidem Regi ſervare, &c. Ad hunc & ſibi ſimiles pertinet, quod dictum eſt à Chriſto Deo Optimo maximo, Petro & ejus ſucceſſoribus Romanis Epiſcopis: Vade retrò Satana, offendiculum mihi es: Et, Qui gladium acceperit, gladio peribit.* Et hinc judicet quiſque, univerſus orbis Chriſtianus de hoc, ſi ipſi creditur, Apoſtolo, quid judicaret.

Gregorium intereà, qui ejus in Germaniâ partibus ſtudebant, admonent ex hac violentâ agendi ratione magnam ſibi apud pleroſque invidiam conflari. Quare, hoc quaſi tectorio, animi ferociam tecturus, Epiſtolam paulò moderatiorem ad eos, qui Imperatori adhærebant, ſcribit, cujus ſumma: ſi ad meliorem mentem redeat, oſtenſurum ſe quod hactenus fecerat, bono ſuo feciſſe, & prçteritis oblivione ſepultis, quod enixè proteſtabatur, in Eccleſiam recepturum eſſe. Henricus igitur in ſummum alioqui amittendi regni diſcrimen adductus, ut tantorum malorum cauſam præſcindat, oblatam ſibi conditionem accipit, & nullo non ſubmiſſionis genere iram ſibi Gregorij ſedandam proponit; Itaque Spirâ digreſſus, exiguo comitatu Vezuntionem venit, Alpes ſuperat, inque Longobardiam deſcendit; Et omnes Epiſcopi & Antiſtites, licet qui ei ſtuduerant, undecumque ad Gregorium gratiam ejus redempturi, non ſine juſtâ ſuſpicione, confluerent, pergit nihilominus in inſtituto Henricus, & prope Canuſium venit, ubi cum Mathilde Comitiſſâ Gregorius, quippe quæ, ut coætanei authores teſtantur, ab ejus latere rarò diſcederet. Ibi Mathildem, Azonem Marchionem Ateſtinum, Abbatem Cluniacenſem, & alios nonnullos, quod fide & gratiâ apud Gregorium valere exiſtimabat,

sevocat, precibus omnibus obtestatur, dent operam ut primo quoque tempore anathemate solvatur, inque Gregorii gratiam recipiatur. Ad enixas eorum preces respondet tandem Gregorius, *si ex animi*, inquit, *sententiâ pœnitet, coronam & reliqua regni insignia in argumentum veræ pœnitentiæ tradat, & se post tantam contumaciam regio nomine & honore posthac indignum profiteatur.* Ad hæc illi duram hanc esse sententiam multis verbis ostendunt. *Prope*, inquit, *accedat & culpam, quam imperium detrectando adversus Apostolicam sedem contraxit, Decretis ejus obtemperando expurget.* Nec parum apud pervicacem hominem sibi præstitisse videbantur. Miser igitur Henricus propiùs, ut jussus erat, accedit, atque intrà secundum murorum ambitum receptus, omni comitatu extrà relicto, Regium cultum abjicit, ac sine calceis, sæviente hyeme, jejunus usque ad vesperam responsum Gregorij expectat. Addit Malmelsburiensis, *nudis pedibus forfices & scopas in manu habuisse*, ut se attunderi & flagellari paratum ostenderet. Verùm, ad vesperam usque in secundo illo ambitu (triplex enim urbi erat) responsum frustrà expectantem reliquit; Redit secundò & tertiò, idemque experitur; Quartò demum, partim constantiam hominis admiratus, partim aspera hominum adversus se convitia veritus, eum in conspectum admittit. Tùm verò res ita convenit: Henricus anathemate solveretur, ac se die & loco, quem Gregorius constitueret, in communi Germanorum Principum conventu in judicio sisteret & criminibus, quæ objiciebantur, quæstionem exercente Pontifice, responderet atque extremo ejus judicio staret: Intereà omnia regiæ dignitatis ornamenta deponeret, ac de rebus publicis nihil pro suo jure statueret; quorum consilio hactenus ususerat, Bambergensem Episcopum, Ulricum de Cosheim & cæteros à suâ familiaritate in perpetuum depelleret, & qui sacramentum ei dixissent ejus religione omnes exolveret. Quod cum per omnia sacra jurasset, Gregorius anathemate solutum pronuntiat; nec Henricus quidem, quæ hominis atrocitas, parum se consequutum arbitrabatur. Verùm, ut hunc principem pedibus conculcavit, ex ejus humilitate eo superbior, fide infidelior factus, ad confœderatos suos in Germaniam, Saxones præsertim Legatos expedit, Bernardum Cardinalem Romanum, & Abbatem quendam Massiliensem; quod cum Henrico pepigerat non esse quod attenderent, *nam licet reconciliatus sit Curiæ cœlesti, non tamen regno, unde auspicatò Romæ destitutus, restitutum esse.* Itaque, cum Legatis socij conjuncti, Forchamij illicò ad mensem Martium anni 1077. An. 1077.
conveniunt, communique consilio Rodolphum Sueviæ & Burgundiæ Ducem Henrici sororium Imperatorem eligunt, hac tamen lege, *ut comitia Pontificalia abjuret, clientelas Episcoporum abdicet, neve velut hæreditario jure filios suos successores declaret.* (Id enim perpetuò animo fixum) cui non multo post, in confirmationis signum, coronam Imperialem hac inscriptione mittit.

Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodolpho.

Quæ tamen mutatio adeò odiosa fuit, ut inungente Rodulphum Sigefrido Moguntino, Moguntini cives in eos, ut patriæ proditores & fidei legitimique Principis disertores, arma caperent, postque multam sanguinis utrinque effusionem, fugâ sibi per noctem intempestam consulere, inque Saxoniam se recipere, Rodolphus & sui cogerentur.

Interim Henricus, partim insigni illâ ignominiâ acriter instimulatus, partim à suis, quorum dispendio Gregorij gratiam redemerat, graviter increpitus, jugum hoc sibi excutiendum animo firmat, amicos ad se revocat, inimicos omni ratione conciliat, facti indignitate, omnium bonorum animos ad indignationem permo-

vet, sicque exercitum non multo post in aciem educit, Rodolphumque justo prælio fusum, fugatumque magnâ clade afficit. Occumbunt inter alios Bernardus Archiepiscopus Magdeburgensis, civilis belli author, Magnus Dux Saxoniæ, & Hermannus patruus. Sigefridum Moguntinum Episcopum, qui Rodolphum inunxerat & Wernherum Mertsburgensem, à militibus ad patibulum tractos Henricus eorum furori eripit, neminem extrà prælij ardorem in tam justo dolore occidi passus; Inde verò, quia Rodolphus vires tam citò resumere nõ poterat, Henricus victoriâ suâ haud segniter utitur. Quam acerbus Gregorio hic nuntius judicet Lector, quandoquidem Rodolpho imperium confirmans, in hæc verba eruperat: *nomine vestro*, (Petro & Paulo) *omnibus qui fidem ei prestiterint, omnium peccatorum remissionem, veniamque in hac & in futurâ vitâ concedo.* Et ut Henricum, *ob suam superbiam, regiâ dignitate depello, sic Rodolphum propter suam humilitatem atque obedientiam in potestate repono.* Eâ etiam fiduciâ legem suam durioribus verbis expresserat: *Quod si quis posthac Episcopatum aut Abbatiam aut aliam Ecclesiasticam dignitatem ab aliquo laico acceperit, nequaquam inter Episcopos & Abbates numeretur, nec ei ut Episcopo aut Abbati obedientia præbeatur, eique gratiâ sancti Petri atque ædis ejus introitu interdicatur. Eadem ratione, si quis Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, aut quælibet alia secularis potestas aut persona Episcopatum aut aliam Ecclesiasticam dignitatem detulerit, ejusdem sententiæ vinculo teneatur.* Itaque Rodolpho deprecante Henricum iterum anathemate ferit, eo prætextu, quod contrà jusjurandum imperij ornamenta resumpsisset, *Rodolpho adhærentes ab inferis emancipat, cœloque locat, hisce incendia, cædes & hujusmodi scelera, quæ bello designari solent, indulget, alijs omnibus, qui Henrico fidem servent ab eo deficere, armis se miscere recusent, diras inferiasque dicit, &c. Sed ista omnia plerisque Episcopis*, inquit Aventinus, *alijsque doctis, eruditis, simplicibus, apertis atque bonis, præter conjuratos, qui suæ causæ serviebant, novum dogma, pestifera hæresis, quæ unquam Christianum conturbasset regnum, visa est.* Conve-
An. 1080. niunt ex alterâ parte anno 1080. Episcopi Italiæ, Germaniæ, Galliarum, Brixinam, ea Bojorum urbs, ibique Hildebrandum, ambitionis, hæreseos, impietatis, sacrilegij iterum damnant, *quoniam*, ajunt, *falsus Monachus, magus, divinaculus, somniorum prodigiorumque est conjector, malè de religione Christianâ sentit. Primus Pontificatum maximum contrà morem majorum invitis omnibus bonis emit, ac contrà voluntatem nostram & orbis terrarum domini, vi retinere conatur, &c. Conjuratus est hostis reipublicæ atque sacrosancti imperij, Cæsaris Christianissimi, qui sepius pacem ei, ejusque sociis ultro obtulit, saluti corporis & animæ insidiatur, vitam imperiumque perdere conatur, jus divinum humanumque pervertit, falsa pro veris docet, sacrilegia, perjuria, mendacia, homicida, incendia, veluti benefacta indulget, collaudat, ad hæc perpetranda classicum canit, tyrannum perfidum suo more tutatur, discordias inter fratres, amicos, cognatos serit, lites nutrit, inter conjuges divortia facit. Suavis homo Sacerdotes, qui uxores habeant legitimas, sacrificos esse pernegat, interim tamen scortatores, adulteros, incestuosos aris admovet. Nos ergo, authore Deo Optimo Maximo, eundem Pontificatu maximo amovendum decernimus: Quod si, ubi hæc audierit, ultro se abdicare, parêre huic Decreto recusarit, perpetuò repulsam passurum, aditu arcendum censemus.* Sigonius ubi hoc Decretum recitat, addit, *manifestum Necromanticum, Pythonico spiritu laborantem*, quod ad ea quæ de ejus personâ dicentur, notare operæ pretium. Ut verò divinandi scientiâ percelebris erat, animos Rodolpho & Saxonibus facturus, *ex revelatione scire se*, inquit Sigebertus, asseverat, *falsum Regem*, hoc anno moriturum, quod in Henricum interpretabatur; quod si
minus

minus verum inquit, *nullo modo habete me pro Papa, si usque ad prædictum festum prophetia effectum non habuerit.* Fretus hoc oraculo Rodulphus secundò prælium tentat, quin & tertiò, & infœlici perpetuò successu: usque dum quartò, extrema experturus non solum superatur, sed amputatâ dextrâ, quâ fidem Henrico dederat, interit. Gregorius nihil cunctatus de successore ejusdem notæ statim cogitat. Ed idcirco Episcopo Pataviensi, & Abbati Hitzsaugiensi fidelissimis suis scribit, ita tamen ut maturè prospiciant, ne quis Princeps, nisi Ecclesiæ Romanæ fidus, nec defuncto quidem minus, deligatur, & sacramenti formulam, uti sequitur, ad quam eum adacturi sint, mittit: *Ab hac horâ & deinceps fidelis ero per rectam fidem beato Petro Apostolo ejusque Vicario, beato Gregorio, qui nunc in carne vivit, & quodcumque ipse mihi præceperit, sub his videlicet verbis.* PER VERAM OBEDIENTIAM, *fideliter sicut oportet Christianum observabo; De ordinatione vero Ecclesiarum & de terris vel censu, quæ Constantinus Imperator vel Carolus sancto Petro dederunt & de omnibus Ecclesiis, vel prædijs, quæ Apostolicæ sedi ab aliquibus viris, vel mulieribus aliquo tempore sunt oblata vel concessa & in meâ sunt vel fuerint potestate, ita conveniam cum Papa, ut periculum sacrilegij & perditionem animæ meæ non incurram, & Deo sanctoque Petro, adjuvante Christo, dignum honorem & utilitatem impendam. Et eo die quando illum primitus videro, fideliter per manus meas miles sancti Petri & illius efficior.* Verùm, non illi per Henricum, quod volebat, perficere licuit: Postquam enim Germaniæ motus tot secundis successibus compescuit, in Italiam cum copiis iter suscipit; Et hæc Hildebrandinæ tragœdie catastrophe fuit.

An. 1081.

Gregor. li. 8. Epist. 3.

Henricus igitur qui in Brixinensi Synodo Pontificem nominare curaverat Gilbertum de Corrigia, Ravennæ Archiepiscopum, qui Clemens tertius, ab eo anathemate solutus, Alpes trajicit, & obtritis, quicumque in itinere imperium suum detrectabant, castris in Neronianis pratis de more locatis, Romam obsidere instituit; re tamen propter hyemen difficiliori, Ravennam in hiberna se refert. At anno sequenti 1082. ineunte vere, ex hibernis educto exercitu, eadem vestigia relegens Vaticanum invadit; & anno 1083. post longam obsidionem Urbem fœliciter occupat, Capitoliumque ipsum ingressus, ibi se præsidiis & munitionibus confirmat. Notant Guilielmus Malmelsburiensis & qui Godofredi Bullionii vitam scripserunt, eum primum, scalâ admotâ, Romam ingressum; quo nomine Imperator Ducatus Lotharingiæ investituram ei concesserit. Superabat arx Crescentij, aliâs Castellum S. Angeli, in quam cum fidissimis quibusque clientibus Gregorius confugerat: Defessi isti ab Henrico petunt, ut viginti obsidibus acceptis, diem constituat, quo Pontifex & primores ad eum accedant, & de deditione pacisci possint. Verùm, Gregorius in ejus, quem tantopere offenderat, potestatem venire reformidans, rem periculi plenam experiri mavult: Robertum cum Normannis condicto tempore adesse jubet, qui ab amicis Gregorij portâ Flaminiâ introductus, Gregorium arce eductum Casinum primùm, inde Salernum deducit. Redit in Urbem Henricus, cujus authoritate damnatus iterum Gregorius, confirmatus Clemens, qui Imperatorem cum Berthâ uxore coronat & inungit. Ast ut Henricus, tumultuantibus rursum nonnullis, in Germaniam revertitur, Gregorius verò occasione usus, quamvis absens, clientes suos Romæ ad rebellionem exacuit, morbo correptus, mense Majo, anno 1085. vitam finit; dato tamen Cardinalibus consilio, ut Desiderium Cassini

Sigebertus in Chron. Math. Paris in Hist. Anglicâ. An. 1085.

Abbatem, aut si recusaret, Hugonem Lugdunensem aut Othonem Ostiensem legerent; ut ambitiosos Gregorij conatus ei quasi supervixisse dici possit. Sigebertus sanè Abbas Gemblacensis author contemporaneus disertè, appellasse eum Cardinales quos supra alios diligebat duodecim, professumque, *suadente Diabolo se contrà humanum genus odium & iram concitâsse; Postea verò sententiam quæ in orbe terrarum effusa est, pro augmento Christianitatis cœpisse dicere. Tunc demum misisse prædictum confessorem ad Imperatorem & ad totam Ecclesiam, ut optaret illi indulgentiam quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam citò induebat Angelicam vestem & dimisit ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum Imperatori & populo Christiano, vivis & defunctis, Clericis & Laicis.*

Refert jam, Hildebrandus qualis fuerit, quodque orbis Christiani de eo judicium, sciscitari; quia hæc omnia ut multi ambitioni plusquam humanæ ita non desunt, qui zelo divino tribuant. Ad vitam igitur privatam, Lambertus Schaffnaburgensis Hirtzaugiensis Abbas, de Comitissâ Mathildâ ejus amicâ loquens: *Hæc, vivente adhuc viro suo, quandam viduitatus speciem longissimis ab eo spacijs exclusa prætendebat, cùm nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet, & ille Ducatus, quem in Lothoringiâ administrabat, negotijs implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marcham Italicam inviseret; post cujus mortem Romani Pontificis lateri penè comes individua adhærebat, eumque miro colebat affectu; Cumque magna pars Italiæ ejus parêret imperio & omnibus, quæ prima mortales ducunt, supra cæteros terræ illius Principes abundaret, ubicumque operâ ejus Papa indiguisset, ocyus aderat, & tanquam patri vel domino sedulum exhibebat officium; Unde nec evadere potuit incesti amoris suspicionem, passim jactantibus Regis fautoribus, & præcipuè Clericis, quibus illicita & contra scita Canonum contracta conjugia prohibebat, quod die ac nocte impudenter Papa in ejus volutaretur amplexibus, & illa furtivis Papæ amoribus præoccupata, post amissum conjugem, ultra secundas contrahere nuptias detrectaret.* Addunt alij, cum Azoni Marchioni Atestano nupsisset, Pontificem, præ impatientiâ, anno sequenti, matrimonium solvisse, propter *detectam sanguinis conjunctionem*: Unde suspicio in plenam adulterij certitudinem evasit; Et meritò quidem, cum dispensationibus & in pari gradu & in propinquiori nihil tum esset frequentius. Si enim honestè eam diligebat, quis hoc officium recusaturum arbitretur? Itaque est qui liberius adhuc, *propter frequens cum eâ & familiare colloquium generavit plurimis scævæ suspicionis scandalum, dum non observavit attentius divinum illud Lucij Papæ mandatum: Duo Presbyteri, inquit, & tres Diaconi in omni loco, non deserant Episcopum, propter testimonium Ecclesiasticum.* Quod sanè eo studiosius observare debuerat, quò in legitima matrimonia sæviebat magis. In eo sanè consentiunt authores omnes, Mathildem Papatum ne dum Papam gubernasse, Ecclesiæ etiam bona administrâsse; unde Cardinalis Benno, *Roma videt & audivit qualiter vixerit, cum quibus diu & noctu consilia habuerit, qualiter à se Cardinales, qui testes vitæ & doctrinæ ejus esse debuerant, removerit.* Nec Sigonium scribere puduit, *illum Mathildi in Concilijs sedem concessisse.* Certè, Godefridus Monachus disertè, *circunventa à Papa tunc temporis Marchiam Anconitanam beato Petro tradidit, magistratibus & potestatibus inscijs & inconsultis.*

Sigon. l. 9. de regno Ital.

Tractatus de unitat. Eccl. conservandâ.

Benno Cardin. in vitâ Hildebrand.

Sigon. l. 9. de regno Ital.

Annales Godefrid. Monachi.

Gerochus in vitâ Hildebrandi.

Ad vitam publicam verò, Gerochus ejus sectator in ipsius vitâ pervicacem & sibi plurimùm arrogantem in primis describit. *Romani*, inquit, *sibi divinum usurpant honorem, rationem actorum reddere nolunt, nec sibi dici æquo animo ferunt, cur ita agis? Illud satyricum inculcant, sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas;* Et id verò

rò ingenium ejus erat, ut ab omnibus describitur. Sigebertus eo tempore testatur, *suo exemplo & Decretis inauditis multa contra jus & fas in Ecclesiâ gesta fuisse, & hac occasione multos pseudomagistros exurgentes in Ecclesiâ prophanis novitatibus plebem ab Ecclesiasticâ disciplinâ avertisse: Eumque Imperatorem excommunicasse sub hoc obtentu, ut primates regni quasi justâ ex causâ, excommunicato Regi contradicant;* Item: *Ipse Papa occurrens Imperatori in Longobardiâ sub falsâ eum pace absolvit. Omnes enim qui prius Hildebrandum objuraverant, perjurium perjurio cumulantes Imperatorem abjurant, & Rodolphum Ducem Burgundionum super se Regem statuunt, coronâ ei à Papa missâ;* Et hinc quid ipse de eo sentiret conjicere promptum. Alius quidam: *In accusatione Regis hostium suorum scripta suscepit, & proinde excommunicavit.* Et quâ porrò rabie abriperetur, ex illo suo Apophtegmate clarum, *aut moriar, aut tibi animum, regnumque tollam;* Benno Cardinalis: *Notum & evidens Dei judicium* observat: *Ut primùm,* inquit, *ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexit, sedes ipsa noviter lignis fortissimis composita, subito, Dei nutu, terribiliter scissa est in plures partes, ut manifestè daretur intelligi, quanta sessor ille, tam periculosâ excommunicatione & præsumptione, quamque terribilia Schismata seminaret contra Ecclesiam Christi, contra sedem beati Petri, quam crudeliter dissiparet cathedram Christi, conculcando leges Ecclesiæ, imperando cum potentiâ & austeritate;* Quod & alius rursum: *ex illâ bellum plus quam civile exortum est, nullo adhibito respectu divino vel humano, leges divinæ & humanæ corruptæ fuerunt, sine quibus nec Ecclesia Dei, nec res publica imperij subsistere potest, fides etiam publica & Catholica violata fuit.* Sin rogas, uter in culpâ? asserunt certè: ut cor Gregorij flecteret ejusque gratiam redimeret, nulli submissi animi significationi Henricum pepercisse, unde tandem, *ad comprobandum Ecclesiasticæ reconciliationis testimonium sacram communionem corporis & sanguinis Domini de manu Pontificis accepit, mensam cum eo adiit, ac deinde dimissus est in pace:* Sed subjungit author: *Pace quam Judas simulabat, non quam Christus reliquit.* Ut Leo Episcopus Hostiensis, qui tum florebat, in Historiâ candide: *Cumque negotium effectui mandatum esset, Pontifex Mathildæ consilijs adjutus, quendam ex suis ultra montes dirigens, & Rodolpho Duci coronam imperij mittens, adversus Augustum rebellare suasit.* Et porrò literæ, quibus eum excitabat adhuc in Historiâ Saxonicâ leguntur; Quin & propria ejus verba referunt nonnulli: *Ne solliciti,* inquit, *sitis, quia culpabiliorem eum reddo vobis: contemptibilior enim erit ipsius Regis in regno persona, si satisfaciens, regni insignia deponat, aut si non permissus, à se Regalia resumat ornamenta, certiorem perinde habebo exercendæ circa eum causam excommunicationis;* Cæterùm de Regibus ipsis: *Henricus natus & educatus in regno, primogenitoribus suis ex Dei ordinatione successit in regnum, &c. Rodolphus autem quod obediens esse deberet Pontifici sedis Apostolicæ, qui per Episcopos partis suæ prædicasset, eum non teneri obnoxium perjurij & perfidiæ, si contra Henricum arma tulisset: qui, utpote excommunicatus, Rex jam esse non posset, cum hoc sit, inquiunt, fidei atque fidelium in Ecclesiâ; occidere scilicet ac persequi eos, quicumque communicantes vel faventes excommunicato Regi Henrico, noluerunt declinare post partium suarum studia. Nova & inaudita prædicatio,* addit author, *ejusmodi cum Ecclesia non habeat sibi concessum gladium nisi spiritus quod est verbum.* Verùm, judicium Dei, quod Rodolphus ipse agnoscit, fidem abundè faciat: *qui morti proximus, dixit ad familiares suos, videtis manum dexteram meam de vulnere sauciam: hac ego juravi domino Henrico, ut non nocerem ei nec insidiarer gloriæ ejus: Sed jussio Apostolica, Pontificumque petitio, me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis: quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi.*

Histor. Saxonica in litteris Henrici ad Hildebr.

Benno Cardin. in vitâ Hildebrandi.

Apologia Henrici.

Leo Hostiens. l. 3. Chron. Casinens. c. 48.

Historia Saxon.

Apologia Henrici.

Helmold. in Historiâ Sclavorum c. 28. 29. 30 l. 1.

Viderint ergo ij qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti simus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens cum gravi molestiâ clausit extremum. Addit author idem, cum Saxones resumptis animis Regem elegissent Hermannum quendam cognomine Clussloch in Rodolphi locum, qui Henricum etiam prælio superaverat, eum *miro Dei judicio, portâ cardinibus avulsâ, cum alijs quam plurimis attritum, conatusque Saxonum etiam tunc frustratos, nec adjecisse illos ultrà novum creare Regem, nec arma ferre adversus Henricum Cæsarem; videntes ei regnum conservari, divinâ voluntate approbante, sive permittente.* Et quid jam superest nisi ipsam Gregorij confesionem ex Sigeberto supra prolatam, à Mathæo Paris etiam confirmatam subjungamus? *Instigante Diabolo contra humanum genus iram & vindictam concitasse.* Omitto lubens scripta ejusdem ætatis contradictoria, ultro citroque congeminata; Gregorianorum pro anathemate asserentium, Pontificem, ob solam socordiam Chilperico Rege Franciæ deposito, Pipinum in ejus locum constituisse, Reges clavi Romanæ non minus quam cæteros subjectos esse, oves perinde omnes; Quem Deus rebus cœlestibus præfecit, multo magis terrestribus præesse: proinde Papam in utrasque omnem potestatem habere; Quò & exempla nonnullorum Principum adducebant, qui à Pastoribus Ecclesiæ censurâ olim notati; Henricianorum ex alterâ parte excipientium, Chilpericum communi consensu ordinum regni, non arbitrio Pontificis esse depositum; Pastoris esse pascere non occidere, instituere non destituere, quæ ab illis inducebantur exempla, aut falsa esse aut ad rem minime facere; Henricum, quod sui officij esset, nihil recusasse, præstitisse; Gregorium contrà actorem non judicem egisse, Deum solum Regibus & regnis præesse, & quos eis subditos dedit, neminem sacramenti religone absolvere posse. Hæc & Scripturarum sacrarum locis & Patrum testimonijs firmata, unde Gregorium Antichristum pervincebant: qui nomen Christi & vices ementitus Christianam legem & doctrinam funditus everteret. Eximium hoc & forte, quod strenuè contestantur, Ecclesiam Catholicam eum non esse, qui eam discerpat, Catholici etiam titulum ad eum, sequacesque suos non pertinere, qui contra Scripturas sacras, contra ipsum Euangelium Filij Dei apertè & loquantur, & teneant. Quin potius ex Iohannis doctrinâ Antichristum esse, illorum Societatem, qui Iesum solvant, ei vim inferant, dum Scripturas suas violenter contorquent. Et optimè notatum à docto nostri temporis Historiographo, in totâ hac controversiâ donationis Constantinianæ aut renunciationis Ludovici primi, nusquam mentionem à Gregorianis fieri; unde manifestisimè arguatur, nondum illam fuisse excogitatam.

Vignier en son Histoire Eccles.

Verùm, unus Cardinalis Benno Archipresbyter Romanus iniquitatis sub Hildebrando mysteria cæteris melius pandat nobis. Et ad Magiam quidem Magum illum satis perhibent Historici, satis & oraculum illud verè Diabolicum, quo Rodulphum delusit, à Satana delusus ipse: quo & nomine in pluribus Synodis ab Episcopis innumeris Galliarum, Germaniæ, Italiæ, damnatus, Wormaciensi, Papiensi, Brixinensi, Romanâ: quæ in ipsâ adeò sententiâ Magum eum, divinaculum, Ariolum, Pythonico spiritu præditum, Necromanticum, significantisimis verbis pronuntiant; Ni de eo aperte constitisset, alia haud dubiè, quæ abundè suppetebant crimina objecturi. At Benno, qui in abdita & adyta quæque Gregorij penetrârat, circumstantias omnes exponit: à Theophilacto Magiam didicisse: qui Benedictus nonus: à Laurentio ejus socio Amalfitano, à Iohanne etiam Archipresbytero sancti Iohannis ad portam Latinam (is fuit Gregorius sextus,)

qui

qui ex Dæmonum commercio, aviumque cantu, & volatu, quæ in longiſsimis regionibus gerebantur, enunciabant, bellorum exitum, mortem principum. Eum, dum illi in vivis, in ipſo Papatu, omnium illis maleficiorum miniſtrum & conſortem fuiſſe; Gregorij ſexti præſertim hęredem, nec minus perfidiæ quàm pecuniæ. Nicolaum ſecundum, cum Archidiaconum ordinâret, incuſſo mortis metu, & viſis terribilibus exhibitis, coegiſſe; ejus Electioni Cardinalium neminem ſubſcripſiſſe, ſecedentibus ab eo ſingulis: ſed apertâ militum vi creatum fuiſſe. Die quodam, cum de Albano Romam veniret, familiarem ſibi librum Necromanticæ artis, ſine quo nuſquam aut rarò incedebat, ſecum ferre oblitum eſſe: quod cum in itinere in memoriam redijſſet, in introitu portæ Lateranenſis duos de familiaribus ſuis fidos ſcelerum ſuorum miniſtros feſtinanter vocaſſe, & ut eundem librum citiſsimè ſibi afferrent, præcepiſſe, & terribiliter interminatum, ne librum in viâ aperire præſumerent: ſed quantò amplius inhibuiſſet, tanto vehementius eorum curioſitatem ad inveſtiganda ejuſdem libri arcana accendiſſe. Igitur dum in reditu librum reſerarent, & Diabolicæ artis pręcepta curioſè legerent, Angelos Satanæ ſubito adfuiſſe, quorum multitudine & horrore duo illi juvenes propè effecti amentes, vix ad ſe reverſi eſſent, &c. quæ Bennonis ipſius verba. Frequens illi eſſe cum vellet, manicas ſuas diſcutiendo in medium ſcintillarum ignem emittere; Et ijs miraculis oculos ſimplicium velut ſigno ſanctitatis ludificari. Duos Cardinales Altonem & Cunonem ad S. Anaſtaſiam miſiſſe, ut cum Suppone ejuſdem Eccleſiæ Archipresbytero triduanum jejunium peragerent, & illis tribus diebus, ſinguli per dies ſingulos Pſalterium & Miſſas decantarent: ut ſignum eis Deus oſtenderet, quis rectius ſentiret de corpore Domini, Romana ne Eccleſia, an Berengarius, quod minimè contigit. Quin & Sacramentum ipſum tanquam oraculum contra Imperatorem conſuluiſſe, inque ignem, contradicentibus Cardinalibus, conjeciſſe, Imperatori in Eccleſiâ S. Mariæ montis Aventini inſidias ſtruxiſſe, locoque obſervato in quo frequentius vel ſtabat vel proſtratus orabat, occultè lapides magnos ſupra trabes Eccleſiæ collocari, & ita aptari juſsiſſe, *ut de alto ſuper caput orantis demiſſi, Imperatorem contererent.* At, lapidem pondere ſuo ſceleris miniſtrum traxiſſe, eumque divino judicio in pavimentum ruentem contriviſſe: hoc ubi non ſucceſsiſſet, ſicarios plures in ejus caput ſubornaſſe. Interim, dum Imperatorem Simoniæ prætextu deponit, ſimul ac Epiſcopos, de quibus conquerebatur, ejus authoritate deſtituit, ipſum illico reſtituiſſe: quò eos & ſibi devinctos & Imperatori infenſos redderet. In honorem Liberij Papæ, qui Arianus fuerat, feſtum inſtituiſſe, & porrò multa præter omne jus faſque patraſſe, cædes, oppreſsiones, immania facta, quæ nimis longum referre: quorum cauſâ inquit, *ſanguis Eccleſiæ contra eum clamat, &c.* Et Lectorem rogatum volumus librum ipſum inviſat.

Benno Cardin. in vitâ Hildebr.

Sed hîc ad Bellarmini objecta reſpondendum, qui hunc Bennonis librum fidem non mereri contendit. Primò, quia ab aliquo Lutherano ſuppoſitum veriſimile. R. ſi à malevolo aliquo diceret, ferri fortè poſſet, verum cujuſvis Lectoris judicium non ego detrectem, qui aut ſtilum guſtet, aut circunſtantias expendat, aut orationis filum conſideret, & vix quiſquam inveniatur qui fidem ei deroget. Secundò, aliquis fortè, inquit, in Gregorio ſeptimo ideam nobis ſceleratiſsimi Pontificis depingere voluit, R. Quorſum igitur octo aut novem Pontifices eadem fideliâ denigrare, & Cardinales totidem? Et Benno, num ſolus harum narrationum Author, cum multorum conſimilium teſtes jam ante protuletimus, & tot

& tot & tales? Tertiò, erat, inquit, Benno Cardinalis ab Antipapa Clemente tertio creatus, proinde & Gregorio iniquus; Et verò Onuphrius, ait, inter Clementis Cardinales eum collocat. R. Quàm mentiri facile, ubi nemo contradicit? At Benno, qui Bellarmini commentum prævidere non potuit, ſeſe disertè inter Cardinales recenſet, qui ante Hildebrandum ordinati. *Leo*, inquit, *Archipresbyter Cardinalium & Benno & Hugobaltdus & Iohannes & Petrus Cardinales, ante ipſius tempus ordinati, Natro Innocentius & Leo ab ipſo conſecrati.* Quin & Onuphrius ipſe inter Preſbyteros Cardinales, ab Alexandro ſecundo, Gregorij deceſſore promotos, *Bennonem Germanum*, nominat, *Presbyterum Cardinalem, poſt Eccleſiæ Romanæ Archipresbyterum*; Hunc, ſine dubio qui in libri titulo his nominibus inſignitur: Quem enim Onuphrius ſub Clemente ponit, Presbyter tantùm dicitur; Et ſic Bennonis teſtimonium hactenus infractum. Notetur interim Magum hunc, id eſt, Dæmonum ſeu diſcipulum, ſeu feudatarium, eum ipſum eſſe, qui in legitimum ſacerdotum connubium tam vehementer detonat, cœlum terræ miſcet, Eccleſiam & Rempublicam ejus occaſione incendio & ruinâ complet; ut hîc Apoſtoli ad Timotheum meminiſſe debeamus: *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorũ, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, &c.* Et hinc eam doctrinam hauſiſſe ipſe ſupra contifitebatur. Adde dimidiato fere hoc ſeculo diſputationem, de carnali corporis Chriſti in ſacramento præſentiâ, potiſſimùm fervere, ſub Pontificibus Victore & Nicolao ſecundo, incentore præcipuè Hildebrando, qui Berengario ſubſignandum proponunt, quod fideles in Sacramento realiter dentibus terunt corpus Chriſti: quæ tamen Theſis illis hodie hæretica habetur. Et ſanè corpus Chriſti realiter terebant, qui per ſuam ambitionem tam miſerè Eccleſiam diſcerpebant.

Onuphr. de Pontificibus maximis. Alexandro 2. & Clemente 3.

1. Tim. 4. v. 1. 2. & 3.

Gregorium defendere conatur in omnibus Baronius; quin extremorum alterum ſecutus, Sanctum eum contendit. Ab ipſâ nativitate orſus: *Erat*, inquit, *Soanenſis è Tuſciæ civitate, natus humili loco, parente fabro*; Et inde magnum jam ſibi lucrum conſecutus videtur, quandoquidem, inquit, Salvator noſter humanam carnem aſſumens propter Ioſephum Mariæ virum, *Carpentarij filius appellatur*; Quin & ab ipſâ infantiâ miracula edidit, *quod cum puer luderet ad pedes Patris ligna dolantis, ex rejectaneis ſegmentis, cum neſciret litteras, caſu elementa illa formârit, ex quibus ſimul conjunctis illud Davidicum exprimeretur oraculum*, DOMINABITUR A MARI USQUE AD MARE. Quod Regalis Pſaltes de Domino noſtro olim profatus. Quid inde colligat? Niſi Gregorium hunc, uti prędictum erat, locum Chriſti involaturum, ſolium Dei ipſius invaſurum? A quo verò ſpiritu tam immanis blaſphemia, tale proinde miraculum niſi à Pythone illo, qui univerſam ejus vitam porrò direxit? Secundo, in Cardinalem Bennonem effervescit, Schiſmaticus erat, inquit, non illi fides, &c. Imo Bellarminum hic hallucinari ex Onuphrio docuimus; Nec verò Cardinalis quiſquam Schiſmaticus vocari poterat, cum inveterato ſchiſmate Pontifices tam diu colluctarentur, neutri plerumque vel à Baronio ipſo probati. Denique non Benno teſtis ſolus, Sigebertus Abbas coætaneus, tot alij apud Aventinum, tot Epiſcopi in Synodis generalibus congregati, Germaniæ, Galliæ, Italiæ, numnon idem loquuntur? Violentiæ, virulentię, Negromantiæ ipſius idem teſtimonium perhibent? Tertiò, Gregorij & Mathildis amores nobis excuſâre conatur: At quo pacto? rafragante univerſâ hiſtoriâ. Et probaſſe ſibi videtur Mathildam Azoni Marchioni Eſtenſi nuptam, cujus matrimonium

Baron. an. 1073. art. 16.

Pſal. 72.

An. 1074.

monium Gregorius diremit, aliam ab hac nostrâ esse, quâ de re cum suis illi lis esto. Verùm, cum saltem ipse agnoscit Mathildem illam, de quâ agitur, Gotafrido Gibboso Lotharingiæ Duci primum nupsisse; Ab eo, Gregorio auctore, statim non sine magnâ viri offensione, divertisse; Et hoc porrò divortium, inquit, non ex causâ consanguinitatis, quod probat, non impotentiæ, nam & aliam duxit, & ex eâ liberos suscepit: Nec fornicationis, aliam enim ducere non potuisset; *legitimum tamen*, inquit, *quoniam tam magnus, tam sanctus Pontifex fecit, & authoritate suâ permisit.* Annon ipso authore credere cogimur, quod nos ex Historiâ supra; Et verò tàm sanctus iste, quo pudore tam familiariter cum Mathildâ versari, procul à viro, à qua authoritate sua eam divertisset, subduxisset, subripuisset? Quo non decore illa eum sequi, ubique comitari, hic cum ea Synodum, consistorium, consilium, Senatulum habere? Hoccine virginalis pudoris, cum virginem illam nobis faciat? Matronalis si maritam agnoscat? Quæ eo modestior, eo verecundior, eo ab omni consortio alienor esse debuit, quo ex divortij occasione, calumniæ proprior, apertior? Denique cùm annos quinque & quadraginta juxta Baronium nata, post Gregorij obitum, hæc virgo scilicet, Welphoni Ducis Bavariæ filio adolescenti nubit? Numquis fidejubente Baronio, aut pudicitiam aut virginitatem ejus asserere lubens velit? Aut excusationem ejus ultrò admittat, id Ecclesiæ commodo, Urbani secundi jussu, factum? Tandem immanem hanc turpitudinem fabulis contegere placet, *vestimenta scilicet Gregorij post ipsius mortem miracula edidisse, sicuti Pauli semicinctia: ejusque sudaria, ad pellendos languores, Dæmonesque fugandos usui fuisse fidelibus Acta testari, eandem Gregorij indumentis à Deo inditâ virtutem;* Testem verò nobis profert. *S. Anselmi Lucensis Legendam;* At in hac luce, in hoc sole, ubi pudor, & quandoquidem eum hac in parte cum Divo Paulo conferre non erubescit, quin Paulum audit? *adventus*, inquit, *hominis peccati, & filij perditionis*, id est, Antichristi ab ipso prænuntiati, *erit ex efficaciâ Satanæ cum omni potentiâ, & signis ac prodigiis mendacibus.* Quæ Pauli verba annon jam implenda veniebant?

Baro. ann. 1085. art. 14.

Yvo, Epist. 55.58.

PROGRESSUS.

GRegorius, si nonnullis authoribus credimus, nec Baronius ipse diffitetur, prospexerat, uti vidimus, ne institutum suum secum extingueretur, designârat quippe Cardinalibus, quos Pontificatui maximo idoneos maximè existimabat; Et Desiderius Cassinensis Abbas apud Cardinales, qui ejus partibus studuerant, id exponere minimè neglexerat. Ut igitur primo loco à Gregorio commendatus ipse fuerat, ita & omnes oculos in eum statim conjiciunt: qui tamen seu onus reformidans, seu eo impensius rogari volens, bis terve recusavit; Quin & ornamenta Pontaficalia exuens, sese Cassinum retulit, tunc cum amicorum persuasionibus acquievisse maximè videbatur: Sigonius levi brachio: *Post octo dies Casinum reversum Mathildis Comes de suo Romam adventu monuit, seque cum eo colloqui velle dixit. Itaque eâ de causâ Urbem repetiit, & ab ipsâ atque exercitu ejus officiosissime exceptus per octo dies in Vaticano mansit;* Aventinus apertius: *Mathilda & Normanni eum creant*, nempe in odium Clementis, qui tamen Romæ sede potiebatur. Et Victor tertius vocatus fuit. Ut autem Hugo Episcopus Lugdunensis ex tribus unus, quos Gregorius commendâverat, Desiderium serio accepisse Papatum putat, in eum protinus insurgit, ideoque in Synodo Beneventanâ anathemate feritur: unaque

Sigon. l. 9. de regno Italiæ.

ejusdem facinoris consors Richardus Massiliensis Abbas. Constat saltem paucis mensibus annum supervixisse; Et, si Guilielmus Malmelsburiensis auditur, veneno sublatum, *dum primam Missam* caneret, in calice propinato: qui tamen per id intervalli nova in Clementem & Henricum anathemata procuderat, & eodem perpetuo quo Gregorius prætextu. Secesserat ipse Casinum, ut valetudini commodius consuleret; Et Gregorij traditioni morem gerens Othonem Episcopum Cluniaci educatum in successionis spem commendarat; adeò, ut absolutè illum manu arripiens diceret, *accipite eum & in Romanâ sede locate, meamque vicem in omnibus, quousque id facere possitis, habetote*; Benno, *Hildebrandi pedissequum* appellat. Itaque Episcopi suarum partium anno 1088., Terracinæ conveniunt, ut de successore prospiciant. Aderant verò in primis Romanorum nomine & mandato, qui huic parti studebant, pro Clericis Iohannes Portuensis, pro laicis Benedictus præfectus Urbis, novo prorsus exemplo: quod scilicet Clemens in urbe sedem teneret; nec de consensu Imperatoris expectando ulla jam mentio. Ibi, præter solennem ritum Othonem Pontificem nominant: Urbanus secundus ei nomen, qui vix Romam ingressus à Clementis factione expellitur; Hoc sibi Leo Ostiensis voluit, si de ejus electionis robore ferendum judicium, *juxta Gregorij statutum electum*. Malmelsburiensis liberius: *Æquiori (ut videbatur) causæ affuit militia Mathildis Marcissæ, quæ oblita sexus, nec dispar antiquis Amazonibus ferrata virorum agmina in bellum agebat fœmina; Ejus posteriori tempore suffragio Urbanus thronum adeptus Apostolicum.* At Herfeldensis Theologus crudius: *usus manu & auxilio pessimorum, apud quos nec divinarum, nec humanarum valet aliquid constitutio legum.* Sigonius sanè Mathildam, quæ *filiam Petri* se dicebat, Urbanum defendendum suscepisse profitetur: Urbanum verò ei authorem fuisse ut Welfoni Bavariæ Duci nuberet; nempe ut quem Henrico in Germaniâ opponerent, haberent. Bertholdus disertè, *non tam pro incontinentiâ, quàm pro Romani Pontificis obedientiâ, videlicet ut tanto viriliùs sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra schismaticos posset subvenire*, quare mox addit, *si penitus sequestrasse, illam omnino à se immunem permansisse*; Principatus quàm fœminæ cupidiorem. Hiccine verò legitimus connubij scopus?

Guilielm. Malmelsbur. l. 4.

Leo Ostiēs. l. 3. c. 72. Ann. 1088.

Herfeldēs. Theol. in Tractatu, de unitate Eccles. cōservandâ. An. 1090. Sigon. l. 9. de regno Italiæ.

Berthold. Constant. Presbyter in Chron.

Nec hîc omittere fas, cum sortilegi quidam de Gregorij septimi successore sortes consuluissent, quod tunc Romæ familiare, & Othonem quendam ei successurum invenissent, Othonem Bajocensem Episcopum Guilielmi Conquestoris, Regis Angliæ fratrem uterinum, Kantij licet Comitem & Britanniæ proregem Pontificatus spe accensum, Romam cum magnis muneribus misisse, ibique magnificas ædes comparasse, & largitione, & ambitu apud Senatores nihil reliquum fecisse. At dum vela facere parat, multos ex nobilitate secum adducturus, Rex Guilielmus hujusce expeditionis in Nortmanniâ certior factus, in Angliam trajicit, inque Vecte insulâ eum, pro suâ authoritate manere jussum, gravitur de suis facinoribus apud Regni Comitia conquestus in carcerem conjecit. Obtinuit igitur alius Otho, Urbanus secundus, qui, quod illis præcipuum, in Synodo Amalfitanâ anathema in Clementum & Henricum vibrat, eosque omnes qui aut ab illo ordines, aut ab hoc investituram acciperent: breviter, qui quacumque ratione aliquid cum eis commercij haberent, eodem crimine involvit. Rogerium etiam Guichiardum & ex Normannis oriundum ut in fide retineat, Apuliæ & Calabriæ Ducem confirmat: Verùm, Henricum postquam in Italiam anno 1091. reversus pleramque Mathildis ditionem aut depopulatus est, aut occupavit, in Germaniam demùm remeare coactum novâ arte subruunt. Conradum

Fragment. Monastici Cadomēs. An. 1084.

dum ille filium in Italiâ reliquerat, quem sibi successorem destinârat; Hunc Mathildis partim blanditijs demulcet, partim, nî in gratiam cum Pontifice redeat, nunquam Augustum futurum, ostendit; Contrà, si faxit, Urbani verbis imperium pollicetur, sicque ad rebellionem in Henricum patrem concitant: eique quo arctius devinciatur Rogerij Regis Siciliæ filiam despondendam curat. Sigonius post Dodechinum, Conradum ad id impulsum scribit, quod jubente patre Adelheida noverca abuti noluisset: quam eâ ratione infamare volebat: indeque odio in eum concepto, filium negasse: Sed Aventinus certe nihil tale habet: contrà, *crimina (quorum ne nomina quidem Gallis Germanisque nota sunt, & quæ ab eo qui Imperatores Suetonij legerit, conficta necesse sit,) Henrico objecta* asserit. Nec Sigonius ipse credidisse videtur, cum Conradi rebellionem, *non tam piam quàm necessariam*, rebus utique Pontificis firmandis appellat. Nec dissimulat ad Mathildem confugisse, qui Rogerij Siciliæ Ducis filiam ei matrimonio junxit, fortè & ipsa ejus amore capta, quod Henricus pater in conventu Coloniensi præfatur: *Filius meus illecebris fœmineis captus, non solùm dignitate, sed & vitâ me privare conatur.* Nec eo minus tamen Urbanus eum obsequio paterno solutum pronuntiat, eique ad capessendum imperium, modò sibi fidem præstet, operam suam pollicetur. Itaque in Italiâ per aliquot annos moram facienti, omnes imperij Clientes sibi conciliare, resque ibi suas firmare facilè fuit. Creaverat Henricus Arnulphum Archiepiscopum Mediolanensem & pro more per annulum & baculum investierat: qui tamen, quod Episcopi eum consecrare recusarent, in Cœnobium secesserat; Urbanus in Conradi gratiam Mediolanum profectus, eum Cœnobio retractum Ecclesiæ suæ præsidere jubet, pallioque condecorat: Sed eâ lege, nec enim gratis quidquam, ut Ecclesiam Mediolanensem Romanæ subjiciat, quæ hactenus ejus imperium detractarat. De recuperandâ etiam Palestinâ tum agebatur, authore quodam Petro Eremitâ Picardo, qui eam explorarat. Urbanus, cui Romæ consistere negatum, occasione usus Alpes trajicit, partim, inquit Malmelsburiensis, *ut citramontanas ad sui reverentiam sollicitaret Ecclesias: partim (quod repositius propositum non ita vulgabatur) Boamundi consilio*, ut pene tota Europa ad Asiaticam expeditionem commôta, *in tanto tumultu, omnium provinciarum facilè obæratis auxiliaribus, & Urbanus Romam & Boamundus Illyricum, & Macedoniam pervaderent. Nam eas terras, & quicquid præterea à Dyrrachio usque in Thessalonicam protenditur Guischardus pater super Alexium, acquisierat, idcircò illas Boamundus suo juri competere clamitabat.* Quia verò, non ullos quàm Gallos hanc expeditionem alacrius suscepturos putat, ut alios eorum exemplo accendat, Concilium generale totius Occidentis apud Clarum Montem Arverniæ indicit. Id primum universale à Pontificibus indictum, Ibi anno 1095. exponit ipse apud conventum institutum suum, inque hæc verba definit, *Nos fidelibus Christianis, qui contra infideles arma susceperint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus, & sub Ecclesiæ defensione, beatorum & Petri & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recepimus.* Indeque multi omnis generis Crucem, exercitus insigne, suscipiunt. Verùm, zeli hujus obtentu, res ipse suas nihilo segnius promovet. Qui enim arduum hoc consilium promoturus, intestina jurgia sedare debuerat, ad extremum usque spiritum inimicitias in Henricum exercet. Moritur verò anno 1099. nec multo post, anno 1100. Conradus Henrici filius, eo nomine à Sigonio commendatus, quod *nunquam à consilijs Mathildis & Urbani discesserat.*

Dodechin. An. 1093.

Avent. l. 5.

Avent. in l. 5.

Berthold. in Chron.

An. 1095.

An. 1099. An. 1100. Sigon. l. 9. de regno Italiæ.

Toto hoc tempore Clemens tertius Romæ sedem obtinebat, & quàm variè agita-

agitarentur conscientiæ, conjicere liceat: Cum Synodos sese mutuò collidentes viderent, Clementem Romæ abrogantem, quod Urbanus Placentiæ rogabat, hujus illum Episcopos hæreticos pronuntiantem, & vicissim hujus partis Episcopos alterius sequaces damnantes, damnationis sententiam propriâ manu obsignantes, Acta adversariorum in ignem conjicientes; Et erat qui Hildebrandum ejusque clientes conflagrantes, alius, qui & ex Cardinalibus Clementis nonnullos in inferno viderat. Interim dum Synodum habebat uterque, Claromonte Urbanus, Romæ Clemens, seseque mutuò excommunicabant, execrabantur, exauctorabant, consecrationes, ordinationes, alter alterius irritas pronuntiabant; proinde baptismum, Chrisma, Sacramenta, in adversâ parte administrata ejurabant; Urbes porrò, regiones, nationes, familiæ, cubilia, connubia in hoc schismate distrahi, scindi, collidi. Nec deerant, qui neutrum probabant; ut ex utraque parte meram ambitionem & injustitiam grassari animadverterant. Et sanè in Claromontanâ Synodo Urbanus satis ostendit se de recuperandis Hierosolymis parum cogitare, cujus præcipua hæc capita fuerint, *Ecclesia Catholica sit casta in fide*, interpretatio sequitur, *libera ab omni servitute, nullus Episcopus, vel Abbas, vel alius è Clero quivis dignitatem Ecclesiasticam à Principibus, Laicis, secularibus accipiat; Qui Episcoporum vel Clericorum morientium bona acceperit, anathema; Qui ad Ecclesiam vel crucem confugerit, acceptâ securitate vitæ & membrorum, justitiæ reddatur.* Addunt nonnulli, *fidem hæreticis datam non obstringere*; Henricum verò Imperatorem, & Philippum Francorum Regem, & quicumque eos Reges appellarent, in hæreticorum numero censebat. Refertur sanè à Gratiano Canon eo authore qui non abludit, *Iuratos milites*, inquit, *Hugoni Comiti, ne ipsi, quandiu excommunicatus est, serviant prohibeto.* Episcopum Vapicensem alloquitur: *Si Sacramenta prætenderint moneantur oportet Deo magis servire quàm hominibus.* Quam sanè sententiam Actorum 5. non eâ mente protulerat Petrus. Reversus in Italiam, ut se Romæ magis firmatum videt, anno 1097. hæc ipsa capitula, sed insigni ratione corroborata, sancit, Nimis abominabile esse, *ut manus quæ suum Creatorem signaculo creant, tenerentur tanquam ancillæ subministrare ijs, quæ se singulis diebus & momentis sordidis contactibus polluunt.* Et sic reverentiæ Sacramento debitæ prætextu miserum populum deludebant; Quia Transubstantiatio eo tempore vulgari cœpta. Ex facto, in Franciâ & in Angliâ ex eâ occasione authoritatis suæ specimen illum edidisse legimus: In Franciâ dum Gaufridum Episcopum Carnutensem, non solùm ob vitia, & crimina destituit, sed & Yvonem S. Quintini Abbatem in ejus locum quasi pro suo jure instituit; quem quidem magni tunc nominis virum ideò eligit, ut ejus commendatione suæ usurpationi patrocinium quærat, sibique viam ad alia sternat; In Angliâ dùm Anselmo Italo Lanfranci discipulo, ex Regis Guilielmi secundi consensu, Cantuatuariensi Archiepiscopo persuadet, ut confirmationem ab ipso petat; Quæ semel à Primate Angliæ admissa, cæterorum deinceps Episcoporum confirmationem inducebat.

XV. Q. 6. C. Iuratos.

An. 1097. Guilielm. Malmelsbur. l. 4. Edinerus in vitâ Arnulini Archiepisc. Symeon. Dunelmē. l. 2. Chron.

OPPOSITIO.

VErùm tempus jam videre, Christiani orbis quis interim habitus, qui sensus, sub hoc præsertim schismate, quo sexdecim annorum spatio, totus conflagrat, madet sanguine totus; Adversi sibi invicem Pontifices, Cardinales, adversa Concilia, Decreta, anathemata; & quisque Ecclesiam ad suam partam trahebat, extrà me-

meram hæresim nil nisi hæreticos asserebat. Christus, si credere fas est, in cujusque parte personaliter præsens, si utramque introspicias neutrubi vestigium ejus. Itaque multa Christiana Imperia, neutrum secuta, sententiam sustinebant, sese Episcopis suis regendos permittebant, Romam versus nec oculos quidem retorquebant; Gnari quippe jam tum Patres nostri, absque Pontificibus consistere posse Ecclesiam, iis vicariis Christo opus non esse, qui Ecclesiam ipse aliâ ratione regere nosset.

Germania hujus Tragœdiæ theatrum, in quâ omnes ordines tædebat, quod, quæ Scripturis debuerat, controversia, armis civilibus, non sine omnium rerum perturbatione, disceptaretur. Quare, anno 1088. ineunte Pontificatum Urbano, conveniunt Garstungam ex utraque parte Episcopi, & Principes, ut aliquam pacis rationem Urbano proponendam investigent, antequam decessorum suorum affectus induat, quos tamen quasi hæreditario jure secuturus videbatur. Ibi, Conradus Episcopus Ultrajectinus exponit, pax quàm sit necessaria, & fidem semel juratam quoquo prætextu frangere quam detestandum; Id qui faciat, eum per quem jurat contemnere, cum non quæratur cui juraveris, sed per quem, admoneri nos à Christo, & ab Apostolis obsequium præstare Tyberio, Neroni, impurissimis monstris, bonis & legitimis Principibus quanto magis? Ambitiosos igitur esse & superbos qui Domini verbis tàm perfricatâ fronte abutuntur, *Quicquid solveris in terrâ, erit solutum in cœlo*, eaque interpretationibus suis adulterata suæ libidini servire cogunt, & seu pueris atque omnium rerum imperitis astu illudere student, quasi verò, inquit, nesciamus peculiare esse sacris vatibus divinæ sapientiæ consultis, pro capacitate auditorum, diversis nominibus idem appellare, eandemque rem pro diversitate effectuum, modò proprijs, modo translatis verbis, *nunc* figuratè, nunc simpliciter exprimere: *Proinde Pontifex æternus, id quod subobscurè de vinculo duxit, apud Iohannem apertè, apud Matthæum, Marcum, Lucam apertissimè explicat: Pax vobis*, inquit, *sicut misit me Pater, & ego vos mitto; Accipite Spiritum Sanctum, quibus remiseritis peccata, remittuntur, quorum retinueritis, retenta sunt; Et ut concordiam assereret, & unum se verum Pastorem esse indicaret, uni dixit, si quidem amas me, pasce oves meas, id est, ite in mundum universum, prædicate Euangelium omni cræaturæ; atque, data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ, ite ergo docete omnes gentes. Hanc ob causam aperuit discipulis mentem cœlestis doctor, ut intelligerent Scripturas, Moysem, Prophetas, & Psalmos: jussitque eos nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicare apud omnes gentes, testesque horum esse.* Nondum bonus hîc Episcopus didicerat, hos locos ad unum Papam restringendos, ad Petrum etiam seclusis cæteris, seu Apostolis, seu Episcopis; de eo solo intelligendos, ad eumve magis quàm ad cæteros referendos. Propterea subjungit: *Has ergo ob causas Hildebrandus ambitione in præceps abivit, cum potestatem immortalis Dei, cujus nuncius duntaxat est, sibi usurpavit; Ita mores, ita tempora, ita homines sunt. Malè consuluisset rebus humanis suprema illa majestas, si ita gladium in manum mortalis cujusquam traderet: Quis concupiscentiæ humanæ finem statueret? &c. Non necesse habemus, ut quispiam nos doceat, quonam pacto spirituali potestate, vel, ut verius dicam, dispensatione atque procuratione divini penu, (oraculorum enim cælestium promi atque condi duntaxat sumus) Petrus ejusque collegæ usi fuerint. Clarius luce in libro, quem de gestis Legatorum Christi Lucas Medicus scripsit, liquet: arma nostra spiritus non ferrum, neque rapinæ, cædes, homicidia, perjuria sunt. Nimirum lorica, thorax, galea, baltheus, ensis, scutum, sunt pax, amor, justitia, spes salutis, veritas, sermo Dei, fides, quæ munera divina*

Ann. 1088.

Avent. l. 5.

sæpius Imperator noster Christianißimus ultrò Hildebrando obtulit, sed ipse accipere recusavit. Non inficias imus, homo est ille, peccare solet, nam nemo vitijs sine nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur, nulla tamen illi nisi ex permisso voluptas Veneris, juxtaque naturale desiderium usus, quæ sicut juventâ irritari, ita senectute mitigari solent. Iam id fateor peccatum primum quidem magnum, at humanum tamen; fecêre alij sæpe, item boni; & profectò rectè æstimantibus Principem nostrum liquet bona natura ejus, vitia vel fortunæ, vel ætatis, ingentia animi bona, illa indoles in rebus moliendis, conficiendis velocitas, periculisque subeundis forditudo, vis incredibilis animi, laboris patientia, consilium par magnitudini animi & quantum vix potest ætas ejus capere, solertia rei militaris, juris, civilium morum, divinarum humanarumque rerum peritia, fortitudo propemodum nimia, non modo inter Reges excellens, sed inter illos quoque quorum hæc sola virtus fuit. Iam perpetuum pacis, pietatis atque religionis studium, in pauperes liberalitas, majora tribuentis, quàm à Deo petuntur, clementia in devictos, benignitas in amicos, erga milites benevolentia, in nullo unquam Germano Romanove tanta fuêre Principe. Quod si flagitiosißimus is foret tyrannus, tamen ei obtemperandum, nequaquam resistendum esset, prohibentque leges humanæ, decretaque Patrum, adversarios, hostes, inimicos, accusatores testes atque judices esse; Augustus tum in Italiâ cum Hildebrando pacem facit, paucorum scelere atque perfidia Saxonia excidit; Perfidus tyrannus, qui perfidiæ graves pœnas reddidit, spretâ religione jurejurandi, violatâ affinitate, necessitudine, eam invasit, Tandem concludit: *Nemini privato, nisi ante in integrum restitutus fuerit, dica scribi potest; Ecce librum ubi hæc dixit lege legem:* eumque Wesiloni Archiepiscopo Moguntino tradit. Guebhardo Saltzburgensi Episcopo, Episcopi Alexandrinæ factionis, eloquentiâ quippe, scientiâ, & ætate venerabili, respondendi provinciam demandant: At ille ne hiscere quidem potest, exinde verò plures Episcopi & Principes Saxoniæ Hildebrandi sectam (id nominis etiam Urbani tempore retinebant) ejurant pœnitentiaque ducti ad Imperatorem se transferunt; quatuordecim in priore sectâ obfirmati, in sequentem mensem Moguntiæ adsignati, vadimonium deserunt, ibique præsentibus cæteris Germaniæ Episcopis, Episcoporumque Galliæ, Italiæ, Legatis ex communi omnium sententiâ, Hildebrandi secta Christianæ pietati contraria judicatur, Otho (qui Urbanus) sacrilegij & irreligionis convictus, anathemati subjicitur, quatuordecim illi rebellionis, perjurij, parricidij, damnati, abdicantur; Quin notant Historici, uno eodemque anno, morte sublatos omnes Episcopos & Principes qui bellum civile succenderant, quo Imperium septendecim integros annos conflagrarat, eosque nominatim recensent, is fuit annus 1090. Incidit verò in hoc tempus Waltrami Magdeburgensis ad Comitem Ludovicum, quem gloriosissimum Principem nuncupat, Epistola, in quâ ex scripturis sacris obedientiam Regibus & Principibus legitimis debitam exponit, ut eum adversus ejus ætatis impostores muniat, qui apud *vulgus & mulierculas* contraria concionabantur, ipsique divina judicia contra Rodolphum, Hildebrandum, Marchionem Ecbertum, & *innumeros alios Principes*, qui Pontificibus contra Imperatorem militabant, ob oculos reponit. Quo & tempore Sigebertus de Urbano contra Clementem electo, iisque quæ exinde consecuta sunt loquens: *Hinc in Ecclesiâ scandala, & in regno augescunt dissidia, dum alter ab altero dissidet, dum regnum & Sacerdotium dissentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationẽ aut ex causæ aut ex personæ præjudicio contemnit, dumque alter in alterum excommunicandi authoritate, magis ex suo libitu, quàm ex justitiæ respectu abutitur, authoritas illius, qui dedit potestatem ligandi ac solvendi, omnino despicitur. Nimirum, ut pace omnium dixerim, hæc sola novitas non dicam hæresis, nec dum*

Waltram. in Epist. ad Ludovic. Comitem.

Sigebert. in Chron.

in

in mundo emerserat, ut Sacerdotes illius, qui dixit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi, doceant populum, quam malis Regibus nullam debeant subjectionem: & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur, qui contra Regem senserint, imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur, qui contrà Regem fecerit à noxâ injustitiæ & perjurij absolvatur. Quin alij fidentius: *Falsi tum Prophetæ, falsi Apostoli, falsi Sacerdotes emersere, qui simulatâ religione populum deceperunt, magna signa atque prodigia ediderunt,* & nonnulla particulatim describit, *& in templo Dei sedere atque extolli super omne id, quod colitur, cœperunt. Dúmque suam potentiam dominationemque stabilire conantur, charitatem, simplicitatem Christianam extinxerunt, &c. Qui pactum solvit, non effugiet, & perjuri regnum Dei non possidebunt. Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices tum imperium Antichristi cœpisse, quod ea quæ Christus Servator noster tot annos ante nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidere.* Notant verò Sigebertus & Aventinus post multos alios, prodigia, quæ hac ætate observata, hominum animos variè conturbasse: *cœlum*, inquit, *ardere frequenter visum, Sol atque Luna crebro præter solitum defecêre, complures stellæ de cœlo in terram cadere visæ, faces ardentes, jacula ignita, ignis volans sæpius per aera ferri comspecta sunt: Nova Astra visa, papilionum castra, ignei vermiculi, &c. concurrentes in aere exercitus,* & similia innumera, quibus populus in hac opinione confirmabatur. At præcipuè cum filiū in statum vitamque Patris conspirantem viderunt, Conradum in Henricum Parentem, à quo in Imperij spem educatus; idque suadente, impellente, connitente Urbano Pontifice, instigante an fascinante præstigijs suis Mathilde: Pater licet, ut ad meliorem frugem revocaret, nihil reliqui faceret; Qui sane justis & lenibus adhortationibus nihil consecutus, in Concilijs tandem, & solennibus imperij conventibus in lachrymas effunditur, cœlum & terram vindices inclamat. Quæ interim omnia sacrâ illâ Hierosolymitanâ expeditione velabantur, cujus arcanum nobis supra Malmelsburiensis aperuit; eâ ratione Urbanum Romæ authoritatem recuperare voluisse, an potius animos hominum in remotioribus cogitationibus occupatos à propinquioribus & verioribus, specioso hoc objecto divertere, qui dum infideles foris bello persequi sibi videntur, Antichristum domi, omnia in Ecclesiâ impunè vestantem negligerent. Nec verò, qua ad hoc bellum imperitos pelliceret, luculenta esca deerat, seculo caliginosissimo simul & impurissimo, Peccatorum omnium sine ullâ pœnitentiâ absolutissima absolutio; hominibus regionem invadentibus, in quâ omnia militis libidini exposita, quanta ad omne vitium, ad omne scelus incentiva. Et enim satis ex historijs docemur, quales inde utplurimum reverterentur, omnibus, ut uno verbo absolvamus, Cananæorum abominationibus contaminati; Tum verò ab ijsdem illi remedia petere, filios si quos habebant eidem militiæ consecrâre, Ecclesijs, unde flagitia expient, bona sua elargiri. Ex alterâ parte imperitos quosque belli hujus studio ferventes in Judæos incessebant, in quos sibi quidque licere volunt; qui proinde, nî illico ad Christum convertantur, diripiuntur, excarnificantur, magno Christianæ religionis scandalo, quasi non aliâ ratione ad fidem Christi adduci possint. Itaque in pluribus provincijs, discessum parantes in miseros involant, profectionis suæ impensas ruinâ suâ luituros, adeò, ut vel uno in loco ad decem aut duodecim millia interfecti legantur; falsi & adulterini illius zeli argumentum evidentissimum, necnon infœlicissimi exitus porrò certissimum præsagium. Notemus etiam obiter inter alia Godofredum Bullionium, qui primus in urbem Hierosolimitanam

Avent. l. 5.

Sigebert. in Chron. Avent. l. 5.

canam impetum fecit, eum ipsum esse qui primus Romanam urbem, Imperatori Henrico militans, scalis admotis, uti vidimus, invaserat. Ne verò defuisse putemus viros prudentes, qui hujus expeditionis penitiora introspicerent: Aventinus certè, vetustiorum fidem sequutus, sparsum in vulgus scribit, vocem de cœlo auditam, *Deus vult*, statimque, inquit, concursum undique factum, *relictis regno, urbibus, castellis, sacerdotijs, templo, contubernijs, uxoribus, liberis, prædiis, aratro, in Asiam gregatim migrant duces, præfecti, tetrachæ, dynastæ, Episcopi, sacrificuli, monachi: sub specie religionis, nefanda scelera impunè perpetrant, Anserem præferunt, Spiritum Sanctum esse, Carolum Magnum revixisse prædicant.* De Iudæis verò, *ubicumque eos occidunt, nisi illico convertantur, recusantes compilant, & bonis omnibus spoliant; Pars Iudæorum, amore legis suæ, mutuis se vulneribus conciderunt: alij simulato Christianismo, rursus deserto Christo ad Mosem relapsi sunt, Et hæc Petri Eremitæ ipsius authoris & promotoris hujusce expeditionis acta in primis narrantur.* Sigonius adeo ipse, in ipso panægyrico æstu, sibi temperare non potest, quin de hac expeditione breviter sententiam suam proferat, *Urbanus*, inquit, *non tam ad pietatem insigne, quàm ad gloriã futuri temporis illustre, splendidumque futurum, ad Hierosolyma quæ à Sarracenis longo jam tempore tenebantur, recuperanda traduxit animum.* Quam interim expeditionem ut devotione communiat, statuit: *Quòd nemo Laicorum à capite jujunij, nemo Clericorum à quadragesimâ usque in Pascha carnes comedat;* ut superstitionem perpetuo cum hypocrisi invalescere necesse.

Berthold. in Chron. An. 1096.

Sigon. l. 9. de regno Italiæ.

Guilielm. Malmelsbur. l 4.

Fervebat perpetuo de investituris controversia, quas Pontifices in Regum & Imperatorum fraudem sibi asserebant: quamquam non sine difficultate & repugnantiâ, In Germaniâ præsertim. Waltramus igitur Episcopus Naumburgensis in Pontificem stilum hac occasione stringit: Argumenta ejus sunt, Hadrianum in plenâ Synodo cum Carolo Magno, & successoribus pactum, Episcopos ab illis investitum iri, quin & Romanum ipsum confirmandum, tantùm ex antiquâ Regum concessione Pontificem nonnullos in Italiâ Episcopos consecraturum: Quâ in concessione Abbatias & præposituras Regales comprehendit; Gregorium magnum etiam ante hoc pactum, Theodoricum, Theodebertum, & Brunichildem per literas monuisse, investituras sine Simoniâ facerent, ipsumque nonnisi ex consensu Mauritij Imperatoris consecratum; Leonem Papam & successores idem erga Othonem & suos, & quidem anathematis pœnâ, observâsse. Quare, mirum esse quòd Gregorius septimus novâre contendit, & quidem *sub absolutione*: Esse, quod sedulò advertant Pontifices, ne non quodcumque in terrâ ligaverint aut solverint, Deus in cœlis liget: quod plerumque accidit ex illâ gloriâ prælationis, quâ animi incalescunt, cum prædecessorum Decreta successores immutâre gestiunt. Reprehensi verò in primis, quòd *Romana judicia retractanda* non esse, respondere satis habent; Eccur enim, si ita est, decessorum pro Imperatoribus decreta revocant? Eccur parvulos Christi scandalisant? Eccur religionis prætextu manibus expansis omnia ad se rapiunt? cum Dominus dicat, *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris*, &c. In Hispaniâ, Scotiâ, Anglia, Hungariâ, Reges eo jurè purè & integrè uti, in Galliâ longè ante Hadrianum Reges consecratos & Majores Palatij Episcopos investiisse; Dagobertum, Sigebertum, Theodoricum Hildricum, Pipinum, Theodebertum, à quibus Remaclus, Amandus, Odemarus, Antbertus, Elisius, Lambertus & alij sanctissimi Antistites *inthronisati*, in solio constituti: quocumque ritu investitura fiat, seu per verbum seu per baculum & annulum, nil utique referre; Convenire tamen ut, quod Regalium nomine Regibus præstatur homi-

Waltramus de investituris Episcoporum.

hominium, consecrationem antecedat. Et id quidem à Petro ad Sylvestrum usque non observatum; nempe quod & Imperatores Ethnici essent & pauperes Ecclesiæ; ex quo divitijs auctæ & locupletissimè à Regibus alijsque pijs viris dotatæ, aliud juris obtinere; cum præsertim & fundos, & feuda possideant; quin & urbium, & civitatum domini sint; quas adversus hostium irruptiones, cui committantur, nosse Principis plurimùm intersit. Percommodè sanè accidisse, quod Imperatores Ecclesiæ Romanæ regimini sese subinde immiscuerint, quæ toties in eligendis suis Episcopis, schismate discerpta, absque eorum interventu, vix unquam pacem consequi potuisset. Hæc multis rationibus firmata, quæ huc transcribere incommodum foret. Eodem verò sensu in Italiâ Venericus Episcopus Vercellensis, in libro *de discordiâ Regni & Sacerdotij*, qui Pontifici ipsi inscriptus; Ut & ab eadem venâ Apologia Sigeberti Abbatis Gemblacensis, pro Imperatore Henrico, de quâ libro quinto Annalium Aventinus. Trithem. in lib. de scriptorib. Eccles.

In Galliâ, ut Urbanus Yvonem S. Quintini Abbatem, deposito Gaufrido, Episcopum Carnutensem ordinavit, Richarioque Senonensi Archiepiscopo consecrandum mandavit; ex ipsius Urbani literis discimus, Richario id detractante Urbanum ipsum eum consecrare coactum, jussisseque Richario, ut Yvoni in Ecclesiæ suæ regimine manum auxiliarem præberet, *salvâ Ecclesiæ suæ obedientiâ*: Richarium tamen minimè morem gessisse; quin *amaras*, inquit Yvo, *literas scripsisse, & lædentes majestatem sedis Apostolicæ*; Unde Yvo ipsum commonefacit, *quod Scriptura eum hæreticum dicat, qui non concordat Ecclesiæ Romanæ*. Conscientiam ejus testor, num ex aliquo Scripturæ loco elicere id possit? Et verò ingenuè profitetur se Urbani manu de *stercore* suscitatum, proinde omnibus ejus utilitatibus devinctum; quo pertinet & salutatio illa in quadam congratulatoriâ Epistolâ, *cum Petro pugnare & cum Petro regnare*, fortunam, quod Aulici dicunt, Pontificum, quoquo periculo consectari. Nec hic Archiepiscopo subsistere visum: Episcopos enim suffraganeos Parisiensem, Meldensem, Trecensem, alios, de hoc negotio deliberaturos Stampas convocat: Ordinationemque hanc Regiæ majestati præjudicium facere proponit: cui Yvo, absque gravi ejus læsione parere non poterit. Quare decretum unanimi consensu restituendum Gaufridum, Yvonem deponendum; quo deinceps Romam appellante, nec ipsi appellationi pareri placuit. Hîc Yvo apud Urbanum quiritatur, opem ejus implorat, Archiepiscopo & suffraganeis in suam gratiam scribat, Legato in Franciâ ei omnino opus esse, qui ejusmodi rebus prospiciat. Verum, dum pro libertate Ecclesiæ Gallicanę quasi conserto pede dimicant, Philippus primus in id tantùm intentus, ut Urbano dispensante, Bertradam Concubinam uxorem ducere possit, manum dat, & Yvonem Episcopum constitui jubet. Et sic plerumque usu venit, ut privata Principum vitia publicæ dignitati gravissima damna inferrent. In his interim Yvonis Epistolis notâre operæ prætium, non Yvoni cum Urbani doctrinâ perpetuò convenire. Cum enim investituras à Laicis factas ex ejus menti multi Episcopi *hæreseos* damnarent, quia hac ratione magni Antistites, Fundatorum & Patronorum, Laicorum jura & prærogativas ad se contrahebant: Yvo tamen Episcopatum semel nactus & extra aleam constitutus, contra Hugonem Lugdunensem Primatem Pontificis Legatum, & alios contrariam sententiam tuetur, *hæresim illam non esse, cum non hic agatur de fide, quæ cum ordinibus nihil communi habet*; Yvo alioqui Urbani studiosissimus, qui nullam testandi obsequij occasionem prætermittit: Eumque tam sedulò monet, authoritate suâ Manassem Archiepiscopum Rhemensem confirmari curet: *Quantum*

Marginal notes: Ann. 1071. — Yvo Carnutens. Epist. 1.2.8 — Yvo Carnutens. Epist. 235. 238. 239. — Idem Epi. 48.

necessarium sit, inquit, *Romanæ Ecclesiæ ut in prædictâ sede devotum sibi ministrum substituat, non est meum vestram prudentiam instruere, quæ novit eandem sedem diadema regni habere;* Denique suis eum consilijs adversus omnia offendicula, quæ aut Legatos, aut Decreta sua in Franciâ obturbare poterant, ita præmunit, ut de se dicere non vereatur: *Ego de me sentio quod non est aliqua persona transmontana, quę pro fidelitate vestrâ, pro assertione præceptorum vestrorum, tot contumelias pertulerit, tot injurias acceperit.* Imò, cum Richario Archiepiscopo Senonensi defuncto Dainbertus canonicè in ejus locum suffectus esset, & Hugo Lugdunensis Primas, Urbanique Legatus, Yvonem ab ejus consecratione prohiberet, quod ei debitam obedientiam non præstitisset, Yvo per literas acriter cum Legato agit, sibi non ratum esse in præjudicium *Canonum antiquorum & venerabilis authoritatis Patrum* quidquam committere; eum graviter idcircò reprehendit. Sed qui hactenus probabatur Baronio jam objurgatur, quod de investituris minùs commodè loquutus videatur:
Baronius 1099. art. 8 *Quæ enim reliqua sunt,* inquit, *ejusmodi Yvonis Epistolæ scabrosiora esse planè noscuntur, cum de investituris vetitis nimis abjectè loquatur, imò despectè multa ingerat, quæ nisi corrigerentur ab aliis ejusdem authoris Epistolis, famam suam & nomen gloriosum, quod ex defensione Apostolicæ sedis & Catholicæ veritatis sibi dignißimè comparaverat, in discrimen maximum adduxisset;* Adeo ratio & affectus etiam in magnis viris plerumque dissident.

Ann. 1093 In Angliâ Anselmus gente Italus, Cantuariensis Archiepiscopus, ex Regis Guilielmi secundi consensu electus, potestatem sibi fieri postulat, Romam eundi, ut ab Urbano Pallium accipiat. Rex vehementer indignatus respondet, neminem Archiepiscopum aut Episcopum regni sui, curiæ Romanæ Pontificive esse obnoxium, sibi idem juris esse in regno, quod Imperatori in imperio; Itaque accusatur Anselmus læsæ majestatis, adsentientibus huic accusationi omnibus Episcopis, uno excepto Roffensi Gondulpho. Urbanus Gualterum Albanum Episcopum in Angliam mittit, qui & Pallium conferat, & Anselmum Regi Guilielmo conciliet. Verùm, ut de itinere Romano rursus sermonem ingerit, Guilielmus apertè: Si tactis sanctis Euangelijs promittat, se Romam nec iturum, nec appellaturum, cujuscumque rei causâ, liberum ei esse dignitate pacatè frui; sin minus, integrum quidem illi esse, mare trajicere, sed ita ut de reditu in Angliam nequaquam cogitet; Et id quidem in ipso Concilio. Perrexit nihilominus Romam, exque ejus consilio renovatur sub Anathematis pœnâ Decretum, *contra investituras Laicorum*,
Matthias. Paris. in Guiliel-mo 2. manetque Lugduni exul, dum Guilielmus vixit. Addamus hac ætate Malmelsburiensis Monachi de Romanis elogium: *Romani olim rerum domini, gensque togata qui nunc dicuntur, hominum inertißimi, auro trutinantes justiciam, pretio venditantes Canonum regulam.* Omittendum minimè hoc ipso tempore Urbanum Papam Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ diploma illud indulsisse, de quo tantopere Baronius
Malmelsb. l. 5. Ann. 1097 contendit, contrà Regem Hispaniæ qui utriusque Siciliæ regnum hodie possidet;
Baro. ann. 1097. art. 20. 21. & seq. Quo quidem ingentia ejus erga Ecclesiam Romanam merita, in Saracenos præsertim, illum *Ecclesiæ universalis filium* adscissit, specialique privilegio, *omni vitæ tempore, & filij ipsius Simonis vel alterius, qui illius legitimus hæres extiterit, nullum in terrâ potestatis ejus, pręter voluntatem & consilium ipsius, Legatum Romanæ Ecclesiæ statuit.* Ut ex hoc speciali beneficio omnes intelligant, Legatorum præsentia quam onerosa & periculosa censeretur: *adeò, ut quod Legatus facere debuisset, à Rogerio aut ejus filio faciendum esse intelligat, Legati vice: Si vero inquit celebratur Concilium, & tibi mandavero, quatenus Episcopos & Abbates tuę terræ mihi mittas, quos & quot volueris*

mit-

mittes, aliós verò ad servitium Ecclesiarum tuarum retineas, sicque bonus ille zelator universum Ecclesiæ suæ ordinem evertit, ut Rogerio indulgeat, qui occasionibus ad res suas uti apprime norat.

PROGRESSUS.

HAbet quod ingredimur seculum suos progressus, seu improbitatem in Pontificibus, seu authoritatem spectes: sibi enim mutuo viam sternebant: sed quo magis illæ erumpunt, eo plures testes nobis exhibent, qui mysterium iniquitatis aut in aperto, aut saltem per nubem viderint. Urbano secundo mortuo anno 1099. Rainerius Hetruscus succedit, qui Paschalis secundus, Hildebrandi discipulus; eo præsertim nomine ab Urbano commendatus, quod vestigiis suis gnaviter inhæsurum putaret; Thema verò tum illis, Episcoporum & Abbatum investitura, quam Principibus ablatam ad se rapiebant; à Principibus usurpari, uti vidimus, & nefas & hæresim esse suadebant, utque aliquam religionis speciem prætenderent, eam in omnibus actis cum fictitiâ illâ Nicolaitarum copulabant, Cœlibatum sacerdotum eadem severitate promoventes, nequicquam reclamante universo Clero, nequicquam cœlum clamore implentibus nefarijs cœlibum libidinibus. Rainerius igitur non prius Papatum accipere vult, quam populus tertiò acclamarit, *S. Petrus Rainerium virum optimum Pontificem elegit.* Deinde indutus coccineam chlamydem, tiaraque capiti impositâ, comitante Populo & Clero, equo albo ad Lateranum perducitur, ibique in sede ad eam rem paratâ aliquandiu quiescens, atriumque mox Lateranense conscendens, Baltheo succingitur, unde septem claves, septemque sigilla pendebant, ut omnes intelligerent se secundum septifariam S. Spiritus gratiam, in Sanctis Ecclesijs, quibus præerat, claudendi, sigillandi, aperiundique facultatem & rationem tenere. Invisit etiam, sceptrum Pontificium manu gerens, ea loca, quæ solis Pontificibus sunt adjudicata: ac tandem consecrationem accepturus in Basilicam Petri proficiscitur, in quâ ab Ostiensi, Portuensi, Albano, Lavicano, Prænestino, Nepesino Episcopis inungitur; Nec novus sanè hic apparatus sine mysterio. Perstabat interim Clemens tertius in proposito, in quem primo impetus à Paschale factus, adeò ut Româ discedere cogeretur; quod ut facilius consequeretur, Imperatorem pacis spe lactatum, Lateranum ad Synodum generalem invitabat: & auscultabat ille non invitus, molestiarum tum civilium tum domesticarum pertæsus. Princeps Paschalem pacis studiosum & à bello alienum sibi proponens, an potius, ex eo quod pacis amantem diceret, pacis desiderium ejus animo inditurus. Verùm, ut Clementem exegit anathemata in Henricum in Synodo renovat: novas in Germaniâ factiones cudit, ex eo quod in Palæstinam non trajicit, odium ei creare conatur: Cum inquit, qui primum locum obtinet, exemplo præire debeat: nihil aliud in animo habens quam, ut in vacuam quasi orbis possessionem missus, omnia pro libidine gerere posset, Denique prædecessoris vestigia premens, Henricum filium in Patrem concitat, *quem sibi imperij socium adjunxerat persuasum*, uti suprà, nunquam se pacatè regnaturum, nisi Pontificem propitium haberet: nec verò pietatis erga parentem officium, quippe hæreseos rei, Pontificis obsequio anteponere debere; Et hæc qualis esset, jam vidimus. Aventinus itaque, *Augustus peractis hybernis, Romamque inde in Asiam profecturus, Mogontiam petit, relicto filio in Bojariâ. Is interim consilio Diethboldi & aliorum &c.* (nominat inter alios

Platina in Paschali 2.

Avent. l. 5.

Welfonem ducem Bavariæ Mathildis virum) *Et Alberti magistri Epistolarum suasu, & sacrificuli instinctu à Patre deficit. Si parens inimicus Pontificum Romanorum fato concederet, sibi ab alio præreptum imperium metuens, & specie pietatis bellionem facit.* Quod verò crimini vertebatur, quod sacram expeditionem non suscepisset, dixerat antea plerasque copias, quæ in Germaniâ à bello civili trium & viginti annorum supererant, in Asiam misisse, eo consilio ut eas postmodum sequeretur: ejusque mandatu ex Germaniâ inferiori profectos, Godofredum Bullionium ejusque fratres Balduinum, & Eustachium & Robertum Flandriæ Comitem; ex Bavariâ Ducem Welfonem, Othonem & Eckardum Principes de Scheurn & plures alios; ut Pontificem prætextum tantùm quæsivisse constet satis. Pater interim animo firmatur, prælium cum filio committit, victoriam consequitur; At sanè, ut conspirationem penitius introspexit, altam adeò, ut absque Reipublicæ excidio opprimi non posset, pacis rationes lubenter amplectitur & colloquio cum filio instituto bonâ fide copias dimittit, dum conjurati omni ex parte suas Moguntiam confluere jubent. Delecta ad colloquium Binga, quam ubi Augustus quartus intravit, portis urbis clausis, cæteri Imperatoris fideles excluduntur: Custodes acerbissimi ejus inimici ei adhibentur, & filius quasi re benè gestâ triumphans, Moguntiacum ad conjuratos properat, Erant ibi Paschalis Legati, Albanus & Constantiensis, cum quinquaginta alijs Episcopis, qui in hac Synodo, per vim parricidium, & proditionem Henricum iterum anathemate percellunt; Inque ejus Decreti vim, exaugurandum illum, filiumque in ejus locum inaugurandum statuunt. Leguntur apud Krantzium & Helmoldum circumstantiæ, quarum Lectorem non tædeat *Mandatum*, inquit, *Moguntino, Coloniensi & Wormaciensi Episcopis, ut eum adeuntes Imperialia insignia auferrent invito.* Crucem, sceptrum, securim, Regnum, ensem & coronam, *Imperatori autem causam requirenti*, respondent, *eum inconferendis Episcopatibus & Abbatiis Simoniâ usum fuisse.* Tunc Imperator: *Dic Moguntine, dic Coloniensis, per nomen æterni Dei, quid à vobis acceperim.* Dixerunt, *Nihil:* Tunc Imperator, *Gloria Deo in excelsis, quia vel in hac parte fideles inventi sumus: Certe maximæ vestræ dignitates potuissent magnum cameræ nostræ, si ita quæreretur, quæstum præstitisse. Dominus Wormaciensis novit & nos non ignoramus, quæstu an gratis illum receperimus: Nolite patres temerare fidem vestram. Ecce jam senio laboramus, sustinete modicum, & nolite in confusione gloriam nostram terminare: Generalem Curiam expetimus; Si cedendum, proprijs manibus filio coronam trademus. Illis renitentibus & vim ostendentibus, parumper secedens Imperialibus se vestivit insignijs & reversus*, Hæc, inquit, *Imperialis honoris sunt insignia, hæc mihi præstitit æterni Regis pietas; & Principum electio. Potens est Deus, nos in his conservare, & manus vestras ab opere cœpto cohibere, quamvis simus armis & militiâ nostrâ destituti; Securi de tali violentiâ nobis non prospeximus: Sed timor Dei vos coerceat, quos pietas non revocat. Quod si neutrum veremini, ecce præsentes sumus; non possumus viribus refragari. Hæsitant Pontifices, sed invicem cohortantes, accepto conamine Imperatorem adeunt, coronam capiti detrahunt, & sede detractum omnibus Imperialibus exuunt; Imperator, ab alto ductis suspirijs, sic eos alloquitur: Deus ultionum Dominus videat, & vindicet iniquitatem quam facitis, ignominiam sustineo antè inauditam, sed delicta juventutis apud justum judicem Deum luo. Vos tamen immunes à crimine non eritis, quia jusjurandum prævaricati, justi vindicis ultionem non effugietis. Non prosperetur honor vester, sit portio vestra cum eo qui tradidit Christum. Hæc est*, inquit Krantzius, *narratio nostrorum Annalium.* Et Sigonius totidem ferè verbis rem describit; ex quâ igitur narratione clarum, non ideo miserum Henricum

Helmold. l. 1. c. 32. Krantzius l. 5. c. 20. in Saxon.

Sigon. l. 9. de regno Italiæ.

cum depositum, quod Episcopos acceptâ pecuniâ investivisset, quod ipsi ultro agnoscunt, sed purè & simpliciter, quod eos pro antiquo prædecessorum jure investivisset, Synodus *hæresim Henricianam* aut à Guiberto, alias Clemente tertio, *Guibertinam* vocat; Quo nomine omnes tum Principes hæretici censerentur. Eo porrò immanitatis provehitur Paschalis, ut omnes, qui ab Henrico investiti fuerant, sexto post obitum anno, è sepulchris effodiat; Ipse verò in pœnitentiam recipi à Legatis flagitans, superbè rejicitur, donec Paschalis sese humiliter subjecerit. At Paschalis per insignem legationem, rebus ita ex animo fluentibus, in Germaniam venire rogatur, dùm Imperator regno spoliatus, in arce Inguelsheimensi vitam privatam acturus relinquitur; Mox tamen, amicorum quorundam ope, Coloniam petit, indeque à civibus Leodium usque deductus, ab Otberto Episcopo, & Henrico Lotharingiæ Duce honorificè recipitur. Ibi ad omnes Christianos Principes Philippum primum in primis Franciæ Regem Oratores expedit qui miseram hanc Tragœdiam illis exponant, sed persequitur eum impiger filius eo usque, nequicquam protestatum, se locum tantum quærere, in quo pacatè vitam tolerâre possit; Tandemque suis conatibus id perficit, ut in suam denuo potestatem reducatur. Cujus ea demùm fuit conditio, ut Episcopum Spirensem quondam dilectissimum rogaret, sibi victum daret, ut uni ex Clericis Ecclesiæ S. Mariæ, quam ipse fundaverat, quod Spirensis ferociter denegavit; Sicque paucis post diebus mœrore confectus obiit. Ut verò pietatem ejus tanta filij impietas non extinxerat, supremum ei donum paterni amoris pignus, signatorium annulum, & ensem mittit; qui tamen, in gratiam Pontificis, patrem insepultum, quinque annos integros, in unâ desertâ ædis cellâ relinquit. Hîc Helmoldus Historicus: *Fuit Ecclesiis admodum bonus, his videlicet, quas sibi fideles persensit. Porrò Romanum Antistitem Gregorium & cæteros insidiatores honoris sui, sicut infestos habuit, ita etiam infestare studuit; Impulit eum ad hoc, ut multi dicunt, gravis necessitas. Quis enim vel minimam honoris sui jacturam æquanimiter ferat? Legimus autem quia multi peccaverunt, quibus tamen subventum est pœnitentiæ remedio. Certè David peccans & pœnitens Rex & Propheta permansit. Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum jacens, orans ac pœnitens gratis pessundatus est, nec invenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore. Sed disputaverint de his, qui scierint vel ausi fuerint. Unum hoc scire licet, quia Romana sedes adhuc hodie luit factum illud. A tempore enim illo quotquot regnant de stirpe illâ, omnibus modis nituntur humiliare Ecclesias, ne resumant vires consurgendi adversus Reges, nec inferre quæ intulerunt patribus eorem. Regnavit autem Henricus junior pro patre suo, fuitque concordia inter Regnum & Sacerdotium, sed non multo post tempore. Nam nec ipse prosperatus est, in omni vitâ suâ irretitus similiter ut pater ejus à sede Apostolicâ:* Et Presbyter hic loquitur. Henricum istum plerique sanè authores quartum appellant: Nos Onuphrium & Sigonium sequuti, tertium; Et hæc ab anno 1099. usque ad 1106. Cæterùm omissam hîc nolumus Paschalis Epistolam in hujus seculi limine Poloniæ Archiepiscopo inscriptam, in quâ Synodorum authoritatem adducentibus, *quasi*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint.* Et quorsum igitur convocatis opus, *contrà*, inquit, *omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ authoritatem & facta sunt, & robur acceperunt, & in eorum statutis patenter ejus authoritas excipitur*; de hoc vel unicam syllabam ubi ostensurus?

Krantzius, in Saxon. l. 5. c. 21. Henric. Erford. c. 68.

Avent. l. 5. Annalium Boior. Helmold. l. 1. c. 33.

Ann. 1102. Paschal. Epist. ad Archiep. Poloniæ.

OPPOSITIO.

Platina in Paschali 2.

PErseverabant in aere, in terrâ, in mari prodigia, ab omnibus hujus ætatis Scriptoribus notata: *nec movebatur his*, inquit Platina, Paschalis: *quippe qui fieri hæc naturâ credebat.* Quin & ab alijs observari minus patienter ferebat. Sed, nullum plus ipsomet mundum commoverat, qui Baltheo succinctum, pendentibus septem clavibus & septem sigillis solium invadentem viderat, Antichristum utique habitu, seu, quod ad unum Christum pertinet, sibi tribuendum esse significaret, seu Abbadonem in Apocalypsi descriptum tanquam in Theatro exhibere vellet, & id haud dubiè Florentinum Episcopum anno 1106. movit, ut Antichristum natum esse in publicis concionibus prædicaret: cujus rei admonitus Paschalis Florentiam sese transferre non gravatur, ibique Concilium convocat, ut Episcopo os obstruat: eum tamen monuisse sat habens, *ut à nimis audaci cœpto desisteret*, nempe ne res longiùs erumperet. Henricus Imperator, uti vidimus, Leodium se receperat, quod Paschalis impatienter ferebat: Igitur specie Roberto Comiti Flandriæ congratulandi, quod ex Hierosolymis fœliciter in patriam reversus esset, ad eum hasce litteras dat: *Hoc est legitimi militis, ut sui Regis hostes instantius persequatur. Gratias ergo prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum nostrum in Cameracensi parochiâ executus es, idipsum de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis præcipimus, &c. Nec in hac tantùm parte, sed ubique, cum poteris Henricum hæreticorum caput & ejus fautores pro viribus persequaris. Nullum profectò gratius Deo sacrificium offerre poteris, quàm si eum impugnes, qui se contra Deum erexit, qui Ecclesiæ Dei regnum auferre conatur, &c. Hoc tibi & militibus tuis in peccatorum remissionem præcipimus, &c.* Ut Pontificis injurias, quo jure quaque injuriâ ulcisci, & Palestinam ab infidelium jugo vindicare ejusdem illi & juris sit & meriti. Hîc igitur, quid Episcopi, Canonici, & Clerus universus Leodiensis Diœcesis? Et sanè extat in secundo volumine Conciliorum & Paschalis ad eos Epistola & eorum ad Paschalem responsio. *Stupendo & gemendo exclamo*, inquit Ecclesia Leodiensis, *cum Esaia, qui onus deserti maris exaggerans, exclamat, sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terrâ horribili visio dura nunciata est mihi, &c. Qui hactenus non intelligebat loquendo, quid sit desertum mare, nunc intelligat videndo, quid per desertum mare significetur: non solùm Babylonia, sed etiam mundus & Ecclesia, &c. Ecclesia gemit se desertam à sano præsulum consilio. Quæ enim major olim confusio fuit in Babyloniâ, quam hodie est in Ecclesiâ? In Babyloniâ confusæ sunt linguæ gentium, in Ecclesiâ dividuntur linguæ, & mentes credentium. Ait Petrus in Epistolâ suâ, Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta. Hactenus interpretabar ideo voluisse Petrum per Babylonem signare Romam, quia tunc temporis Roma confusa erat idololatriâ & omni spurcitiâ. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quod Petrus Prophetico spiritu dicens Ecclesiam in Babylone collectam, prævidit confusionem dissensionis, quia hodie sciditur Ecclesia, &c. Qui sint turbines ab Africo discimus patiendo magis quàm legendo, de terrâ horribili, à Romanâ scilicet Ecclesiâ, visio dura nuntiata est mihi: inde turbo ut tempestas venit ab Africo, Romanus enim præsul, pater omnium Ecclesiarũ, litteras contra nos mittit, Roberto Flandrensium Comiti, & earum hic exemplar*, interserunt. *Super his literis cujus lumbi non repleantur dolore? Super his me obstupefecerunt tenebræ, nec tantùm pro horrore periculi, quantum pro horrendâ novitate rei, quam tam lachrymabiles literæ potuerunt scribi à Matre contra filias suas quamvis peccantes. In judicio Salomonis expressa est magnitudo maternæ pietatis, quoniam judicante Salomone, ut infans, pro quo contendebatur, gladio devideretur, maluit* ma-

Acta Paschalis vitæ.

Sigon. l. 9. de regno Ital.

Sabellic. Enneade 9.

Platina in Paschali 2.

Epist. Leodiens. Cleri. in 2. vol. Concilior. Edition. Coloniēs. apud Quintel. pag. 809.

1. Petr. 5.

mater filium suum sub alienâ muliere vivere, quàm gladio judicis dividi. Dicit Esaias, Babylon dilecta mea, versa est mihi in miraculum. At ego dico, Roma dilecta mea mater, versa est mihi in miraculum. Quid enim tam mirabile, imò quid tam miserabile? Vidit olim David Angelum Dei stantem extento gladio super Hierusalem, nos filiæ Romanæ Ecclesiæ, Ecce videmus Romanum præsulem, qui est Angelus Domini (hunc utique locum occupat, extento gladio super Ecclesiam. David orabat ne populus occideretur: angelus noster porrigens Roberto gladium, orat ut occidamur. Unde iste gladius angelo nostro? Unus est gladius spiritus, quod est verbum Dei, &c. Est alter gladius spiritualis quo mortificatis vitiis carnis emitur corona martyrij. Cum ergo duos tantùm gladios à Domino Apostoli habeant, unde iste tertius Apostolico? (id est Papæ) gladius? quem in nos porrigit Roberto armigero suo? Fortè recurrit Apostolicus ad Ezechielem Prophetam, ut de manu ejus tertium arripiens gladium, vadat ad dexteram, sive ad sinistram, cædendo bonos & malos, &c. Hic est gladius interfectionis magnæ, qui me cum Ezechiele obstupescere facit; quem enim non faciat corde tabescere, quod Apostolicus ad vivificandum unctus accingitur in nos tertio gladio interfectorum, &c. Si liceret dicere (salvâ Apostolicę dignitatis reverentiâ) ipse nobis videtur dormivisse. Dormierunt cum eo omnes consiliarij ejus, quando conduxit sibi vastatorem Ecclesiarum Dei. Pręcipit Paulus, ut verbum Episcopi sit sanum & irreprehensibile. Nos ergo nec infirmamus aut reprehendimus verbũ Episcoporum Episcopi, sed quia Apostolicus non debet deviare ab Apostolo, quærimus humiliter per singula, utrum hæc Apostolici verba sint per omnia gravitate Apostolicæ authoritatis sana & irreprehensibilia. Ecce ut pater dilecto filio salutem mittit, & Apostolicã benedictionem promittit. Sed non ea illa opera indicit, quibus salutem & benedictionem à Deo promereri possit, &c. Quis unquam populum Dei, quis unquam Ecclesiam Dei impunè persecutus est? Et huc multa ex Scripturis sacris exempla adducunt: Ecce opera justæ malitiæ, quibus pater filium, Papa cœlestis Regis militem imbuit, per quæ possit contendere ad cœlestem Hierusalem, impugnando scilicet Ecclesiã Dei. Gratias, inquit, prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum nostrum in Cameracensi parochiâ executus es; Qualis & quanta sit vastitas & contritio Cameracensis Ecclesiæ, quis recolit sine dolore? Ego quidem filia Romanæ Ecclesiæ, condolebam Cameracensibus pro affectu germanitatis, nunc verò audiens hæc mala inferri præcepto Apostolicæ authoritatis, jam amplius doleo, quia timeo matri meę, ne in eam redundet illud quod Deus dicit per os Esaiæ, Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, &c. Tantam Ecclesiæ desolationem, tantam pauperum & viduarum oppressionem, tantam prædarum & rapinarum immanitatem & quod his gravius est, promiscuam bonorum & malorũ occisionem. Hæc & pejora his præcepto Apostolici facta esse quis crederet, nisi ipse suo se ore prodidisset? Nos attoniti hac novitate rerum quærimus, unde sit hoc novum exemplum, & prædicator pacis, suo ore & alterius manu, inferat Ecclesiæ bellum, &c. Apostolici enim peccantes arguunt, obsecrant, increpant, in omni patientiâ & doctrinâ, &c. Dicit Iesus, si peccaverit in te frater tuus, corripe illum, &c. Et hîc exemplum Gregorij erga Episcopum Salonensem proferunt, Imperatorem Maximũ arguentem, quod in Priscilliani sectatores vim adhiberet: Qui damnavit, inquit, accusatorem Itachium pro morte hæretici, si adhuc viveret, non laudaret & istum, cujus præcepto tot occiduntur pro causâ Cameracensium, &c. Idipsum de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis pręcipimus, inquit, Nos verò Leodienses quare excommunicati dicimur, in uno Spiritu nos omnes, in unum corpus baptisati sumus, &c. Quando significatum est Romanæ Ecclesiæ quod contentiones fuerint inter nos, idipsum in Christo sapimus, idipsum

Esaiæ 21.
Ezech. 21.
1. Tim. 4.
Matt. 18.

sum dicimus, Non dicimus, ego sum Pauli, ego Cephæ, ego autem Christi. numquid pro hac unanimitate excommunicati dicimur, &c. Nobis legem Dei tenentibus objiciunt, quod transgrediamur eorum novas traditiones. At illis dicit Deus, Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? Jubet Deus ut quæ sunt Cæsaris, reddamus Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. In hanc sententiam Petrus & Paulus pedibus eunt, Petrus inquit, Deum timete, honorificate Regem. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis, &c. Qui hoc omni animæ præcipit, quem à subjectione terrenæ potestatis excepit? Quia ergo Regem honoramus, quia Dominis nostris non ad oculum, sed in simplicitate cordis servimus, ideo excommunicati dicimur? Sed Simoniaci sumus. Simoniacos, quantum ad nos, vitamus, & quos vitare nequimus, pro loco & tempore toleramus, nec minus vitamus illos, qui notam avaritiæ honesto nomine prætexentes, quod gratis se jactant dare, vendunt sub charitatis nomine, & sicut Montanistæ sub nomine oblationum artificiosius accipiunt munera; Oh dolendo miramur, quare, quando & à quo excommunicati simus. Non ab Episcopo nostro, non ab Archiepiscopo, cui Episcopus noster suffragatur, nos excommunicatos esse scimus. Sed nec à Papa Romano nos esse excommunicatos credimus, quia scimus eum non ignorare quod ait Nicodemus,
Iohan. 2. Genes. 18. *Lex nostra non judicat quemquam nisi audierit ab ipso prius. Nec Sodomitas damnasset Deus, nisi descendisset ad ipsos, videre, utrum clamorem, qui venerat ad eum, opere complessent. Qui nihil à nobis audivit, quem non Episcopus, non Archiepiscopus aliquando contra nos interpellavit, quis crederet quod nos excommunicaverit? &c. Credo dicetis nos ideo haberi excommunicatos, quia favemus Episcopo nostro, faventibus partibus domini sui Imperatoris. In hac re sunt initia dolorum, pro hac re erubescunt causæ malorum, quia Satanas solutus terram perambulans, jam divisit regnum & Sacerdotium; Quia ergo*
Apocal. 20. *Diabolus venit ad nos habens iram magnam,* (quod Apocal. 20.) *Patrem nostrum qui est in cœlis oramus, pro hoc specialiter, ne nos inducat in tentationem hanc, sed liberet nos à malo hujus tentationis, &c. Quis jure reprehendet, quod Episcopus partibus Domini sui favet, cui promissam cum juramento fidelitatem debet? &c. Hoc non ignorant illi qui regnum & Sacerdotium scindentes novello schismate, & novellis traditionibus, illos qui Regi perjurant, se à culpâ perjurij absolvere promittunt, &c. Hinc omnes perpendite, quis sit reus capitis, qui non reddit Cæsari, quæ sunt Cæsaris secundum Decretum Dei, vel qui Regem inhonoret contra Decretum Apostoli, vel perjurando assumit nomen Dei in vanum, per quod juravit Regi fidelitatem. Ecce quare excommunicati dicimur. Sed quare pseudoclerici vocamur, qui canonicè viventes, operibus meremur, ut Clerici vocemur? Non est inquam de sorte Dei,* (alludens ad vocem Κλῆρος) *qui vult nos excludere à sorte Dei;* (ac proinde Paschalem quâ in parte collocat) *Evomuit cor Paschasii vile convicium, prout vetulæ & textrices faciunt. Petrus Apostolus docet, non dominantes in Clero, sed forma facti gregis. Paulus Apostolus, filioli quos iterum parturio in Domino; Hos igitur attendat Dominus Paschasius pios admonitores, non impios conviciatores. Maledictum excommunicationis Dominus Paschasius nobis improperat, sed illud ante omnia timemus, quod Spiritus Sanctus per os Psalmistæ dicit: Maledicti omnes qui declinant à mandatis tuis; Maledictum excommunicationis, quod ex novellâ traditione Hildebrandus, Odardus & iste tertius indiscretè protulerunt, omnino abjicimus & priores Patres sanctos usque nunc veneramur & tenemus, qui dictante Spiritu Sancto non animi motu, in majoribus & minoribus potestatibus graviter delinquentibus, quædam dissimulaverunt, quædam correxerunt, & quædam toleraverunt. Dominus noster Episcopus communicat Regi & Imperatori suo, cui ex Regalibus ejus acceptis fidelitatem juravit. Nimium effluxit tempus, quo hæc consuetudo incœpit, & sub hac consuetudine migraverunt à seculo sancti & reverendi Episcopi,*

pi, reddentes Cæsari quæ erant Cæsaris & Deo quæ erant Dei. Hîcque multos ex Ambrosio, & Augustino locos adducunt. *Ecce*, inquit, *quare excommunicati vocamur, eò quod sanctos & moderatos & antiquos Patres tenemus, & pro posse imitamur. Episcopum, Archiepiscopum nostrum, provincialem & comprovincialem Synodum ex antiquâ traditione tenemus, & quicquid ibi de Scripturis sacris definitum fuerit, Romam non refertur, usque ad graviora negocia, de quibus non invenitur in Scripturis sanctis authoritas. Illos verò Legatos à Latere Romani Episcopi exeuntes & ad ditanda marsupia discurrentes omnino refutamus, sicut temporibus Zozimi, Cœlestini, Bonifacij Concilia probaverunt. Etenim ut à fructibus eorum cognoscamus eos, non morum correctio, non vitæ emendatio, sed inde hominum cædes, & Ecclesiarum Dei proveniunt deprædationes. Quia igitur antiquæ regulæ inhæremus & non omni vento doctrinæ circumferimur, ecce unde excommunicati dicimur? Cur Paschasius vult, ut exolvamus quod non rapuimus: ut pseudoclerici vocemur, ubi rectam lineam tenemus? Potius deposito spiritu præsumptionis, cum suis consiliariis solerter recolligat, quomodo à beato Sylvestro usque ad Hildebrandum sedem Romanam Papæ obtinuerint & quot & quanta inaudita ex ambitione illius sedis perpetrata sint, & quomodo per Reges Imperatores definita sint, & pseudopapæ damnati & abdicati sint, & ibi plus valuit virtus Imperialis, quàm excommunicatio Hildebrandi, Odardi, Paschasij, &c. Paulus Apostolus in faciem Petro Principi Apostolorum restitit. Ergo remoto Romanæ ambitionis typho cur de gravibus & manifestis non reprehendantur & corrigantur Romani Episcopi? Qui reprehendi & corrigi non vult, pseudo est sive Episcopus, sive Clericus: Nos verò qui per misoricordiam Dei, juxta regulam obedientes & corrigibiles sumus & schisma & Simoniam, & excommunicationem per omnia dictante ratione & Spiritu Sancto vitare volumus, &c. Quæ etsi devastanda essent, edicto Regum & Imperatorum devastari deberent, qui non sine causâ gladium portant. Sed solutus est Satanas habens iram magnam, quem exterreat valida manus Dei*, ad Ecclesiam in Apocalypsi alludens, quam Satan persequitur: *Nos ab* Apocal. 12
excommunicatione excipiet ipsa Romanorum authoritas, Hildebrandus Papa, qui author v. 1. & 12.
est hujus novelli schismatis, & primus levavit Sacerdotalem lanceam contra diadema regni primò indiscretè Henrico faventes excommunicavit, sed reprehendens se intemperantiæ excepit ab excommunicatione illos, qui Imperatori adhærebant necessariâ & debitâ subjectione, non voluntate faciendi vel conciliandi malum; Et hoc pro decreto scripsit, &c. Excutit inde ampliùs Paschalis ad Robertum Epistolæ verba: *Henricum hæreticorum caput & ejus fautores persequere: nullum profecto Deo gratius sacrificium offerre poteris, &c. Cum Alaricus Rex Gotthorum iret ad capiendam Romam, monitus à quodam servo Dei, ut ab his malis cessaret, non volens, inquit, vado Romam, vir enim quidam me quotidie torquens urget, ut eam ad destruendam Romam. Hoc exemplo urget Apostolicus armigerum suum, ut totum depopuletur regnum, quod non potest fieri sine cæde & sanguine, & Ecclesiarum Dei depopulatione. Alaricus in hoc quidem mitior fuit, qui captâ Româ Ecclesiis Dei pepercit, & à cæde hominum abstinuit: nunc nihil excepto, immittitur Robertus ab Apostolico ut non solùm in Cammeracenses & nos Leodienses, sed totus feratur ad dispergendos omnes. Quis clamabit modo cum Esaia, quàm pulchri super montes pedes prædicantis & annunciantis pacem, &c. Qualem zelum habuit Petrus in amputandâ auriculâ Malchi, talem zelum habet modò vicarius Petri in amputandâ auriculâ Regis hæretici, sed qui in feriendo Petrum imitatur, etiam in recondendo gladio Petrum imitetur &c. Esto, concedimus vobis inviti eum talem esse qualem dicitis, nec talis à nobis repellendus esset, armis contra eum sumptis, sed precibus ad Deum fusis. Contra Pharaonem cujus cor contra Deum induravit,*

 Moses,

Moses, ranam, muscam, locustam, grandinemque induxerat; has tantùm plagas non, nisi orando extensis in cœlum manibus, avertere potuit: Ieremias pro Nabuchodonosor, & Paulus pro Nerone orant, &c. Et hæc exempla latius exporrigit. *Quis Pontificum Romanorum suis unquam decretis authorizavit, ut debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius primus hujus nominis Papa, quid omnes ante se Papæ super hoc senserint, & quid omnes post se sentire debeant, ostendit, scribens Sabiniano Diacono, &c. Hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, utebantur solo gladio spirituali, usque ad ultimum Gregorium, qui primus se & suo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli, &c. Dicitis cum Gregorio, quoquo modo liget pastor, timeat grex vinculum pastoris: Dicimus & nos cum Gregorio, ligandi & solvendi potestate se privat, qui subjectos pro suo velle & non pro merito eorum ligat & solvit. Dicitis, quoquo modo excommunicatur, si morte prævenitur, damnatur. Hic nobis succurrit Romanæ Ecclesiæ authoritas: Gregorius enim primus scripto & facto exauctoravit, quod potest Romanus Pontifex absolvere excommunicatum injustè ab aliquo; Si hoc potest Romanus præsul, quis neget etiam Deum posse absolvere, si quem præsul Romanus injustè excommunicaverit? Nemo enim potest ab alio lædi, nisi prius lædatur à semetipso: nullum verò sacrificium Deo gratius offerre poterit Robertus, quàm si nos persequatur; Quæro à te, ô mater mea Romana Ecclesia, Num Deo placeat sacrificium, nisi sit mundum & immaculatum? Quale ergo & quomodo tam gratum est Deo hoc bellandi Sacrificium, quod non potest fieri sine maculâ culparum?* quod & caput multis Scripturæ locis explicat; *Et hoc*, inquit, *tibi ac militibus tuis in peccatorum remissionem præcipimus: Hic quid dicam nescio, quo me vertam non video. Si enim utriusque legis totam bibliothecam, si omnes totius bibliothecæ veteres expositores revolvam, exemplum hujus Apostolici præcepti non inveniam. Solus Hildebrandus Papa ultimam manum sacris Canonibus imposuit, quem legimus pæcepisse Mathildi Marchionissæ in remissionem peccatorum suorum, ut debellaret Henricum Imperatorem.* Tumque ex Scripturâ & aliquot Gregorij locis veram peccata remittendi rationem edisserens, quâ nempe peccatori peccatum suum ob oculos ponitur, quod & confiteatur & agnoscat, indeque & ejus gravitatem expendat & dolore compunctus, vivâ fide remedium in Christo quærat; concludit hæc ipsa Leodiensis Epistola his verbis: *Hinc morem discrete ligandi & solvendi hactenus tenebas & nobis tenendum mandabas, ô sancta mater Romana Ecclesia: Unde ergo hæc nova authoritas per quam reis sine confessione & pœnitentiâ offertur præteritorum peccatorum immunitas & futurorum libertas? Quantam fenestram malitiæ patefecisti hominibus? Te ô mater liberet Deus ab omni malo. Sit Iesus tibi ostium, sit ostiarius, nullus in te introeat, nisi cui ostiarius aperuerit, Te inquam, tuumque Præsulem liberet ab his, qui (ut ait Micheas) seducunt populum Dei, qui mordent dentibus suis & prædicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum bellum.* Et hæc igitur fuit Ecclesiæ & Cleri Leodiensis ad Paschalem secundum Epistola, Scripturarum Sacrarum, insigniorumque Patrum testimonijs undique communita; Nec verò dubitemus, plerarumque hoc tempore Christi Ecclesiarum eandem fuisse vocem, quæ proinde Satanam solutum esse agnoscerent, Ecclesiam Dei sub Antichristi larvâ devastantem, in ipso Dei solio considentem. Quod & Henricus ipse Imperator, ab Antistitibus suis edoctus, in literis ad Principes Christianos clarè prædicabat, hortatus ut posteris, ut Regiæ majestati, ut populi Christiani saluti consulerent: quandoquidem, inquit, *Papa sub honesto Christi titulo publicam Christianorum libertatèm à Deo Opt. Max. sanguine emptam opprimere conatur & universos Christianos in servitutem redigere durissimam, diu noctuque, manibus pedibusque connitatur, & facturum nisi Reges caveant,* nec

Gregor. l. 7 Regist. c. 1

nec cessaturum admonet, donec more Antichristi in Dei Templo sedeat, atque ab omnibus quasi Deus colatur & adoretur; Quę literæ, inquit Aventinus, pluresque consimiles in multis vetustis Bibliothecis asservantur; ad Reges licet Franciæ, Daniæ, Angliæ, aliosque orbis Christiani Reges & Principes, qui non idcirco ab ejus causâ alieniores fiebant, ejus contra & sortem dolebant & authorem detestabantur. Avent.l.5.

Ejusdem ætatis est Yvonis Carnutensis Epistola ad Richardum Albanum Episcopum Pontificis Legatum, qui in ipsius Clerum Simonię nomine censuram exercere voluerat: quem apertè commonefacit, resecuisse se illam quantum potuit, sed id frustrà, quod Ecclesiæ Romanæ consuetudine se tueantur: *Si qua autem adhuc sunt,* inquit, *quæ pro consuetudine antiquâ publicè exigant Decanus, & cantor, & alij ministri ab his qui canonici fiunt, me contradicente, & persequente, Romanæ Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in quâ dicunt cubicularios & ministros sacri palatij multa exigere à consecratis Episcopis, vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur: cum nec calamus, nec charta gratis ibi (ut ajunt,) habeatur, & hoc quasi lapide conterunt frontem meam, cum non habeam, quid respondeam, nisi Euangelicum illud: Quod dicunt,* scilicet Pharisæi, *servate & facite, sed si id faciunt, secundum eorum opera nolite facere. Si autem hanc pestem radicitus evellere non valeo non tantùm invaletudini meæ hoc imputandum est, quia ad hoc ab origine nascentis Ecclesiæ Romana Ecclesia laboravit, nec à gremio etiam suo tales sua quærentes penitus prævaluit eliminare.* Idem etiam, Clero suo eum Romæ lacessente, de Appellationibus Romanis graviter apud Paschalem conqueritur, quæ Clericorum lasciviæ & rebellioni contrà superiores occasionem præbeant, quos Romæ ea licentia abusi calumniantur; Is licet non multò ante in causâ Godofredi Romam provocârat, cujus, Pontificis authoritate locum occupâverat; Ab eodem quo suprà genio, jus demùm & æquum amplectens, cum rebus suis favere videntur. Yvo Epist. 133.

PROGRESSUS.

NEc Aventinus, hanc historiam exequens, *ratiunculas* nos celatos voluit, sic enim appellat, quas inde ab Hildebrando, Pontifices vel *potentissimum Imperatorem*, de solio dejecturi, suis conatibus obtendebant. Deum omnem potestatem Christo dedisse Petro Christum, quam Petrus demùm in successores Romanæ urbis Episcopos transfudisset; His ex sacramenti religione Christianos omnes perpetuum & absolutum obsequium debere, cæteris Principibus ad tempus tantùm, & sub conditione, & quatenus ipsis (Episcopis Romanis) videretur, obstringi; Proinde fas esse Pontifici, si Imperator ei minus obsequeretur, qui Christum in terrâ repræsentet, eum Ecclesiâ exclusum, non secus quàm quemlibet alium Christianum dignitate privâre; quippe, qui precario tantùm regnet, imperiumque suum tanquam feudum sibi acceptum ferre debeat; Sin adhuc rebellet, è republicâ eliminare posse, de medio etiam tollere, ceu tyrannum quacumque aut ratione aut arte; *Et populi*, inquit, *Germaniæ, Galliæ, & Italiæ, hoc furore semel concitati, ferrum in sua viscera converterunt: per triginta tres annos à Gregorio & Urbano continenter sanguine ovium belligeratum est. Imperita enim multitudo omni vento doctrinæ circumduci solita, tanti honoris specie, umbrâ & astu lactata, aures arrigebat.* Paschale utique hæc documenta accuratè exequente, qui Henricum ut mortuum videt, eo acrius

crius decreta sua stringit, Leodienses ad veniam admittere recusat, donec ex sepulchro effossum ejus ludibrio exposuerint; Quin & Henrico filio roganti, ut patrem sibi sepelire liceret, planè denegat: *Sanctarum*, inquit, *Scripturarum obsistit authoritas, divinorumque miraculorum reverentia perhibet, ipsos ejus Dei martyres jam in cœlestibus positos id terribiliter jussisse, scilicet ut sceleratorum cadavera de suis Basilicis ejicerentur.* Author Petrus Diaconus: Aventinus verò disertè: *Priores Pontifices Romani ad diplomata, Epistolas, libellos omnes hactenus Imperatoris annos addiderunt, primus Paschalis hisce tacitis, suæ potestatis numerum adscripsit, huncque primum immunitate donasse collegia, licet ab aliis extructa reperio*; Quin & ad Paschalem usque Ecclesiasticos asserit in Germaniâ, Episcopos, Sacerdotes, Abbates, monachos, &c. rebus divinis studioque literarum intentos, prædiorum, fundorumque & rei familiaris curâ pollui se credentes, in Laicos eam solicitudinem *delegasse*, eamque in Procerum quempiam, seu vicinum, seu authorem contubernij à Cæsare nominatum reiecisse: qui Sacerdotibus victum & vestitum, pauperibus inde alimenta tribueret, quem Vogt Germanico vocabulo, id est, patronum, curatoremque vocabant, defensorem seu œconomum leges Romanæ. At hoc primum tempore, administratoribus amotis, Sacerdotes ipsos administrationem invasisse, *pollicitos, quotannis Romano Pontifici nummum aureum se pensitaturos, quem diplomata Bizantium vocant. Facile*, inquit, *tum Paschali de alieno largiente, tributumque accipiente; atque rursus per sexdecim continuos annos pro hisce aucupiis, armis non citra sanguinem decertatum, omnia divina humanaque permixta sunt*; donec tandem nequicquam interpellante Imperatore, cæterisque Episcopis & proceribus, Pontifices voti compotes fiunt. Crevit & in Italiâ ex duplici occasione ejus potestas: altera quidem ex obitu Comitissæ Mathildæ anno 1115. quæ inde ab Hildebrando Longobardiam & Tusciam S. Petro donaverat, unde novæ litis inter Pontificem & Henricum materia, qui se hæredem Mathildæ gerebat, Italiamque ingressus possessionem adire satagebat; & porrò nonnullam partem ad se traxit. Blondus & Platina eam ditionem à fluvio Piscia, & S. Quirico Senensis agri usque ad Ceperanum inter Apenninum & mare extendunt, Ferrariamque adjungunt. Aventinus verò hic: *Æneas Sylvius qui est Pius secundus Pontifex. Max. tradit, hancce Mathildam Romano Episcopo testamento legasse, id quod patrimonium Petri nominant, tumque vox cœlitus audita (uti à gravissimis accepi Theologis) venenum melle litum fœminam propinasse Christianis*; Altera ex Ecclesiæ Ravennensis imminutione, quam hactenus in Romanam cornua extulisse historici testantur, quæ ut hebetaret, Paschalis Guardistallæ Synodum habet, in quâ civitates Æmyliæ Archiepiscopi Ravennatis jurisdictioni, Placentiam, Parmam, Regium, Mutinam, Bononiam exemit; Addamus & tertiam, Arnulphus enim Patriarcha Hierosolymitanus, suo Clero accusante, in Synodo Syriæ, præsidente vicesque Pontificis gerente Arausicano Episcopo, deponitur; Romam tamen accedens *largâ munitus profusione*, ait Guilielmus Tyrius, emollito Paschali absolvitur, sedique restituitur; Novum hoc & hactenus inauditum, antiquorum Patriarcharum quemquam ab Episcopo Romano judicatum. Id autem ideo contigit, quod in Palæstinâ imperio potirentur occidentales, qui rebus suis tuendis Pontificis gratiâ opus habebant. Etenim Dabertus ex Pisano Episcopo, Patriarcha Hierosolymitanus, ut nobis author Guilielmus Tyrius, creatur, *in quodam Principum conventu communi consensu populi*, moxque in solio constituitur; Romam idcirco missum non legimus. Tantùm, vim inferente Rege, cujus libidinibus obstabat, eo confugere coactum, ne Ebremarus

Petrus Diaconus. l. 4. c. 38.

Avent. l. 6.

Ann. 1115 Platina in Paschal. Ursperg. in Chron.

Avent. l. 6.

Platina ibidem. Sigon. de regno Ital. l. 10.

in ejus locum intruderetur. Ad Arnulphum verò quod attinet, quem idem sanctæ sedis religionem muneribus suis circumvenisse dicit, ille ipse est, quem alibi, cum Archidiaconus tantùm esset, totam Ecclesiam conturbasse narrat, *invita*, inquit, *divinitate* uti credimus Guilielmo *substitutum*, dignum haud dubiè qui Paschali probaretur.

Redeamus verò ad præcipuam illam de investituris quæstionem, id enim jam seculi Thema. Paschalis, dum filium Patri collidit, imperij authoritatem ita fregerat, ita & in Germaniâ labefactarat, ut quidvis sibi deinceps licere existimaret; Et notatur sigillatim ab Historicis turbido hoc rerum statu, urbes Italiæ, libertate quasi usu captâ, novam formam induisse, connivente an favente Pontifice, qui vires Italiæ eâ ratione distractas, quàm imperij quasi vinculo coadunatas mallebat; Et hinc tamen perturbatio in dies & ruina major. Paschalis igitur rebus constituendis Augustam invitatus, filioque in patris fraudem in imperio collocato, erectior factus, anno 1106. in Germaniam contendit, sed in itinere Synodum illam Guardistallæ, quæ Mathildis urbs, celebrat, in quâ Henrici quarti Legatis præsentibus, Augustanum colloquium antevertens violenta Gregorij, Urbanique Acta, de Ecclesiarum collatione comprobat, multos Germaniæ Episcopos Ecclesijs nudat, alios ornat, nonnullos & firmat, quasi pro suo jure nihil non ausus: Gebhardum in primis Tridenti, Conradum Salisburgi & alios pleno jure constituit, collegijs Ecclesiasticis immunitatem tribuit, Clericis omnibus tributum, etiam annuum, imponit, factionem denique suam omnibus artibus corroborat. Avent. l. 6. Aventinus disertè: *Ad se deficientibus absque cunctatione gratiam facit, obstinatis, nisi ante diem præscriptum resipiscant, sacrificiis interdicit. In scrinio sacri pectoris Romani Episcopi omnia jura contineri, justa omnium condita esse, nec eundem religione mendacij astringi posse pronuntiat. Proinde debere homines consideratius jam loqui cum illo atque pro legibus habere, quæ dicat. Quicquid adversus Romanum Senatum Pontificalemve se extulerit, contundendum esse decernit.* Durus fuit novo Imperatori hic nuntius, qui meliora sibi promeritus videbatur; saltem se inconsulto nihil innovaturum sibi pollicebatur: Quod cum Paschalis Veronæ olfecisset, mutato itinere anno 1107. Ann. 1107 Alpes trajicit, indeque Cluniacum & porrò Trecas in Campaniam venit; nempe Synodo convocandæ commodiorem sibi locum autumans, Philippo primo in Franciâ regnante, quem Bertradæ concubinæ amor urebat; nec minus regni proceres & Antistites, incentore Anglorum Rege, divexabant; ut de privilegijs suis adversus Curiam Romanam propugnandis cogitare minus liceret. Itaque recrudescit inter Papam & Imperatorem discordia, jamque manifeste ostendit Henricus quartus, (alijs quintus) quod Paparum instinctu in patrem olim ausus erat non à religionis zelo, sed ab ambitionis furore fuisse; Cum imperium adeptus idem jus & tueatur & persequatur, quod vivo & regnante Patre, hæreseos prætextu, detestatus erat. Krantzius l. 5. c. 30. in Saxon. Krantzius Paparum licet studiosus: *Henricus*, inquit, *Paschalis adventum aliquandiu apud Augustam Vindelicorum, nunc Suevorem, expectavit. Ille verò suorum consiliis proterviam Theutonicorum declinans, maximè propter seditiosum quendam tumultum, qui sibi Veronæ manenti dudum occurrerat, suggerentibus quibusdam, quod non facile Theutonicorum natio Decretum illud recipiat, quod quamlibet investituram Ecclesiasticam de manibus laicis vetat accipere, nec non & animosū cor Regis adolescentis quod nondum per omnia dominico jugo,* (id est Papali) *sit habile. Hæc multaque id genus percepta considerans vir Dei, nec sibi ostium Germanicis in regionibus apertum esse cum gemitu pronuncians, profectionem suam cum Hispaniarum Legatis per Burgundiam in*

Gallias convertit. Sic ille Pauli verbis abutebatur, quasi Euangelium Christi, an investituras Pontificum prædicare idem sit. Addamus Hildebrando authore Pontifices id jam observasse, ut Archiepiscopis nonnisi præsentibus pallium donarent; Quo eorum fidem sibi impensius obstringerent, cum antea prędecessores in extremas usque Europæ oras id illis mittere solerent, honoris potius quàm subjectionis argumentum. Paschalis itaque ut Rodulphum electum Cantuariensem Archiepiscopum pallium accepturum Romam invitat, an invitum trahere vult, Yvo Episcopus Carnutensis, intimus ejus Cliens, rogat, nî novos in Anglicanâ Ecclesiâ tumultus ciere velit, cum Rodulpho dispenset, dèque hoc rigore, qui ad fidem non pertineat, remittat: Sic enim Dominũ in lege Sabbathi misericordiam juris rigori prætulisse; Et ejusmodi adulationibus monstris istis litare tum oportuit. Paretque Paschalis, pallio, per Legatum Anselmi quondam Archiepiscopi nepotem, transmisso.

OPPOSITIO.

AT Paschalis anno 1107. Trecis Concilium celebrat, eodemque tempore Henricus ejus conatus inhibiturus Moguntiam accedit; Et Paschalis quidem Decretum illud suum confirmat, Henrico per Legatos intercedente. Sed prosequitur Paschalis, inque ejus contemptum Patriarcham Aquileiensem, & Leodiensem Cameracensemque Episcopos excommunicat: Mindensem & Halberstatensem deponit, Coloniensem, Moguntinum, Constantiensem suspendit; Id tantùm prætexens, quod Synodo Moguntinæ interfuissent. Quod amplius, inquit Aventinus, *Cæsarem de creandis Pontificibus ad disquisitionem vocat, à singulis Episcopis jusjurandum exigit, futuros in potestate Romani Pontificis.* Henricusècontra, *non licet*, inquit, *Gallis Episcopis aliena, quæ nihil ad eos attinent, curare: cuilibet facile esse de alieno largiri: Christiani orbis imperium sibi à Deo Opt. Max. impositum esse, proinde se de veteri more & ritu priscæ religionis, sacris supremæ majestatis placitis non defuturum daturumque jure suo operam, ne quid respublica detrimenti capiat, extare vetustissimam sanctissimorum Patrum legem, tempore Caroli Magni perlatam, quâ Paschalis & cum eo sentientes per omnium Sacerdotum religiones devoventur atque proscribuntur, &c. Pontifices Romanos orbis imperium animo cogitare, regnum Christiani populi adfectare, non quieturos donec oppresso Cæsare, omnibus jugum servitutis, quod ipsi excussere, imponant: Christi cruciamenta declarare, quænam sit rabies Sacerdotum adversus immodicam concupiscentiam, cui se semel animus devoverit, nullum stare terminum: se pene impuberem, imperitum omnium rerum ab illis egregiis pastoribus dolo circumventum in patrem charißimum concitatum esse, armaque eorum consilio sumpsisse. Nunc genitore oppresso adversus se conspirasse, neque modum ambitioni ponere, nisi alios omnes dignitate, honore, expolient, & quo ipsis, quidquid lubeat, liceat, à singulis juramentum, se futuros in eorum potestate, quicquid illi dicant, pro legibus habituros, atque tandem pro Deo adoraturos, exigere.* Quæ quidem rationes, tum in hac Synodo, tum alibi per diplomata in vulgus emissæ, ex quibus porrò concludebat, *quamvis veterem consuetudinem atque ritum, à tot sanctißimis patribus per tot annos observatum, jure atque armis retinere poßit, nihil tamen sua referre, si Pontificalibus Comitiis excidat, modo Episcopi, Mystæ, Monachi, prædia stipendiaria, fiscos, nervos Reipublicæ, arces, civitates, urbes, oppida, vicos regios, Castella, Reipublicæ atque Cæsari reddant, decimis contenti vivant, Dei & pauperum populique causam agant.* In re tam difficili visum Pa-

Avent. l. 6.

Krantzius, l. 5. c. 30. & 31. in Saxo. Idem in Metropol. l. 5. c. 33. Abbas Urspergens. in Chron.

Paschali negotium in annum rejicere, inter se & Henricum Romæ in Synodo definiendum. Ita tamen, quod ex Aventino colligimus, ut lite pendente, nihil innovaretur; At non dissimulat Krantzius ratum nihilominus fuisse Paschali, *quòd nemo investituram alicujus beneficij aut Ecclesiasticæ dignitatis à manu laicâ exciperet:* Et eo jure illum usum. Krantzius l. 5. c. 33. in Metropol.

Anno igitur 1110. transfert se in Italiam cum potenti exercitu Henricus, & cum Paschali conventurus & ab eo coronam imperij suscepturus: qui quà iter instituit, à civitatibus & provincijs Rex agnoscitur, prudentes ille & doctos viros, divinique & humani juris peritos, undecumque conquirens, *ex quorum authoritate & jura poscentibus & controversias ad se deferentibus æque jura moderari posset.* Verùm, ut Paschalis adventare intelligit, novo sacramento Romanos in Henricum devincit, Principum Apuliæ & Calabriæ copias præsto sibi adesse jubet, Mathildis quoque ipsius, ut omnes ei ad urbem aditus quasi obsepiat: Progreditur Henricus & obiter in multis urbibus recipitur; majoris tamen incommodi vitandi causa Legatis utrimque Sutrium convenientibus in hæc verba pactum: Uti *Henricus investituras Episcoporum remitteret, Paschalis Henrico regalia eorum resignaret, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, mercatum & alia pertinentia ad regnum.* Quæ Frisingensis & Petri Diaconi verba; Quod tamen, inquit Krantzius, cum Antistitibus Germaniæ Henricus non tractârat, proinde difficulter præstare poterat; & obsidibus interim utrinque datis Henricus Romam pergit. Verùm, addunt authores ijdem, Paschale urgente, ut solenni Sacramento investituris renuntiaret, quod Henricus eâ tantùm lege volebat, ut sua sibi Regalia ex pacto restituerentur, illum res suas in urbe optimè constitutas ratum, conditionem accipere recusasse. Quare & Procerum, & Archiepiscoporum præsertim, qui ei aderant consilio, Henricum ipsum comprehendi jussisse; se enim non eò venisse, ut alio quàm prædecessores jure, Carolus, Ludovicus, & alij, imperij coronam possideret. Itaque post cruentam in urbe seditionem, Paschalem in exercitum secum adducit. Narrant Historici hoc factum omnes, qui aderant Germaniæ Episcopos, præter unum Conradum Salisburgensem (à Paschali quippe consecratum) summo plausu excepisse. Nec id sanè creditu difficile, si Paschalis tam temerè, plenâ authoritate, suarum ditionum & Regalium dispendio investituras sibi asserere voluit. Is tandem fuit exitus, ut Paschalis liberaretur, urbsque obsidione levaretur eâ conditione, ne unquam Imperatorem suosve excommunicaret: Privilegium anathematis pœnâ consignaret: quo Episcopos & Abbates liberè & ritè electos, sine Simoniâ, per annulum & baculum Henrico investire fas esset, quos & Archiepiscopus posteà consecrare jubebatur; vetitum contra, ne ullus à Clero & populo electus consecraretur, nî prius ab Imperatore investituram accepisset: In quas leges jurat solenni more Paschalis, jurant & quotquot aderant Cardinales, Episcopi, Presbyteri, Diaconi; quin & quo die capiti coronam imponit, in majorem hujus Pacti fidem Sacramentum his verbis Henrico tradit, *Domine*, inquit, *hic est Dominus Deusque noster, ex Mariâ virgine natus, pro nobis in crucem actus, sicut sacrosanctus Christianorum cœtus credit, accipe pignus veræ amicitiæ, quâ reconciliati sumus.* Alij, inter quos Sigonius, partem hostiolæ cum daret, dixisse tradunt: *sicuti hæc pars vivifici corporis divisa est, ita divisus sit à regno Christi Domini nostri, qui pactum hoc violare tentaverit.* Et hoc quam bonâ fide servaverit deinceps videbimus. Estque hoc tum jusjurandum, tum Privilegium anno 1111. mense Februario datum, cujus fiduciâ Henricus in Germaniam reverti-

Marginal notes: Ann. 1110 — Otho Frisingen. l. 7. c. 14. Sigon. l. 10. Petrus Diacon. in Chron. Cass. l. 4. c. 37. 38. 39. 40. 41. & seq. Otho Frisingens. l. 7. c. 14. — Avent. l. 6. — Sigon. l. 10

tur, exque Pontificis tandem consensu Patrem solenni more Spiræ sepeliendum curat, quod hactenus tanquam S. Scripturis contrarium denegârat. Verùm, anno
Ann. 1112 1112. seu ad ingenium reversus, seu à Brunone Signino Episcopo Casini Abbate impulsus Paschalis, id omne revocaturus Concilium Laterani indicit: ubi tamen ita partes suas agit, ut acribus aliorum Episcoporum monitis & exprobrationibus vinci, quàm proprio affectu moveri videri velit. Vim igitur & necessitatem causatus, quæ hoc ei privilegium extorserant, postremo Concilij die in hæc verba concludit. *Præter cætera à Romanâ Ecclesiâ approbata se probare, aut respuere, quæcumque Gregorius septimus aut Urbanus secundus aut decrevissent, aut repudiassent.* Quibus quidem, quicquid in seniorem Henricum patratum, ratum habet, irritum quicquid in junioris gratiam; Et id quidem disertissimis & significantissimis vocibus, quales ab Urspergensi referuntur, *quæ ipsi laudaverunt, laudo, quæ ipsi tenuerunt, teneo, quæ confirmaverunt, confirmo, quæ damnaverunt, damno, quæ repulerunt, repello, quæ interdixerunt, interdico, quę prohibuerunt, prohibeo, in omnibus & per omnia & in his semper perseverabo.* Unde hoc negotium quam ei sit cordi facilè appareat. Itaque privilegium illud in medio Concilio abrogatur, *& pravilegium contra Spiritum Sanctum* pronuntiatur. Henricus verò ipse eò impensius excommunicatur; nec in Italiâ tantùm, sed & in Galliâ ipsâ per Guidonem Archiepiscopum Viennensem; Et hinc porrò novi in Germaniâ motus, rebellante in Henricum Moguntino Archiepiscopo, quem cum multis alijs in carcerem conjicere cogitur.

Sigebert. & Abbas Ursperg. in Chron. Malmesbur. l. 3. c. 40. Petrus Diaconus in Chron. Cassinens. l. 4. c. 47.

Avent. l. 6. Addit Aventinus, Imperatorem Græciæ Calojohannem, Alexij filium, ad hujus tumultus famam expergefactum, Legationem ad Paschalem misisse, quâ, tùm eum, tùm Romanos in universum hortabatur, ut *relictis furibundis & ebriosis Germanis, sævissimis prædonibus*, ad antiquum & legitimum Imperatorem redirent, cujus Legatos Paschalis ad dextram suam collocârat, populus etiam orationem acclamatione exceperat: *Perplacet, reddamus diadema legitimo & antiquo rerum Romanarum Principi: Deficiamus à Teutonibus seditiosis & stolidis ad veterem Romani Imperij moderatorem: vetus Roma cum novâ, Occidens cum Oriente rursus conjungatur. Post quę Paschalem Papam concionatum in Imperatorem Henricum quartum, atque ejus filium quintum, crimina, injurias, vitia commemorasse.* At Petrum Leonem, Iohannem Cajetanum, Hugonem Cluniaci Abbatem & alios pacis studiosos intercessisse, clamoribusque suis obnuntiantes, id contra omnes leges divinas, humanas obtestatos, conventum tandem dissolvisse. Interim obfirmato in Henricum cum suis Paschali sub annum 1115. ad tantum novarum rerum strepitum, cum Reginâ universaque familiâ Augustus Italiam revisit. Novas tum artes comminisci Pa-
Ann. 1115 schalis opus habuit; itáque solennem Synodum Laterani indicit, Episcopos undecumque congregat, ijsque exponit, *se hominem, pulverem proinde & cinerem*, in Henrici potestate constitutum, privilegium ei concessisse: at culpam se confiteri, rogareque veniam sibi à Deo exorent, privilegium seriò ut hæresim detestanti, quod & ipsi ejus rogatu suis suffragijs approbant. Ibi sunt inter Episcopos qui argumentantur, *si hoc scriptum hæresim continet, hæreticus ergo est, qui illud fecit*, Paschalis nempe ipse: quos Iohannes Cajetanus vix compescit, excipitque, contra totius cætus sententiam, *malum revera fuisse hoc scriptum, non ob id tamen hæreticum*; Paschalis adeo ipse silentio facto sibi contrarius: *Fratres, hæc Ecclesia nunquam hæresim habuit*; Ecquorsum igitur Christianum orbem meræ opinionis causâ an prætextu incendere, quæ hæresis non sit? Nec eo minus tamen Decretum in Henricum confirmatur, qui animum ejus emollire cum non posset, iter suum prosequitur,

Abbas Ursperg. in Chron.

quitur, soloque adventantis rumore, Paschalem in Apuliam compellit: indeque Romam ingressus, ne coronam ipsi debere videatur, à Mauritio Episcopo Bracarensi denuò consecrari vult. Moritur verò sub annum 1118. Paschalis secundus, repetente Germaniam Henrico, Romam ipse reversus. Hæc in illo negotio, de Germaniæ investituris gesta aliarumque provinciarum, quæ ab imperio dependebant. Ann. 1118

In Galliâ anno 1108. Paschalis nostra privilegia attentârat, ex dissensione Philippi primi cum Clero Gallicano rem facturus, cujus occasio Bertrada concubina, quam uxorem volebat. Manasse enim Rhemensi Archiepiscopo vitâ functo, quo tempore Synodo Trecensi Paschalis præsidebat, Rhemensem Archiepiscopatum in Richardum Archidiaconum Virodunensem conferre voluit: tum ut eum ab Imperatoris amicitiâ retraheret, tùm ut authoritatem suam in Galliâ firmâret; memor utique consilij quod Yvo Carnutensis Urbano decessori in quadam Epistolâ dederat, in tanti momenti dignitate aliquem constitueret, qui à suo nutu penderet. Quod cum Richardus per idem tempus ab Imperatore Virodunensis Episcopus creatus recusaret, Rodolphum pleno jure ordinat, qui, Ludovici Crassi consensu non expectato, Episcopatus possessionem adit. Regnum recens acceperat Ludovicus, inque Baronum motibus compescendis, qui in eum insurrexerant, variè occupabatur; Nec tamen id ferre potuit. Contrà, Aureliæ à Giselberto Archiepiscopo Senonensi, quicquid Rodolphus de injuriâ suæ sedi factâ conqueratur, consecrari vult, Gervasiumque ex comitatu delectum Archiepiscopatu Rhemensi pro suo jure investit. Civitas verò, quia Gervasium recipit, à Paschali interdicto subjecta communioneque exclusa, quod ex Yvonis Carnutensis Epistolis discimus, diu conflictatur; Ex 190. in primis quæ ad Paschalem: *opportunè & importunè*, inquit, *Regem Francorum interpellavimus, quatenus prædictæ Ecclesiæ, expulso invasore Gervasio, pacem restitueret, & Dominum Radulphum, ejusdem Ecclesiæ Metroplitanum in gratiam suam receptum, eidem Ecclesiæ præesse concederet*; Sic ille idioma Pontificum callens, *Et acquievit tandem precibus nostris & concessit ut eum ad Curiam suam, quæ Aurelianis in natali Domini congreganda erat, securè adduceremus, & ibi cum eo & cum Principibus regni de hoc negotio, quantum fieri posset, salvâ regni integritate tractaremus, &c. Sed reclamante Curiâ plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus Metropolitanus per manum & sacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædecessoribus suis Regibus Francorum anteà fecerant omnes Rhemenses Archiepiscopi & cæteri regni Francorum, quamlibet religiosi, & sancti Episcopi, &c. Petimus ergo flexis genibus ut hoc eodem intuitu charitatis & pacis veniale habeat paterna moderatio, quod illicitum facit, non æterna lex* (id est divina) *sed intentione acquirendæ libertatis, præsidentium*, (id est Pontificum) *sola prohibitio*. Consonant verò quæ ipse contra Iohannem Lugdunensem, in hisce investituris, *de hæresi nullatenus agi*; ut & quæ ad Hugonem Pontificis in Galliâ Legatum scribit, quòd Archiepiscopum Senonensem Rex investiisset, expostulantem, *cùm hoc nullam vim sacramenti in constituendo Episcopo vel admissum, vel omissum, quod fidei & religioni officiat*, habeat, maximè, cùm legamus Reges olim à Pontificibus rogatos Episcopatus concessisse ijs qui canonicè electi fuerant: distulisse etiam Pontifices eos consecrare, quos à Regibus nondum acceptos nôrant: *cum Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum votis petentium annuere; & bona exteriora quæ de munificentiâ Regum obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere*; Eoque Augustinum in Iohannem adducit Tractatu primo. Quæ etiam ad Paschalem Tornacensem Episcopatum

Ann. 1108.

Yvo Carn. Epist. 117.

Richard. de Vassemburg. in Chron.

Yvo Epist. 90.

Idem Epi. 238. 239.

Yvo Epist. 238.

à Noviodunenſi diſtrahere meditantem: *Nos ſicut filij & fideles rogamus & conſulimus, ut ſtatum Eccleſiarum Galliæ, qui quadringentis ferme annis duravit, inconcuſſum manere concedatis, ne hac occaſione ſchiſma, quod eſt in Germanico regno adverſus ſedem Apoſtolicam in Galliarum regno ſuſcitetis, &c. Novit enim paternitas veſtra quia cum regnum & Sacerdotium inter ſe conveniunt, bene regitur mundus, floret & fructificat Eccleſia: Cum verò inter ſe diſcordant non tantùm parvæ res non creſcunt, ſed etiam magnæ res miſerabiliter dilabuntur.* Idem autem de Paſchali Sigeberti Gemblacenſis Abbatis judicium, cujus ea tum exiſtimatio, ut Platina eum cum Bernardo componere non vereatur, ſeculumque tanto viro beatum prædicet. Quin & ſignificantius: *Henricus*, inquit, *Rex Romam vadit propter ſedandam diſcordiam, quæ erat*
Sigebert. in Chron. An. 1111. *inter regnum & Sacerdotium quæ cœpta à Papâ Gregorio ſeptimo, qui & Hildebrandus nominatus eſt, & exagitata à ſucceſſoribus ejus, Victore & Urbano, & præ omnibus à Paſchali, magno ſchandalo erat toti mundo. Rex autem uti nolens authoritate & conſuetudine, & authoralibus privilegiis Imperatorum, quia Carolo magno, qui poſt de Regibus Francorum imperavit Romanis, jamque per trecentos & eò amplius annos imperavit, ſub 63. Apoſtolicis, dabat licitè Epiſcopatus, & Abbatias, & per annulum & per virgam. Contra hanc majorum authoritatem cenſebant, Papæ Synodali judicio non poſſe nec debere dari per virgam vel per annulum Epiſcopatum aut aliquam Eccleſiaſticam inveſtituram à Laicali,*
Trithem. de Script. Eccleſiaſt. *& quicumque Epiſcopatum aut aliam Eccleſiaſtici juris inveſtituram ita accipiebant, excommunicabantur.* Addit Trithemius, Apologiam pro Imperatore contra Gregorium ſeptimum compoſuiſſe. Et aliam contra Paſchalem Epiſtolam, in quibus Pontifices in Imperatores nullum jus habere oſtendebat: ſubditos & Vaſſallos à fide obſequioque Principum abſolvere, meram eſſe hæreſim; Notatque ipſe ſub Paſchali prodigia extra ordinem innumera, quod & Chronologi ejus temporis omnes.

In Angliâ pergebat Paſchalis in Decreti ſui executione, quam Anſelmus parum fœliciter inchoaverat; Cumque Henricus primus anno 1103. inveſtituras ſuas contra Paſchalem tutaretur, regnum potius ſe in diſcrimen adducturum proteſtatus, quàm ut Paſchali obtemperaret; Exceperat Paſchalis, *nec pro mei capitis redemptione eas illi impunè permittam obtinere.* Anſelmi tamen interventu, cum Prælatis qui ab Henrico inveſtituram acceperant, *miſericorditer* diſpensârat, *ſed miſeri-*
Matthæus Pariſ. in Henrico I. *cordiam* hanc Matthæus hiſtoricus exponit: *Sedes*, inquit, *clementiſſima, quæ nulli deeſſe conſuevit dummodo albi aliquid vel rubei intercedat, præſcriptos Pontifices & Abbates ad priſtinas dignitates miſericorditer revocavit & cum gaudio ad proprias ſedes remiſit.* Et ſperabat quidem Anſelmus ſe, hoc officio præſtito, Regi in Angliâ fore acceptum. Verùm, ut neque Paſchalem, neque Anſelmum ipſum de ſuis, ut loquuntur, prætentionibus nihil remittere intelligit, Archiepiſcopatum protinus Domino ſuo annectit, bonaque Anſelmi in fiſcum redigit: quem tamen anno
An. 1107. 1107. benignè reſtituit. Tumque in Synodo Londini habitâ pactem: exinde quidem Regem nullum Epiſcopum aut Abbatem per baculum & annullum inveſtiturum: at viciſſim, Archiepiſcopo in id conſentiente, Epiſcopos & Abbates, *ob hominium Regi præſtitum, muneribus ſuis privandos non fore;* Literæ Paſchalis ad Henricum notatu dignæ: propter inveſtituras ſemetipſum feciſſe *oſtium*, qui per eum non intrant, *Deum relinquere, qui eſt verum oſtium, & fures & latrones eſſe.* Quibus verbis quod Dominus de ſe ipſo dixit, non ulli alij communicandum, ad ſe transfert; Proinde locum ejus invadit: Hoc, inquit, *eſt tractare Eccleſiam tanquam ancillam, non tanquam ſponſam*, hoc *repugnat Canonibus Apoſtolorum & Synodi Antiochenæ.*

næ. Et de hoc tamen num usquam verbum; Quibus interim allegationibus simplices & ignaros deludebant.

PROGRESSUS.

PAschali succedit Iohannes Cajetanus, qui Gelasius secundus, & quia inconsulto Henrico creatur, qui adhuc in Patavino agro hærebat, Romam iter protinus convertit. Gelasius vero hoc ut sensit, animo consternatur, perque Tiberim in mare delatus, Ardeam primùm, deinde Terracinam sese recipit, ibique à factionis suæ Episcopis consecratur, eo ipso tempore, quo Henricus Mauritium Burdinum Romæ inungi jubet, qui coronam ei secundò imposuerat; Et is vocatus Gregorius octavus. Quare utrumque Gelasius excommunicat seseque minimè deserens, Apuliæ Principum copiis Guilielmi & Roberti adversus Henricum communit. Waltero etiam Archiepiscopo Ravennati, quam prædecessores ademerant, jurisdictionem in Episcopos Æmiliæ restituit, ut eum Henrico subducat. Et tamen Frangepanum potentiam Romæ veritus, Portuense Episcopo ibi relicto, sibi in Galliam trajiciendum constituit: ubi, ineunte anno 1119. Viennensem Synodum celebrat. Sed enim non multo post Cluniaci moritur, quo loco, qui ipsi aderant Cardinales, adjunctis sibi ex comitatu Clericis & Laicis Romanis, Widonem Viennæ Episcopum eligunt, Stephani Ducis Burgundiæ fratrem, Balduini Comitis Flandriæ avunculum, & Henrici ipsius propinquum, quem Callistum secundum vocant, haud dubiè, ut tantâ affinitate Pontificatum ejus caducum alioqui suffulcirent: Notet vero hîc Lector, ad successionem quam tantopere ostentant, quid de hac electione ex suis legibus statuendum sit; extra Romam, in Cœnobio, à defuncti familiaribus, & paucis aliis facta; consensus Romanorum licet ex post facto accedat, *Emendicatis à sociis*, inquit Aventinus, *pecuniis, quas Romanis corruptis distribuit.* Cuno interim Prænestinus Episcopus, Gelasij Legatus, in Germaniâ minimè otiatur, excommunicationis obtentu, Principes in Henricum sollicitat: plures Synodos Coloniæ Fritzlariæ, alibi, eo instituto convocat, Et prætextus illis perpetuus Regni cum sacerdotio concordia; ita nempe ut universam imperii authoritatem ad unum Romanum Pontificem contrahant. Eò ventum, ut anno 1122. Imperator tot molestiis fessus, quarum non alium quàm in imperij exitio exitum prævidebat, Calisto quicquid collibuit, concederet. Concordiæ formula apud Urspergensem extat: *Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domini Papæ Calisti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs fieri electionem, & consecrationem.* En, pro quo Euangelio à pontificibus certatum. Calistus vicissim: *Ego Calistus, &c. concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præsentiâ tuâ fieri absque Simoniâ & aliquâ violentiâ, &c. Electus autem Regalia à te per sceptrum recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his tibi jure debet, faciat;* In sarcasmi vero specimen, has tabulas Legati Calisti altâ voce in medio campo, secus Rhenũ publicâri voluerunt, eoque undequaque populum acciverunt; ut & Calistus appendi illas in Ecclesiâ Lateranensi, quæ omnium conspectui paterent; Quin inquit Frisingensis, id Henrico tantùm, non etiam successoribus concessum Romani jactitabant; qua ex pactione, in-

Ann. 1119.

D. 12. C. non decet.

Aventin. l. 6.

An. 1122.

Abbas Ur. spergens. in Chron. Krantzius Saxon. c. 41. 42. 43. Sigon. de regno Ital. l. 10.

Ottho Frisingens. l. 7. c. 16.

inquit, *Ecclesia in magnum montem crevisse sub Calisto Papa secundo invenitur*: unde de eo Romæ scriptum

Ecce Calixtus, honor patriæ, decus Imperiale
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Nec Romæ minus illi succedebat: Gregorius Antipapa Sutrij quorundam Comitum favore sustentabatur: Calixto ex Galliâ reverso isti, ut in gratiam cum eo redeant, miserum ejus potestati tradunt; Et hîc Calisti insolentia sese exeruit, quam Sugerus Abbas in vitâ Ludovici Crassi verbatim describit: *Tortuoso animali camelo*, inquit, *tortuosum Antipapam, imo Antichristum, crudis & sanguinolentis pellibus caprinis amictum, transversum supposuerunt, & ignominiam Ecclesiæ Dei ulciscentes, per medium civitatis, viâ Regiâ ut magis publicarentur educentes, imperante Domino Papa Calixto, perpetuo carcere in montanis Campaniæ prope S. Benedictum captivatum damnaverunt, & ad tantæ ultionis memoriæ conservationem in camerâ Palatii sub pedibus Calixti conculcatum depinxerunt*. Et iste Gregorius tamen sedem Romæ tres annos & eo amplius tenuerat. Sed nihil jam ijs culpæ vertitur, cum Calixtus omnibus Episcopis scribere non verecundetur, *non licet à regulis Ecclesiæ Apostolicæ, id est, (Romanæ) ullatenus deviare, & sicut Dei filius venit facere voluntatem patris sui, sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est Ecclesia, cujus caput est Romana*. Notet in hac comparatione Lector non tam absurditatem quàm blasphemiam: cum tamen hic Canon in Decreto, à Gregorio decimotertio reformato, etiamnum extet, & quidem mendacio roboratus, ubi enim decretum vetus simpliciter, *Calixtus Papa omnibus Episcopis*, Gregorianum ut hunc Canonem mille annis antiquiorem faciat: *Calixtus Papa primus*: Additque *in Epistolâ primâ ad Benedictum Episcopum*, ut is ex Epistolâ Calixto primo evidenter suppositâ expromptus videatur: quæ seu sententiam, seu loquendi genus attendas, nihil antiquum sapit. Et talis porrò à doctioribus quibusque, etiam ante controversias habetur; Adde verisimile esse huncce Benedictum eum ipsum esse, cujus in primâ Cardinalium promotione sub Calixto, anno 1120. apud Onuphrium mentio. Quâ & fide Calixto primo Decretum de cœlibatu tribuunt: cui secundus iste extremam manum Concilio Rhemensi præsidens, anno 1119. imposuit; ut omnes sacerdotes conjuges ipso jure exaugurarentur. Quo verò spiritu boni hi Episcopi ducerentur, judica Lector, qui in hoc eodem Concilio Caroli Magni historiam ab Archiepiscopo Turpino descriptam, vel ipsius Baronij judicio, fabulosam & ridiculam, authenticam pronuntiant. In Angliâ itidem cum Iohannes Cremensis Cardinalis, Calixti Legatus, post multas disceptationes in Synodo Westmonasteriensi promulgasset: *summum scelus esse de latere surgere meretricis*, (legitimas sacerdotum uxores ita vocabant) *ad corpus Christi conficiendum: ipse cum die illâ corpus Christi confecisset & consecrasset, post vesperam fuit in meretricio interceptus*; Adduntque coætanei authores plerique: *res notissima negari non potuit, dum magnum decus in summum dedecus commutavit: & justo Dei judicio, pudore & confusione plenus, Romam rediit*; Et sic perpetuò doctrinæ corruptelam disciplinæ comitatur labes. Baronius sanè hanc narrationem in dubium revocat, quia Matthias Westmonasteriensis Cardinalem excepisse dicit, *Presbyterum se non esse sed correctorem Presbyterorum*: qui tamen, inquit, Presbyter erat; sed non videt ille, id eadem ratione dici, quâ Abbates se monachos esse negant, qui Monachorum magistri sint, nempe non Monachos tantùm. Et quæ superaddit frivola sunt.

Abbas Suggerius in vitâ Ludovici Crassi.

D. 12. C. 1.

Ann. 1120

Fasciculus Temporũ, Ann. 1119 Matthæus Paris. in Henrico I. Rogerius de Houed. & Huntington. in Hen. Ranulph. in Polych. l. 7. c. 7. Matthias Westmonasteriens. in Chron. Baron. to. 12. Ann. 1125. art. 3. & seq.

Exeun-

Exeunte demum anno 1124. succedit Calixto Lambertus Episcopus Hostiensis, cujus diligentiâ Henricus sub jugum redactus, Honorius ordine secundus: Indeque pauculis post annis moritur sine prole masculâ Henricus. Hinc scinditur rursus imperium, alijs Conrado Sueviæ Duci faventibus: dumque mutuis se vulneribus conficiunt, Honorius & successores occasioni strenuè invigilant. Et Honorius sanè Normannos ex Apuliâ sibi deturbandos ratus, qui soli in Italiâ Pontificum luminibus officiebant, Proceres undique in eos ad arma vocat: *Si in expeditione illâ morerentur, iis peccata universa remittens, illorum autem qui ibi mortui non fuissent, medietatem donans*; Suis nempe indulgentijs in Christianorum perniciem conversis; Is tamen ut rem periculi plenam experitur, pacem cum Rogerio faciendam apud se statuit, eumque Ducis Apuliæ & Calabriæ titulo, eâ lege, cohonestat, ut feudatarium se sedis Romanæ agnoscat. Eo verò anno 1130. magnum uti videbimus in Ecclesiâ Romanâ exoritur schisma. Nec præterire volumus per idem tempus, cum Guilielmus Anglus, Tyri Archiepiscopus, convenientibus Rege, Patriarcha, & proceribus regni, creatus fuisset, moxque à Patriarcha Hierosolymitano consecratus (Bullas Româ expectatas hactenus non legis) ipsum ut authoritatem sibi quæreret, Romam pallium adepturum contendisse, quod ab Honorio, qui sibi minimè deerat, gratanter concessum; At disertè notatum ab authore, profectionem hanc *illum invito & renitente suo consecratore suscepisse, Patriarcha utique Waremundo*, & sic per pravam Antistitum ambitionem vires in Oriente acquirebat: quamquam Stephanus Waremundi successor à Clero & populo non multò post eligitur, nec Romam idcircò petere opus habet.

Ann. 1124
Ann. 1125
Romwal. Episc. Salernitan. in Chron.
Ann. 1127

O P P O S I T I O.

VErùm inter hos Pontificum conatus non deerant, qui latroni Ecclesiæ parietem perfodienti oblatrârent. Hildebertus Episcopus Cænomanansis hac ætate percelebris, in quadam Epistolâ de curiâ Romanâ verba faciens: *Romanos*, inquit, *peculiariter hæc provincia manet, inferre calumnias, deferre personas, afferre minas, auferre substantias. Hi sunt quorum laudari audis in ocio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias. Hi sunt qui causas morantur adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, trahunt addictos, retrahunt transigentes, &c. Hi sunt qui negant reverentiam Clericis, originem nobilibus, consessum Prioribus, congressum æqualibus, cunctis jura. Nullum illis genus hominum, ordinum, temporum, cordi est. In foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in convivio scurræ, in exactionibus harpyæ, in collocutionibus statuæ, in quæstionibus bestiæ, in tractatibus cochleę, in contractibus trapezitæ. Ad intelligendum Saxei, ad judicandum lignei, ad succensendum flammei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias ursi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent, dubia tempora certius amant, & ignavia pariter, conscientiaque trepidantes, in prætorijs Leones, in castris lepores, timent fœdera ne discutiantur, bella ne pugnent. Quorum si nares afflaverit rubiginosi aura marsupij, confestim videbis & illic & oculos Argi, & manus Briarei, & ingenium Sphingis.* In aliâ, Episcopus jam Turonensis ad Honorium secundum. *Quaslibet appellationes in Romanâ vigere & suscipi Ecclesiâ, cis*

Hildebert. Epist. ad Honor. 2.

Alpes auditum non est, nec ex sacris traditum institutis; Quod si forte hujusmodi emersit novitas, ut placeat omnem indifferenter admittere Appellationem, Pontificalis censura peribit & omnino conteretur Ecclesiasticæ robur disciplinæ. Quis enim raptor, ad solam anathematis comminationem, non statim appellabit? Quis Clericus aut Presbyter, frustratoriæ appellationis refugio, non putrebit aut etiam non sepelietur in stercore suo? Quis Episcopus habebit in promptu, non omnem dico, sed aliquam ulcisci in obedientiam? Ejus virgam quævis appellatio quassabit, solvet constantiam, severitatem emolliet, adducens & illi silentium, & reis impunitatem delictorum. Sic fiet ut sacrilegia, ac rapinæ, fornicationes ac adulteria, pernicioso inundent incremento; cum præsul ad superfluas Appellationes clauserit ora, & desierit persequi, piorum persecutores locorum, cum viduarum injurias desierit ulcisci & orphanorum, dilatione nimirum censuræ, facinora fovebuntur & venient in profundum iniquitatis impunè delinquentes. Ibique antiquis Canonibus Ecclesiæ propositis, concludit, si hoc diutius toleretur, neminem Episcopum, munere sibi in Euangelio concredito defungi posse. Denique Romanam urbem versibus describens in hæc verba desinit.

Urbs felix si vel dominis urbs illa careret.
Vel dominis esset turpe carere fide.

Honorius Augustodunensis Episcopus an Abbas, plurium opusculorum author, de Ecclesiâ Romanâ: *Verte te ad cives Babyloniæ, & vide quales sint & per quas tendant plateas, &c. Vidè, veni huc ad supercilium montis ut cuncta possis ædificia cernere damnatæ civitatis. Intuere Principes ejus & judices, (nempe Cardinales, Archiepiscopos,) &c. Ecce posita est in eis Bestiæ sedes, omni tempore ad malum sunt intenti, semper negotiis iniquitatis inexplebiliter occupati, flagitia non solùm faciunt, sed & alios facere instruunt, sancta vendunt, scelera emunt, totis viribus laborant, ne soli ad tartara veniant. Verte te ad Clerum & videbis in eis Bestiæ tentorium, Dei servitium negligunt, terrenis lucris inserviunt, sacerdotium per immunditiem polluunt, populum per simulationem seducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes Scripturas ad salutem pertinentes abdicant, omnibus modis laqueos ad ruinam populo substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præcedunt. Contemplare & Monachorum Conciliabula, & videbis in eis Bestiæ tabernacula, per fictam professionem Deum irridentes iram ejus provocant, normam regularem moribus & vitâ calcant, per habitum seculum fallunt, multos deceptos decepti ipsi decipiunt, secularibus negotiis impliciti sunt, in servitio Dei desides existunt, pleriq; illorum gulæ & illecebris dediti sunt, quidam in immunditiæ sorde computrescunt. Aspice etiam habitacula monialium, & cernes in eis Bestiæ preparatum thalamum. Hæ à tenerâ ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimas ad cumulum suæ damnationis adsciscunt, vel se operire festinant, quo magis frena luxuriæ laxare queant, omnibus fornicarijs pejus prosternuntur, & ut insatiabilis charybdis, nunquam stercore immunditiæ replentur. Hæ animas juvenum illaqueant & gaudent si plures illaqueant, atque hæc vult palmam victoriæ, quæ aliis prævalet in scelere.* Et is tamen ab insigni pietate & doctrinâ hac ætate commendatur.

In Germaniâ florebat Robertus Abbas Duitiensis, inter Theologos hujus seculi facile primus, qui sanè non ejus sententiæ fuit, ut Pastoribus Ecclesiæ quoquo gradu essent constituti, Dominium temporale tribuendum putaret; Is licet apud Historicos & sanctimoniâ & miraculis clarus: *Christus*, inquit, *super seipsum videlicet firmam petram, suam ædificat Ecclesiam*, non dicit super Petrum: *Et mutato nomine, Petrus à Petrâ denominatur, per quod significatum est, quia cunctis qui super illud fundamentum, (quod est Christus) ædificantur juxta Prophetam vocandum sit nomen novum, quod os Domini nominavit.* Ut igitur eorum quisque; non minus sit

Rupertus Tuitiens. l. 2. c. 2. in Iohan.

sit Petra quàm ipse Petrus; De functione, etiam, *Christi ministri sciant Apostolatum non esse dominationem, sed summæ humilitatis ministerium, cujus in hoc profectò est ut ponant animas pro fratribus suis.* Ideo verò alibi dicit, *virgam discipulorum Christi esse virgam pastoralis officij, super curam animarum sollicitè vigilantis. Illam namque virgam quæ dominationis est, non esse concessam ministris Euangelij pacis, interdici imo hic, &c.* Ac tandem, *viro*, inquit, *spiritualis propositi non conceditur evaginare gladium, aut* potestatem publicam exercere. Qui igitur in his Germaniæ turbis versabatur, de his armatis Pontificibus turbarum verè tubis, quid sentire potuit? In ipsâ adeò Româ author Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Deum sub Honorio secundo per os sanctissimi cujusdam Arnulphi quasi intonuisse: venisse virum illum, *magnæ devotionis & prædicatorem egregium, qui, cum inter annunciandum verbum Dei, Clericorum lasciviam, libidinem, avaritiam & nimium fastum reprehenderet & paupertatem Christi & Apostolorum ejus integerrimamque vitam, ad imitationem omnibus proponeret, à Romanâ quidem nobilitate ut verus Christi discipulus laudatus est, sed Cardinalium & Clericorum odio nimium est habitus, à quibus & noctu captus, occultè est interfectus.* Addit deinceps, *hoc suum Martyrium anteà cum ad huc esset in eremo, divinitus sibi fuisse revelatum, quum per Angelum ad prædicandum Romam mitteretur. Unde & publicè dixit, scio quod animam meam quæritis, scio quod me brevi jam occidetis. Sed quare? Veritatem vobis dico, fastum, superbiam, avaritiam, luxuriam, nimiumque studium quod comparandis divitiis miseri impenditis reprehendo, propterea vobis non placeo. Ego testem invoco cœlum & terram, quod annunciaverim vobis ea, quæ mihi Dominus præcepit, vos autem contemnitis & me & creatorem vestrum, qui vos per unigenitum suum filium redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem, veritatem vobis annunciantem morti tradituri estis, cum etiam si sanctus Petrus hodie resurgeret, & vitia vestra, quæ nimis multiplicata sunt reprehenderet, ei minimè parceretis. Cum hæc altâ voce clamasset*, inquit, *subjunxit. Ego quidem mortem subire pro veritate non timeo, vobis autem in verbo Domini predico, quod omnipotens Deus non parcet impuritatibus vestris. Vos enim omni spurcitiâ pleni, plebem vobis commissam, præcedetis ad infernum. Deus vindex est.* Platina ipse, *hunc multi ex nobilitate Romanâ tanquam Christi verum discipulum & Prophetam sequebantur.* Sabellicus verò, *turpe hoc facinus à Clero commissum, id flagitium infamiâ totum ordinem respersit, culpa tamen paucorum, cum plerique ex iis turpiter viverent, eoque licentiæ processissent, ut ne salubria quidem remedia pati possent.* Et Honorium quidem id ægre tulisse dicit, sed mox addit: *Cæterùm quæstione abstinuit.* Et hinc de ejus irâ judicium ferat Lector.

Idem l. 11. cap. 13. in Ioh.

Idem l. 8. in Matth.

Idem l. 9. c. 11. in Eundem.

Trithem. in Chron. Hirsaug.

Platina in Honor. 2.

Sabell Ennead. 9. l. 4.

Addamus quod de Nodberto scribunt, anno 1125. ad Honorium accessisse ordinis Premonstratensis, quem instituerat confirmationem impetraturum: Qui Antichristum præstò & ad portas esse prædicabat: Bernardus idcircò ad Gaufridum Episcopum Carnutensem scribens, *cum ante hos paucos dies ejus faciem videre & de cœlesti fistulâ, ore videlicet ipsius, plurima haurire meruerim, hoc tamen ab ipso non audivi. Verùm, de Antichristo cum inquirerem quid sentiret, durante adhuc eâ quæ nunc est generatione, revelandum illum esse certißimè se scire protestatus est.* Et hinc quæstionem hanc tum frequentatam apparet; *sed*, inquit, *cum eandem certitudinem, unde haberet sciscitanti mihi exponere vellet, audito quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi, ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem nisi prius videat generalem in Ecclesiâ persecutionem.* Quam quidem non multo post vidit, si tamen advertit, in eos qui Waldenses cognominati, excitatam: qua vix unquam ulla atrocior. At Antichristus sanè magno orbis exitio Theatrum obambulabat, sed

Bernard. Epist. 56. ad Gaufr. Carnotēs.

sed eâ larva, quam & pauci cognoscerent & qui cognoscebant detrahere non audebant: Abbas Urspergensis de hoc Nortberto, *Concilio Coloniensi interfuit, ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusabat, unde & scriptum legitur de eo, quia manus horum omnium contra eum & ipse contra hos omnes*; quâ interim occasione non edisserit.

Abbas Urspergens. Ann. 1119

PROGRESSUS.

EX Honorij obitu ingens in Ecclesiâ Romanâ schisma, an chasma potius sese aperit, his Gregorium Widonis filium eligentibus, qui Innocentius secundus, illis Petrum Petri Leonis filium, qui & primus consecratur Anacletus nomine secundus; Civem Romanum utrumque, sed Anacletum clarioribus natalibus, ut Innocentius ab Episcopo Hostiensi inauguratus in Frangepanum turres confugere, qui Petri Leonis rivales tandemque urbe excedere cogatur. Anacleto interim Vaticanum invadente, inque coronas, calices, cruces, crucifixos aureos, argenteos & alia pretiosa ornamenta, involante, quæ fusa, cusaque in suos clientes elargitur; Nec Innocentium, si rerum potitus esset, verecundiorem futurum existimemus, ut hoc tempore Pontificum electio sese habebat. Innocentius igitur cum suis Cardinalibus conscensâ navi Pisas trajicit, indeque Anacletum excommunicat, mox & in Galliam, unde missa ad Ludovicum Crassum Legatione, causæque suæ æquitate expositâ, ab eo suscipi postulat, quæ res Concilio Stampensi occasionem dedit. Ibi verò ambiguis inter hosce Pontifices Episcopis nostris, Bernardus Innocentij causam tutatur: qui protinus in Galliam per Legatos invitatur. Etenim Bernardum tunc à suis partibus habere magnum causæ præjudicium; Et Galli nostri Pontificem non illibenter sibi devinciebant, qui in Italiâ acceptum rependere posse beneficium videbatur. Erat etiam forte eodem tempore Henricus primus Rex Angliæ in Galliâ, cui contrà omnium suorum Episcoporum sententiam persuadet Bernardus, ut Innocentium amplectatur, cujus & hortatu Carnutum ei obviam venit; Tunc Pontifices, parti quisque suæ præsidium quærere: Anacletus Româ in Innocentium ejusque factionem fulminare; Innocentius Claromonte & Rhemis in Anacletum vicissim & suos. Et in Italiâ porrò Anacleti partes tuebantur Principes Normani (Rogerium enim Regem appellatum novo beneficio obstrinxerat) Anselmus Mediolanensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis omnibus; Utque Innocentium Bernardus tuebatur, ita Anacletum Sinoretus Casini Abbas cum universo suo ordine, cujus magna authoritas, in Italiâ præsertim, de quâ potissimùm agebatur, uter sedem Romæ teneret. Innocentius igitur anno 1132. colloquium inter se & Lotharium Leodij molitur, ubi Caroli & Othonis magni exemplo eum, uti Ecclesiæ patrocinium suscipiat, hortatur; Et hoc quidem ille lubenter in se recipiebat, sed eâ conditione, *ut Episcoporum investituræ*, quas Henrico decessori Romana Ecclesia abstulerat, sibi restituerentur: *ad quod verbum*, inquit Author vitæ Bernardi, *expavêre & expalluêre Romani, gravius sese apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quàm declinavissent Romæ*: Donec Bernardus, quem à latere suo non dimittebat, Regem ab eâ sententiâ dimovit: generoso ejus animo indignum esse dictitans, ex Ecclesię divisione utilitatem captare, *quippe cum ea res sine multo cruore & sanguine movêri non posset*. Quare Innocentio pollicito se eum coronaturum ut primum sedi restitutus foret, Lotharius eo contentus fuit. Itaque venit Lotharius in Italiam anno 1133. Innocentium-

Vincent. l. 27. c. 6. Bernard. vitæ l. 2. c. 1. Suggerus Abbas in vitâ Ludovici Grossi. Leo Hostiens. seu Petrus Diacon. l. 4. c. 99.

Ann. 1132

Vita Bernardi l. 2. c. 1.

Urspergens in Lothario.

Ann. 1133

tiumque Pisis hærentem secum Romam deducit. Anacletus tùm, ejusque Clientes, cum urbe potiri non possent, in Turres confugere, urbem Lotharij arbitrio relinquere, ita ut exceptus à civibus Innocentius Lotharium in Laterano coronâret, quem in Vaticano ab Anacletianis occupato, pro solenni more, non poterat. Viden' verò, ut Innocentius recens hoc beneficium Imperatoris rependat: *in pariete picturam jubet fieri, quæ erat ejusmodi: Sedit Pontificali cathedrâ Innocentius, ad cujus genua curvatus Lotharius Imperij coronam accipiebat.* Versusque subjungit qui notam ei inurunt, quam successores vix ac ne vix quidem eluere possunt. Krantzius in Metro. l.6.c.35.

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Nempe, quibus significet, Lotharium *Papæ hominem*, id est, vassallum & feudatarium fieri (tàm procul abest, ut ei investituras restituat) eaque lege coronam dono à se accipere. Cum Genuensibus mitiùs actum, quibus non tam beneficium acceptum repensurus, quàm Anselmum Archiepiscopum Mediolanensem Anacleti clientem incommodaturus, Archiepiscopum dedit, eosque à Mediolanensis jurisdictione avulsit. Lotharius interim, seu eum Innocentij protervia urit, seu rerum status revocat, in Germaniam revertitur, quem ut absentem sentiunt Anacleti clientes, ex Turribus in partem Innocentij impetum faciunt, ut & Romam deserere & Pisas repetere cogatur. Et hinc illud Bernardi ad Pisanos in gratiam Innocentij, *assumitur Pisa in locum Romæ, & de cunctis urbibus terræ, ad Apostolicæ sedis culmen eligitur.* Quid igitur illis mirum si nos Romæ alligatum Primatum nolumus? Cum maximè ipse addat, *nec fortuito, sive humano contigit istud consilio, sed cœlesti providentiâ & Dei benigno favore fit, qui diligentes se diligit, qui dixit Christo Innocentio suo, Pisam inhabita & ego benedicens benedicam ei, hic habitato quoniam elegi eam.* Bernard. Epist. 30. Hîc igitur Innocentius anno 1134. Concilium habet; Nec verò, quantumvis celebre fuerit, de reformandâ Ecclesiâ actum vel tantillum putes: Tantùm Anacleto iterum anathema; Et Innocentius confirmatur, Bernardique interventu consequitur, ut Lotharius in Italiam cum majoribus quam ante copiis reversus, Anacletum an potius Rogerium Siciliæ Principem, quo uno nitebatur, in ordinem cogat. Ann. 1134 Henricus Bavariæ Dux Lotharij gener anno 1137. hujus expeditionis Princeps, cujus initium Cassini obsidio, quod ab Abbate Rainaldo tenebatur, qui Anacleto renuntiare ac Lothario monasterium tradere jussus. Ann. 1137 Accedit propius Lotharius ipse, Amalfim usque, mandatque ad se veniat, & præstitâ, se auctore, obedientiâ, Innocentio reconcilietur: seque omnia monasterij jura, exemplo superiorum Imperatorum, conservaturum pollicetur. Verùm, Innocentius, sibi ipse ex invidiâ injurius, adventanti Rainaldo præcipit, ut priusquam castra ineat, ipse cum Monachis suis, sibi nudis pedibus satisfaciat, unde Rainaldus subitâ re perturbatus Lotharium quasi vindicem appellat, & castra ingressus Lotharij jussu tabernaculum suum prope Augustale ponit seque ex ejus sententiâ deliberaturum respondet. Et hinc in Lotharium novus Innocentij livor, qui nihilo secius cum Peregrino Patriarcha Aquilejense Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus plurimis, ipsi adsidentibus causam cognoscit, atque utriusque partis patronis adesse jussis, Innocentium per Legatos, Rainaldum & Monachos per suos Syndicos audit: si quid peccassent, in culpâ Innocentium esse dictitantes, qui eos in periculo deseruisset. Tandem, Innocentio potestatis suæ plenitudinem quibusvis rationibus opponente, Lotharius commemoratis suis pro Ecclesiâ Romanâ laboribus,

ni monachos suo rogatu in gratiam reciperet, se ab eâ dissensurum indixit, *interque eum & Pontificem schisma futurum : ad quam vocem totus exercitus succlamavit.* Itaque absolvuntur quidem illi, Anacletum ejusque partem detestati: sed Innocentio hærebat perpetuo infixum animo, quod Lotharius ejus injuriam non satis ultus esset. Apud Paulum Diaconum, qui hanc historiam prolixjus edisserit, multæ circunstantiæ notandæ veniunt: Imperator enim, nequicquam interpellante Innocentio, monachos Rainaldi delegatos non admittit modò, sed quam propè suum tentorium metari jubet, à Pontifice licet excommunicatos; Anathema etiam istud Imperator in dubium revocat, & Innocentium nominare jubet, quos causæ suæ patronos velit, ut litem auditis partibus definiat. Gerardus item Cardinalis sanctæ crucis, Pontificis nomine comparet : pro Abbate Petrus Diaconus, Lotharij ambo subituri judicium; cumque Imperator Gerardum ex adverso sui sedere jussisset, ad pedes suos Petrum Diaconum, Gerardusque obtestaretur excommunicato ad pedes filij Ecclesiæ sedere fas non esse: Cæsar neglecto anathemate ad pedes suos Petrum sedere jubet: Rursumque Gerardo Cardinali ad eum dicenti : *Ecclesia Catholica nos, prædecessoresque nostros totius orbis terrarum dominatores constituit* : Respondet : *coronam ab Apostolicâ sede nos accepimus*, non utique dominationem, sed ejus tantùm notam; At cum instaret Innocentius, ut Monachi fidelitatem ei jurarent, illi verò Imperialibus privilegijs sese ab ejusmodi sacramento immunes contenderent: Imperator Innocentium rogat, Imperatorias leges observet, quas nullo pacto præterire ipse posit. Regerente vicissim Innocentio, mantum Pontificale se potius abdicaturum pedibusque conculcaturum. Denique Imperator adsistentibus Patriarcha Aquileiensi, Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Abbatibus (eo enim ordine recensentur) Abbatis Cassinensis causam judicat ipse, eumque exauctorat; unde Innocentius excandescit adeò, ut omnes qui judicio interfuerant deponere paret, ni tandem sedandæ ejus iræ, Imperator ipsius ministros intervenire passus esset. Inducitur postmodum ad deditionem, non sinè apparatu, Salernum; Et hîc iterum novalis, utrius esse debeat, Pontificis ne an Imperatoris; Nempe, ut in sinu serpens, prout à Lothario refovebatur, eo acrius aculeum defixurus, insurgebat. Denique cum Ranulphus, in locum Rogerij Anacleto studentis, Dux Apuliæ instituitur, Innocentius simul & Lotharius vexillum tradidisse leguntur; ut non mirum sit, si Lotharius tot molestijs divexatus, eo Romæ reddito, Longobardiam statim repetere statuit, cujus interim per absentiam Rogerius quicquid eo præsente amiserat, facile recuperat. In his igitur moritur Lotharius anno 1137. non longè à Tridento, in Germaniam contendens, Princeps ab omnibus historicis pietatis, justitiæ, fortitudinis, patientiæ præsertim & moderationis nomine commendatus; Et id tamen hæreditariæ Pontificum insolentiæ tolerandæ non fuit satis.

[Margin: Chron. Cass. l. 4. c. 29. — Idem l. 4. c. 109. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. — An. 1137. Abbas Urspergẽs. de Lothario. Petrus Diaconus in Cronic. Cassin. l. 4. c. 21 & seq. Et Sigon. ex eodem de regno Ital. l. 11.]

Succedit Conradus secundus, Dux Sueviæ, qui cum Lothario paulò ante de imperio decertarat; Et hic, Henrico Duce Bavariæ Lotharij genero negotium in Germaniâ facessente, rebus Italiæ constituendis minus superesse poterat. Verùm, Anacleto sub id temporis mortuo, Bernardus qui Romæ morabatur, tantum suâ authoritate perfecit, ut sedes Innocentio constaret; qui ut præteritis vulneribus circatricem induceret, celebre illud Concilium anno 1139. Laterani indixit, ad quod ex omnibus occidentis nationibus mille prope Episcopi aut Abbates confluxerunt; Et in hoc tamen numeroso cœtu nihil quod ad Ecclesiam reformandam pertineret, seu doctrinam, seu disciplinam spectes, propositum ne dum desi-

[Margin: An. 1139. Otho Frisingens. l. 7. c. 23. Abbas Urspergens.]

definitum, legimus; corruptissimas licet illas nemo non agnosceret, plures & ante & hoc tempore ex imo pectore ingemiscerent, ad meliorem statum, uti videbimus, quasi anhelarent. Non huic igitur Concilio alius scopus, quàm ut Innocentium firmâret, Anacleti fautores deprimeret, damnâret, nî, quam vellet pœnitentiam subirent, ordinationes aut ab eo, aut ab ijs quos ordinârat, profectas, irritas faceret. Et hinc Lectores judicent, quos non scrupulos in conscientijs relinquerent, tot utique nationum, quibus aut Anacletus ipse, aut qui ab eo ordinati, octo ferme annos præfuerant. Restabat Rogerius Apuliæ & Calabriæ Dux, qui se etiam pro Rege Siciliæ gerebat; Et hunc bonis istis Patribus in ordinem cogere ratum. Innocentius ipse comparato Romanorum exercitu adversus eum ducit, eundemque, quem olim Leo nonus, exitum habuit; Rogerium enim, in Castrum Gallucij compulsum, ut acri obsidione circundedit, Guilielmus Rogerij filius Tarenti Princeps, cum firmo militum robore supervenit, profligatoque Papali exercitu, ipsum cum Cardinalibus comprehensum Neapolim deducit. At duabus non multo post conditionibus sese redimit; Dum & Rogeriũ contracta noxa & excommunicatione exolvit, & eundem Regem Siciliæ, Ducem Apuliæ & Calabriæ, & Principem Capuæ appellat; hominemque Ligium Ecclesiæ confirmat; quod & Anacletus ante eum fecerat. Itaque ut Pontificibus innatum, sui tantum rationem habere, cæteros sibi natos existimâre, spoliantur Ranulphus & Robertus, quos Lotharius & ipse, de se benè meritos, paucis ante annis, his ditionibus investiverant. At, ut ex omnibus hisce difficultatibus se eluctatum arbitratur, Romani ipsi Pontificum & Cleri fastum exosi, anno 1143. & de recuperandâ libertate, & de Clero ad antiquos mores reducendo seriò cogitant; quos cum, neque anathematum terrore, neque adempto suffragij in eligendis Pontificibus jure, solisque Cardinalibus reservato, compescere potuisset, præ mœróre, languore confectus, vitam finit. Et hinc novum interim Cardinalibus authoritatis incrementum. Verùm, quia hic motus suos progressus habuit, de eo amplius dicendum erit nobis. Nec hîc porrò omittendum, ut gradatim fastus in Deum, ne dum in homines insurgebat, Innocentium istum anno 1131. Concilium Rhemense, Monacho quodam verba in ejus gratiam faciente, sic exorsum; *Grave est, quod mihi injungitur, videlicet, ut doceam Doctores, instruam Patres, præsertim cum scriptum sit, interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi; Sed precipit mihi Moyses iste,* (Innocentius qui aderat) *cujus manus graves sunt, cui obediendum est non solùm à me, sed etiam ab omnibus. Et plusquam Moyses hic, Moysi commissa fuit una plebs Israelitica, isti autem universa Ecclesia. Et plusquam Angelus hic: Cui enim Angelorum dixit aliquando Deus, quodcumque ligaveris super terram, &c.* Ad id alludens quod Dominus de seipso; *Et hic plusquam Salomon*; Prosequitur. *Secundum officium dico non secundum meritum: Præter Deum non est similis ei nec in cœlo, nec in terrâ. Hic est Petrus, qui misit se in mare, cum alij discipuli navigarent ad Iesum: Unusquisque vestrum contentus est naviculâ suâ, hoc est, Archiepiscopatu suo, Abbatiâ suâ, præpositurâ suâ. Iste autem misit se in omnes Archiepiscopatus, Abbatias, præposituras, &c.* misit se, inquit. Et misit verè, ingessit, intrusit, à seipso missus non à Deo, absque missione, commissione; Quæ tamen concio, fallendis simplicibus, operibus D. Bernardi inserta: Sed Baronius ipse Bernardum ejus authorem negat. Primus etiam Innocentius constituit, *uti Papa sedens Missam celebret*, si coram Deo, si Deum ipsum realiter manu tenens, num nimiam ei reverentiam exhibere potuit? Nec hîc prætereundum, Innocentio sedente, Guilielmum belli sacri authorem, Tyri Archiepiscopum

Ann. 1143.

Ann. 1131. Baro. ann. 1131. art. 48.

Herm. Gigas in Floribus Temporum. Guilielm. Tyrius l. 14. c. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

copum creatum, qui decessorem imitatus, à Patriarcha Hierosolymitano priùs consecratus, Romam pallium accepturus contendit. Non dissimulat tamen, ipsum quo minus eo proficisceretur, omni ratione impedivisse Patriarcham. At Innocentium (quippe ex Orientalium angustijs quæstum facientem) illum per literas durius tractâsse. Radulphum etiam Antiochenum Patriarcham, Ecclesiam suam Romanæ *parificasse*, adæquasse, nempe Petri sedem, antequam Romæ sederet Petrus & à semetipso Pallium accepisse; quem idcircò Innocentius Rege Hierosolymitano annitente, qui Radulphum peroderat, misso in partes Legato, ceu læsæ majestatis reum, id est, suæ sedi minus obsequentem, deposuerit; Quâ verò ipse violentiâ usus, ibidem fusius narratur; nempe calumnijs miser oppressus Romam appellare cogitur. Inde à Rogerio Rege Siciliæ, itineris sui admonito, captus in vincula conjicitur; Demùm in Palestinam redire jussus, ab Alberico Cardinale Hostiensi Innocentij Legato volens, nolens, Rege ipso apertè adversario, judicatur. Denique ad Synodum, cui Legatus præsidebat, comparere detrectans, absens quasi contumax deponitur.

OPPOSITIO.

HI interim Pontifices sibi invicem Antichristi: adeò ut tales sese mutuò in celebrioribus sequacium suorum Episcoporum & Abbatum Synodis pronuntient; in eo uno bellè inter se concordes. Omnes Angliæ Episcopi, uti vidimus, Innocentium non minus quàm Anacletum repudiabant; Nec Galliam Innocentius procliviorem, absque Bernardi favore invenisset, cum Gerardus Engolismensis Episcopus adversarium se eî constituat; Hildebertus etiam Turonensis Archiepiscopus, eximiæ tum in Ecclesiâ authoritatis, diu nutabundus ambigat: quem Bernardus priùs admonitum, plerosque jam eum agnoscere, his verbis sollicitat. *Ad hoc sanè & vestra, Pater, expectatur, sicut pluvia in vellus, vel sera sententia. Non improbamus tarditatem, quæ gravitatem redolet, levitatis abolet notam, &c. Dico tamen ego notus Pontifici: Ne quid nimis: dico ut familiaris & notus, non plus sapere quàm oportet sapere. Pudet fateor, quod serpens vetustissimus nova audacia relictis insipentibus mulieribus, etiam robur pectoris vestri visus est attentare: Et tantam Ecclesiæ columnam ausus concutere.* Et hic Bernardo, *magnus sacerdos & excelsus in verbo gloriæ.*

Bernard. Epist. 124.

Verùm, in mediâ Româ, ex quo Innocentius ipse in solio firmatus, intercedentibus adversarijs non caruit. Arnulphum Cleri fastum increpantem Clerus Romanus, uti vidimus, enecârat. Arnoldus Brixiensis, (Episcopum nonnulli appellant), periculum nihil moratus, idem audet; Et quidem in confertissimâ ejus authoritate, celebre illud Lateranense Concilium dum celebrat, cui intererant Episcopi & Abbates ad mille; Et hunc coætanei authores, ut plurimùm Monachi, hæreticum pro more appellant, sed non aliam hæresim impingunt, quam quod in sedis Romanæ insolentiam potenter inveheretur. Hic, ajunt, in bonis literis in Galliâ educatus, religioso habitu suscepto, in Italiam redit, Episcopos Regalibus opus non habere prædicat, Principibus relinquere debere, ijs contentos, quæ ad Dei cultum necessaria sint, actutum accusatur, in Concilio auditur, hæreseos notatur, Italiâ excedere cogitur, si quid prætereà quod criminarentur habuissent, quis de eo supplicium sumpturos ambigit? Hæ interim conciones radices egerant, adeò ut tribus post annis Populus Romanus Capitolium invadat, antiquam libertatem meditetur, Pontifici solam sacrarum rerum curam reservet. Eo concilio

Ligurinus de gestis Frid. 1. l. 3.

lio ad Imperatorem Conradum scribunt suam se imperijque gloriam tantùm spectâre, & ut quæ ipsi Pontificis ademerint, usurparintve restituant; eo instituto munitiones, quibus contrà ipsum abutebantur, solo æquasse; veniat modò & gressum acceleret, pontem Milvium ei excipiendo paratum inventurum. Quæ hisque versibus in ejus favorem concludebant.

Otho Frisingens. de gestis Frid. c. 27. & 28. Idem Hist. l. *. c. 27. Onuphr. in Innoc. 2. Sigon. de regno Ital. l. 11.

Imperium teneat Romæ, sedeat, regat Urbem
Princeps terrarum, ceu fecit Iustinianus
Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua Præsul
Ut Christus jussit, Petro solvente tributum.

Verùm, ubi Conradum in Germaniâ variè districtum, Italiæ rebus superesse non posse intelligunt, manum ipsi operi admovere non cunctantur: Senatum restituunt, de pace & bello statuunt: tuncque Innocentius eos omnibus artibus tentare, non muneribus, non minis parcere, universum populum ab Ecclesiæ corpore amputare: Pontificalibus Comitijs, quorum hactenus pars potissima fuerant, excludere; Ut tandem in timorem Romani dominatus amittendi adductus, tantum ex eâ re sollicitudinis hauriat, inquit Sigonius, ut languore confectus pereat; *Et hæc,* inquit, *cum Innocentio instituta contentio tanti momenti fuit*, ut omnes deinceps Pontifices usque ad Clementem tertium (id est 45. plus minus annos) *exerceat.* Innocentio succedit Wido Castellanus, civis Romanus, qui Cælestinus tertius, â Cardinalibus ex Innocentij sanctione, excluso populo, creatus; Hac enim ratione damnum aliunde illatum sancîre visum. Nec multo post Cælestino sublegitur eadem lege Lucius secundus. Sub eo igitur Romani, Senatoribus quos constituerant minus contenti, Patricium, celsioris magistratum fastigij, adjiciunt, ac vectigalia omnia tam urbana, quàm peregrina Pontifici erepta, ei attribuunt, Pontificemque sacris decimis & largitionibus dignitatem suam tueri jubent. Delata primùm ea dignitas ad Iordanem Petri Leonis filium, virum in urbe & vetere nobilitate, & populari gratiâ pollentem. At Lucius exercitu comparato Senatores in Capitolio obsidet, ordinem illum, libertatis Romanæ tanquam basin eversurus: Sed Iordanus Patricius, commisso prælio ipsum cum suis à Capitolio repellit; narratque Viterbiensis, horum æqualis temporum, Lucium in pugnâ lapide percussum, non amplius ad diem usque obitus sui, in Pontificio solio consedisse. Incidit is in annum 1145. mense Martio. Eugenius tertius ipse Lucij successor, totis semptem annis, quos Pontifex vixit, nihilo fœlicius rem gerit; Ut Romanos vehementius urget, Arnoldus ille ex Germaniâ reversus eorum animos concionibus suis accendit. Itaque seu fastidium Urbis simulans, seu contemptum sui absentiâ ulturus, Viterbium secedit, ibique contra morem consecratur. Quin & cum Bernardi verbis eos demulsisse sibi videretur, eaque fiduciâ Romam repeteret, iterum excedere cogitur: indeque, specie belli sacri renovandi, in Galliam transgressus, ex longiore absentiâ damnum sensuros facilioresque futuros sibi persuadet; Sed, illis ipsius desiderio nihilo magis tactis, in Italiam tandem remeans, anno 1153. Tiburi moritur; ut Romanis ostendere fuerit scopus, Romam Pontifice carere posse; Eugenio etiam, Pontificem Româ. Cum hodie contrà, Papam in Vaticano sedentem cathedramque Petri Romæ in æternum constitutam, nobis perpetuò ingeminent. Et hæc in Italiâ.

Otho Frising.

Gotofrid. Viterb. An. 1145. Parte. 17. Chronic. An. 1145.

An. 1153.

In Galliâ, Innocentius, licet beneficijs cumulatus, Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus non minus invidebat, à nostris etiam non minus strenuè exceptus. Vacârat Bituricensis Episcopatus Alberico mortuo. Pontifex inexpectatâ Ludovici Junio-

ris *præsentatione*, pleno jure Petrum Emerici filium, Cancellarium suum Archiepiscopum ordinat. Unde Rex ita commovetur, *ut propositis publicè sacrosanctis reliquiis, in præsentiâ multorum juret: quod Archiepiscopus præfatus, quandiu ipse viveret, civitatem Bituricam non intraret.* Tum Innocentius Regem anathemate ferit, ut quamcumque urbem, oppidumve ingrediatur, illicò sacrum officium suspendatur; in eoque triennium transigit. Hîc rursum Bernardus intervenit, & quia magna ei cum Rege contentio, quod Rodolphus Veromanduorum Comes uxore repudiatâ, Petronillam Reginæ sororem, eo conscio superinduxisset, litem lite compensat; nihil obstante juramento illo quod Herodianum vocabat, eo Ludovicum perducit, ut Petrum illum recipiat. Bernardus sanè, quod à multis notatum, in Pontifices nostro dispendio plus æquo liberalis; seu quod indomitam eorum pervicaciam, tot tantarumque pridem turbarum causam, vereretur, seu quod nostri Principes interdum suâ potestate in conferendis muneribus Ecclesiasticis non satis cautè uterentur. Id ex ipsius Epistolâ ad quatuor Episcopos Romanos clarum, quos de schismatum periculo admonitos his verbis compellat: *Quod pejus est, ad tam malum habitum humanæ res devenerunt, ut nec rei humiliari velint, nec judices misereri: Dicimus iniquis, Nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu, & non audiunt nos, quia domus exasperans est. Supplicamus iis quorum est peccata arguere, peccantes servare, ne calamum quassatum conterant, & linum fumigans non extinguant, & magis in spiritu vehementi conterunt naves Tharsis. &c.* Vix Ecclesiæ vulneri cicatrix obducta est, En recrudescit, diducitur, dilatatur; Et sic plerumque pertinaciori docilioris dispendio indulgetur; Et tamen ex pluribus locis neque Ecclesiam Romanam, neque Innocentium ipsum Bernardo satis probari facile appareat. In Epistolâ 178. Innocentium ipsum compellans: *Vox una omnium qui fideli apud nos curâ populis præsunt, justitiam in Ecclesiâ deperire, annullari Ecclesiæ claves, Episcopalem omnino vilescere auctoritatem, dum nemo Episcoporum in promptu habeat ulcisci injurias Dei, nulli liceat illicita quævis, ne in propriâ quidem parochiâ, castigare. Causam referunt in vos, Curiamque Romanam: Rectè gesta ab ipsis (ut ajunt) destruitis, justè destructa, statutis.* Audentiùs in præcedente 176. Archiepiscopi Treverensis ad eundem, in quâ Bernardi stilus evidens, Ecclesiam enim ille absque Româ consistere posse interminari non veretur, *nostram citramontanam Ecclesiam tam in nostro, quàm in Francorum regno noveritis fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in vestrâ obedientiâ, promptam ad servitium. Nequaquam nos Beneventi, non Capuæ, non ipsius Romæ terret, Deo sic judicante, amissio, scientes Ecclesiæ statum non armis æstimari, sed meritis.*

Matthias Paris in Stephano.

Bernardus Epist. 219.

Bernard. Epist. 178.

Idem Epi. 176.

In divortio Rodolphi Veromanduorum Comitis, cum quo Innocentius dispensârat, ad eum ipsum scibens: *Deus*, inquit, *Comitem Radulphum & uxorem ejus conjunxerat per ministros Ecclesiæ, & Ecclesia per Deum, qui dedit talem potestatem hominibus. Quomodo quos Ecclesia conjunxit, disjunxit camera?* Papalis scilicet, *in quo facto illud solùm convenienter provisum est, quod in tenebris facta sunt opera tenebrarum.* In illâ etiam quæ ad Cardinalem Hostiensem in personâ Cardinalis cujusdam Iordanis, Legatorum Pontificorum Acta describit: *Legatus vester de gente in gentem & de populo ad Populum alterum, fœda & horrenda vestigia apud nos ubique relinquens, à radice Alpium & regno Teutonicorum per omnes penè Ecclesiæ Franciæ & Normaniæ & circumquaque circumveniens usque Rothomagum, vir Apostolicus replevit non Euangelio, sed sacrilegio.* Alludens ad Pauli itinerarium, qui à Hierosolymis Illyricum usq; Euangelio omnia repleverat: *Turpia fertur ubique commisisse, spolia Ecclesiarũ asportasse,* for-

Bernard. Epist. 216. ad Innoc.

Epist. 299.

formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus, ubi potuit promovisse, ubi non potuit, voluisse. Multi se redemerunt, ne veniret ad eos; Ad quos pervenire non potuit, exegit & extorsit per nuncios in scholis, in curiis, in triviis, fabulam seipsum fecit. Seculares, religiosi, omnes malè loquuntur de eo. Pauperes, & monachi & Clerici conqueruntur de eo. De Pontificibus verò in genere: *Videtur, bone Iesu, contrà te conspirasse universitas Christianorum, & illi in persecutione tuâ primi sunt, qui in Ecclesiâ videntur primatum tenere, & gerere principatum, juxtà illud: Qui edebat panem meum, magnificabat super me supplantationem*; ex meâ supplantatione gloriam quæsivit; in Papam utique transferens quod de Iuda Apostolus exposuerat, ab uno perditionis filio ad alterum. Apud Hugonem in postillâ super Iohān.

In sermone de conversione D. Pauli populum compellans: *Heu heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tuâ primi, qui videntur in Ecclesiâ tuâ primatum diligere, gerere principatum; Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones & universam deinceps liberè & potestativè tradunt incendio civitatem, misera eorum conversatio, plebis tuæ miserabilis subversio; atque utinam hac solâ parte nocerent, &c. de animarum salute novissima cogitatio est. An verò salvatori animarum gravior ulla esse poterat persecutio? iniquè agunt & cæteri contrà Christum, multique sunt nostris temporibus Antichristi. Meritò tamen & crudeliorem eam censet persecutionem pro acceptis beneficiis, & graviorem sentit pro potestate, quam propriis sustinet à ministris, &c. Hæc videt Christus & silet, hæc Salvator patitur & dissimulat. Propterea & dissimulemus nos quoque necesse est, & sileamus interim, maximéque de prælatis nostris, magistris Ecclesiarum.* Nec verò hìc suffugium invenisse se putent, quod de schismaticis Pontificibus hæc intelligenda sint; De ijs ipsis loquitur, quos ipse agnoscebat, tuebatur: *Amici tui*, dixerat antea, *& proximi adversum te appropinquaverunt & steterunt. Conjurasse videtur contrà te universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum, à plantâ pedis usque ad verticem non est sanitas ulla; egressa est iniquitas à Senioribus judicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum.* Nota *vicariis tuis.* Idem in Serm. 1. de conversione B. Paul.

In suis in Cantica sermonibus, quos, qui ejus vitam conscripsit, post Anacleti mortem, Innocentio Roma potito, scriptos testatur; postquam de diversis Ecclesiæ tentationibus egit, persecutione, quam Martyres devicerint, hæresi, quam doctores convicerint: *Ecce*, inquit, *tempora ista libera quidem, Deo miserante, ab utraque illa malitia, sed planè fœda, à negotio perambulante in tenebris. Væ generationi huic, à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, si tamen hypocrisis dici debeat, quæ jam latêre præ abundantiâ non valet, & præ impudentiâ non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quo latius eo desperatius, eoque periculosius, quo interius. Nam si insurgeret apertè inimicus, mitteretur foras & aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, quem, aut à quo abscondet se: Omnes amici* (in specie nempe) *& omnes inimici, omnes necessarij & omnes adversarij, omnes domestici & nulli pacifici, omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt.* Vita Bernardi l. 2. c. 8. Bernard. in Cantic. sermo. 33.

Potuitne Papatum nobis significantius exprimere, tabem, & labem toto Ecclesiæ corpore diffusam, φαγεδαιναν universam ejus substantiam depascentem? Verùm ulterius progreditur: *Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, Regius apparatus: inde aurum in frænis, in sellis & calcaribus: & plus calcaria quam altaria fulgent, &c. Pro hujusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio* illi

illi quod perambulat in tenebris, (in hypocrisi) *olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima: Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest ita invaluerunt & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ; Et ideò in pace amaritudo ejus amarissima; Sed in quâ pace? Et pax est & non pax, pax à paganis, & pax ab hæreticis: sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto: filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me, Spreverunt, & maculaverunt me, à turpi vitâ, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris. Superest ut jam de medio Dæmonium meridianum ad seducendos, si qui in Christo residui sunt, adhuc permanentes in simplicitate: siquidem absorbuit fluvios sapientium, & torrentes potentium & habet fiduciam, ut Iordanis influat in os ejus, id est, simplices & humiles, qui sunt in Ecclesiâ.* Restabat nomen: En verò tibi in continenti: *Ipse enim est Antichristus, qui se non solùm diem sed & meridiem*
2. Thess. 2. *mentietur & extolletur supra id quod dicitur, aut quod colitur Deus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui & destruet illustratione adventus sui, utpote verus & æternus meridies sponsus & advocatus Ecclesiæ.* Ad quem enim nisi ad Pontificem hæc postrema clausula pertineat, omnium dignitatum, de quibus supra, distributorem, totius illius commercij caput, quod tenebrarum negotium appellat. In
In Cantic. serm. 77. Sermone 77. de Pastoribus sui temporis: *Unde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, &c. Nisi de bonis sponsæ? Inde est quod illa pauper & inops relinquitur, & nuda, facie miseranda, inculta, hispida, exanguis; Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instituere, sed prostituere, non est pascere gregem, sed mactare & devorare, &c. Propterea relinquamus istos non inventores sponsæ, sed venditores, &c. Successores omnes cupiunt esse, imitatores pauci, &c. Parum est nostris vigilibus, quod non servant nos, nisi & perdant.* Ex quibus porrò cogitemus quam de illis sententiam ferret. In Psalmum nonagesimum primum Sermone sexto, ubi hos sermones superioribus illis in Canticum posteriores esse testatur, id est, Schismate jam extincto scriptos: quod ibi de Antichristo dix-
Bernard. in Psalm. 91. serm. 6. & 7. erat, ijsdem fere verbis resumit; Pergens verò: *Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transiêre, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. Pro Episcopatibus & Archidiaconatibus, Abbatiis, aliisque dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipentur. Superest ut reveletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed & meridianum, quod non solùm transfiguratur in Angelum lucis, sed extollitur super omne quod dicitur Deus aut colitur, &c. Hic planè gravissimus erit incursus, sed ab hoc quoque Ecclesiam electorum veritas liberabit, &c.* Ad ostium præstolabatur infelix Bernardus; qui jam domum invaserat; Et hæc ad Baronium qui in schismaticos tantùm Pontifices Bernardum
Baro. ann. 1130. art. 6. Bernard. Epist. 137. invectum esse contendit. Ad Eugenium Pontificem sub annum 1151. qui ejus discipulus fuerat & Pontificatum ingressus monitis suis minimè obtemperâverat: *Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam; non in capturam auri vel argenti, sed in capturam animarum? Quam cupio illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es sedem? Pecunia, inquit, tua sit tecum in perditionem.* At in Libris de Consideratione, quid ad ejus
Ad Eugen. de consideratione libro 1. correctionem omittit? *Dic mihi quæso ubi unquam sis liber, ubi tuus? Ubique tumultus,*

tus, ubique jugum tuæ servitutis te premit. Nec mihi reponas Apostoli vocem quâ ait, cum essem liber ex omnibus, omnium servum me feci; Longe est istud à te. Numquid hac ille servitute hominibus inserviebat, in acquisitione turpis quæstus? Numquid ad eum de toto orbe confluebant ambitiosi, avari, Simoniaci, sacrilegi, concubinarij, incestuosi & quæque istiusmodi monstra hominum, ut ipsius Apostolicâ authoritate, vel obtinerent honores Ecclesiasticos, vel retinerent; Ergo servum te fecit homo, cui vivere Christus erat & mori lucrum, ut plures lucrifaceret Christo, non ut lucra augeret avaritiæ, &c. Et quidem quotidie perstrepunt in Palatio leges, sed Iustiniani, non Domini, &c. Tu Ergo Pastor & Episcopus animarum, quâ mente obsecro, sustines coram te semper silere illam, garrire istas? Fallor si non movet tibi scrupulum perversitas hæc. Proinde ut illum ad antiquos limites reducat, *non est quod blandiatur celsitudo, solicitudo major. Et nos igitur ut multum sentiamus de nobis, impositum senserimus ministerium, non dominium datum, &c. Puta te, velut unum aliquem de Prophetis; An non satis ad te; Et nimium, &c. Si sapis, eris contentus mensurâ, quam tibi mensus est Deus, nam quod amplius est à malo est. Disce exemplo Prophetico,* (Jeremiæ nempe) *præsidere non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ, &c. Antecessores tui Apostoli audierunt, quia messis quidem multa, operarij verò pauci. Paternam tibi vendicato hæreditatem. Nam si filius & hæres. Ut probes hæredem, evigila ad curam & non ocio torpeas, ne & tibi dicatur: Quid hic stas totâ die ociosus? Multo minus inveniri oportet aut deliciis resolutum, aut resupinum pompis; Nihil horum tibi tabulæ testatoris adsignant, &c. Numquid dominationem dedisse putas? Audi ipsum: Non dominantes, ait, in Clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum solâ humilitate putes, non etiam veritate: vox Domini est in Euangelio, Reges Gentium dominantur eorum & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, &c. Vos autem non sic. Planum est: Apostolis interdicitur dominatus: Si utrumque habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus Deus sic quæritur: Ipsi regnaverunt & non ex me, Principes extiterunt & non cognovi eos.* Et hunc sermonem porrò extendit; ab Hildebrandi Theologiâ quam alienus qui tiaræ suæ totius orbis diadema annexum volebat; De appellationibus: *Quousque murmur universæ terræ aut dissimulas, aut non advertis? Quousque dormitas? Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem, atque abusionem? non est autem appellatio suffugium, sed refugium; quantos novimus appellasse pulsatos, quò interim liceret quod nunquam licet? Nonnullis etiam quoad vixêrunt licuisse, appellationis suffragio, nefaria scimus. Præter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non persona, non causa dicernitur.* Et hanc rursus materiam latè edisserit, earumque incommoda persecutus multis exemplis illustrat, quæ hic obiter indicâsse sufficiat nobis. *Fuerunt ante te, qui se totos ovibus pascendis exponerent, &c. Unus erat de subditis quæstus, una pompa, unaque voluptas; si quo modo eos possent parare domino plebem perfectam. Ubi nunc quæso consuetudo hæc? Subiit dissimilis valdè, longè in aliud mutata sunt studia & utinam non in pejus; cura tamen & anxietas, & æmulatio & sollicitudo, fateor, perseverant. Translata hæc non imminuta. Testimonium vobis perhibeo, quod nec substantiæ parcitis, non magis quàm ante. Diversa autem locatio dissimilitudinem facit. Magna abusio, pauci ad os Legislatoris, ad manus omnes respiciunt; non immerito tamen. Omne Papale negotium illi agunt. Quem dabis mihi de totâ maximâ Urbe, qui te in Papam receperit, precio, seu spe precij non interveniente?* Et hic videat Lector, ne tædio eum afficiamus, quales nobis & Romanos & Clericos

Libro 2.

Libro 3.

Libro 4.

præſertim deſcribat; in omni flagitiorum genere longè pejores cæteris: *Inter hæc tu Paſtor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate. Oves quid capiunt? Si auderem dicere, Dæmonum magis quam ovium paſcua hæc, ſcilicet ſic factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat? Vides omnem Eccleſiaſticum Zelum fervere pro ſolâ dignitate tuendâ? Honori tantùm datur, ſanctitati nihil, aut parum. Si cauſâ requirente paulo ſummiſſius agere aut ſocialius te habere tentaveris, abſit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, majeſtati non convenit, quam geras perſonam attendito. De placito Dei ultima mentio eſt, pro jacturâ ſalutis nulla cunctatio; Niſi quod ſublime eſt, hoc ſalutare dicamus, & quod gloriam redolet, id juſtum, &c. Timor Domini ſimplicitas reputatur, ne dicam fatuitas, Quid ergo tu? &c. Scio ubi habitas, increduli & ſubverſores ſunt tecum, lupi non oves ſunt: talium tamen tu Paſtor; Utilis conſideratio, qua fortè inveneris, quomodo ſi fieri poſſit convertas eos, ne ipſi ſubvertant te, &c. Hic hic non parco tibi, ut parcat Deus. Paſtorem te huic populo aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cujus ſedem tenes, te neges hæredem, Petrus hic eſt qui neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus, vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris; Abſque his tamen credidit ſatis poſſe impleri ſalutare mandatum: Si amas me, paſce oves meas; In his ſucceſſiſti non Petro ſed Conſtantino. Etſi purpuratus, etſi deauratus incedens, non eſt tamen quod horreas operam curamve Paſtoralem, Paſtoris hæres, non eſt quod erubeſcas Euangelium. Quamquam ſi volens euangelizes, inter Apoſtolos quidem etiam gloria eſt tibi. Euangelizare, paſcere eſt, fac opus Euangeliſtæ & Paſtoris opus impleſti. Dracones, inquis, me mones paſcere, & ſcorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, ſed verbo non ferro.* Et hic rurſum ſeſe diffundit, ſeriò exponens, quod ſibi munus arrogat, quanti momenti ſit, quàm latè pateat, quo ſi bene defungi velit, tanto oneri ferendo vix unquam ſatis eſſe poſſit. Conſultius ergo, cæteris negotijs ut renuntiet, ſecularibus nominatim valedicat, quæ ſuos habeant judices, Principatus & magiſtratus terrenos, ut falce in alienam meſſem immiſſâ ei non ſit opus. Quæ ſanè diſciplina à vulgari Palatinorum (ſic Romanos Curiales vocat) quàm abhorret. Cum igitur nihilominus Eugenius in eo luto hæreat, & quidem à Bernardo tam ſtrenuè adjuratus, veram & legitimam Petri hæreditatem quàm Conſtantini abdicare malit, oves paſcere dedignatus, orbem mente devoret quodnam hîc Bernardus aut judicium faciat aut nobis faciendum relinquat? niſi hoc ſanè, ſecundam Beſtiam hanc eſſe, quæ, quod Iohannes prædixerat, primæ locum ſubierit primùm, inde invaſerit, ſedis Petri nomine, ſolium Conſtantini inſilierit; pedum illius in hujus ſceptrum mutârit, Eccleſiæ Chriſti prætextu, in Monarchiam temporalem involârit, regnum illud, quod Apoſtolus antè ruiturum monuerat, quàm *Homo peccati* revelaretur, ruinis utique ſuis inædificandus, in ſe jam redivivum, redintegratum oſtentet. Etenim in pluribus ſuis Epiſtolis extant veſtigia, ex quibus Eugenium ejus monitis non meliorem evaſiſſe appareat; Quò fit ut ſæpe inculcet, *Ego liberavi animam & conſcientiam meam, &c.* Quin & in quadam, *Beſtia illa*, inquit, *de Apocalypſi cui datum eſt os loquens blaſphemias & bellum gerere cum ſanctis, Petri cathedram occupat tanquam Leo paratus ad prædam.* Sin enim regerunt, de Antipapa illum loqui, annon perpetuò firmum ex hoc ipſo loco manet, fieri poſſe, ut Antichriſtus Romæ ſedeat, cathedram Petri teneat, ita Bernardum crediſiſſe, ſenſiſſe? Qui quam procul ab hodiernis Doctoribus, qui ex Babylone expectandum cenſent? Nec hic porrò omittendum, cum boni Bernardi diligentia, Eccleſia Gallicana celebrem Synodum Pictavij habuiſſet, cujus authoritate Gilbertus Porretanus ejus loci

Bernard. Epiſt. 125.

Epi-

Episcopus de Trinitate malè sentiens, in meliorem viam reduceretur, ibique quid de eâ tenendum, in formulâ quadam concepisset, Consistorium Cardinalium graviter commotum, id Pontifici Eugenio exprobrasse, *Quid fecit, ajebant, Abbas ille tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? quâ fronte, quo ausu cervicem contrà Romanæ sedis Primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola, quæ claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit; Ipsa sola de fide Catholicâ discutere habens, à nullo etiam absens, in hoc singulari honore præjudicium pati potest. Certè si in Oriente, utpote Alexandria vel Antiochia coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negocium, nihil firma stabilitate solidum sine nostrâ definiri valeret authoritate, &c.* Eugenio tandem eo adducto, ut sine morâ tantam rebellionem & novitatem sibi seriò ulciscendam intelligeret. Unde & Bernardus crimen purgaturus Romam cum magnâ submissione accedere cogitur, & Gallicanæ Ecclesiæ Symbolum, bonum licet & bonis omnibus probatum, pro nullo habetur; Adeò benè facere & benè audire, apud illos difficile jam tum fuit. Notat verò Ottho Frisingensis, Bernardum cum Gilberto illo disputantem quædam verba protulisse, quæ Cardinalibus minus placere poterant, ad eaque Gilbertum dixisse: *Et hoc scribatur;* excepisse Bernardum, *ita quidem & stilo ferreo & ungue adamantino.* Et hoc fortè eos urebat. Ottho Frisingens. de gestis Frideric. l. 1. c. 57.

Petrus Abbas Cluniacensis Bernardo coætaneus, Eugenium Pontificem nunquam ad satietatem laudasse videtur; in Epistolâ præsertim libri sexti quadragesimâ septimâ ad Bernardum, in quâ nihilominus ipsâ ingenuè: *Sed dicet quispiam, Ecclesia non habet gladium, Christus illum abstulit, cum Petro dixit: Converte gladium in vaginam, omnis qui acceperit gladium, gladio peribit: Verùm est inquam, verùm est: Non habet Ecclesia gladium Regis, sed habet virgam Pastoris, de quâ Apostolus: Quid vultis, in virgâ veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? Et quid dico habet virgam? Imo habet & gladium secundum eundem. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, &c.* Et si ex toto contextu satis apparet, in nonnullos qui eum turbarant, alterius gladii opem non recusaturum. Mitto Bernardi Cluniacensis Monachi satyras, qui Petro Abbati contemporaneus, in quibus & Pontificem, & curiam Romanam mirificè depingit, ne tædium Lectori pariam pauculos tantùm versus qui huc faciant, adducere contentus, ejusdem licet ingenij cætera. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacens. l. 6. Epist. 47.

O mala sæcula, venditur infula, Pontificalis
Infula venditur, haud reprehenditur emptio talis,
Venditur annulus, hinc lucra Romulus auget & urget.
Est modo mortua, Roma superflua, quando resurget?
Si tibi det sua, non repleat tua guttura Crœsus
Marca vel aureus à modo non Deus est tibi Jesus.

Narrat verò Petrus Diaconus, Continuator Chronici Casinensis, cum Græciæ Imperator Legatos ad Lotharium misisset, quo tempore in Casinenses pro Innocentio exercitum moverat, adfuisse inter alios Philosophum Græcum, qui adversus se (Petrum Diaconum) disputabat, Innocentium Pontificem excommunicatum esse; Verba ejus sunt: *In Occidentali climate, propheticum illud videmus impletum: Erit ut populus sic Sacerdos, dum Pontifices ad bella prodeunt, ut Papa vester Innocentius facit: Pecunias distribuunt, milites congregant, purpuram induunt.* Nec dubium quin alias rationes proferret, quas lubens reticuit. Chronic. Cassin. l. 4. c. 116. & 117.

Verùm, præter illos, quos ex mediâ Ecclesiâ Romanâ, in Pontifices, curiam Romanam, eorumque res gestas tam sonorè detonantes audivimus, occurrunt & hoc tempore, qui ab eâ apertè deficiunt, doctrinam ejus ipsam aggrediuntur:

nec non in Galliâ nostrâ plures provincias suis concionibus,ex ejus faucibus eripiunt; Inde verò, uti deinceps videbimus, in vicinas nationes diffunduntur. In his primus occurrit sub annum 1126. Petrus Bruis, cui succenturiatur sub annum 1147. Henricus discipulus, Presbyter ille, hic Monachus, qui in Diœcesibus primùm Arelatensi, Ebredunensi, Vapicensi conspecti, mox per totam Arverniam, Narbonensem & Aquitaniam, Provinciam, Transsubstantiationem, Missæ sacrificium, Missas, suffragia & oblationes pro defunctis, imaginum cultum, sanctorum invocationem, Sacerdotum cœlibatum, peregrinationes, superflua festa, aquæ, olei, thuris consecrationes, & cæteras nugas Romanas, & graviter, & gnaviter oppugnant. Præsertim verò in Pontificum & Antistitum luxum, fastumque invehuntur, quos *Sodomorum Principes*, Romanam Ecclesiam, *Babylonem fornicationis & confusionis matrem appellitant.* Author Petrus Venerabilis ipse, Cluniacensis Abbas, in quibusdam Epistolis, quibus eorum refutationem suscepit; Et dolendum porrò quòd, eorum libris magno studio extinctis, in doctrinâ ipsâ expiscandâ adversariorum scriptis uti cogimur, quorum ab odio & calumniâ testimonium jure suspectum. Itaque impingitur illis, quod solis quatuor Euangelijs fidem adhibeant, cæteros Bibliorum libros repudient; & hic Petrus ille cum umbrâ suâ verè digladiatur; Cum ipsi sanè, veteris Ecclesiæ Patres secuti, ex solâ Scripturâ Canonicâ religionis regulam petendam asserant; & Abbas ipse injuriam illis factam percepisse videtur, cum de his & similibus dicit: *Sed quia eum ita sentire, vel prædicare nondum mihi plenè fides perfecta est, differo responsionem, quousque & horum quæ dicuntur indubiam habeam certitudinem.* Item, *fallaci rumorum monstro non facile assensum præbere debeo, &c. culpare vos de incertis nolo, &c.* Ita & Bernardus, plus æquo credulus, illis exprobrat, quod Manichæorum instar, matrimonij & carnis usum damnent: Baptismum etiam infantibus denegent: ut & Henrico concubinam & alearum lusum objicit; quâ & olim fide, opinionum & flagitiorum monstra primis Christianis impacta, apud Tertullianum legimus. Bernardus interim, *hi*, inquit, *oves sunt habitu, astu vulpes, crudelitate lupi: Hi sunt qui boni videri, non esse, mali non videri & esse volunt*; Quorum igitur externam conversationem bonam fuisse necesse sit. Fatentur quoque eorum discipulos alacriter flammam subjisse, constanter suæ fidei causâ omnia extrema perpessos esse; Hæc cum lascivâ aut vitâ, aut doctrinâ num cohærere possint? Nec eo minus tamen ad eos confluebat tanta multitudo, ut *Basilicæ*, inquit Bernardus, *sine plebibus, plebes sine Sacerdotibus, sacerdotes sine debitâ reverentiâ sint, & sine Christo deinde Christiani, Ecclesiæ Synagogæ* (Romanæ nimirum) *reputantur.* Itaque non aliud eis vulgò objiciebatur, quàm quod hodie; *Num igitur Patres nostri tam diu erraverunt, tam multi hallucinati sunt.* Et eos porrò tuebantur viri insignes, tum Clerici, tum laici, nonnulli etiam & Episcopi & Proceres regni, Hildefonsus nominatim S. Ægidij Comes, cujus auspicijs in suis ditionibus concionabantur; Tolosani etiam, apud quos Petrus magnâ cum laude viginti annos verbum Dei professus, tandemque ustulatus; Ut & Henricus ejus discipulus aliquot post annis Alberico Cardinali Hostiensi proditus, à quo catenis vinctus, in Italiam abductus, nec exindeampliùs visus; Cum tamen in misellum hunc populum, nullo ætatis & sexus discrimine, toto hoc tempore persecutio desævîret.

Petrus Abbas Cluniacens. l. 1 Epist. 1. & 2.

Bernard. in Cantic. Serm. 66.

Epist. 240. & 241. & in vitâ Bernard. l. 2. c. 5.

Iàm, ut à nobis sæpius notatum, doctrinę labem unà cum hujus mysterij iniquitate perpetuò invalescere. Exoritur hoc tempore Petrus Abelardus, subtilissimi vir ingenij, qui Pelagij opiniones, aliasque consectaneas reducit: quibus gratuita justi-

justificatio in fide Iesu Christi, quod alibi exposuimus, evertebatur, jugulum inquam, Ecclesiæ Christianæ, apertè petebatur. In hunc Bernardus insurgit, variisque tractatibus antiquam veritatem, quam Augustinus, Hieronymus, Prosper, Fulgentius in Ecclesiâ docuerant, propugnat, eademque viâ multas sordes everrit, quas Semipelagiani Faustus, Cassianus & alii induxerant, ex superbiâ homini ingenitâ, suæ causæ firmamentum facile nacti. Verùm, ut Bernardus è vitâ excedit, Abelardi schola in scholasticis continuatur, qui ejus methodum ita secuti, ut illorum Pater jure agnoscatur. Parum itaque abfuit, quin bonam sementem lolium extingueret; apud ipsos, cum de fide justificante subobscura sit mentio, salutis arx in operibus verè mortuis deinceps collocetur; ac si doctrina Christiana, profundissimum illud secretum ante omnia secula reconditum, suoque tempore revelatum, nihil præter moralem quandam disciplinam contineret. Per idem etiam tempus, Gratianus Decretum consarcinat, non fœlicius quàm Pandectas Iustinianus; ex Canonibus & Decretis antiquis, quæ quidem ipse pluribus locis ad temporis corruptelam accommodat, Romanæ ambitioni præsertim servire cogit: quamquam multa nobis vestigia relinquit, quorum ope, antiquam Ecclesiæ & doctrinam & praxim investigare sedulò quærentibus datur. Aventinus sanè antiquitatis studiosissimus nobis author, ante Gratianum jus Canonicum longe diversum fuisse: *Etenim*, inquit, *uti est in nostris Bibliothecis sincerum, duas* Avent. l. 6. *continet partes, prima, Acta sunt universorum Conciliorum, quæ quidem recepta esse constat; altera, constitutiones, Epistolas, Rescripta maximorum Pontificum complectitur, ut quæque gesta fuere: causæ, adsessores, testes, adductis locorum temporumque momentis, commemorantur.* Quod utinam ab hoc labore abstinuisset; & hoc interim Eugenius approbat, & in omnibus universitatibus legi jubet, haud dubiè quia sub unius Pontificis jugum universam Ecclesiam redigebat; Bernardi Consiliorum in libris de considerationibus quàm parum memor. Eadem methodus Petri Lombardi, (Is Gratiani frater) in 4. Sententiarum libris, quas ex Patrum locis hinc inde collectis, in certum ordinem compingit, quos & ipse immutato, omisso, addito interdum aliquo verbo, scenæ servire cogit, ad corruptam ævi sui Theologiam inflectit; ut deinceps unus Gratianus consulatur, unus in scholis prælegatur Lombardus; In his tota seu Jurisprudentia, seu Theologia Christiana posita sit; fontem repetere in sacris veteris & novi Testamenti scripturis, in Patrum adeo monumentis antiquiorumve Conciliorum actis, nemo dehinc curet; penitius rem introspicere hæresis censeatur. Aventinus idcirco de eo. *Is sacro-* Aventin. *sanctæ Philosophiæ veritatem, fontemque purissimum, sicuti plus millies à Jacobo Fabro,* Annal. l. 6. *Jodoco Clitoveo Præceptoribus meis accepi, atque audivi, cœno quæstionum, rivulis opinionum conturbavit; id quod & usus rerum magis, nisi cæci sumus, satis superque docet.* Qui tamen, non secus ac ipse, inter Pontificios percelebres.

PROGRESSUS.

MOritur Conradus Imperator anno 1152. cui succedit in regno Germaniæ An. 1152. Fridericus fratris filius, Princeps omnium Authorum testimonio omnibus ad Rempublicam suscipiendam virtutibus insignis; ut & anno 1153. vitâ exce- An. 1153. denti Eugenio sublegitur Anastasius, ex lege, quæ jam inoleverat, à solis Cardinalibus creatus. Verùm, annum tantùm ipse superest, Laterano pacatè potitus, quod Romanos suo jure utentes non lacesseret. At Pontificatum ingreditur

Adrianus quartus, natione Anglus, qui non prius in Laterano consecrari vult, quam populus Arnoldum illum exegerit, quem supra in luxum Romanum detonantem, Senatum etiam illum abdicet; quem libertati tuendæ constitutum meminimus. Quod abnuente populo, ipse sacris interdictis, urbe excedit, atque Urbevetum cum aulâ Cardinalium commigrat. Ex alterâ parte Fridericus in Italiam coronam suscepturus venit, inque itinere Anselmo Havelburgensi Episcopo, per mortem Mosis, Cleri, populique suffragijs, Ravennatem Ecclesiam attribuit; addito & Exarchatus titulo: unde ipse *se servum servorum Dei, Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopum, & ejusdem civitatis Exarchum inscribit.* Hîc Adrianus non leviter commoveri, nihilominus tamen Viterbium usque accedit: cui advenienti Fridericus obviam progreditur strepamque de equo descendentis sustinet, & manu in tentorium eum introducit. Ibi Bambergensis Episcopus Imperatoris verbis quàm reverenter exponit, *quemadmodum ex finibus terrarum pro regni honore collecta hæc Ecclesia, Principem hunc suum ad suam beatitudinem, provehendum ad culmen Imperialis honoris adduxerit, virum nobilitate, prudentiâ, fortitudine, victoriaque præstantem, &c. cujus rei certo argumento esse possit humanitas modo erga ipsum adhibita, cum venientem lætus excepit & solemne officium ad pedem inclinatus præstitit. Quare petimus,* inquit, *ut & tu, quæ tua sunt peragas, id est, ipsum Imperatoriâ, quæ desideratur, coronâ exornes.* Et Sigonius quidem justæ eorum petitioni statim acquievisse dicit, nimirum ne insolens Adriani factum prodere cogatur, cujus eum merito puduit. Helmoldus igitur Presbyter, author minimè suspectus, rem nobis liberè edat; Respondet ergò Adrianus: *verba sunt frater, quod loqueris, dicis Principem tuum condignam beato Petro exhibuisse reverentiam: Sed beatus Petrus magis videtur inhonoratus: denique cum dexteram tenere deberet strepam, tenuit sinistram. Hæc cum per interpretem Regi nunciata fuissent, humiliter ait: Dicite ei, quia defectus hic non fuit devotionis sed scientiæ; Non enim tenendis strepis magnopere studium dedi: enimverò ipse ut memini primus est, cui tale obsequium dependit. Cui Dominus Papa: si quod facillimum fuit, propter ignorantiam neglexit, qualiter putatis expediet maxima? Tunc Rex aliquantisper motus ait, vellem melius instrui, unde mos iste inoleverit, ex benevolentiâ an ex debito? Si ex benevolentiâ nihil causâri habet Dominus Papa, si vacillaverit obsequium, quod de arbitrio, non de jure subsistit; Quod si dicitis quia ex debito primæ institutionis hæc reverentia debetur Principi Apostolorum, quid interest inter dexteram strepam, & sinistram, dummodo servetur humilitas, & curvetur Princeps ad pedes summi Pontificis? Diu itaque,* (inquit author) *acriterque disputatum est. Postremò discesserunt à se invicem sine osculo pacis.* Advertat verò Lector Pontificis charitatem, tantum Imperatorem rejicientis, quod sinistram strepam pro dextrâ tenuisset; Et Imperatorem quidem à tantis virtutibus commendatum, ut author ille dicere non cunctetur. *Quod sapientia & fortitudine invaluerit super omnes inhabitantes terram.* Addit continuò: *Timentes ij, qui columnæ regni esse videbantur, ne forte rebus inactis frustrà laborassent, multâ persuasione evicerunt cor Regis, ut Dominum Papam revocaret in castra, quem redeuntem suscepit ex ingrato officio: Omnibus autem exhilaratis & conventioni adgaudentibus dixit Dominus Papa: adhuc superest quod facere debeat Princeps vester: requirat beato Petro Apuliam quam Willhelmus Siculus per vim possidet. Quo facto veniat ad nos coronandus.* Et vix tandem obtinent, ut hæc expeditio post ipsius coronationem differatur; obtestantibus illis, quorum utique operâ indigebat, se in patriam reversuros, nî sententiam mutaret. Acta à Baronio ex Vaticano producta, Fridericum strepam tenere noluisse, simpliciter di-

Sigon. de regno Ital. l. 12.

Helmod. in lib. 1. Hist. Sclavorum c. 81.

Helmod. l. 1. c. 73.

Ottho Frisingens. de gestis Frid. I. l. 2. c. 20.

dicunt; eóque tandem adactum ſtregulam fortiter tenuiſſe, aliàs ad Adriani oſculum non admittendum; Adriani interim, (nota hujus Cathedræ quanta virtus) qui dicere ſolitus: *ambire Pontificatum eſt Romulo ſuccedere in parricidijs, non Petro in paſcendis ovibus. Nunquam enim ea ſedes ſine fraterno ſanguine acquiritur;* Ubi in rem præſentem venit quovis alio fervidior. Et Fridericus tamen gratiam ejus redempturus Arnoldum in Tuſciâ à Pontificijs comprehenſum, ſibique traditum, hæreſeos prætextu damnatum, vivum comburi, cinereſque ejus in Tiberim projici juſſerat. Verùm, ut in Germaniam revertitur, ſeu quod Caniculæ æſtum Germanis infeſtum minus ferret, ſeu quod cum Adriano ei minus conveniret; Adrianus eo abſente ita occaſionem amplectitur, ut Guilielmus Dux Calabriæ, & Siciliæ Rex, qui in ſuis ditionibus Epiſcoporum inveſtituram ſibi vendicârat, Pontifice præcipuos ejus vaſallos ad rebellionem concitante, ad pedes provolutus veniam poſcere, ſeſeque Ligium ejus vaſſallum profiteri cogatur. Accidit per idem tempus, ut Londonenſis Archiepiſcopus à latronibus in Germaniâ caperetur; nec Fridericus eo facto ſatis commoveri Adriano viſus: qui interim Veſuntioni in Burgundiâ Beatricem Comitis filiam ſibi uxorem deſpondebat. Adrianus moræ impatiens Legatos eò Cardinales Rollandum & Bernardum cum literis mittit, quibus non tam expoſtulat, quàm exprobrat, quod non ſatis agnoſcat, *quanto ſtudio Imperialis coronæ inſigne ipſi contulerit, & beneficia* (feuda intelligebat) *quæ ei conceſſerit:* Sic enim emollit Sigonius: Sed Radewicus contemporaneus author, Canonicus Friſingenſis, qui literarum exemplar refert longè durius: *Reduc*, inquit, *ante oculos mentis tuæ, mater tua ſacroſancta Romana Eccleſia, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris qualiter imperialis inſigne coronæ, libentiſſimè conferens, benigniſſimo gremio ſuo tuæ ſublimitatis apicem ſtuduerit confovere, &c. Neque tamen pœnitet nos deſideria tuæ voluntatis in omnibus impleviſſe, ſed ſi majora beneficia excellentia tua de manu noſtrâ ſuſcepiſſet, ſi fieri poſſet, &c. Non immerito gauderemus.* Quæ præſertim clauſulæ Principum animos offendebant, quaſi Pontifici dicere mens fuiſſet, Imperatorem hominij jure imperium ab eo accipere; imperium proinde, Pontificale feudum eſſe, & eo magis, inquit Radevicus, *ad horum verborum ſtrictam expoſitionem ac præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quod à nonnullis Romanorum temere affirmari noverant, imperium Urbis, & regnum Italicum donatione Pontificum Reges noſtros hactenus poſſediſſe, idque non ſolùm dictis, ſed & ſcriptis atque picturis repræſentare & ad poſteros tranſmittere. Unde de Imperatore Lothario, in Palatio Lateranenſi, ſuper hujuſmodi picturam ſcriptum eſt:*

Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Talis pictura, taliſque ſuperſcriptio Principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles imperij delata, cum vehementer diſplicuiſſet, amicâ prius invectione præcedente, laudamentum à Papa Adriano accepiſſe memoratur, ut & ſcriptura, pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tā vana res ſummis in orbe viris litigandi & diſcordandi prębere poſſet materiam. Et verò, eum fuiſſe Adriani ſenſum ex ſuis ad Arnulfum Moguntinum Archiepiſcopum, Fridericum Colonienſem, & Hillinum Treverenſem literis liquet: *Romanum*, inquit, *imperium à Græcis tranſlatum eſt ad Alemannos, ut Rex Teutonicorum non ante quàm ab Apoſtolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante conſecrationem Rex, poſt Imperator. Unde igitur habet imperium, niſi à nobis? Ex electione Principum ſuorum habet nomen Regis, ex conſecratione noſtrâ, habet nomen Imperatoris & Au-*

Baro. ann. 1155. art. 8, & ſeq. Anton. ex Ioh. Sariſburienſi & Helinando Part. 2. Tit. 17. c. 1. §. 9.

Sigon. l. 12. de regno Ital.

Radewic. l. 1. c. 10.

Avent. l. 6.

& Augusti, & Cæsaris. Ergo per nos imperat. Recolite antiqua: Zacharias promovit Carolum, fecit ei nomen grande, ut esset Imperator, & ut posthac perpetuò Rex Teutonicus esset Imperator & advocatus sedis Apostolicæ, ut Romano Episcopo, Apulia per eum pacata, esset subjecta, quæ nostra cum Urbe Romana est, non Imperatoris. Romæ nostra sedes est: Imperatoris est Aquis in Arduenna, quæ est sylva Galliæ: Imperator quod habet totum, habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit imperium à Græcis ad Teutonicos, ita nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate nostrâ est, ut demus illud cui volumus. Propterea constituti à Deo super gentes & regna, ut destruamus & evellamus, & ædeficemus & plantemus, &c. Et hic igitur Adriani ausus, ut jam videndum supersit, quid ad hæc Imperator Fridericus. Ut interim non omittamus, hunc eundem Adrianum esse, qui Henrico Regi Angliæ scribens dicere non verecundatur. *Sane Hiberniam & omnes insulas quibus sol justitiæ Christus illuxit, ad jus beati Petri & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, non est dubium pertinere, &c. Ideò illius terræ populus honorificè te recipiat, & sicut dominum veneretur, jure nimirum Ecclesiastico illibato; Salvâ de singulis domibus annuâ unius denarij pensione.*

Hadriani Epist. ad Regem Angliæ apud Matthæum Westmonasteriens.

OPPOSITIO.

Krantzius. l.6.c.35.

VIdit invitus Fridericus in pariete factam picturam, quam ut oculis annotavit, vultum avertit contractum. Erat ejusmodi: sedit in Pontificali cathedrâ Innocentius secundus, ad cujus genua Lotharius imperij coronam curvatus accepit: Fremuit nihil dicens Fridericus, & cum rediisset in Germaniam, Hadrianus Papa misit Cardinales duos, rem magnam acturos: Scripsit inter alia, beneficium tibi coronæ concessimus. Ejus igitur causâ, inquit Radevicus, omnes imperij Principes, qui aderant, graviter commoti: Conquerentibus verò de tam petulanti Legatione nonnullis unus ex Legatis Pontificis, *quasi gladium igni addens, ut* ambiguitatem omnem tolleret, respondit: *à quo ergo habet, si à Domino Papa imperium non habet?* Ad quæ verba incandescens Otho Comes Palatinus gladium stringit, nî Fridericus ipse cohibuisset, illicò confossurus; qui etiam, nullo alio responso dato, Legatos dimisit ac recto itinere properè ad urbem redire, nullâ morâ in Germaniâ tractâ, præcepit; Nempe, ne hinc inde vagando subditorum fidem sollicitarent. Scribit interim Fridericus ad omnes imperij ordines, de tam insolenti Legatione graviter conquæstus, ijsque Pontificiarum literarum exemplar mittit, clausulasque illas sigillatim connotat: *Ipsi*, inquit, *de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiæ, de fastu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione, Apostolicis literis conscriptam nobis præsentaverunt. Cumque per electionem Principum, à solo Deo regnum & Imperium nostrum sit, quod in passione Christi filij sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit: cumque Petrus Apostolus hac doctrinâ informaverit, Deum timete, Regem honorificate, quicumque nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacij reus.* Addebat, ratum sibi esse quod cœperat prosequi, libertatem Ecclesiarum, *à manu Ægyptiorum vindicare*, Pontificis utique, ut alterius Pharaonis; animos igitur viresque ut conjungerent seriò hortari; Nec omittendum deprehensum fuisse, hos Legatos *multa paria literarum habuisse, & schedulas sigillatas ad arbitrium eorum adhuc scribendas, quibus, sicut hactenus consuetudinis eorum fuit, per singulas Ecclesias Teutonici regni, conceptum iniquitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare,* cru-

cruces excoriare nitebantur; Auro & argento, quo tegebantur, exuere. Quare, ut has technas dissiparet, recto itinere redire jussisse. Legati, ut Pontifici hæc retulerunt, cui alioqui male cum Romanis conveniebat, ad Germaniæ Episcopos sibi scribendum statuit, Fridericum igitur literas suas scrupulosius interpretatum conqueritur; Verba illa in primis, *insigne coronæ beneficium tibi contulimus*; Et hæc quidem in literis ipsis crudiora multo, rogatque animum ejus leniant, eoque inducant, ut de sermonibus quos cum Legatis habuit ita satisfaciat, ut unusquisque ædificetur; hoc obsequio B. Petri gratiam non parum promerituros. At respondent Episcopi & Antistites Germaniæ, ex hujus Legationis occasione congregati, universam imperij Rempublicam illis literarum clausulis vehementer offensam fuisse, Imperatoris aures eas audire patienter non potuisse, Principum etiam non sustinuisse, semetipsos propter sinistram illam ambiguitatem non probare, insolitas quippe, & hactenus inauditas: se tamen ejus literis obtemperando de hoc negocio apud Imperatorem egisse, *Et ab eo tale (Deo gratias) accepisse responsum quale decebat Catholicum Principem, in hunc modum: Duo sunt*, inquit, *quibus nostrum regi oportet imperium, leges sanctæ Imperatorum, & usus bonus prædecessorum & patrum nostrorū: istos limites Ecclesiæ nec volumus præterire, nec possumus, quicquid ab his discordat non recipimus. Debitam Patri nostro reverentiam libenter exhibemus, liberam imperij nostri coronam divino tantùm beneficio adscribimus; Electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest, cæteris secundum ordinem, Principibus recognoscimus. Regalem unctionem Coloniensi, supreman verò, quæ Imperialis est, summo Pontifici. Quicquid præter hæc est, ex abundanti est, à malo est, &c. Introitum & exitum Italiæ nec clausimus edicto, nec claudere aliquomodo volumus peregrinantibus, vel pro suis necessitatibus rationabiliter cum testimonio Episcoporum, & Prælatorum suorum, Romanam sedem adeuntibus; sed illis abusionibus, quibus omnes Ecclesiæ regni nostri gravatæ & attenuatæ sunt, & omnes pæne Claustrales disciplinæ emortuæ & sepultæ, obviare intendimus. In capite orbis, Deus per Imperium exaltavit Ecclesiam, in capite orbis, Ecclesia non per Deum, (ut credimus) nunc demolitur imperium. A picturâ cœpit, ad scripturam pictura processit, scriptura in authoritatem prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus, coronam anteponemus, quàm imperij coronam unà nobiscum sic deponi consentiamus. Picturæ deleantur, scripturæ retractentur, ut inter regnum & sacerdotium æterna inimicitiarum monimenta non remaneant.* His verbis Friderici consilium Hadriano exponebant, in supplicationem desinentes, anteriora scripta mollioribus emendaret, unde Imperatoris magnanimitas placaretur. Interim verò mittebat Imperator in Italiam Othonem à Witelsbach Palatinum & Renaldum de Dassel Cancellarium, eximios viros, qui omnes in fide continerent & Proceres, Episcopos, civitates sacramento obstringerent; & quidem præscripta formula. *Præstabo fidem in posterum Friderico Imperatori adversus omnes homines, &c. Et quicquid juris habet in Comitatu, in episcopatu non adimam, &c. Omnia mandata ejus de jure reddendo, mihi vel per ipsum, vel per Epistolam vel per Legatum ejus injuncta, summâ fide curabo, & audiam, & ut expleantur, operam dabo.* Ita quidem ut Hadrianus tantorum præcursorum fœlici successu permotus, Friderici in Italiam adventum cum exercitu reformidans, Legatos ad eum sibi mittendos statuat, Henricum & Iacynthum Cardinales, cum literis ad eum amplissimis, in quibus mirum quàm sermonem suum emolliat. Radewicus idem: *Reverenter ac demisso vultu, voce modestâ, tale suæ Legationis assumunt principium. Præsul sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vestræ excellentiæ devotissimus in*

Radevic. l. 1. c. 15 16.

Radevicus l. 1. c. 16.

Sigo. l. 12. de regno Ital.
Radevicus l. 1. c. 18. & 19.

Radevicus l. 1. c. 1. & 22.

Christo Pater, salutat vos, sicut charissimum & specialem sancti Petri filium: Salutant etiam vos venerabiles fratres nostri, Clerici autem vestri universi Cardinales, tanquam dominum & Imperatorem Urbis & orbis. Qui stilus anteriori illi quam dispar; In literis utique ad Moguntinum, Coloniensem, Trevirensem, Archiepiscopos. Literas inde porrigunt, quas Fridericus Othoni Frisingensi Episcopo interpretandas tradit; Et hæ apud Radevicum extant, submissionis, satisfactionis, reverentiæ plenæ: Præcipuæ verò earum clausulæ hæ sunt. *Occasione cujusdam verbi quod est beneficium, tuus animus, sicut dicitur, est commotus, quod utique ne dum tanti viri, sed nec cujuslibet minoris, animum merito commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est Beneficium, apud quosdam, in aliâ significatione quàm ex impositione habeat, assumatur, tunc tamen in eâ significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum, & dicitur beneficium, apud nos non feudum, sed bonum factum. In quâ significatione in universo sacræ Scripturæ corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione & bono facto ipsum gubernari dicimus & nutriri. Et tua magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene & honorificè Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum valeat omnibus judicari*, beneficium nempe; Et sic his literis non tantum præcedentes revocabat, sed etiam inscriptionem tabulæ Innocentij secundi ejurabat; *Post homo fit Papæ.* Pergit. *Quidam hoc verbum sicut & illud scilicet, (contulimus tibi insigne Imperialis coronæ,) à sensu suo visi sunt ad alium sensum retorquêre* (dixerat rudius, *plenitudinem dignitatis*, hoc est, *integram dignitatem*) *non ex merito causæ sed de voluntate propriâ & illorum suggestione, qui pacem regni & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum, (Contulimus) nil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, imposuimus.* Quâ ratione, & reliquo versui Innocentij II. renuntiat, *sumit quo dante coronam*; Et hac suavi Grammaticâ eblanditus Fridericus, qui prætereà tum voce, tum scripto, quædam capita Legatis injunxit, quibus denegatis, discordiæ semina inter se & Pontificem foverentur, & ijs satisfacturum Hadrianum, Legati in se receperunt, quem nollo modo Regiæ ipsius dignitati derogare velle spondebant; Sicque reddita Hadriano pax. Vide verò bonam fidem, vel ipso fidei jussore Baronio: *Hadrianus, inquit, prudentissimus, ut furentem conciliaret Imperatorem, dans ex commonitione Apostolicâ, locum iræ, exemplo pariter Apostolico cedens ad tempus, ita vocem, beneficium, est interpretatus, ut concitatam discordiam sopiret magis quàm augeret*, non autem seriò, *sed ad breve tempus, ista subsistere potuerunt.* Hæc anno 1158. gerebantur, nec eo minus tamen Fridericus, novos in Lombardiâ motus compositurus, Alpes transcendit; & non multo post, refocillandi causâ, exercitum in ditionem Pontificis promovet. *Mos erat antiquis*, inquit Otho Frisingensis, *ex quo imperium Romanum ad Francos derivatum est, ad nostra usque deductus tempora, ut quotiescumque Reges Italiam ingredi destinassent, gnaros quoslibet de familiaribus suis præmitterent, qui singulas civitates seu oppida peragrando, ea ad fiscum Regalem spectant, quæ ab accolis Fodrum dicuntur, exquirerent, ex quo fit ut adveniente Principe, plurimæ civitates, oppida, Castella, quæ huic justiciæ vel omnino contradicendo vel integraliter non persolvendo reniti conarentur, ad solum usque prostrata, protervia suæ documentum posteris ostenderent. Alia itidem ex antiquâ consuetudine justitia manasse traditur; ut Principe Italiam intrante, cunctæ vacare debeant dignitates & magistratus, ac ad ipsius nutum, secundum scita legum, jurisque peritorum judicium, universa tractari.* Ut

Radevicus l. 1. c. 23.

Baron. an. 1158. art. 6

An. 1158.

Ottho Frisingens. l. 2 c. 13.

igitur

igitur Fridericus hæc jura per officiarios sibi asserit, in Fodro præsertim colligendo, Hadrianus quorundam instinctu graviter indignari cœpit, dicens, *se pro bonis mala suscepisse, Imperatorem beneficiis suis ingratum existere. Proinde occasionem quærens, cum audisset, quod Regalia Principum tam ab Episcopis & Abbatibus, quàm à civitatibus & Proceribus recognita fuere, literas in fronte quidem leniores, diligentius verò consideratæ, acriori commonitione plenas, super hoc negotio dirigit, easque quidam indignus & vilis nuncius præsentans, antequam recitatæ fuissent, disparuit.* Unde commotus vicissim Fridericus, & eo amplius quod paulo ante, ipso rogante, Vidonem filium Comitis de Blandrata, in locum Anselmi, Ravennatem Archiepiscopum, populi & cleri suffragijs electum, confirmare detrectasset, subdiaconum Romanum esse causatus, qui injussu suo in alienam Ecclesiam transferri non deberet; Hadrianus licet in pluribus alijs & majoris quidem momenti sibi satis indulgeret. Fridericus tamen, misso cum honorificis literis Hermanno Episcopo Verdensi, iterum ejus animum tentat, iterumque repulsam patitur; Itaque *suam hoc modo solaturus indignationem, jubet Notario, ut in scribendis chartis nomen suum præferens, Romani Episcopi subsecundet, & dictionibus singularis numeri ipsum alloquatur. Ajebat siquidem aut Papam debere servare suorum antecessorum ad personam Imperialem scribendi consuetudinem, aut seipsum antiquorum Principum morem in Epistolis oportere observare.* Angebat hoc Hadrianum mirum in modum, qui Fridericum per suos admonebat, non ita B. Petro debitam reverentiam exhiberi, cum de Regalibus & cæteris juribus ab Episcopis ratio repeteretur. At respondebat Fridericus, se antiquum morem secutum, & rationi consentaneum esse, ut quæ Cæsaris essent, Cæsari ab Episcopis redderentur; Cardinalibus porrò suis Urbium portas occlusisse, *quod non ad prædicandum venissent, sed ad prædandum.* Verùm, quod acriori simultati fomitem ministravit, inter hos ultrò citróque nuntios, intercipiuntur Hadriani ad Mediolanenses literæ, quibus eos ad defectionem in Fridericum sollicitabat: quare & vicissim Fridericus Legatos suos Romam ad Senatum & Populum mittit. Tunc igitur impotens animi Hadrianus, quatuor Cardinales ad Fridericum Bononiam delegat, *qui post lene principium & ingressum quasi pacificum, capitula durissima proposuerunt, verbi gratiâ: Ne posthac nuncios ad Urbem, ipso insciente Pontifice, mitteret, cum omnes magistratus S. Petri ibi cum universis Regalibus essent: Ne à populis Pontificiæ ditioni subjectis, nisi suscipiendæ coronæ tempore fodrum exigeret: Ne Episcopos Italiæ hominio sibi obstringeret: Ne nuncios suos hospitatum in Episcopia mitteret: Ut possessiones Ecclesiæ Romanæ, & tributa Ferrariæ, Massæ, Ficaroly, totius terræ Comitissæ Mathildis, totius terræ quæ ab Aquapendente est usque Romam, Ducatus Spoletani, Insularum Sardiniæ & Corsicæ restitueret.* Imperatore autem super *his justitiam & consilium constanter offerente, si & ipsi justitiam vellent facere, & recipere. Illis verò recipere tantùm volentibus, & non facere, hac ratione quòd Dominum Apostolicum causæ subjicere ac judicio sistere non possent, & è contrario Domino Imperatore multa proponente, de ruptâ concordiâ, quæ in verbo veritatis sibi compromissa fuerat. De Græcis, de Siculo, de Romanis sine communi consensu non recipiendis, de Cardinalibus quoque sine permissione Imperiali liberè per regnum transeuntibus & regalia Episcoporum palatij ingredientibus, & Ecclesias Dei gravantibus, de injustis appellationibus & cęteris quam pluribus.* Quibus cum Pontefex satisfacere nollet, *unitatis & concordiæ verbum,* inquit Radevicus, *diu desideratum peccatis nostris exigentibus, evacuatum est.* Fridericus tamen nihil officij sui omissurus, Hadriano per literas respondet his verbis: *Episcoporũ Italiæ ego quidem non affecto hominiũ, si ta-*

Radevicus l.2.c.15.

Radevicus l.2.c.18.

Sigon.l.12 de regno Ital. Radev l.2.c.18.

Radevicus l.2.c.30.

si tamen & eos, de nostris Regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano Præsule quid tibi & Regi? Consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi & possessioni? Nuncios nostros in Palatiis Episcoporum non esse recipiendos asserit: concedo, si forte aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro, Palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt Palatia Episcoporum, cum profectò omne quod ædificatur, solo cedat, nostra sunt & palatia. Injuria ergo esset, si quis nuncios nostros à regiis palatiis prohiberet. Legatos ab Imperatore ad Urbem non esse mittendos affirmat, cum omnis magistratus inibi beati Petri sit, cum universis Regalibus. Hæc res fateor magna est & gravis, graviorique & maturiori egens consilio, nam cum divinâ ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & sim, speciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac sine re, si urbis Romæ de manu nostrâ potestas fuerit excussa. Tandemque *consilium initur ut ex parte Hadriani Cardinales sex, & ex parte Principis sex Episcopi religiosi, tantorum negotiorum hinc inde cognitionem accepturi eligerentur, tantamque litem congruo fine decisuri;* Verùm, inquit, *ex parte Romanorum etiam hoc consilium dicitur fuisse evacuatum,* dicentium, Pontificem nullius omnino judicio subjacere. Quin & instante per Legatos Friderico, se Ecclesiæ in Concilio adunatæ judicio staturum; Respondet: *Vocâre debeo non vocâri, judicare non judicâri*; quam quidem responsionem seniores omnes detestati sunt, quod Ecclesiæ judicium refugeret. Extant verò apud Nauclerum reciprocæ Hadriani & Friderici literæ; Et Hadrianus Epistolam sic ordiebatur: *Lex divina sicut parentes honorantibus longævitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri sententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur;* Indeque exprobrat, quod nomen suum præposuerit, *contra fidelitatem juratam B. Petro,* quod ab Episcopis *hominium* requisierit, *qui Dij sunt & filij excelsi omnes, & manus eorum sacratas manibus tuis innexuerit,* arrogantiam & infidelitatem ei imputans. Respondet Fridericus & pro salutatione: *Adriano Ecclesiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere, quæ cœpit Iesus facere & docere.* Ut autem Hadrianus dixerat: *Lex divina mortis sententiam intendit, &c.* Fridericus vicissim præfatur. *Lex justitiæ unicuique quod suum est restituit, &c.* Posteà pergit: *Numquid tempore Constantini Sylvester Regalis aliquid habuisse dignoscitur? Sed ejus pietatis concessione, libertas restituta est Ecclesiæ, pax restituta est. Et quicquid Papatus vester Regalis habere dignoscitur, largitione Principum obtinet, &c. Revolvite Annales, & si lectum neglexistis quod asserimus, illic invenitur.* Infidelitatis eum arguerat Hadrianus, quod Sacramentum & hominium Episcoporum, quos *Deos* ipse, & *filios altissimi* vocabat, accepisset. Respondet Fridericus: *Ab ijs qui Dei sunt per adoptionem & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus? Cum ille noster & vester institutor ab homine Rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persolvit & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis, doceat vos dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Denique repetitis ijsdem, quæ supra, clausulis concludit: *Non enim possumus respondere auditis, cum superbiæ detestabilem bestiam usque ad sedem Petri reptasse videmus.* Et hæ duæ Epistolæ apud Nauclerum integræ ex Bibliothecâ Hirsaugiensi proferuntur; In eoque moritur Ananiæ Hadrianus anno 1159. mense Septembri. Hunc Gulielmus Tyrius Synanche correptum scribit: Urspergensis excommunicato de novo Friderico, fontem obambulandi causam petivisse, ubi aquam haurientem musca in os ingressa, medicis frustrà remedia adhibentibus, eum strangulârit. Et hic quidem stomachatur Baronius, cum tamen non alio magis authore pro Pontificibus contra Imperatores glorietur.

Radev. l. 2. c. 31.

Naucler. Gener. 30. vol. 2.

Sigon. de regno Ital. l. 12. Iohannes Stella in Pontificib. Willielm. Tyr. l. 18. c. 26. Abbas Ursperg. Ann. 1156

Huc

Huc verò propriè pertinet Johannis Salisberiensis Episcopi Carnutensis cum Hadriano colloquium, quod ille ipse scriptum nobis reliquit: *Memini*, inquit, *me causa visitandi Dominum Hadrianum Pontificem quartum qui me in ulteriorem familiaritatem admiserat, profecturum in Apuliam: mansique cum eo Beneventi ferme tres menses. Cum itaque (ut fieri solet) inter amicos sæpe super plurimis conferremus, & ipse quid de se & Ecclesiâ sentirent homines à me familiarius, & diligentius quæreret, ego apud eum usus libertate, mala quæ in diversis provinciis audieram, patienter exposui. Sicut enim dicebatur à multis, Romana Ecclesia, quæ mater omnium Ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet aliis quàm novercam. Sedent in eâ Scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in Clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam; pretiosam supellectilem congerunt, auro & argento onerant mensas, sibi etiam ab avaritiâ nimis parci: Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quam vana gloria introduxit. Concutiunt Ecclesias, lites excitant, collidunt Clerum, & populum, laboribus & miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Ecclesiarum lætantur spoliis, & quæstum omnes reputant pietatem. Iustitiam non tam veritati quàm precio reddunt, omnia namque cum precio hodie, sed ne cras aliquid sine precio obtinebis. Nocent sæpius & in eo Dæmones imitantur, qui nunquam prodesse putantur, quam cum nocere desistunt, exceptis paucis, qui nomen & officium pastoris implent. Sed & ipse Romanus Pontifex omnibus gravis & ferè intolerabilis est. Præterea omnes arguunt, quod ruentibus & collabentibus Ecclesiis, quas Patrum construxit devotio, altaribus quoque incultis palatia extruit, & ipse non modo purpuratus, sed deauratus incedit. Palatia sacerdotum splendent, & in manibus eorum Christi sordidatur Ecclesia: Provinciarum diripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare: Sed rectè cum eis agit altissimus, quoniam & ipsi aliis & sæpe vilissimis hominibus dati sunt in direptionem, & (ut opinor) dum sic in invio erraverunt, nunquam deerit eis flagellum Domini. Os siquidem Domini locutum est, quia quo judicio judicaverint judicabuntur & sua mensura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non novit. Hæc, inquam Pater, loquitur populus, quandoquidem vis ut illius tibi sententias proferam*; Et suam quidem sententiã satis expresserat cum diceret, *ut opinor*, verùm fidiculas adhibet Hadrianus: *Et tu*, inquit, *quid sentis? Angustiæ, inquam, sunt undique, vereor enim ne mendacij vel adulationis contraham notam, si solus populo contradixero, sin autem reatum vereor majestatis, ne tanquam qui os meum in cœlum posuerim, crucem videar meruisse. Veruntamen quia Guido sanctæ Potentianæ Presbyter Cardinalis testimonium populo perhibet, ei usquequaque contradicere non præsumo: Asserit enim in Romanâ Ecclesiâ quandam duplicitatis esse radicem*, quæ utique *simplicitati* opponitur, proinde & columbæ illius indoli, quæ tantopere Christianis commendatur. *Fomentum etiam avaritiæ, quæ caput & radix est omnium malorum. Neque id quidem in angulo, sed confidentibus fratribus, sancto Eugenio præsidente, quando adversus innocentiam meam Ferentini gratis excanduerant, hoc publicè protestatus est. Unum tamen audacter conscientiâ teste profiteor, quia nusquam honestiores Clericos vidi, quàm in Ecclesiâ Romanâ.* Hicque Bernardum Redonensem nominat, Cardinalem Diaconum & Prænestinum Episcopum haud dubiè, ut ad ea, quæ dicturus erat, viam sternat. *Quia vero instas, urges, præcipis, cum certum sit quod spiritui sancto mentiri non licet, fateor, quia quod præcipis faciendum est, & si non sitis omnes operibus imitandi, nam qui à verâ doctrinâ dissentit aut hæreticus, aut schismaticus est: sed Deo propitio sunt, qui non omnium nostrum opera imitentur, &c. Sed timeo ne dum pergis quærere quæ vis, ab imprudente amico audias, quæ* non

Ioann. Salisbur. in Polycra. l.6.c.24.

non vis. Quid est pater, quòd aliorum discutias vitam & teipsum minimè perscrutaris? Omnes applaudunt tibi, Pater omnium vocaris & Dominus, & capiti tuo infundit omne oleum peccatoris: si ergo pater es, quare à filijs munera & retributiones expectas? Si Dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis? & temeritate repressâ eos ad fidem non revocas? Præmiserat enim paulo ante, Deum pios viros Româ eripere, *quia corrupta apud Deum his reperitur indigna. At urbem vis Ecclesiæ tuis muneribus conservare. Numquid sic Sylvester muneribus acquisivit? In invio, Pater es, & non in via. Eisdem est conservanda muneribus, quibus est acquisita; Quod gratis accepisti, gratis dato. Iustitia Regina virtutum est, & erubescit quovis precio permutari: gratiosa futura est, si gratuita. Nequaquam prostituatur ad precium, quæ corrumpi non potest: integra est & semper incorrupta: dum premis alios & tu gravius apprimeris. Risit Pontifex & tantæ congratulatus est libertati, præcipiens, ut quoties sinistrum aliquid de ipso suis auribus insonaret, hoc ei sine morâ nunciaret.* At, quid his rependit Pontifex? Fabulam utique illam Æsopi de membris olim cujusdam stomacho succensentibus, quod omnia caperet, & nihil faceret: quæ cum nihil amplius in eum transmittere statuissent, paucis post diebus in tabem incidissent; Idem orbi Christiano usu venturum argumentatus, nisi undequaque opes Romam congererentur. Verùm, unde tandem probasset Romam stomachi exemplo, aut parum, aut nihil retinere? in universi corporis, singularumque partium commodum, quæcumque ingeruntur, digerere, dispensare? Et hæc igitur bonus ille Episcopus ad Pontificem: plura haud dubiè mente versans, quam exprimere auderet. Etenim Tractatum consultò ediderat, cui titulus, *Objurgatorium Cleri*, in quo graviter universum Glerum reprehendebat; Quin & in Polycratico illo suo variis in locis præfractiùs; Alicubi sane:
Idem. l.7. c.17.18.19 *Alius sperans in multitudine divitiarum Simone (Mago scilicet) ducente* (Ecclesiam) *ingreditur, non inveniens ibi, qui eum & pecuniam suam jubeat ire in perditionem: Alius in muneribus ad Petrum reformidat accedere, clanculo tamen per impluvium auri, ac si per tegulas Iuppiter illabatur in gremium Danaes; sic in sinum Ecclesiæ procus descendit incestus, &c. Iam palam emuntur omnia, nisi modestia venditoris impediat; adeò enim sacris altaribus avaritiæ prophanus imminet ardor, ut hæc omnia quasi parodica quædam præemantur, &c. Nam de moribus ultima fiet mentio & istis lex Canonum nequaquam posita est*; alludens ad dictum Apostoli, *Lex non posita est justo. Iustitiæ siquidem liberi sunt & eo ducuntur spiritu, ut necesse non habeant esse sub lege, &c.* Illos apertè
Idem. l.8. c.17. irridens; *Simonem ut simplices & credulos circumveniat, miraberis rediisse*; Alibi: *Quis credat, quod Patres Ecclesiæ, judices orbis, & ut ita dicam, clarissima lumina mundi, diligant munera, sequantur retributiones, provincias concutiant, ut excutiant, loculos exinaniant alienos, ut suos solident, verbis prædicent paupertatem, & criminibus ad divitias properent, bonorum spiritualium damnent commercia, ut cum eis duntaxat in talibus contrahere liceant, ut faciant rixas, humilitatem indicent & simulent, ut vendicent fastum, alienam pulsantes, & suam foventes avaritiam, dictantes largitatem, tenacitati insistentes, & ut paucis hujus loci amfractus, & volumina spatiosa complectar, cum sceleratis, & flagitiosis omnibus ponentes portionem, aut flagitia vendicantes in solidum, ut videantur Concilium unitatis, iniqua gentium Synagoga, Ecclesia malignantium, in quorum manibus iniquitates sunt, & dextera eorum repleta est muneribus.* De hujus Synagogæ capite quid proinde sensurus? Nec prætereundum ad ea quæ Orientem spectant, Hadrianum Pontificem cum Templarios sibi devincturus, Patriarchæ jurisdictioni exemisset (*perniciosam libertatem* vocat Tyrius) Patriarcham Centenario proximum, cum primarijs Episcopis Romam venire coactum, ut de injuriâ sibi factâ quere-

querelam suam exponeret: quem Pontifex per affectatas moras diu ludificatum, mœrore demum confectum, & sumptibus exhaustum causam deserere coëgit. Tyrius Archiepiscopus disertè: *Templarij Papam muneribus corruperant, ideo pro legitimis illos habebat, Dominum verò Patriarcham cum suis adulterinos filios à se repellebat quasi indignos.* Item: *de tantâ Cardinalium turbâ vix reperti sunt duo vel tres, qui Christum sequentes, ejus ministrum in causâ suâ piè vellent fovere. Alij omnes abeuntes post munera secuti sunt vias Balaam, sicut filij Bosor.* Moritur verò paulo post miser Patriarcha, cujus successor Amalricus *pallium* Româ accipit, *sed multa interveniente munificentia*, de Romanâ corruptelâ sic tum loquebantur. Guliel. Tyrius l. 18. c. 6. 7. 8.

PRORGESSUS.

Hadriano non tam immoritur, quam inardescit hoc incendium. Cardinales scissis studiis in seditionem conversi, alij Octavianum. S. Cæciliæ Cardinalem eligunt, quem Victorem quartum nominant; Rolandum alij S. Marci, quem Alexandrum tertium, ex Legatis illis alterum, quos Hadrianus cum asperioribus literis illis ad Fridericum in Germaniam miserat, quarum causa, ipsi minus comiter recepti, ut hunc simulatem in Fridericum aliturum verisimile esset. In id igitur uterque intentus, ut causam suam & approbet, & communiat, unde Guelforum, & Gibellinorum celebria in Italia nomina. Et Rolandus quidem se à viginti tribus Cardinalibus nominatum dicebat; Octavianus, licet à quinque tantum, se primum immantatum, purpurâ illâ indutum, inque Cathedram Petri ex Cleri, populique consensu invectum regerebat. Sed Rolandus, Octaviano civi Romano in urbe obsistere non ausus, Terracinam secedit, seque primùm consecrandum curat, omnibus demum, qui Octavianum consecrârent, inferno adjudicatis. Qui tamen aliquot post diebus à suis clientibus inauguratus paria anathemata rependit; quin & Othonis Comitis Palatini ope Latium patrimoniumque Petri invadit; Ambo interim extrà Romam, quia Senatus Romanus authoritatem in Urbe retinebat, quæ cum Papali consistere non posset. Itaque sedebat Alexander tertius Ananiæ, Victor quartus Senis, uterque favorem Imperatoris emendicans, qui Cremam per idem tempus in Longobardiâ obsidebat. Ita tamen, ut qui eum offenderat Alexander, de ejus gratiâ minus sperâret. Hæc ex eorum ad Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos &c. literis apud Radevicum, quarum sanè, quæ Alexandri, asperiores, in quibus de Victore notanda hæc verba: *Ipse Antichristi tempora præfigurans, usque adeò erectus est supra se, ut etiam in Templo Dei sederit, ostendens se tanquam sit Deus, & multi abominationem desolationis stantem in loco sancto, non sine multâ lachrymarum effusione corporeis oculis inspexerunt.* Et de Alexandro Victorem idem sensisse nemo dubitet, ut proinde uterque adversariæ partis judicio sit Antichristus, quo nomine sese invicem, *accensis candelis*, Ecclesiæ communione excludunt, infernoque contrariæ partis sequaces, *cum Satana eorum authore*, addicunt; Hæc enim eorum ipsissima verba. In his, Fridericus utrique significat, nolle se de tantâ controversiâ judicare, potius Ecclesiæ judicio stare velle: *Quare, antiquorum Imperatorum exemplo*, authoritate suâ Consilium ineunte anno 1160. Papiæ congregat, atque *citationem amborũ* venerabiles viros & prudentes, Danielem Pragensem, & Hermannum Verdensem Episcopos cum literis dirigit, quibus neutri præjudicium fiebat, eoque etiam Archiepiscopos, Episcopos, & Antistites non ex Imperio tantùm, sed ex Galliâ, Angliâ, Hispaniâ, Hungariâ,

Radevicus l. 2. c. 43. & seq.

Idem l. 2. c. 51. 52. 53. 54 55.

An. 1160.

gariâ, Daniâ invitat; omnibus & *securum conductum* se præstiturum & sinceram justitiam ante oculos habiturum, protestatus. *Quandoquidem*, inquit, *ex Decretis Romanorum Pontificum, & statutis Ecclesiæ veraciter accipimus, quod exorto schismate in Romanâ Ecclesiâ ex duorum Apostolicorum dissensione, ambos vocare & secundum sententiam & consilium Orthodoxorum litem decidere deberemus.* Ad diem igitur dictam, jejunia & supplicationes publicas ad Deum, pro prospero hujus Concilij successu indicit; Deinde ab ipso limine exponit, *licet Conciliorum convocatio jure ad se pertineat: hoc enim*, inquit, *& Constantinus & Theodosius, nec non Iustinianus, seu recentioris memoriæ Carolus Magnus, & Ottho Imperatores fecisse memorantur, authoritatem tamen definiendi hujus maximi & summi negotij illorum se prudentiæ, potestatique rem committere.* Cum Deus eos sacerdotes constituerit, in hisque quæ ad Deum sunt, *non sit*, inquit, *nostrum de vobis judicare, quibus potestatem dedit de nobis judicandi;* Tantùm, inquit, tales vos & taliter in hac causâ hortamur habere, tanquam solius Dei de vobis expectantes judicium. Quo facto sese Concilio subducit, Ecclesiæ & Ecclesiasticis totum examen permittit, quinquaginta utique Archiepiscopis aut Episcopis, Abbatibus innumeris, Legatis quoque diversarum terrarum, *spondentibus quicquid à Synodo decretum foret à suis indubitanter recipiendum.* Sic residentibus Episcopis & Clero universo, septem diebus causa ventilata, Octaviano tandem cessit litis victoria & pro ipso Concilium sive Curia dedit sententiam, *condemnato Rolando*, (Alexandro tertio) *& reprobato*, qui citatus legitimè, Concilio se præsentare contumaciter abnuisset; Causam Blondus & Sigonius hanc fuisse scribunt, *quod qui omnes homines judicare deberet, à nemine judicari posset.* In hujus verò narrationis serie identidem admonet Lectorem Radevicus, *ut in hoc facto ad disquirendam rerum veritatem non sua dicta consulat, sed literis & scriptis quæ ad manus suas venerunt, & huic operi inserta sunt, innitatur.* Quæ idcircò Lector invisere ne gravetur.

Radevic l. 2. c. 55. & 56.

Idem. l. 2. c. 64. & 65.

Ac primmum adducit Canonicorum S. Petri, *qui Romæ sunt*, Epistolam ad Fredericum, in quâ postquam Romanæ Urbis depravationem iisdem verbis, quibus olim Prophetæ Hierusalem deplorârunt: *propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates sacerdotum ejus, erraverunt cæci in plateis, facies Domini divisit eos;* Edisserunt, vivo adhuc Hadriano Bosonem quendam, quem *Satanæ primogenitum* appellant, munitionem B. Petri occupasse, custodibus corruptis, fidelitatemque sibi jurare coactis; Rolandum verò, ut legitimam electionem in Octavianum recidere vidit, absque omni contradictione, munitionem eandem conscendisse, indéque in cisternâ Neronis cum suis delituisse; cisterna inquam illa, in quam Nero Romanorum metu confugerat; nec unquam porrò *immantatum* fuisse, quamvis id sequaces sui omnibus modis satagerent. Et hic lepidam Theologiam notet Lector, ut à *manto* illo, in humeros seu jure, seu injuriâ, sponte, an per vim projecto, argumentum de electione legitimâ an illegitimâ, sumatur; ejus præsertim qui summus Ecclesiæ Christianæ Pontifex habeatur. Postea Actionem Concilij prosequuntur, quâ ab authore nudè & simpliciter propositâ, ex omnibus circunstantijs Victoris electio roborâtur, Alexandri invalida redditur; & perpetuò supernatat hæc quæstio, *an immantatus Rolandus necne?* Quod perpetuò negatur. Sequitur & catalogus omnium, qui in Victorem consenserant; & Rolandum ipsum suis sequacibus dixisse, *de me non facietis ridiculum, ibi est Papa, ite ad eum & obedite.* His itaque & similibus probationibus adductum Concilium sententiam tulisse, Imperatorem sibi oblatam ratam habuisse. Præsides Concilij, *per partes mundi* scripsisse,

Lib. 2. c. 66.

Radevicus l. 2. c. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76.

Victori propter has causas *adhærerent, & à Rolando abstinerent, quem candelis accensis anathematisatum Satanæ tradidissent*; quippe qui vivente Hadriano conjurationem injisset, ne quisquam, nisi ex conjuratorum numero Pontifex eligeretur. Literis verò hisce Synodalibus Peregrinus Patriarcha Aquilejensis, cum suffraganeis suis, Arnaldus Moguntinus, Artevicus Bremensis, Heilinus Treverensis, Renaldus Coloniensis, Vikman Magdeburgensis, pro Germaniâ cum suis: pro Galliâ Archiepiscopi Vesuntinus, Arelatensis, Lugdunensis, Viennensis cum suffraganeis; Legati Regum Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Daniæ, Dominorum mandatis subnixi, innumeri etiam Episcopi, Abbates & Præpositi Italiæ, Proceres imperij, tum intra Italiam, tum extra subscripsere. Delegatique verò Concilij nomine Episcopus Coloniensis in Galliam, Virodunensis in Hispaniam, Pragensis in Hungariam, quorum diligentiâ Acta Concilij ab omnibus reciperentur. Quæ ideo dicta sunto, ut quàm probè, ritéque se gesserit in hoc Concilio Fridericus, liquidò appareat; contra quàm Alexander suis deinceps præstigijs persuadere conabitur. Abbas sanè Urspergensis totum hoc negotium in pauca contrahit: *De jure*, inquit, *satis adjectum est, ut reprobatâ electione Rolandi, Octavianus verus præsul Romanæ Ecclesiæ judicaretur, &c. Mansitque Roma cum suis conspiratoribus in confusione, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: Qui insurgunt in me, confundantur*, & rursum, *servus tuus lætabitur, &c.* Alexander ut hæc intelligit, eo acrius Victorem & Fridericum excommunicat: in primis verò Cardinalem Ananiensem Mediolanum mittit, qui omnes Urbes, quæ Friderico studebant, diris devoveat, cumque ejus adversarijs arctisimo se fœdere conjungit. Verùm, de Concilio in Italiâ habendo diffidens, sub initium anni 1162. in Galliam contendit; eo fidentiùs, quod Ludovicum Iuniorem & Henricum secundum Angliæ Regem nutare adhuc & dubios animi esse, Cistertienses verò, quorum tùm in Angliâ magna authoritas, à suis partibus esse, cognosceret. Paschalibus igitur festis ad Montem Pessulum appellentem, Regis nomine Theobaldus S. Germani propè Lutetiam Abbas excipit, unde paucis diebus digressus Claromonte in Avernis Concilium habet, ibique, quod illi præcipuum, Victorem, Fridericum, omnesque eorum sequaces anathemate percutit: ex alterâ parte, Fridericus Vezuntionem accedit, Regem Ludovicum ad colloquium juxta Ararim invitat, in quo de pace Ecclesiæ consilia communicent; At magno ejus incommodo accidit, ut Fridericus ad dictam quidem diem, sed sub vesperam, regresso jam Ludovico, adveniret; Ut omittamus invidiam inter hos Principes, quibus alioqui non satis inter se conveniebat. Quò factum, ut frustra tentato à Friderico iterum colloquio, paucis post diebus Alexandrum tertium Toffaci ad Ligerim Reges Franciæ & Angliæ quasi certatim complecterentur. Inde anno 1163. Synodum apud Turones eo instituto celebrat; cætera prætextus fuere, exceptis, quæ contra Waldenses acta, de quibus suo loco.. At Victore, exeunte anno 1163. fato functo, Cardinales sui, nulla mora, Vidonem Cremonensem Cardinalem tituli S. Callisti, eligunt. Is Paschalis tertius, in Concilio demùm Wirtsburgensi, anno 1165. approbatus. Notat Aventinus Decretum ibi in primis memorandum, *nullum posthac fore Pontificem Maximum, nisi qui more majôrum, consensu Imperatoris creetur, atque nuntius duntaxat Christi, successorque Petri, non etiam Cæsareæ potentiæ pertinax æmulus esse velit.* In cujus observationem sese omnes sacramento obstringunt, non alios se unquam recepturos, etiam Imperatore moriente, privârique sacris muneribus, qui præstare detrectârunt. Alexander itaque partim ex hac mutatione, partim

Helmold. Historia Sclavorum l. 1. c. 91.

Ann. 1163

Ann. 1165

Avent. l. 6.

ex Friderici abſentiâ utilitatem capturus, in Italiam remeare ſtatuit; eo alacriùs, quod civitates Germanorum imperium jam faſtidire intelligit, Romanos verò præſertim, Johannis Cardinalis Legati ſui præſtigijs faſcinatos, ejus reditum exoptare. Unde ſanè res ſuæ convaleſcere viſæ: quamquam Fridericus, ut proſperum earum curſum inhiberet, Renaldum Archiepiſcopum Colonienſem, & Chriſtianum Moguntinum in Italiam præmittit: dum exercitum, brevi & ipſe affuturus, parat.

Appellentem in Lombardiam Fridericum civitates Lombardiæ omnes unanimi conſenſu per Legatos adeunt: de præfectorum Germanorum injurijs conqueruntur, & ab eorum ſervitute liberari ſupplices poſtulant. At is Alexandri technam facilè odoratus, dilato reſponſo, in illum rectà exercitum movet: Hæ contra, quibus in morâ nihil compendij, pro communi libertate tuendâ fœdus ineunt, ut paucæ admodum in fide Friderici maneant; Romam nihilominus ipſe cum exercitu contendebat, Paſchalem in ſolio conſtituturus: ita ut triremium Regis Siciliæ auxilio Cajetam petere Alexander cogatur. Sed ſuperveniente, mediâ æſtate, peſte, ejuſque copias depaſcente, Paſchali cum valido præſidio Romæ relicto, in Longobardiam ſe recipit; Ubi civitatum fœdus & numero creviſſe & novis ſacramentis roboratum intelligit, additâ licet perfunctoriè clauſulâ, quâ ejus obſequium excipiebatur; Venetos adeò ipſos, in Italiâ fide & opibus jam pollentes, ſeſe eis adjunxiſſe, unáque omnes Mediolanenſibus ad rebellionem animos feciſſe; A libertatis appetitu, an purigine hæc omnia, quam civitates, abſentibus aut remotioribus Imperatoribus, & guſtaverant & uſu cœperant, in formam jàm Reipublicæ omnes redactæ. Itaque Fridericus exercitum, ut valdè labefactatum videt, anno 1168. Alpes repetit, ſicque Alexandro benè gerendæ rei præclaram occaſionem præbet, quem intereà Emanuel Græciæ Imperator pertentat, Græcam Eccleſiam Latinæ unire paratum ſe profeſſus, ſi in imperium Occidentis eum reſtituere velit, cum utique Alexandro, neutrum conſtituere, utrumque evertere, conſilium eſſet. In his verò moritur Paſchalis: cui ſuccedit Iohannes Ungarus, Calixtus tertius dictus, quem Romani & eligunt, & adverſus Alexandrum tuendum ſuſcipiunt. Dum interim Alexander occupato in rebus Germaniæ Friderico, ex hac mutationis occaſione, Romanis proponit, ſi in urbem recipiatur ſe adminiſtratione Eccleſiaſticâ contentum, à civili prorſus abſtinere velle: quod tamen renitentibus Friderici Clientibus obtinere non potuit. Verùm cum anno 1175. Fridericus in Lombardiam reverſus, Alexandriam primo impetu adortus eſſet, inque ipſo obſidionis fervore, Henricus Dux Saxoniæ, religione excommunicationis Pontificiæ tactum ſe fingens, ab eo diſceſſiſſet, magnamque ſecum Germanorum partem abduxiſſet, (quo & nomine criminis in Germaniâ poſtulatus) fœderati ex hac imminutione animis aucti, Lignani prælium cum Friderico conſerunt, ambiguoque diu eventu, victoriâ potiuntur: quam cladem, ut novi in Germaniâ motus conſequuntur, Conſiliarij Fridericum ad pacem inducunt.

Ann. 1168.

Is igitur Legationem ad Alexandrum (is tum Ananiæ) expedit, cujus Princeps Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus, qui concordiam pacemque perpetuam inter eos ſancit, inducias cum Gulielmo Duce Siciliæ in annos quindecim, cum civitatibus Lombardiæ in ſexennium, eâ lege ut Papa Catholicus Alexander agnoſcatur, Calliſtus tertius Abbatiâ contentùs vivat, Cardinales ab eo creati in priſtinum ſtatum revertuntur; cujus pactionis Acta apud ſcriptores hujus tem-

Naucler. 2. vol. Generat. 10.

temporis leguntur. Verùm, quia non satis firma hæc pax videbatur, ni partes in congressum venirent, anno 1177. post aliquas utrinque moras, delectus, huic colloquio & sacramentis utrinque præstandis, Venetiis locus, & ibi, inquit Sigonius, *ad basilicam Sancti Marci adventanti Alexandro Fridericus obviam extra basilicam prodiit: à dextrâ receptum in eam introduxit, & perfectis sacris ad fores prosequutus, palafridum ascendenti strepam tenuit, atque ei omnem honorem & reverentiam habuit.* Cætera præ pudore addere non ausus; Alexandrum nimirum Imperatori prostrato *collum pede comprimentem dixisse: scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem: & cum illi Fridericus: Non tibi, inquit, sed Petro cujus successor es, pareo, Pontificem respondisse, & mihi & Petro.* Quam superbiam in universi populi oculis Fridericus nihilominus patienter tulit, partim pejora metuens, quod magna privilegia Alexander in hanc Rempublicam contulisset, hoc præsertim, *ut quotannis mare, dato annulo desponderet,* partim urgente Henrico primogenito filio, qui regni Italici cupiditate mirum in modum flagrabat; Addunt nonnulli Othonem filium à triremibus Venetis captum, quem eodem pacto redimebat. Baronius interim hanc historiam in dubium revocare nititur, quamquam in celebri illo Chronicorum codice discriptam, qui in Bibliothecâ Venetâ asservatur, rationemque addit, idoneam an secus judicet Lector: verisimile non esse Pontificem lenem adeò & patientem, tam arrogans, insolens & portentosum facinus commisisse. Verum de illâ æquanimitate & modestiâ nos primum convenisse oportuit, & prodigiosus Gregorii Septimi in Henrico quarto ad penitentiam recipiendo fastus fidem facilè huic conciliet. At certè & Veneta Historia adstipulatur, & Jesuitæ ipsi inde triumphant, ne dum ut cum Barionio verecundentur. Romani sanè in vim hujus submissionis, per Legatos eum Romam invitant, quod eâ lege accipit, ut senatores ab illis eligendi, antequàm munus suum adeant, Ecclesiæ Romanæ fidelitatem jurent. Et sic anno 1178. urbem ingressus, anno deinde 1180. Laterani Concilium indicit, ubi sancitum, *ut si inter Cardinales de Pontifice deligendo convenire non potuerit, Pontifex à duabus partibus eligi posit: quicumque vero tertiæ partis suffragiis fultus sese Pontificem gesserit, communione privatus sit. Quin*, inquit, *quod à prædecessore nostro Innocentio factum est innovantes, ordinationes ab Octaviano & Vidone hæresiarchis, nec non, & à Iohanne Strumensi qui eos sequutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus.* Unde judicet Lector, in potiore Europæ parte, quem scrupulum conscientiis, ex illis irritis ordinationibus relinqueret, an defigeret. Moritur verò paulò post, vel ipso Sigonio teste, *inimicitiis Friderici, quas non tàm moderatè exercuit quàm fortiter superavit, virtutis memoriæque insignis;* Lenibus his verbis horrendum illud facinus, quod exprimere noluerat, haud dubiè innuere volens.

Nec hic præterire fas, in Papalis authoritatis argumentum & augmentum, hunc ipsum Alexandrum legis authorem fuisse, quâ Sanctorum canonizatio solis Pontificibus Romanis asseritur. *Non licet*, inquit, *aliquem pro sancto venerari, absque licentiâ Papæ;* Quâ quidem lege priscorum apud Ethnicos Pontificum potestatem sibi vendicavit, qui quos vellent in Deorum numero collocabant: quam ut commendaret, à Bernardo exordio sumpto, qui sanctimoniâ celebris fuerat, Thomam inde Cantuariensem Martyrem pronuntiat, quod Pontificias usurpationes, contra Regalia jura, in Angliâ propugnasset; Cum tamen (quod notatu dignum) in Sorbonâ nostrâ post ejus canonizationem publicè disputaretur, eum, quod Regi Dei ministro rebellasset, damnatum esse. Aliam & legem condidit:

Bergamēs. in supplem. Chron. ad ann. 1160.
Petrus Iustinian. l. 2. rerum Venetarum.
Papirius Masso. l. 5. de Episcopis Urbis.
Asorius Iesuita in institut moral parte 2. l. 5. c. 43.
Hieronym. Bardus in Victoriâ navali.
Sabel. l. 7. decad. 1. de reb. Veneris.
Chronic. Codex Cardinal. Bessarionis Asservatus in Bibliothecâ Venetâ, Pluteo. 17. citatus ab Hieron. Bard. in Victoriâ navali p. 140. & 141. apud Baron. an. 1176. art. 2. & 5.
Baron. an. 1177. ar. 86
Ann. 1178.
Ann. 1180.
Sigon. de regno Ital. l. 14.
Extra de reliquiis sanctorum venerat. c.

Cæsarius Monach. in Dialog. l.8. c.69. Ne quis, *nisi præstito Pontifici fidelitatis juramento*, pallium Archiepiscopale accipere posset. Cæterùm, ad hanc Synodum omnes Occidentis Ecclesias convocavit quidem, sed iis qui aut propter locorum distantiam aut propter aliud impedimentum comparere non potuerunt, *pecuniariam mulctam*, quâ absentiæ suæ culpam redimerent, indixit. Quæ, inquit, Neubrigensis, *turpiùs exacta quàm soluta*. Meminerimus etiam eum, Vicarium utique illius qui in Euangelio, *hæc omnia regna tibi dabo, si me prostratus adoraveris*, Alphonso primo Portugalliæ Duci, tituli regii jus contulisse; & eâ quidem lege ut ei & hominium præstaret, & census annui loco, duas auri marcas persolveret. Quod ex Innocentii tertii ad Regem Sancium Epistolâ perspicuum, expostulantis quod ab eo tempore successores id solvere neglexerint: significantisque se Ramerio Legato mandatum dedisse, ut adhibitis etiam censuris Ecclesiasticis censum illum exigeret.

Gulielm. Neubrig. lib. 3. c. 2.

Baron. an. 1179. art. 16. & 17.

OPPOSITIO.

ET tyrannidi quidem Paschalis satis evidenter eo tempore intercessum, cum tantum Imperatorem, tantum imperium, tantis animis, tam obnixè reluctari nemo non videt; Romanos adeò ipsos portas ei quasi occludere, quippe quam intolerabilem agnoscant. At in eo maximè elucet Oppositio, cum sese mutuo isti Pontifices anathematibus deturbant, in Synodis ipsis Antichristos pronuntiant. Sed eximias quasdam subdere, operæ prætium aliquod nobis. Aventinus disertè. *Plerique, quorum maxima pars fuit, neutrum Pontificem recipiebant, illud divi Pauli usurpantes: omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Petrus, una fides, unus Deus, & pater omnium: atque illud Christi in ore erat, unus magister vester est, vos autem omnes fratres*. Addit, Gerochum Episcopum Richembergensem de hac controversiâ multa scripsisse, libróque titulum indidisse, *de Antichristo*; Qui quidem Gerochus is ille, quem apud Sigonium legimus Episcopum Halberstatensem factum, mox, in vim pacis cum Alexandro initæ, *Ulrico in ejus locũ instituto*, depositũ fuisse.

Avent. l. 6.

Sigon. de regno. Ital. l. 14.

In Angliâ, anno 1164. Henricus secundus Primates Cleri Clarandoniæ *avitas consuetudines* confirmaturus convocat, quæ inter Cleri usurpationes & regni justiciarios repaguli cujusdam sint instar, & hæ consuetudines sexdecim capitibus comprehensæ à Matthæo Pari recensentur. In his quæ maximè urgent, Ecclesiæ, quæ in feudo Regis sunt, ne absque ejus permissione in perpetuum concedantur: Clerici de quocunque accusati, à judice Regio admoniti, ad locũ sibi assignatum compareant responsuri: Archiepiscopi & Episcopi absque Regis licentiâ regnum ne excedant, & nonnisi jurati se eundo, redeundo, commorando nihil facturos, quod ejus rebus obsit. Archiepiscopi, Episcopi & alij, qui *de Rege tenent in capite, habeant possessiones suas de Rege, sicut Baroniam, & inde respondeant justitiarijs & ministris Regis, & sequantur & faciant omnes consuetudines Regias, & sicut cæteri Barones debent interesse judiciis Curiæ Regis cum Baronibus, quousque perveniatur ad diminutionem membrorum vel ad mortem.* Vacatione Ecclesiæ contingente, præcipuas personas ejus Rex venire jubeat, & successorem eligere, in capellâ ex consensu Regis & Consiliariorum Regni, in quorum præsentiâ electus hominium & fidelitatem Regi juret, *sicut Ligio Dominio suo de vitâ suâ, & de membris, & de honore terreno, salvo ordine suo*, idque antequam consecretur. Et in has solenniter jurarunt omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores ac Comites, Barones, & Magnates regni, vivâ voce in verbo veritatis, in perpetuum, tùm ergà Regem, tùm ergà successores,

Matth. Paris in Henrico. 2.

res, observandas. Unus Thomas Bequetus Cantuariensis Archiepiscopus, qui primus juraverat, aliquod post diebus ab Alexandro tertio corruptus, qui in Concilio Turonensi ad suam eum dexteram collocârat, sententiam revocat, absolvi postulat, quem Alexander & peccati & sacramenti nexu facilè liberat. Notandum verò id præcipuè ursisse, Uti Clerici *in publico flagitio*, ab officiarijs Regis deprehensi, Episcopo nullâ inflictâ pœnâ traderentur, Rege contra sanciente, ut qui ab ipsis Episcopis deprehensi forent, in præsentiâ sui judicis, *degradati*, Curiæ Regiæ puniendi dederentur. Exclamabat verò hìc Thomas, id esse bis *punire in id ipsum*, quatenus nempe, & ab Episcopo deponebantur & à judice seculari nihilominus mulctabantur. Pro hac causâ qui moritur, amabo Lector, num Sanctus aut Martyr? Quis enim sceleri cuiquam modus, si sola *degradatio* supplicio eximit? Thomas itaque, inscio Rege, omnibus Angliæ Episcopis suffraganeis suis ejurantibus, ne dum inconsultis, ex Angliâ in Galliam ad Alexandrum trajicit, qui Regem offendere veritus, nutantibus utique rebus suis, responsionem differt, moramque ex morâ nectit; quin *& periculosa tempora pensans*, inquit Author, Archiepiscopo Eboracensi Legationis diplomata concedit; adeo ut pertæsus protelationum Thomas, ipse ad Episcopum Moguntinum querulus scribat, *Matrem Romam factam esse meretricem, & pro mercede prostitutam.* Et hinc judicemus, alij Angliæ Episcopi quid dicerent, cum Thomas Pontificius mox Martyr talia effatus. Interim, Henrico secundo, quem Thomas adversarium sibi ultrò constituebat, Petrus Blesensis Archidiaconus Bathoniensis & Cantuariensis Cancellarius ad Gualterum Episcopum Panormitanum scribens, præclarum testimonium perhibet. *Nemo*, inquit, *est argutior in Consiliis, in eloquio torrentior, securior in periculis, in prosperis timidior, constantior in adversis, &c. Semper in manibus ejus sunt arcus, enses, venabula & sagittæ, nisi sit in consiliis aut in libris. Quoties enim potest à curis & solicitudinibus respirare, secretâ se occupat lectione, aut in cuneo Clericorum aliquem nodum questionis laborat evolvere: quotidiana ejus vita schola est, literatissimorum conversatio jugis, & discussio quæstionum. Nullus honestior in loquendo, in comedendo urbanior, moderatior in bibendo: nullus magnificentior in donis, nullus munificentior in eleemosynis, &c. Rex noster pacificus, victoriosus in bellis, gloriosus in pace, &c. Nullus mansuetior est afflictis, nullus affabilior pauperibus, nullus importabilior est superbis: Quadam enim divinitatis imagine semper studuit opprimere fastuosos, oppressos erigere, & adversus superbiæ tumorem continuas persecutiones suscitâre, &c. Cum autem juxta regni consuetudinem, in electionibus faciendis, potissimas & potentissimas habeat partes, habuit tamen semper manus ab omni venalitate innoxias, & immunes.* De Thomæ ipsius cæde, qui tot facinoribus injurijsque ejus indignationem provocârat, *Dico vobis*, inquit, *in verbo Domini, & in ordine Diaconi me nullo modo habêre in conscentiâ, ipsum hujus rei culpabilèm extitisse, hujusque fidem plenissimam vobis facient Dominus Theodinus Portuensis Episcopus, & Dominus Albertus Cancellarius, qui propter hoc in partibus nostris legatione fungentes exploraverunt & innocentiam viri cognoverunt, &c. Acceptâ siquidem ab eis canonicâ purgatione illius, illi de mandato Summi Pontificis publicè sententiaverunt, eum ab hoc crimine coram Deo & hominibus esse innoxium.* Nihilominus tamen Legati, pro more, Henrici filij rebellionem in suum commodum vertentes, quod illi fortè quædam verba ex iracundiâ exciderant, quibus cædis authores audentiores facti, eum adigunt, ut absolutionem suam, regni dispendio, redimat, consuetudinesque illas se abolitûrum, & appellationes ad sedem Romanam permissurum, in remissionem peccatorum suorum, polliceatur. Matthæus Paris in hac historiâ enarrandâ, su-

Epist. Thomæ Cantuariens. ad Archiepisc Moguntin.

Petr. Blesensis Epi. 66.

Matth. Paris in Henric. 2.

superbia Alexandri quanta fuerit, ex nonnullis circunstantijs nos doceat. *Cum* (apud Fractam vallem) *Rex & Archiepiscopus in partem secessissent* (nempe reconciliandi) *bisque descendissent, & bis equos ascendissent, bis habenam Episcopi Rex tenuit.* Pontifici quid præstitum oportuit, cum id Legato? Item licet perpetuò protestatus esset Rex, se *nec mandasse, nec voluisse, nec* suo artificio perquisivisse necem Thomæ: tamen quia ex ejus verbis, *non satis circumspectè prolatis, interfectores ejus perimendi occasionem* sumpserant; Exegit, fastuosa Bellua, ut absolutionem petiturus, *carnem suam nudam disciplinæ virgarum supponeret, & à singulis viris religiosis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos reciperet.* Quod Rex de facto pharmacis illis miserè fascinatus subijt. Notetur verò dictum Gratiani cujusdam in hac causâ Legati Pontificis, ad Regem Angliæ aliquid interminantem, *domine, noli minari, nos enim nullas minas timemus, quia de tali curiâ sumus, quæ consuevit imperare Regibus & Imperatoribus;* quod majusculis literis, ut insigne apophtegma Baronius exarari voluit; unde ex servi supercilio, heri, quam dicebat moderationem æstimemus.

Baron. an. 1169. art. 11.

Sane, qui sapientiores, hoc seculo de Paparum potestate aliter sentiebant. Otho Episcopus Frisingensis: *Duæ, inquiunt, personæ à Deo in Ecclesiâ sunt constitutæ, Sacerdotalis & Regalis, quarum una Christi tractare debet sacramenta, ac Ecclesiastica spirituali gladio exercere judicia; altera gladium materialem contra hostes Ecclesiæ, pauperes Ecclesiasque Dei, ab incursione malorum defensando, sceleratos puniendo, ad secularia judicia exercenda portat. Hi sunt duo gladij, qui in passione Domini leguntur, sed uno tantum Petrus usus invenitur. Sicut ergo ad spiritualem gladium spirituales quoque possessiones pertinent, id est decimæ, primitiæ, oblationes fidelium & alia hujusmodi, sic materiali omnes terrenæ dignitates, Ducatus, Comitatus, & hujusmodi subjacent. Hæc verò Deus ordinate, & non confuse, id est, non in unâ personâ simul, sed separatim in duabus, quas nominavi in Ecclesiâ suâ esse voluit. Proinde sicut illi personæ, quæ gladium materialem portat, attingere ea quæ spiritualia sunt non licet; Sic & isti usurpare ea, quæ hujus sunt, non convenit. Inducunt etiam ad hoc confirmandum multa testimonia scripturarum ipsiusque Domini ac sanctorum exempla, ut illud Evangelicum, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo, idque sicut Dominus prædicavit verbis, ita factis declaravit, quando cui tributum, tributum recognoscens, pro se & Petro tributum dedit; Paulus etiam cui honorem, honorem attribuendum intelligens, omnemque potestatem à Deo esse considerans, in causa positus, non Petrum qui Romæ tunc cathedræ præfuit, sed hominem flagitiosissimum, & impiissimum ex Dei voluntate super orbem terræ Regem constitutum, Neronem appellavit. Hæc de honore Regum.* Et ille quidem miseris aliquot rationibus Papam defendere conatur: At concludit tandem: *Ad hoc, fateor, aliud refugium nescio, nisi quod sanctos Apostolicæ fidei ac meriti viros, Sylvestrum, Gregorium, Ulricum, Bonifacium, Lampertum, Gothardum, aliosque complures ea cognoscimus habuisse. Ego enim, ut de meo sensu loquar, utrum Deo magis placeat, hæc Ecclesiæ suæ quæ nunc cernitur exaltatio, quàm prior humiliatio, prorsus ignorare me profiteor. Videtur quidem status ille fuisse melior, iste fœlicior: assentio tamen Romanæ Ecclesiæ, &c.* Ut cum illa potius temporali prosperitate, quàm cum Apostolis & sanctis Patribus, spirituali fruatur; Infrà verò quibus fundamentis innitatur celatos nos noluit. *Quod verò omnis controversiæ ipsius authoritate & exemplo solvatur scrupulus, in hoc rursum latenter innuitur, quod Petro dicitur: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Latenter nimîrum adeò, ut totis quingentis annis & prioribus, & melioribus veterum doctorum nemo hoc arcanum animadver-

Ottho Frisingens. in prologo l. 4. Chron.

tere

tere potuerit. Sanè idem author apertè: *Ex hinc à Donatione Constantini, Romana Ecclesia Occidentalia regna tanquam sui juris à Constantino sibi tradita affirmat*, quod ipse refellit. *In argumentumque tributum exceptis duobus Francorum regnis*, Gallico utique & Germanico, *usque hodie exigere non dubitat*. Quæ & ipse lubens in suum rete convertat. Idem li. 5. Chro. 1.3.

At in Galliâ nostrâ hoc ipso tempore caput exerunt, qui Waldenses seu Albienses dicuntur, serioque Ecclesiam Romanam aggressi, Traditiones ejus apertè damnant, ceremonias respuunt, disertis verbis Babylonem, de quâ in Apocalypsi, matrem fornicationum Ecclesiam Romanam, Papam germanum Antichristum, Hominem peccati, à Paulo descriptum, quoquo periculo pronunciant; Isti quippe populi puritatem, veritatem & simplicitatem doctrinæ Christianæ, in plerisque illis montibus & convallibus Allobrogum, Provinciæ Narbonensis Galliæ, Aquitaniæ, illibatam servaverant, ad quos Paparum corruptelis & commentis penetrare minus facile: non secus ac diversarum nationum linguas, mores, habitus, à gentium inundatione & colluvie, in Alpium, Pyræneorumque recessibus, magis tutas fuisse, liquidò experimur; Aborigenum Hispanorum linguam in montibus Cantabricis retineri, Britannorum apud Wallos: nec non ritus & consuetudines, quod & usuvenit in cæteris. Tantam enim multitudinem ab Alpibus ad Pyræneos usque diffusam, ex Petri de Waldo doctrinâ, uno die, quasi ex ovo excludi, omnem fidem, omnem rationem superat. Contrà, qui saluti suæ seriò consulturus, hominum congressum vitare satagebat, eam potius ab ijs didicisse verisimile, quam postea Lugduni docuerit; unde propter urbis celebritatem qui ei aut adhærebant, aut ejus fidei affines erant, Waldenses dicti sunt, non secus ac qui Albij concionabantur, Albienses; aliquot antè annis à Petro Bruitzio; & Henrico ejus discipulo, qui Tolosæ publicè profitebantur, Tolosanorum nomine insignes. Et verò in ipso Concilio Lateranensi, sub Alexandro tertio, hoc nomine censentur. Huic autem antiquitati, ut divinare non sit opus, adversarij ipsi fidem perhibent: Frater Rainerius inter alios, qui annum circa 1250. scripsit: *Inter omnes sectas, quæ sunt vel fuerunt, non est pernitiosior Ecclesiæ Dei, quam pauperum de Lugduno, tribus de causis. Prima, quia diuturnior; quidam dicunt quod duraverit à tempore Sylvestri, alij dicunt à tempore Apostolorum*, nempe quatenus integritas perpetuò corruptionem antecedit, quam illis servare datum, uti vera Ecclesia in Apocalypsi in deserta fugere dicitur. *Secunda, quia est generalior: fere enim nulla est terra, in quâ hæc secta non serpat.* Cum interim identidem quærant, quo loco Ecclesia nostra fuerit. *Tertia, quod omnes aliæ, cum immanitate blasphemiarum, in Deum horrorem inducant, hæc Leonistarum, magnam habens speciem pietatis, eo quod coram hominibus justè vivant & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos qui in Symbolo continentur, solam Romanam Ecclesiam blasphemant & oderunt, cui multitudo facilis est ad credendum*; Ut hoc modo in fumum abeant calumniæ omnes, quæ contra eos in vulgus spargebantur, illas licet Baronius, Monachorum quorundam fidem sequutus, renovare non vereatur, qui eos modo Arianos, modo Manichæos fuisse fingunt; Et immerito quidem, ut vel ipse agnoscit; quamquam Rainerius ille: toto contextu in illos atrociter desævit. Iacobus de Riberia in suis de Tolosâ collectaneis, in hæc verba: *Waldenses sive Lugdunenses diu primum locum tenuisse in Galliâ Narbonensi, Albiensi, Ruthenâ, Cadurcensi, Agennensiq; diœcesibus, celebrior est fama; eoque tempore nullo aut parvo in precio fuisse eos, qui Sacerdotes se, Episcopos & ministros Ecclesię dici volebant. Indigni enim omnes, & rerum*

An. 1250. Frater Rainerius de valdensibus.

Baro. ann. 1178. vol. 12. art. 17. & 21.

Iacob. de Riberia in collectaneis de Urbe Tolosâ.

rum

rum omnium ignari pene cum eſſent, fàcilè illis fuit eruditione & doctrinâ præcellentiſſimis, primas in populo partes ſibi vendicare: Ex quibus cùm præ cæteris Valdenſes acutiùs de religione diſputarent, admittebantur ſæpe à Sacerdotibus publicè docendi causâ, non quod eorum ſententiæ ſibi probarentur, ſed quod Valdenſibus ingenio pares non eſſent. Tantò in honore erat hujuſmodi hominum ſecta, ut & ab omnibus oneribus haberent immunitatem, & multo plura ex morientium teſtamentis conſequerentur, quàm Sacerdotes. Hoſtis ſi fuiſſet hæretico, viæ itineriſque comes ab hoſte non lædebatur, ſalus omnis hominum in hæreticorum tutelâ eſſe videbatur. Ab adverſario num ullum expectari potuit teſtimonium aut clarius, aut gravius? Ad doctrinam quod attinet, non illa tutius erui poſſit, quam ex ſuâ ipſorum Confeſsione, Regibus Bohemorum ſæpius exhibitâ, ab ijs qui ex Galliâ eliminati in Bohemiam confugerant, quæ ſane noſtrarum Eccleſiarum profeſsioni conſona, quamquam pro temporis ruditate rudius explicata; ex ſuis etiam Catechiſmis, quibus pueros fide imbuere ſolebant: quin & ipſis fori inquiſitorij Actis, & authoribus coætaneis, fidem hac in re non denegabimus, odio licet plerumque tranſverſum acti odioſam illam & invidioſam reddere conantur. Rainerius ille, de quo ſupra, hæreſeos illius cauſas ediſſerens, *viri & mulieres*, inquit, *parvi & magni nocte & die non ceſſant diſcere & docere. Audivi ab ore credentis cujuſdam, quod quidam hæreticus, quem novi, ad hoc tantùm ut eum à fide noſtrâ averteret & ad ſuam perverteret, perduceretque, nocte, hyemali tempore, per aquam, quæ dicitur Ibis, natavit ad ipſum. Erubeſcat negligentia fidelium doctorum, qui non ſic Zelant Catholicæ fidei veritatem, ſicut Leoniſtæ zelant infidelitatis errorem.* Item, *novum & vetus Teſtamentum vulgariter tranſtulerunt, & ſic docent ac diſcunt. Vidi & audivi ruſticum idiotam qui Job recitavit de verbo ad verbum, & plures alios, qui novum Teſtamentum totum ſciverunt perfectè.* Inde eorum errores in tria capita diſtinguit, *contra Eccleſiam Romanam, contra doctrinam de Sacramentis & de ſanctis, & contra honeſtos ejuſdem Eccleſiæ ritus.* Et de Eccleſiâ quidem Romanâ inquit, docent non eſſe Chriſti Eccleſiam, ſed *Eccleſiam malignantium*, quæ à Chriſto defecerit, jam inde à Sylveſtri I. tempore, cum venenum temporalis Dominij in eam effunderetur: Meretricem utique illam in Apocalypſi deſcriptam: Papam omnium errorum caput: Antiſtites ſcribas, Monachos Phariſæos, à doctrinâ Evangelicâ ad ſuas Traditiones errabundè deflectentes; Ad Sacramenta: linguâ peregrina adminiſtrari improbant; cum *Patrini* quid in baptiſmo reſpondeant, aut ſpondeant non intelligant, ut & exorciſmos, crucis ſignationes, & cætera hujuſmodi reſpuunt. Miſſam verò nihil planè eſſe, & Apoſtolis ignotam, Canonem adeo ipſum aſſerunt: verbis Chriſti ſacram Cænam inſtituentis contenti, quæ vernaculâ linguâ efferantur. Oblationem proinde ſacerdotis, quæ ibi fieri dicitur, nulli uſui eſſe, Sacramentum porrò verbis vulgo notis conſecrandum, altari non indigere, in cujus etiam ſpeciebus, *mutatio in manu Sacerdotis conſecrantis non contingat, ſed in ore ejus qui dignè accipit.* Et hæc quidem, quia præter ſacrorum Bibliorum textum nihil in Eccleſiam admittunt: non Decreta, non Decretales Epiſtolas, non ſanctorum Legendas, non Eccleſiæ Traditiones; Quare & Invocationem ſanctorum damnant, & quicquid *honeſtarum conſuetudinum* nomine expreſſum volunt: *Feſtum candelarum, Adorationem crucis ſacro qui dicitur veneris die*, conſecrationes palmarum, cineris, chriſmatis, ignis, agnorum, quos vocant Dei, ſalis, & aquæ, certorum indumentorum & locorum, necnon peregrinationes, que Romam & aliò verſus ſuſcipiuntur. *Negant etiam Purgatorium, dicentes tantum duas vias eſſe, unam electorum ad cœlum, aliam damnatorum ad infernum, omnes*

Rainerius de Valdenſibus.

miſſas

missas & præcipuè eas quæ pro mortuis canuntur, impias, eoque penitus abolendas, ut & anniversaria & suffragia ejusmodi. Hæc author ille qui posteà in his refutandis immoratur; Et multas obiter calumnias interserit; sed à quibus Æneas Sylvius, Pius postea secundus, eos abundè vindicat, quorum doctrinam in hæc pauca perstringit, *Romanum Præsulem reliquis Episcopis parem esse. Inter sacerdotes nullum discrimen, Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes aut in æternas è vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ sacerdotalis inventum. Dei & Sanctorum Imagines delendas. Aquarum, palmarum, benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos Dæmones invenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, solâ contentos eleemosynâ: Liberam cuique prædicationem verbi Dei patêre. Nullum capitale paccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratiâ, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit,* (crimen intelligunt) *eum neque seculari, neque Ecclesiasticâ dignitate potiri, neque parendum ei. Confirmationem quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam unctionem, inter Ecclesiæ sacra minimè contineri. Auricularem Confessionem nugacem esse, sufficere quemque sua Deo in cubili suo confiteri peccata. Baptisma fluvialis undæ, nullâ interjectâ sacri olei mixturâ, recipiendum. Cœmiteriorum inanem usum quæstus causâ repertum: quacumque tegantur tellure humana corpora, nil distare. Templum Dei late patentis, ipsum mundum esse: coarctare majestatem ejus, qui Ecclesias, monasteria, oratoriaque construunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vasaque hujusmodi, nil habere momenti. Sacerdotem quocumque loco, quocumque tempore, sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusque ministrâre: sufficere si verba sacramentalia tantùm dicat. Suffragia sanctorū in cœlis cum Christo regnantium frustra impetrâri, quæ juvare non possunt. In Canonicis horis cantandis, dicendisque frustrà tempus teri. Nullâ die ab opere cessandum, nisi quæ Dominica nunc appellatur: celebritates sanctorum rursus rejiciendas. Jejuniis quoque ab Ecclesiâ constitutis nihil inesse meriti.* Quæ quidem dogmata, author qui propius inspexerat, pro odio, quo in eos toto capite fervet, suis verbis invidiosè satis exponit; ita tamen ut dextrè exposita, à vera doctrina minimè degenerent. At illa enucleatiùs, tùm in suâ, tum in nostrâ ipsorum confessione proponuntur. Saltem eos ab illorum calumnijs asserunt, qui errores eis impingunt, contra debitum Magistratibus obsequium, contrà ligitimum jusiurandum, aliosque nonnullos, de quibus ipse Rainerius. Tantò magis à sortilegijs, quorum nomine, temporum malignitate, malè audiebant; Ut sortilegi & malefici in pluribus Provincijs Valdenses & vocarentur & etiamnum vocantur. A luminum quoque extinctione promiscuoque concubitu; quas olim technas priscis Christianis traducendis Satan pro suâ indole commentus, Deo Evangelij sui lucem restituente, eodem instituto renovâre satagit. Itaque Fridericus secundus Imperator in suis contra illos Constitutionibus, id solum imputat, quod ab Ecclesiâ Romanâ ejusque cultu & ceremonijs discesserint: uti ex Epistolis Petri de Vineis Cancellarij sui perspicuum. Et Claudius Seiselliensis Archiepiscopus, Rege Ludovico duodecimo, vir insignis, licet librum in eos datâ operâ scripserit, homines probos, integros, innocentes, conversatione irreprehensibiles, & præceptorum Dei sedulos observatores profitetur. Qui tamen Alexandri tertij jussu ab Archiepiscopo Lugdunensi, Johanne de Bellamanu, excommunicantur. Mox ad Concilium Lateranense citati, cum non comparuissent, judicem quippe & adversarium simul Pontificem habituri, nullum non persecutionis genus experiuntur, bello, cædi,

Æneas Sylvius in Historiâ Bohemicâ, cap. 35.

Petrus de Vineis. l. 1. c. 25. 26. 27.

Guido de Perpinian. pag. 79. de hæresibus.

cædi, prædæ, lanienæ expositi; ut quo quisque eos truculentius insectetur, eo majorum peccatorum indulgentiam sit consecuturus. At tandem singulari Dei providentiâ factum, ut ex eorum dissipatione, Ecclesiæ innumeræ Europâ totâ congregarentur, quod suo loco commodius proponetur. Addamus, quod nonnulli hujus ætatis scriptores, quamquam adversarij: Regiomonte Albiensibus habitum colloquium in quo ex illorum parte Ponticus Iordanus, Arnoldus Aurisanus, Arnoldus Otho, Philibertus Casienus, & Benedictus Thermensis: ex alterâ Petrus de Castro novo Monachus Cistercienfis, & Legatus Pontificis, Rodolphus etiam quidam ab eodem deputatus: Didacus Episcopus Etenensis, & Dominicus ejusdem Ecclesiæ Canonicus, Hispani ambo: arbitris ex nobilitate, Bernardo de Villanovâ, & Bernardo Darrensi: populari ordine Raimundo Godeo, & Arnoldo Riberia delectis. Ibi, ajunt: *Doctores Valdenses constanter affirmarunt, Ecclesiam Romanam non esse sanctam Ecclesiam, nec sponsam Christi, esse Ecclesiam Diaboli imbutam doctrinâ; Babylona illam, quam Iohannes descripsit in suâ Apocalypsi, matrem fornicationum & abominationum, obrutam sanguine sanctorum; Missam neque Christum, neque Apostolos instituisse, sed hominum commentum esse.* Et multa hujusmodi, ac ita discessum, ut inter se nullatenus convenire possent.

Gulielm. de Podio Laurentii Noguier. en l'histoire de Tououse.

PRORGESSUS.

SEdem tenuerat Alexander tertius, annos duos & viginti, quod contigit paucis; & toto hoc tempore commodè illi acciderat, quod Antipapæ non diu viverent. His itaque mutationibus res suas non parum promoverat. Quatuor ei oppositi fuerant, quorum quisque solium ingressus, in novis technis aut texendis, aut retexendis laborabat. Sola Friderici virtus obnitebatur, crebris, quas Alexander suscitabat, tum in Germaniâ, tum in Italiâ, rebellionibus obturbata, quibus ex censurârum occasione, civitates & Principes, & colorem, & robur quærebant. Nec eum minus Henrici filij ambitio percellebat, qui, quoquo pretio Italiæ regno inhiabat, verebaturque ne mors Fridericum bello Pontificio involutum opprimeret; eò impensius, quod Pontifices Italici imperij maximam partem arbitri jam viderentur. Itaque Alexandro vitâ functo, & Hubaldo Cardinali, qui Lucius tertius, suffecto, à solis jàm Cardinalibus, sine Clero & populo, uti in Lateranensi Concilio constitutū, Henricus patri author est, ut quod ad pacem Italiæ faceret, nihil non amplecteretur, in primis verò removendis obicibus, amicitiam sibi Lucij tertij quâvis arte conciliaret. Quare, Civitati Lucensi, quæ ejus patria Lucio gratificaturus id juris indulget Fridericus, ut quam pecuniam Imperatoris nomine cuderent, ea sola per totam Tusciam, Marchiam, Romaniam, Campaniam in usu esset. Nec interim melius quam antecessoribus Lucio cum Romanis conveniebat, quibus, cum Consules tollere vellet, & sequaces suos illi durius castigant, & ipsum pejora veritum, exemplo prædecessorum, Româ Velitrum commigrare cogunt; Qui tamen sibi adversus eos prospectûrus Sarraceni belli prætextus Concilium anno 1184. Veronam indicit cui Fridericus Imperator ipse adfuit, Fridericus sanè qui pacata Lombardia, susceptaque in gratiam Alexandria, de quâ ei cum Alexandro tot certamina, res suas pristino nitori reddidisse videbatur; quandoquidem pactum erat, *ut cives Alexandrini omnes, pro arbitrio Friderici urbe exirent, & tamdiu extra eam morarentur, quoad per ipsius Legatum solenni more introducerentur, ut actu isto & ille dare, & hi accipere de manu Imperatoris*

An. 1184. Naucler. Vol. 2. Gener. 40.

Sigo. l. 14. de regno Ital.

toris patriam viderentur; sicque urbem posthac constanti nomine Cæsaream appellarent. In hoc igitur Concilio Lucius tertius, Imperatoris præsentiâ ad reprimendos Romanos usus, eos, ut hostes Ecclesiæ notat. At, ut vicissim rogat Fridericus, ut Henricum insignibus Augustalibus ornet, disertè denegat, nî prius Mathildis ei hæreditatem, cæteraque quæ Ecclesiæ juris teneret, restituat; Veterem nempe litem non tam renovans, quam suo arbitrio definiens; Petente etiam Imperatore ut Ecclesiasticos ab Antipapis ordinatos in gratiam suscipiat, annuit quidem, sed perendiè, ubi manus illis imponendæ sunt, abnuit omnino, & in aliam Synodum rejicit; *Et timebatur*, inquit Krantzius, *ne Ecclesia in pessimum schisma, (ut olim) laberetur, quod malum qui propius noverunt, magis horruerunt:* Sic itaque exulceratis utrinque animis Concilium dimissum. Et jàm Fridericus in Italiam progressus, urbes quæ dicuntur Ecclesiæ præmebat, Lucius verò extrema tentaturus fremebat, cum Veronę, nondum retortis Romam versus oculis, diem supremum obit; Ibidemque, successor ei datur Lambertus Archiepiscopus Mediolanensis, cui Urbano tertio nomen. Dignum notatu, Lucium hunc Valdenses, & Albienses excommunicasse, quod *Sandalia in pedibus & Cappam* induerentur, Apostolicam simplicitatem imitari se dicentes; verùm altior haud dubiè irarum causa: At saltem non alia eis crimina imponebat. Extat & alia ejus lex: *Clericus de omni crimine debet coram Ecclesiastico judice conveniri, nec valet consuetudo contraria.* De eo porrò extat illud Epigramma, quo Latine ad piscem Lucium alluditur, qui alios deglutit.

Krantzius l. 6. Saxon. c. 47.

Abbas Urspergens. in Chronic. Extra de Judiciis, Tit. 1. C. Clerici. 8. Abbas Urspergens. Ex Epist. quadam Pragens. univers. ad Oxoniensem tempore Wencеslai Imperatoris, scripta.

Lucius est piscis Rex atque Tyrannus aquarum.
A quo discordat Lucius iste parum.
Devorat ille homines, hic piscibus insidiatur,
Esurit hic semper, hic aliquando satur,
Amborum vitam si laus æquata notâret,
Plus rationis habet, qui ratione caret.

Reliqua hujus seculi eadem viâ exequamur: Urbanus quamquam non diu superstes, ob turbas quas undique parabat, *Turbani* nomen consequitur: Pacem cum Gulielmo Rege Siciliæ Fridericus pepigerat, cui firmandæ Henricū filium Constantiæ Rogerij, Gulielmi Avi filiæ, despondebat, cujus absque prole decedentis hæres destinabatur. Urbano hoc matrimonium non placebat; Et eo minus, quod Fridericus in conventu Geilhausiano, per Antistitum Germaniæ literas, eum moneri curaverat, ut decimas infeudatas, & nonnulla alia jura nobilitati conservaret, quæ illa ex Ecclesiarum defensione meritò adepta erat. Verùm, ut Veronæ, anathema jam jam vibraturus intentat, Veronenses, quorum hospitio utebatur, non passuros significant, in suâ urbe, Decretum ejusmodi in Imperatorem promulgari. Quare Ferrariam eo consilio digressus, morte prævenitur. Abbas Urspergensis paucis, *cum esset Mediolanensis natione, in odium Imperatoris volebat turbâre Ecclesiam, quæ jam paulisper quietem acceperat: sed nutu Dei percussus interijt. Sedit annum unum, menses decem & dies quindecim.*

Sigon. de regno Ital. l. 15. Ex Naubrig. Urspergẽs. & Viterbiensi. Krantzius in Saxon. l. 6. c. 52.

Succedit anno 1187. Cardinalis Albertus demortui Cancellarius, Ferrariæ à Cardinalibus electus. Is Gregorius octavus; Qui quidē omnes statim Principes per literas excitat, ut Hierosolymā, quàm infideles Christianis eripuerant, recuperaturi in Palæstinam *personaliter* se conferant, vitam ipsis æternam, & suis ditionibus, & bonis, per eorum absentiam, protectionem & tutelam prolixè pollicitus. Et

An. 1187.

Et sanè miserabilis tantæ expeditionis status multos ad hoc iter suscipiendum accingebat, Fridericum Imperatorem, Philippum Regem Franciæ, Richardum Angliæ, alios. Nec tamen ejus progressum Gregorius vidit, Pisis in ipso conatu, morte præventus. Cardinales verò qui in ejus comitatu, ibidem Cardinalem Paulum Scholari Romanum sublegunt. Is fuit Clemens tertius, eo nomine insignis, quod Romanorum cum Pontificibus dissentionem, quæ jam quadraginta quinque annos duraverat, extinxit, eâ lege ut Patritium haberent quidem, sed Senatores & præfecti Urbis ab ijs creâti non antè munus suum adirent, quàm *per mantum* à Pontifice investirentur. Moritur verò Fridericus anno 1190. in hoc itinere, quem post multas res præclarè gestas, amnem quendam *serram* nomine, refrigerandi gratiâ ingressum, subitaneum frigus æstui nimio superveniens, extinguit; Princeps ab omnibus Historicis à pietate, virtute, clementiâ, injuriarum oblivione commendatus, eoque nomine magnum sui desiderium omnibus relinquens: quo tamen nemo à Pontificibus aut plura, aut iniquiôra passus. Ex ejus obitu Henrico filio tam in Germaniâ, quàm in Italiâ multæ parantur molestiæ: In quibus gravius eum premebat adeundi Regni Siciliæ cura: cujus hæreditatem per Gulielmi obitum, Constantiæ uxoris nomine cernere satagebat. Quod quidem Clemens Papa, deficiente prole masculâ, ad Ecclesiam pertinere contendebat; jamque injectis copijs istud invaserat, nî regni Ordines Trancredum quendam, Rogerij Nothum, opposuissent; quo impetum Clementis remorante, Henricus rebus suis sedatiori animo prospexit. Nempe sic observabat ille antecessoris pollicitationem, qua omnibus Palæstinam adeuntibus, suas ditiones suaque jura sarta tecta præstiturum receperat; Friderico utique Patre in expeditione ipsâ extincto, Henrico filio, & inopino patris casu, consternato, nec eo minus in Germaniæ regno variè disturbato. Sed Clemens dum in eo est, ut Henrico ad Imperiale diadema aditum obsepiat, anno 1191. Aprili mense moritur: cui succedit Cardinalis Iacynthus civis Romanus, cui nomen Cœlestinus tertius. Henricus igitur hanc mutationem sibi commodam ratus, maturato itinere Romam accedit, moxque à Cœlestino coronatur: quippe quem sibi recens devinxerat, Tusculo in ejus manus contradito, cujus cives sese ejus tutelæ permiserant. Qua re Cœlestinus Romanos sibi in primis obstringere poterat, quod abhinc quinquaginta annis, omnium rixarum aut causa, aut prætextus, urbs illa Romanis cum Pontificibus fuisset. Atenim ut illam ei restituit, nullum non crudelitatis genus in miseros exercet. Coronationis hujusce forma notari digna. *Juramento futuri Imperatoris accepto, à Papa de Ecclesiâ fideliter servandâ, item de possessionibus ad patrimonium sancti Petri & Ecclesiæ Romanæ pertinentibus in integrum restituendis, si quid inde amotum fuisset, introducitur à Papa in Ecclesiam Imperator, & Imperatrix. Et in ipsâ Missâ à Papa solenniter celebratâ, ipse Papa ungit primò Imperatorem cum verbis ad hoc institutis, & postea Imperatricem. Post hæc sedens in Pontificali Cathedrâ, tenet coronam Imperialem inter pedes suos, eamque Imperator inclinato capite, & similiter Imperatrix de pedibus ejus suscipiunt. Et post hæc statim Papa cum pede percutiens coronam, de câpite projicit in terram, in signum quod habet potestatem eum, si merita sua exigant, deponendi. Deinde Cardinales circumstantes ipsam coronam accipiunt, & eam capiti Imperatoris, & Imperatricis reverenter imponunt.* Baronius ipse Author, & Ranulphus totidem verbis. Ut perpetuò superciliosum hoc mysterium sibi gradum ad fastigium facit. Jam ex obitu Trancredi Nothi facilior Henrico ad pacatum totius Siciliæ imperium aditus. Et jam Henrico Cœlestinus anathema intentabat, non minus quàm Phi-

Ann. 1190

Otho de S. Blasio c. 35 Abbas Urspergens. Sigon. de regno Ital. l. 15.

Platina in Clemente 3. Naucler. Vol. 2. Gener. 40.

Vignier. ex Chron. German. manuscr. Baro. ann. 1191. Sect. 1. & 10. ex Rogerio authore coætaneo parte posteriore in Richardo primo.

Ranulph. in Polycr. l. 7. c. 26.

lippo fratri, nî mors ejus intervenisset: vetere nempe prætextu, quod Comitissæ Mathildis terras usurpasset, licet antea, ut Tancredum ordinum authoritate jam firmatum, Henrici ope subrueret, Henricum ipsum his ditionibus tanquam feudatarium suum investierat. Verùm, Henrico ex Constantiâ unicum filium, eumque anniculum relinquente, regnique successione variè implicitâ, Cœlestino vel potius Innocentio tertio successori in universâ Italiâ quidvis audere, in fraudem imperij demùm licuit: Dimicantibus enim inter se de regno Germaniæ, Philippo Henrici fratre, & Othone Saxoniæ Duce, Innocentius præfectum urbis Romæ hominio ligio sibi obstringit, Ducatum Hetruriæ, quem Henricus Philippo fratri donaverat, invadit, Episcopis Germaniæ mandat, obsides quos Henricus ex Siciliâ secum abduxerat, reddi curent: Sybillam nominatim Trancredi viduam cum liberis, & Salernitanum Archiepiscopum, sin Vezilus de Berco illorum custos detrectat, eum excommunicat: Sicque res Siciliæ pro libidine sibi compositurus videtur. Eadem viâ, partim vi, partim anathematum terrore, & Marcoaldum Romaniâ, & Conradum Spoletano Ducatu, quibus Henricus eos investierat, spoliat, civitatesque omnes, si minus obsequantur, interdicto subjicit: Inde & socias Lombardiæ urbes arctiori fœdere & sibi & inter se jungit, libertatisque spe inescat. Quò factum, ut Imperatores, qui exinde in Italiam veniunt, nullam sibi reliquam authoritatem inveniant. Quin & à Constantiâ Henrici viduâ Sacramentum extorquet, quo Apuliæ, & Calabriæ nomine, se ejus, successorumque, ligiam vasallam profitetur, annuosque 600. squifats persolvit: pro Marsorum etiam ditione 400. &c. eâ lege ut filius puber factus idem sacramentum præstet, cujus & Constantia paulo post defuncta, se tutorem gerit (is fuit Fridericus secundus): hisque artibus arbitrum se regni constituit. Rursum, in Germaniâ Philippi electionem Henrici fratris anathematis prætextu repudiat; Othonis contra Ducis Saxoniæ approbat; utique ut pupillum patrui præsidio nudet. Nec porrò dissimulat, id se in odium antecessorum facere, qui sedi Romanæ sese opposuerant, id est, imperij sui jura asserere sategerant. Et hîc vides Lector, rerum Orientalium quam studiosi essent, quæ, dum suis plus æquo intenti sunt, quotidie in pejus ruunt. Qui duodecimi seculi nobis jàm finis.

OPPOSITIO.

OMitto lubens crebras inter Imperatores & Pontifices hoc tempore contentiones: quid de Ecclesiâ Romanâ meliores sentirent, notare satis habens. Clemens tertius igitur Reges Franciæ & Angliæ ad sacram expeditionem cohortabatur, quibus inter se litigantibus, non nisi discordiæ causâ sublatâ, peregrè proficisci non satis tutum. Et Clementi quidem Philippus secundus noster refragari & cunctari videbatur; quo prætextu & ipsi, ni cum Angelo paciscatur, anathema, & regno universo interdictum comminatur. Hic itaque Matheus Paris Anglus Historicus, respondisse author, *se ipsius sententiam nullatenus formidare, cum nullâ æquitate fulciretur. Addidit etiam ad Ecclesiam Romanam minime pertinere, in Regem aliquem, maximè Francorum per sententiam animadvertere, si Rex idem in homines suos demeritos, indomitos, & regno suo rebelles, ulciscendi causâ insurgere disposuerit. Adjunxit insuper quod Cardinalis prænominatus jam desiderabiles Esterlingos Regis Angliæ olfecerat, quorum odore attractus, ipsi plus æquo Romanorum more extitit favorabilis, unde ipsum judicem suspectum habebat. Comes etiam Richardus vix se continuit,* vix-

vixque magnatum manibus retentus est, quin extracto gladio in ipsum Cardinalem furibundus irruisset. Unde Cardinalis retrocedens latuit tremulus, verba continuit ampullosa. Vela faciunt ergo ambo Reges, Richardoque Angliæ Tyberim ingresso, Octavianus Cardinalis Hostiensis, Clementis tertij nomine, obviam fit. Ibi inquit Rogerius de Hoveden, *Rex multa turpia dixit, illi improbando Romanis Simoniam, quod septingentas marcas debuerant habere pro consecratione Episcopi Cenomanensis, & mille & quingentas marcas, pro legatione Elieensis Episcopi, & pecuniam magnam ne deponeretur Burdegalensis, qui à Clericis suis accusabatur in crimine.* Addit verò Messinam, eodem cum Philippo Franciæ Rege tempore, appulsum, Ioachimum Curatij Abbatem, ordinis Cistertiensis virum eâ ætate percelebrem, & spiritu prophetico afflari creditum, conspicere voluisse: qui & sibi, & suis visionem Iohannis in Apocalipsi non sine magno oblectamento exposuerit: ubi præsertim de septem Regibus, *quorum unus nondum venit*, dixisse, *Iste Antichristus est, qui jam natus est in civitate Romanâ, & in sede Apostolicâ sublimabitur, & de isto Antichristo dicit Apostolus, extollitur & adversatur super omne quod dicitur Deus.* Ad hæc regessisse Regem: *Putabam quòd Antichristus nasceretur in Antiochiâ, sive in Babyloniâ, de progenie Dan & regnaret in Templo Domini, quod est in Hierusalem, &c.* Verùm, Ioachimum in expositione suâ perstitisse: imò addidisse *per septem diademata significari Reges & Principes hujus seculi, qui in Antichristo credituri sunt, &c. Sed,* inquit, *in temporibus hujus Antichristi, multi Christianorum in cavernis terræ, & in solitudinibus petrarum morantes, fidem Christianam in timore Domini servabunt, usque ad consummationem Antichristi.* Archiepiscopi licet, qui aderant, Rotomagensis, Apamæensis Auschensis, contrarium probare niterentur. Et verò eò pertinet quod idem Abbas in Hieremiam, *Est & alia ficus, quæ maledictione prævaricationis jam aruit, Latina Ecclesia sive navicula, S. Petri, cujus folia temporalia de quibus conficiuntur perizomata, ad excusandas conversationes in peccatis, quibus inhonestatem vitæ suæ tam Adam summi Pontificis, quàm Evæ Ecclesiæ subjectorum operiant, & in ligno Ecclesiasticę gloriæ sese miserabiliter abscondit.* Ut tangit quidem Baronius hanc historiam, sed â præcipuis clausulis sibi cavit, quæ Papam Romanum digito commonstrabant.

Rogerius de Houeden in Annalium parte posteriore.

Apud Rogerium de Houeden Annal. parte poster.

Baron. an. 1190. art. 2 tom. 12.

Redeuntem ex Palestinâ Richardum Dux Austriæ per suos fines iter facientem capit, & Henrico sexto Imperatori tradit, qui nonnisi sub ingentis pecuniæ conditione dimittere apud se constituit. Eleonora Regina ejus mater, Cœlestinum, quippe cum Henrico adhuc amicitiam colentem, ad hoc facinus connivere arbitrata, tres Epistolas ad eum scribit, quæ apud Petrum Blæsensem leguntur: cujus stilum illa adhibuerat; & postremam quidem, quod alias neglexisse videretur, asperiorem. *Redde mihi*, inquit, *filium meum vir Dei, si tamen vir Dei es, & non potius vir sanguinum, si in filij mei liberatione torpeas, ut sanguinem ejus de manu tuâ requirat altissimus, Heu heu si summus Pastor in mercenarium pervertatur, si à lupi facie fugiat, si commissam sibi oviculam, imò arietem electum, ducem dominici gregis in faucibus cruentæ bestiæ derelinquat. Sanè serò vestram pro eo poneretis animam, qui pro eodem adhuc unum verbum dicere aut scribere noluistis &c. Legati nobis jam tertiò promissi sunt, nec sunt missi, ut verum fatear ligati potius quàm Legati. Si filius meus in prosperis ageret, ad simplicem ejus vocationem festinantius accessissent, quia de magnificâ ejus munificentiâ & de publico regni quæstu, suæ legationis uberes manipulos expectarent. Et quis quæstus eis gloriosior esse posset, quam Regem liberare captivum, reddere pacem populis, religiosis salutem, & gaudium universis? Nunc autem filij Ephrem intendentes & mittentes arcum in die belli, conversi sunt, & in tempore angustiæ, dum lupus prædæ incu-*

Petrus Blæsens. Epist. 144. 145. 146.

incubat, canes muti latrare aut non possunt, aut nolunt. Hæccine promissio illa est, quam nobis apud castrum Radulphi, cum tantâ dilectionis & fidei protestatione fecistis? Quid profuit vobis, simplicibus dare verba, & illudere vota innocentium inani fiduciâ? Sic olim Rex Achab fœdus amicitiæ contraxisse cum Benadad perhibetur, illorumque mutuam dilectionem eventus habuisse infaustos audivimus. Pontificem cum infideli illo Rege componens; *Pugnas Iudæ, Ioannis, Simonis, Machabæorum fratrum cœlestis dispensatio fœlicibus prosperabat auspicijs, missâ vero legatione sibi firmantes amicitiam Romanorum, Dei perdiderunt auxilium, nec eis semel sed sæpius venalis eorum familiaritas, versa est in singultum, &c. Utinam recolerent, quod propter negligentiam Heli Sacerdotis ministrantis in Silo, gloria Domini de Israel translata est, nec jam parabola præteriti temporis est, sed præsentis, quia repulit Dominus tabernaculum Silo, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus, & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* (Ecclesiam Romanam innuens) *Imputatur eorum pusillanimitati, quod Ecclesia conculcatur, fides periclitatur, opprimitur libertas, dolus, patientia & iniquitas impunitate nutritur. Ubi est quod Dominus Ecclesiæ suæ quandoque promisit? Suges lac gentium, & mammillâ Regum lactaberis? &c. Hæc videt summus Pontifex & gladium Petri supprimit in vaginâ repositum, sic addit cornua peccatori, ipsa taciturnitas ejus præsumitur ad consensum. Unus tondet, alter expilat, unus pedem tenet, alter excoriat. Imminet, sicut prædixit Apostolus, tempus discessionis, ut perditionis filius reveletur, instantque tempora periculosa, ut scindatur tunica Christi inconsutilis, ut rumpatur rete Petri & Catholicæ unitatis soliditas dissolvatur, initia malorum sunt hæc, sentimus gravia, graviora timemus.* Et hic quidem Regina dolore saucia loquitur, sed Cantuariensis Cancellarij verbis, Cleri etiam haud dubie Anglicani, nec ab Abbatis Ioachimi judicio multum abludunt; quamquam hic in Italiâ, in Angliâ ille. At enim describit etiam nobis in officialis personâ Ecclesiæ Romanæ habitum, ad eundem scribens. *Quia te affectuosissimè diligo, in visceribus Iesu Christi, proposui te salutaribus monitis adhortari, ut de Ur Chaldæorum, & de medio Babylonis tempestivus exeas, & ministerium damnatissimæ villicationis omittas, &c. Credo hujusmodi Officiales non ab officio, nomine, sed ab officio, verbo, mutuasse vocabulum. Tota officialis intentio est, ut ad opes Episcopi suæ jurisdictionis commissas miserrimas oves, quasi vice illius tondeat, emungat, excoriet,* (opes & oves opponit,) Indeque atrocibus verbis eorum rapinas exequitur: *Officiales isti sunt secretiora illa ostiola, per quæ ministri Belis Sacrificia, quæ super mensam ponebantur à Rege, clanculum asportabant. Sic Episcopus quasi longâ manu bona aliena diripit, & notam criminis à se removens, suis Officialibus culpæ & infamiæ crimen impingit, &c. Officialium hodie est, jura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias concinnare. Isti sunt qui hospites suos gravant superfluâ evectione, & multitudine clientelæ: De alieno prodigi, de proprio avari sunt, verborum insidiatores, & aucupes syllabarum, tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ, jura interpretantur ad libitum, & ea pro voluntate suâ nunc abdicant, nunc admittunt, bene dicta depravant, prudenter allegata pervertunt, rumpunt fœdera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia distrahunt, adulteria fovent, penetrant domos, & mulierculas oneratas peccatis captivas ducunt, diffamant innoxios, & nocentes absolvunt. Et ut multa sub verborum paucitate concludam, dum omnia venaliter agunt filij avaritiæ, servi mammonæ se Diabolo venales exponunt, &c. Si mihi credis, imò si credis in Deum, relinque maturius officialis officium, ministerium damnationis, rotam malorum,*

lorum, & spiritum virtiginis, qui te ad inania circumvolvit. Miserere animæ tuæ placens Deo, cui placere non potes cum isto perditionis officio. De Episcopis nihilo mitius: Episcopi domo, inquit, ut cum familiâ Dominum comprehendam, nihil est damnabilius ad meritum, nihil inhonestius ad mores, nihil sordidius ad conscientiam, nihil culpabilius ad famam, nihil perniciosius ad exemplum. Quare, Principes Cleri, Syriam, Edom, vitulos Bethel, idola Ægypti, pingues Samariæ, Sacerdotes Baal, identidem appellat, eosque acerbè ad officium revocat: Professio tui ordinis, nec seculi curas, nec sævitiam gladij materialis admittit, Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic. Si acceptas ministerium Christi, si jugum Christi non detrectas, permane in eâ statione, in quâ vocatus es, dimitte laicis populi principatum. Imò ad ipsum Alexandrum tertium, Cantuariensis Archiepiscopi nomine scribens, eo nomine succensentis, quod, quæ unica in suo Archiepiscopatu erat, Abbatiam usurpasset, nihil blanditur: quod in eo magis spectandum, qui aliâs Pontificibus non defert. Post Uriæ mortem, &
Idem Epi. 68. adulterium Bethsabeæ, inquit, missus est ad David Propheta, proponens ei paradigma de paupere, qui unicam habebat oviculam quam abstulit ei dives, qui oves habebat innumeras. David verò de sententiâ requisitus, judicium mortis dictavit in divitem, & per consequentiam in seipsum. Et quis est hodie dives, qui habet innumeras oves, nisi Romanus Pontifex, qui Ecclesias orbis possidet universas? Et quis pauperior, quàm Ecclesia Cantuariensis, quæ cum unam & unicam abbatiam haberet, monasterium scilicet S. Augustini, quam sinu providentiæ Pastoralis & paterno fovebat amplexu, eam dives ille propheticus, ne dicam Romanus Pontifex in suam specialem & propriam usurpavit. Si audeamus dicere quod sentimus, cum ex officio justitiæ reddatur unicuique quod suum est, non multum Romani Pontificis justitiam promovet, si alicui in alienam injuriam beneficium confert, si quod meum est aufert, si ea committit in rebus Ecclesiasticis, quæ mundana potestas in secularibus abhorret. Deinde generalem quærimoniam repetens, quod Abbatias Episcoporum jurisdictioni eximeret, suæque ita reservaret, aut Abbatum procurator dicere non vereretur: Viles, inquit, sunt Abbates, & miseri qui potestatem Episcoporum prorsus non exterminant, cum pro annuâ auri unciâ plenam à sede Romanâ possunt assequi libertatem. Nempe libidini fræna laxare absque ullius disciplinæ, correctionisque metu; Videant quæso ista & judicent, qui judicant orbem terræ, ne inde emanare videantur injuriæ unde jura sumuntur. Arguemur temeritatis & dicemur os nostrum posuisse in cœlum, qui non de superbiæ spiritu, sed de atramento doloris hæc scribimus, sentimus equidem familiares angustias, qui publicas deploramus, &c. Apostolus ad Romanos loquens: Omnis, inquit, creatura potestatibus sublimioribus subdita sit. Si Ecclesiæ Romanæ Apostolus sic scribit, quis in Ecclesiâ Romanâ doctrinæ Apostolicæ contrariè præsumpsit? &c. Quidam Angeli alijs præsunt, nec inter se superbiam emancipationis admittunt. Unus eorum quandoque se eximere voluit à potestate divinâ, & de Angelo Diabolus factus est. Hodiè per ejusmodi extra ordinarias libertates, multorum præcipitia machinantur. Adhuc replicamus, quia de facto summi Pontificis disputasse, & sacrilegium commisisse dicemur: veruntamen non est æqua disputatio, ubi sustinenti respon-
Idem Epi. 158. dere non licet, nec rixa est, ubi tu pulsas, Ego vapulo tantum. Eodem sensu in Epistolâ 158. ad Iohannem Episcopum Carnutensem, eandem causam ipso apud Pontificem disceptante: Veruntamen & leges, & Canones, & quicquid de sacro eloquio ad nostræ partis assertionem poteramus inducere, funestum quidem majores inter cæteros, & sacrilegium reputabant, nosque hostes Romanæ Ecclesiæ publicè judicabant, nisi cessaremus ab his verbis, quibus Ecclesiam S. Augustini, quam suam specialiter asserunt, Ecclesię Cantuariensi subjicere conabamur. Damna siquidem animarum non attendentes in Mo-

nachis

nachis omnia illicitâ eis licere permittunt, ut jugo disciplinæ prorsus abjecto vagi, & petulantes ad omnes carnis currant illecebras, omnesque excessus, quos per annum faciunt, annuâ redimunt pensione. Cum itaque nobis publicè fuisset inhibitum, ne in causâ istâ Canones aut leges deduceremus in medium, sed privilegia duntaxat, si qua haberemus ad manum, quorum nullum eo tempore nos habere sciebant, viderentque nos in hac parte omni solatio humano destitutos, & quod in votis haberent hominem illiteratum & laicum, sed in emendis honoribus circumspectum, præficere Abbatiæ, quam Simoniacâ venalitate acquisierat, non occultâ, sed publicâ & forensi: prosilui ad accusationem, atque adversus electum paginam inscriptionis arripui. Cum enim manifesta & notoria proponerem contra eum, illi quos amicos sibi fecerat de mammona iniquitatis, opinionis & infamiæ vulneribus vinum & oleum infuderunt. Exhaustis etiam Flandriæ mercatoribus in argento, à Romanis tandem infinitam multitudinem auri mutuavit. Sic pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi ejus in fulgore auri fecerunt, ut non audirent illi duo, vel etiam unum de libertatibus & dignitatibus sanctæ matris Ecclesiæ Cantuariensis, pro quibus B. Martyr certavit usque ad mortem, quas moriens confirmavit in celebri sui effusione sanguinis. Martyr iste tamen pro Pontificis authoritate propriè passus, qui, si auditur Petrus Blæsensis, Pharisæorum exemplo ejus sepulchrum deaurat, ut Ecclesiam plausibilius expilet. Nec omittendum, in Tractatu de Institutione Episcopi, qui Iohanni Episcopo Wigorniensi inscribitur, quos locos Ecclesia Romana ad Pontifices tanquam Petri successores coarctat, eum ad omnes omnino Episcopos extendere. *Legimus*, inquit, *Christum dixisse ad Petrum, si amas me, pasce oves meas: hæres es & Vicarius Petri, pasce oves meas, Evangelizando fac opus Evangelistæ & pastoris, non erubuscas Evangelium, si erubescendum non credis Pastoris officium. Ministerium tuum plus oneris habet, quàm honoris. Si affectas honorem, mercenarius es, si onus amplecteris, potens est Dominus augere gratiam suam, ut lucra ex lucris, & ex profectibus profectus accedant. Quod si abhorreas onus & insufficientem te reputes, sera querela est.* Dixerat antea: *Modis omnibus cave, ne secularibus te involvas, nulla enim consonantia est spiritus Dei, ad spiritum hujus mundi, permane in vocatione tuâ. Mundus in maligno positus est.* Et hoc repetit paulò post: *Animabus prælatus es, non corporibus, nihil prælato cummune est cum Pilato: Christi villicus es, & Petri Vicarius: nec te respondere oportet Cæsari de commissâ tibi jurisdictione, sed Christo.* Et ex his similibusque locis, quid de Pontificibus sentiret, judicare proclive, qui tam violenter omnem secularem potestatem ad se contrahebat. Sed ad seculi tyrannidem stilum adtemperare interdum cogebatur, sicuti cum dicit. *Arma Alexandri & Cæsaris hodie celebri opinione transcendit unicus ille gladius Petri, quo servi auriculam amputavit.*

Petrus Blæsensis de institutione Episcopi.

Petrus Blæsens. in Tractatu de peregrinat. Hierosolymit.

Ad Innocentium tertium veniamus. Abbas Urspergensis de ejus auspicijs: *Audivi eo tempore, quod tam difficile est relatu & vix credendum, quia dixerit idem Papa, quoniam ablaturus esset Philippo Diadema regium, aut ipse sibi Papæ insigne Apostolicum. Cæterùm, quamvis non sit credendum, quod voluntatem suam divinæ voluntati prætulerit, constat tamen quia omni tempore adversabatur eidem. Deus autem ex alto prospiciens non permisit, ut per totam Alemanniam deperiret cultus divini officij & Ecclesiasticæ dignitatis, quæ duo honestiùs ibi consistunt, quæ in aliis gentibus licet ubique per incentiva vitiorum, maximeque luxuriæ, depravata sint.* Et notat, Innocentium sedis Apostolicæ authoritatem ideò Philippo opposuisse, *ut genus Regium deperiret.* Aventinus verò, *cognatas acies*, collisisse, *fratrem adversus fratrem, filium adversus parentem confligere coegisse, atque invicem sanguine se polluisse.* Ibique erumpens: *Quis aliam*, inquit, *tantæ discordiæ inter Christianos causam attulerit, nisi Romani Episcopi spe-*

Abbas Urspergensis.

Avent. l 7.

ctaculum quasi paria componentis? Populus Christianus mutuis se vulneribus, cohortantibus flaminibus Romanensibus, contrucidavit. Innocentio interim, inquit Urspergensis, hac confusione in rem suam abutente, quam in imperio horribilem adeo describit, ut vix ulla similis in omnium seculorum serie occurrat. *Ut ne quis*, inquit, *de villâ suâ posset procedere securè in proximam villam. Vix enim remansit aliquis Episcopatus sive Ecclesiastica dignitas, vel etiam Parochialis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacuâ. Gaude mater nostra Roma quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terrâ, ut ad te confluant rivi, & aggeres nummorum in magnâ copiâ. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensatione tantorum malorum, datur tibi in precium jocundare super adjutrice tuâ discordiâ, quia erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod semper sitisti, decanta Canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem vicisti. Ad te trahit homines, non ipsorum devotio aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio, precio comparata.* Et hic Annalium Baronij finis. Nec omittendum ad res Orientis, Ecclesia inter Alexandrum tertium, & Victorem scissa, Alexandrum Legatum in Palæstinam misisse, ut ibi Pontifex agnosceretur; Itaque ambos patriarchatus Antiochenum, & Hierosolymitanum unà cum Rege & Baronibus regni, eâ de re consilia communicaturos convenisse. Et sentiebat quidem Rex neutrum recipiendum, tantùm Legato permittendum, ut sine Legationis insignibus, peregrini, si videretur, habitu, loca sancta inviseret, primo quoque, ut loquebantur, passagio reversurus: Legato enim in regno nihil opus esse, qui Ecclesias sumptibus tantùm oneraturus esset, exactionibusque attenuaturus: Verùm vicit numerus ut reciperetur: unde evenit, *ut quibus adventus ejus placuerat postmodùm fuerit onerosus.*

Abbas Urspergens.

Gulielm. Tyrius l. 18. c. 29.

PRORGESSUS.

UT igitur bellum inter Philippum & Othonem accendit Innocentius, hujusque contra illum partes suscepit; & pejoris quidem, si Urspergensi fides, *eo quod*, inquit, *superbus & stultus erat, sed fortis videbatur viribus*, ad eum stabiliendum nihil reliqui facit. Episcopis & Principibus Germanis mandat, Othoni obsequantur, eosque Sacramenti nexu erga Philippum absolvit: nemini Archiepiscopo pallium tribuit, ni se ejus partibus jurejurando devinciat: Othonem in Germaniâ per Legatum coronari curat: Adolphum contra Coloniensem, qui Philippo diadema imposuerat, & deponit & anathemate ferit. At sanè, ut Philippum prælio victorem intelligit, quin & pluribus certaminibus inferiorem Othonem, ex incendiario, pacis arbiter evadit, eoque Hugolini Hostiensis Episcopi & Leonis Cardinalis titulo Sanctæ Crucis, operam adhibet. Conditiones fuere: Otho Philippi filiam uxorem duceret, eique dum viveret regni titulum, mortuo demùm successurus, relinqueret. Et Philippus quidem non diu superest, quandoquidem è Saxoniâ in Sueviam rediens, cum Bambergæ valetudini consulturus subsisteret, inque cubiculo, misso ex utroque brachio sanguine, quietem cum paucis familiaribus captaret, Otho Palatinus de Witelsbach ingressus, ferro eum invadit, ac, cubiculario frustra caput Domini protegente, contrucidat. Notat Urspergensis, Innocentium legitimam Luitpoldi Episcopi Moguntini electionem, in odium Philippi, irritam fecisse: quod in capite, *Bonæ memoriæ*, Extra de electis, adhuc legitur; *non judicium facientem*, inquit, *sed injuriam*. Addit & pacem hanc factam,

Abbas Urspergens. in Chron.

[f]actam, *ut retulerunt viri veridici, propter hoc Papæ promissum, quòd filia Regis [P]hilippi daretur in uxorem filio fratris sui Richardi, qui jam comes fuerat effectus Papæ [s]uffragio* (nothum ejus fuisse sunt qui dicant.) *Nec statuit Papa repetere terras, [q]uas multoties ab Imperatoribus repetere consueverunt antecessores sui, in Tusciâ & Spo[le]to, in Marchiâ Anconæ, sperans quod in potestatem nepotis sui, propter prædictas [n]uptias, possent devenire.* Et sic vacuum locum Othoni reliquit Philippus, [q]uem multis virtutibus clarum Urspergensis Coætaneus prædicat, insigni præ[se]rtim clementiâ & mansuetudine, nec eo nomine Pontificibus chariorem. [V]erùm juvat videre, Otho, quem contra Philippum tutatus erat, cum Imperij [j]ura sibi asserit, num Innocentium magis propitium experiatur. Otho igitur in [I]taliam trajecto exercitu, summo totius populi plausu excipitur, & ferreâ Coronâ [M]ediolani ab Archiepiscopo acceptâ, Romam augustale diadema suscepturus [v]enit; & hactenus quidem cum Innocentio conveniebat: At, ut Iurisconsulto[r]um consilio fretus, jura imperij in Hetruriâ investigat, & oppida, quæ ex occa[si]one interregni Pontifices imperio subduxerant, recipere satagit, illicò censu[r]as Ecclesiasticas Innocentius minitatur. Pergit nihilominus Otho in instituto: An. 1209.
[V]iterbium, Montem Faliscorum, Urbevetum, Perusiam, & universum, quod [d]icebatur Mathildæ, patrimonium occupat; quin & Ducatum Spoletanum [B]ertaldo familiari suo attribuit, quo facto in Lambardiam, novos motus aut [c]ompressurus, aut anteversurus, repetit. Iàm igitur Innocentius nova consilia [in]îre: Fridericum juniorem, pupillum suum, Regem Siciliæ, Othoni opponere: [H]unc recenti memoriâ Patris & avi Henrici & Friderici primi, commendatum, [i]n Germaniam transmittit; conturbaturum nempe ibi Othonis rationes, unde [e]x Italiâ retrahatur. Et eo quidem faciliùs, quod nec Principibus charus Avent. l. 7.
[n]ec virtute alioqui conspicuus Otho: ut non multo post hostis Ecclesiæ in Italiâ [j]udicatus, in Saxoniam compellatur, ejus clientes, Mediolanenses præser[ti]m & socij ab Ecclesiæ communione rescindantur, in eoque moritur Innocen[t]ius, anno **1216**. mox & Otho **1218**. qui pœnitentiæ argumentum, imperij [i]nsignia Friderico juniori testamento relinquit. Krantzius sanè, in Pontifices Krantzius lib. 7. c. 33. & 34.
[l]icet propensior, de discordiæ inter Othonem & Innocentium causis: *Quod [I]mperator*, inquit, *per Italiam antiqua imperij jura reposceret, quorum jam quædam tran[s]iissent ad Ecclesiam. Vendicabat quoque ille Mathildis, potentis per Italiam fœminæ, [l]ocupletem hæreditatem, quam ille legasse diceretur Ecclesiæ, Imperatore reclamante, quod [d]uplici jure ad eum pertineret, nam legitimus hæres videbatur amitæ suæ, quæ nata fuit ex [M]archionibus Saxoniæ, & illo etiam jure non extante, vacantis feudi redibat ad imperium [d]irectum dominum. Et ideò cohortatur*, inquit, *Principes Electores, ut quoniam ipse ex[c]ommunicatum primo & deinde depositum imperio Othonem abjecerit, alium sibi Princi[p]ipem deligant ad imperium, objiciens illis Fridericum*, annos viginti natum, cujus Continuator Belli sacri l. 3. c. 10.
[t]amen tutelæ gestione ad suum commodum abusus erat: inquit enim belli sacri [C]ontinuator: *Fridericus ab Innocentio infans adhuc, pupillus à tutore hæreditario regno [s]poliatus, ex libero factus tributarius, nec Henrici parentis, nec matris Constantiæ fi[d]e, aut precibus liberè regnare permissus.* Notat Blondus hujus Pontificis duas leges Blond. Decad 2. l. 6.
[a]rduas in primis: unam, *Quoties orbis Principes alter in alterum delinquerent, corre[c]tionem ad Romanum Pontificem spectare*, quæ in causâ Regum Franciæ & Angliæ [i]nter se diffidentium lata, Decretalibus postea inserta est; Alteram: *quod datâ [p]aritate vocum eligentium, nec accedente majori concordiâ, Papa potest gratificari cui vult*, Extra de Election. C. Venerabilem.
& pro legitimo haberi debet. Quæ ibidem legitur in favorem Othonis quarti

 nomi-

nominatim exerta. Quâ quidem ratione sese totius orbis arbitrum constituebat; At libri præsertim ab ipso conscripti, hoc mysterium quantum promoverit, faciunt fidem, *Romanus Pontifex*, inquit, *in signum imperij utitur regno* (globus est imperij signum) *& in signum Pontificij utitur mitrâ. Sed mitrâ semper & ubique utitur, regno verò nec ubique nec semper: quia Pontificalis authoritas & prior est, & dignior & diffusior, quàm Imperialis. Sacerdotium enim in populo Dei regnum præcessit, cum Aaron primus Pontifex Saulem primum Regem præcesserit. Noë quoque Nemroth cum de illo dicit scriptura, quòd principium Nemroth extitit Babylon, Noë verò ædificavit altare Domino & holocausta obtulit super illud. De Sacerdotibus autem & Regibus loquens, Sacerdotes appellat Deos & Reges Principes: Dijs, inquit, non detrahes & Principi populi tui non maledices; Et, cum de Rege dicat Apostolus, subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis: Hieremiam sacerdotem dicit Dominus de Sacerdotibus Anatoth constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas, ædifices & plantes. Petro autem singulariter dixit: Tu vocaberis Cephas, quod exponitur caput, in quo sensuum plenitudo consistit.* Quis rogo unquam talem Theologiam audivit? En vero tibi adhuc pejorem: *Altitudo maris istius, de quâ Christus inquit ad Petrum: Duc in altum, est Roma, quę Primatum & principatum super universum seculum obtinebat, & obtinet, quasi diceret: Vade Romam & te cum tuis transfer ad urbem, & laxate ibi retia in capturam.* Alibi, *Ecclesia Romana debitum reverentiæ nulli prorsus impendat, nisi Romano Pontifici, qui post Deum alium superiorem non habet.* Quin & rivalem jam Christi habes. *Pontifex Romanus*, inquit, *sponsam habet Romanam Ecclesiam, quæ tamen Ecclesias sibi subjectas introducit ad ipsum.* Et hic primus quod sciam thalamum Christi invadere, sponsum se Ecclesiæ profiteri ausus; Verum & incommunicabilem Domini titulum sibi rapiens, qui veræ Ecclesiæ solus & verus sponsus, cum vera Ecclesia Romana esse non possit, si Papa ejus sponsus, non Papa etiam ejus sponsus, si Ecclesia Romana verè sponsa. Audiatur hic Bernardus ad Papam Eugenium scribens: *Superest ut ipsa quæ tibi commissa est Domini tui sponsa mutetur in melius. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam ejus Principem meam, sed principem: nihil tuum in eâ vendicans, nisi quod pro eâ, si opportuerit, etiam animam dare debes. Si Christus te misit, æstimabis te non ministrari, sed ministrare venisse.* Hoccine, Bellarmine distinctiunculâ, *principalis aut subalterni sponsi*, satis excusatum putas? Mitto quod duo luminaria à Deo in firmamento collocata ita explicat, ut Pontificem Soli, Imperatorem lunæ comparet; nempe, qui Christi ipsius Regis Regum iura violare non veritus, terrenis Principibus minimè parsurum putemus.

Innocentius 3. ser. 1. in festo Sylvestri Papæ.

Idem sermone 1. in festo Gregorii Papæ.

Idem sermone 2. in festo S. Petri.

Idem sermone 3. de consecratione Pontificis.

Bernard. ad Eugen. Epist. 237.

Bellarm. de Romano Pontif. l. 2. 31.

Et verò spiritualis hujus potestatis prætextu eodem tempore temporale regni Angliæ Dominium usurpat. Exortâ enim inter suffraganeos Archiepiscopi Cantuariensis Episcopos & Monachos, de Archiepiscopi eligendi jure controversiâ, monachis ad se tantùm eam pertinere contendentibus, Episcopis Monachos, ipsis inconsultis, eligere posse negantibus, utrique cum Romam petijssent, persuadet Innocentius monachorum procuratoribus, Stephanum de Langethon Cardinalem Presbyterum, *creaturam* suam, ut loquuntur, eligant: protestantibusque ipsis sibi, inconsulto Rege, & suo conventu id non licere, anathema interminatus tandem pervincit, ac demùm pro eis contrà Episcopos sententiam fert, conventui etiam, nî pareat, anathema significans. Iohannes igitur, qui tum regnabat, graviter commovetur: tum quod dixisset Innocentius, *super electionibus apud Sedem Apostolicam celebratis, non consuetum assensum*

Prin-

Principum expectari: tùm quod Episcopi Nortwicensis in Cantuariensem promotionem, cui consensum præbuerat, irritam faceret: jura regni sui ad extremum usque spiritum defensurum, mareque Romam petentibus clausurum protestatus, nî Pontifex mutatâ sententiâ injuriam sibi factam resarciret. Contrà Innocentius regnum Angliæ interdicto subjicit, primique occupantis arbitrio exponit, subditos & naturali & civili sacramento absolvit, universum Clerum, Procerum etiam magnam partem in Regem concitat, regni denique solio indignum judicatum exauctorat, aliumque in ejus locum constitui jubet, & exequutorem porrò suæ sententiæ Philippum Francorum Regem, Johannis hostem, instituit, cui laborum suorum præmium, & remissionem omnium peccatorum pollicetur, & regnum Angliæ in posteros transmittendum donat. Eo usque progressus, ut Proceribus, Equitibus, & præcipuis quibusque per diversas nationes scriberet, sese cruce signent, & Regi Franciæ in hac expeditione opem laturi accurrerent; Pares prærogativas & indulgentias, ac ijs, qui sanctum sepulchrum invisunt, illis præstiturus, in ijs quæ ad bona, personas, animas pertinent. Et Monachus quidem hujus Historiæ author. Interim ut Philippum Iohannem jam jam invasurum in procinctu videt, Legatum in Angliam clanculum inducit, qui ab Episcopis exceptus, quod præ foribus erat exitium, nî Pontifici propere satisfaciat, ipsi ob oculos ponat. Sicque periculis undique circumventus, *resignat coronam suam cum regnis Angliæ & Hiberniæ in manus Domini Papæ, cujus tunc vices gerebat Pandulphus ejus Legatus, & Chartâ subscriptâ confirmat*, Ex communi Baronum consilio, cujus hæc verba: *Pro remissione omnium peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tam pro vivis, quàm pro defunctis, Domino Papæ Innocentio & ejus Catholicis successoribus, prædicta regna liberè concedimus.* Et exinde tradit ei suisque Innocentius regna illa hominij ligij lege possidenda, ut *amodo illa & ab eo, & Ecclesia Romana tanquam secundarius recipiat & teneat, deque propriis, & specialibus reditibus eorum, mille marcas Esterlingorum annuatim percipiat; in Festo scilicet S. Michaelis* 500. *Marcas, & in Pascha quingentas; septingentas scilicet pro regno Angliæ, & trecentas pro regno Hiberniæ.* Idque salvis per omnia B. Petri denariis; addito, *si ipse vel aliquis successorum contra hæc attentare præsumat, nisi rite commonitus resipiscat, à jure regni cadat.* Quæ charta à plerisque magnatibus subsignata, ejusque ad calcem, hominium solenni more exhibitum. Quare Philippus noster, quem ad bellum Innocentius accenderat, cum Rege Angliæ inimicitias, nullâ jam reconciliationis spe, frustra contrahit. Attende verò portentosum in tributo illo percipiendo Legati, nedum Pontificis, fastum. *Pandulpus*, inquit, *pecuniam, quam in arram subjectionis Rex contulerat, sub pede suo conculcat*; Accepturus, interim non repudiaturus, Absit enim ut cum Petro dicat, *Argentum tuum sit tecum in perditionem.*

Matth. Paris in Iohanne p. 216.

Matth. Paris in Iohanne P. 225. & seq.

Jàm, quod sæpe diximus, ut hoc iniqnitatis mysterium promovetur, ipsam etiam doctrinam in pejus ruere: sub hoc primum Innocentio innotescit Transubstantiationis & dogma & nomen, in Synodo demùm Lateranensi his verbis expressû: *Corpus & sanguis Jesu Christi in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divinâ.* Et hinc tot portentosæ quæstiones scaturiunt, quæ apud Scholasticos hoc seculo leguntur, de quibus & nos alibi latius; Ceremoniæ etiam illæ à Pontificibus subsequentibus subinde inductæ: ab Honorio tertio præsertim, Innocentij successore, illa, *quâ populis, cum panis in Missâ ostenditur, genu flectere jubetur*, & similes.

Concilium Lateranẽs. C. firmiter SS. una vero, &c.

At quia suffulciendæ tantæ idololatriæ, alioqui cassæ & caducæ, anteridibus

quasi erat opus: En illos tibi sub hoc temporis punctum, opportunè; Franciscum & Dominicum, Italum illum, Fratrum minorum Principem, Hispanum hunc, Prædicatorum; & illum quidem ab Innocentio, hunc ab Honorio successore, comprobatum; à clientibus & sectatoribus suis ambos certatim & Christo coæquatos & supra Christum, quoad potuerunt, evectos. Quid ille amabo, aut facere aut factum probare potuit, unde Antichristus firmius convinceretur? Et alibi nos quidem de his plura, sed ad seriem Historiæ pertinet, ut nonnulla breviter hic repetamus. Franciscus igitur illis, Iohanne Baptista major: *Baptista*, ajunt, *fuit præcursor Christi, B. Franciscus prædicator & signifer Christi. Johannes verbum de pænitentiâ accepit à Domino, Franciscus à Domino & à Papa, quod plus est; Iohannes amicus sponsi,* (Christi scilicet) *Franciscus similis Domino Iesu Christo. Johannes in ordine Seraphico sublimatus, Franciscus in ipso ordine, in sede Luciferi collocatus. Franciscus melior Apostolis, in cœlis locatus, exiens de vulnere laterali Christi, Jesus typicus passione factus, ad similitudinem Iesu Christi crucifixi. In eo passio Christi pro genere humano renovatur: de quo David dixerit: gloria & honore coronasti eum, & constituisti super opera manuum tuarum. Datus est in lucem gentium;* quod Propheta de Christo dixerat. *Ejus diem vidit Abraham, & gavisus est.* Quicquid in summâ à Prophetis de solo Christo, à Christo Domino de seipso denuntiatum. *Ipse meritò dicere possit illud quod cantatur in Euangelio, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo:* de quo etiam dictum, *ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium;* Quod rursum nunquam à quoquam nisi de Christo expositum: *In quo omnes virtutes sanctorum tam veteris quàm novi Testamenti positæ unitivè & conjunctim: Miritorum gratiâ Dei filius factus, à spiritu sancto sanctificatus: Ex schedulà quam vidit frater Leo de cœlo super caput beati Francisci descendere, ubi erat scriptum, hic est gratia Dei, Totus Christo conformis: Omnis perfectionis exemplar: In gloriâ Dei patris deificatus: In gloriâ sanctorum Deo unitissimus: Unde & Præfuit universæ creaturæ. Factus unus spiritus cum Deo. Quem Ecclesia militans Advocatum apud Deum possidere meruit: In quo Passio Christi pro genere humano renovatur;* Adeò ut, *certificatum sit, quod propter unam Missam Beati Francisci placatus fuerit Deus pro toto mundo. Omnes salvantur qui moriuntur in ordine & sub regulâ beati Francisci. Franciscus enim oravit Deum & impetravit à Deo, ut nullus in habitu posset malè mori. Eadem gratia descendit super eum, qui habitum religionis assumit & super eum qui baptizatur: Et indutio cucullæ dat illi plenariam peccatorum remissionem, tam à pœnâ, quàm à culpâ;* Quin *& concipiens novum propositum voti, cujus eum forte pœnituerit, iterum baptizatur & pœnitentiam induit.* Vis plura? *Christus oravit, Franciscus exoravit.* Et harum blasphemiarum quando finis? Hic liber interim in Franciscanorum generali capitulo, à Fratre Bartholomæo de Pisis exhibitus, ibique ab omnibus unanimi consensu approbatus, Assisij secundo Augusti 1389. cum hac expressâ clausulâ, *inspici, discuti & examinari fecimus deligenter, & nihil invenimus correctione dignum.* Ideoque ab ijs appellatur *aureus liber*, jussique omnes fideles mandato Gregorij noni, Alexandri quinti & Nicolai tertij, hæreseos pœnâ, Francisci stigmata credere, mandato itidem Benedicti duodecimi, diem, quo illa accepisse dicebatur, celebrâre; ut & Alexandri quarti Bulla montem Alverniæ, in quo id contigisse volunt, in sedis Romanæ tutelam suscipitur; Cum tamen coætanei authores de stigmatibus inter se non conveniant. Bonaventura inquam, qui quadraginta post annis floruit, in ejus vitâ à pluribus visa & agnita, clavis adeo in ea immissis testetur; Matthæus Paris contrà, superstitiosissimus licet Monachus, coætaneus author, nullum eorum vestigium apparuisse asserat; *non in latere, non in pedibus, manibusve,*

De

Lib. 3. de Euchar. c. 17.
Liber. conformitatum p. 24. p. 39.
fol. 66. & 247.
Prosa, de Francisco ibid. initio libri & fol. 194.
fol. 144.
fol. 17.
fol. 24.
fol. 149.
fol. 13.
fol. 5.
fol. 14.
fol. 4. fol. 3
foi. 5.
fol. 144.
fol. 78.
Bernard. in Rosario. Thom. in l. 4 Sent. dist. 4. ex vitis Patrum.
Lib. Conformitatũ impressus Bononiæ. p. 6.

De Dominico non minora fingenda erant, maximè cum Albiensibus esset opponendus. Quare Archiepiscopus Antoninus, prædicator & ipse, ejus miracula cũ Christi miraculis ita comparat, ut perpetuò & numero & pondere antecellant: *Christus*, inquit, *tres mortuos resuscitavit, Dominicus tres in urbe Romanâ: quid enim illos quadraginta peregrinos, qui in flumine magno juxta Tholosam naufragio ferebantur, cum navi subversâ, sub aquis diu stetissent, factâ oratione à B. Dominico ex aquis exierunt sospites, nisi vitæ redditos existimemus? Christus immortalis effectus, bis januis clausis ad discipulos intravit: Dominicus verò adhuc mortalis (quod mirabile est) in Ecclesiam clausam noctu ingressus est, ne fratres excitaret.* Christus post mortem dicit: *Omnis potestas mihi data est in cœlo & in terrâ; Et hæc potestas*, inquit, *non parum est communicata Dominico, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Nota ut perpetuò quasi in auctione licetetur: *Nam Angelos sanctos in sui ministerium habebat: ad nutum ejus Dæmones contremiscebant, nec imperium ejus recusare valebant.* Inquè multa exempla sese effundit; Addit, *Venetijs in Ecclesiâ S. Marci, antequam Dominicus nasceretur in mundo, imagines duorum depictæ cernebantur à cunctis, quarum una erat ad modum religiosi in habitu ordinis Prædicatorum cum lilio in manu; Alter a similitudinem habebat Apostoli Pauli prout pingi consuevit, super quam scriptum erat, ἅγιος Paulus, id est, Sanctus Paulus: sub figurâ verò ad pedes sic, per istum itur ad Christum; Super figuram alteram scriptum erat, ἅγιος Dominicus, Sanctus Dominicus; sub ipso verò, facilius itur per istum*, Id est, per Dominicum; nempe, inquit Antoninus, *quia doctrina Pauli, sicut & cæterorum Apostolorum, erat doctrina inducens ad fidem & observantiam præceptorum, Doctrina Dominici ad observantiam consiliorum & ideò facilius per istum itur ad Christum* Et sic B. Paulo & cæteris Apostolis superiorem habes, ejus regulam Apostolicâ doctrinâ potiorem. Audi pejora, *quia Christo similis, à Domino Christo aptissimè denominatus est Dominicus*; namque *Dominicus quasi totus Domini, ut Christus sit Dominus absolutè & authoritativè, Dominicus autem principaliter & possessive*: Nam dicit Dominus: *Ego sum lux mundi, & de Dominico canit Ecclesia, vos estis lux mundi. De Domino multifariè multisque modis prænunciatum est, huic enim omnes Prophetæ testimonium perhibent; De Dominico & ordine suo Zacharias undecimo capite, cum ait in personâ Dei: Assumpsi mihi duas virgas, unam appellavi decorem, & alteram funiculum, & pavi gregem. Decor est ordo Prædicatorum, per habitum decorum, quasi prælatorum designatus: Funiculus dicitur Ordo Minorum, quia manifesto funiculo cinguntur.* Et sic illis scriptura ludus. Item, *Nascitur Dominus super terram nudam: sed ne nimis à frigore lædatur, à matre Virgine in præsepio collocatur: Natus Dominicus infantulus, sub nutricis custodiâ positus, egressus e lectulo, quasi jam carnis delicias abhorreret, super nudam terram jacere sæpius est repertus. Nato Domino sydus coruscans emicuit, quod Magos ad eum perduxit, per ipsum mundum universum illuminandum insinuans; Oritur Dominicus & super baptizandum mater spiritualis aspexit in fronte stellam, novum jubar præmonstrans seculi: Oratio Domini fuit semper exaudita, cum voluit: Nam etsi in horto, cum oravit, calicem à se transferri, non fuerit exauditus, hoc ideo, quia secundum sensualitatem postulans, secundum rationem exaudiri nolebat. Dominicus autem cuidam religioso viro sibi familiari in domesticâ locutione insinuavit, se nunquam à Deo aliquid postulasse, quod ad votum non obtinuerit*; Utique, quia nihil ex sensuum appetitu postulabat. *Dominus dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo; Dominicus verò charitatis perfectione vacuus, noctem impendebat Deo, meditationi & orationi vacans, trinam disciplinam quasi de manu propriâ*, quo-

Antonin. Archiep. part. 3 Tit. 23. c. 1. § 38.

Ibidem paragr. 2.

quotidie, non chordula sed catena ferrea usque ad sanguinis effusionem capiebat; pro suis culpis unam, quæ minimæ erant, pro in purgatorio existentibus aliam; tertiam pro iis qui versantur in mundo. Et hanc comparationem Archiepiscopus Antoninus per omnes vitæ Christi partes persequitur. Denique digressurus ab hoc mundo Dominus Paracletum seu consolatorem spiritum sanctum discipulis pollicetur; At Dominicus, *Nolite plorare charissimi, nec vos mei corporalis turbet discessio: in loco ad quem vado utilior vobis ero, quàm hic fuerim; Et post mortem Advocatum potiorem habetis, quàm in hac vitâ habere possitis.* Et quò igitur abit, quod Iohannes nobis: *Si peccaverimus, habemus Advocatum Iesum justum.* Et has interim blasphemias, quia ad suam authoritatem stabiliendam faciunt, Ecclesia Romana etiam roborat. Gregorius enim nonus Dominicum anno 1223. canonizat, in divos refert, ei diem Festum constituit, ejusque regulam & comprobat & privilegijs communit; Et qui hæc scribit Florentinus Archiepiscopus, tum inter adversarios percelebris, tùm & ipse in sanctorum Canonem relatus. Hæc, unde Lector intelligat, labes quousque jam in Ecclesiam pervasisset: Pontificibus quid consilij, cum tantas, tamque atroces in Christum contumelias inducerent, ne dum tolerarent; quò etiam spiritu eorum & Consistoria, & Concilia agerentur; in quibus interim novos fidei articulos condebant, Transsubstantiationem, adorationem crustulæ in Missâ, auricularem Confessionem, Communionem sub alterâ specie, & consimiles. Sed enim promulgandis illis, ejusmodi præconibus erat opus: quorum & industriâ in propagandis factionibus suis inter gentes utebantur, & concionibus in animos hominum sese insinuabant: dum in levissimis scrupulum injiciunt, extinguendæ interim conscientiæ rationem an artem proponunt. Namque, inquit Urspergensis, à rapinis, depopulationibus, incendiis, seditionibus, bellis absolvunt, ex Pontificis præcepto, de suggestu nihil non audent; Ut non immerito Innocentium dicat, Minores & Prædicatores approbare maluisse, quam Humiliatos & Pauperes de Lugduno, *qui derogabant Sacerdotio prædicationibus, quas faciebant, plerumque in latibulis Ecclesiæ Dei*, nempe Cleri vitam insectabantur, quibus tamen nullam hæresim impingit: *Cum isti*, inquit, *vitia hominum & pravitates redarguant, & castigent, nihilominus sedi Apostolicæ in omnibus obediunt, à quâ authoritatem præcipuam trahunt.* Et hæc nos commodius suo observabimus loco.

Ibidem 4. paragr. 14.

Idem parte 3. Tit. 23. c. 43. 17.

Abbas Urspergens. in Chron.

OPPOSITIO.

INterest jam videre de his Innocentij facinoribus scriptores hujus temporis, quod judicium nobis ediderint. De bello igitur, quod inter Philippum & Otthonem accendit, Urspergensis ingenuè, *Innocentius omni studio cœpit eidem adversari, hoc agens, ut ipsum impediret, ne ad sublimitatem culminis Imperialis posset ascendere, improperans ei quæ frater suus & parentes crudeliter peregerant, quæ tamen multâ nequitiâ hominum impulsi creduntur peregisse, in quo salvâ reverentiâ sedis Apostolicæ non videtur secundum æquitatem judicasse: cum Dominus testetur per Prophetam, quod nec peccata parentum filijs imputentur, quânto minus peccata fratrum, aut aliorum propinquorum. Ezechias quoque & Iosias, Reges religiosissimi, iniquissimos habuere parentes; Quin imo in generatione Salvatoris nostri Iesu Christi connumerantur multi iniqui. Extat adhuc Epistola præfati Innocentij directa ad Bertholdum Ducem Zaringiæ, in quâ contrà Philippum multa absurda & quædam falsa describuntur, quam fecit interseri in compilatione Decretalium suarum, &c. Tunc cœpit Papa frivolis insistere objectionibus & exceptionibus, quatenus ipsum impediret, sententiam objiciens ei excommunicationis*, nempe

Cœlestini tertij. Item, *Episcopum Sutrinum misit ad repetendum ab eo vades de Apuliâ, quos olim frater ipsius Henricus imperator jusserat exoculari. At ipse Philippus, ut erat mansuetus & benignus, cum audisset de sententiâ excommunicationis, petivit humiliter ab eodem Legato absolvi, insuper vades præfatos Domino Papæ remisit. Quocirca Episcopum Sutrinum, pro eo quod illicitè absolverit Philppum, excedens fines mandati, privatum Episcopatu relegavit in quandam insulam maris, quodam monasterio districto, ubi ille fœliciter vitam finivit.* Itaque in hoc vaframentum exclamat: *Exaltatum est cornu iniquitatis, de quo multi delibuti sunt, quos contrà Dominus loquitur per Prophetam: dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu; hoc cornu jam adimpletum est adulterino unguento. Jam procul est cornu, de cujus oleo unctus est David in Regem. Quid igitur fiet in membris, nisi quod & in capitibus? &c. O Deus aspice, quia sicut unguentum est in capite, tale descendit in barbam, & utinam in barbam tantùm, ad reprobos, descendit etiam in barbam Aaron: nam qui in monte fortitudinis fundamentum posuerant, utpote claustrales, vitas quascumque religiosas agere se fictè demonstrantes,* ij nempe quorum operam Innocentius adhibebat, ut animos populi à Philippo abalienaret: *Alienati sunt à vulvâ sanctæ matris Ecclesiæ, qua concepti, sanctum baptisma perceperunt. Erraverunt ab utero, quo monitis salutaribus calefieri debuerant & nutriri, nunc tantum locuti sunt falsa.* Et hinc judica Lector de eo, qui nebulonum ejusmodi ministerio utebatur, quid Abbas ille sentiret.

Ex dissidijs Angliæ id consequutus erat Innocentius, ut in extremum periculum adductus Rex Iohannes sese ei vectigalem faceret. Iohannes igitur, inquit Matthæus, *noverat & multiplici didicerat experientiâ, quod Papa super omnes mortales ambitiosus erat & superbus, pecuniæque sititor insatiabilis, & ad omnia scelera pro præmiis datis vel promissis cereus & proclivus.* Ex suo igitur infortunio commodum captans de Baronibus, & Episcopis Regni sui, cum bonâ Innocentij veniâ, quin & ipso authore, vindictam sibi sumendam proponit. Quare Legatos cum magnâ thesauri sui parte ad eum mittit, qui & plura polliciti suis verbis jurant, se in perpetuum ejus subditum & tributarium fore, si modo subtilem aliquam occasionem comminiscatur, Barones & Episcopos excommunicandi, Archiepiscopum præsertim Cantuariensem, cujus in gratiam tantas ipse dederat turbas. Venit Nicolaus Tusculanus Episcopus, Legatus in Angliam, interdictum relaxaturus, quod jam sex annos, tres menses, & quatuordecim dies duraverat, *ad irrestaurabile damnum Ecclesiæ, tam in temporalibus quàm spiritualibus.* Tradit ei in manum Iohannes infamem hanc regni resignationem, non cerâ, qualem Pandulpho, *sed auro Bullatam.* Et quia de damni Episcopis illati restitutione agebatur, Legatus in Regis gratiam eam in longos dies rejicit. Innocentius verò, qui Archiepiscopi Cantuariensis dispendio, Regi gratificari cupiebat, per Legatum de omnibus vacantibus Ecclesiis, *intrusione magis quam electione Canonicâ disponit.* Hic Archiepiscopus appellat quidem, sed & Legatus calcatâ appellatione in instituto pergit, & Innocentius Legati Acta rata habet, ut jam in hujus Principis laudibus totus effundatur. Conveniunt Barones libertates suas postulaturi, quibus & civitas Londinensis adstipulatur. Pontifex, ut supremus Dominus, eas revocat, & quia parere cunctantur, Barones excommunicat, inque eos, omnes regni vasallos, remissionem peccatorum pollicitus, concitat; Sin Episcopi anathema promulgare detrectent, eadem eos sententiâ involvit. Quia vero Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus, ejus nudiustertius familiaris, non se prius promulgare posse declarat, quàm Papam ipsum viderit, navim, inquit, conscendere paratus, ut ad

Matthæus Paris in Iohanne.

Concilium Romæ idictum compareat, quia *tacitâ veritate, ſententia erat in Barones lata:* Epiſcopus Wintonienſis & Pandolphus Legatus, ſententiæ in hac parte executores, ingreſſu Eccleſiæ eum prohibent, & ab officij celebratione ſuſpendent; Tanta effuſæ in ſinum Pontificis à Iohanne pecuniæ vis & efficacia fuit. Quin etiam, nequicquam profecto Romam Cantuarienſi, ſuſpenſionis ſententia ab Innocentio roboratur. Quâ quidem agendi ratione Barones Angliæ, inquit Matthæus, in extremam deſperationem adducti, quid hîc faciant neſcij, Regis fraudem, & infidelitatem deteſtantur. *Væ tibi, Johannes Regum ultime, Anglorum Principum abominatio, nobilitatis Anglicanæ confuſio. Heu Anglia jam vaſtata, & amplius vaſtanda, heu Anglia, Anglia omnibus bonis hactenus Princeps provinciarum, facta es ſub tributo, non ſolùm flammæ, fami & ferro, ſed ſervorum ignobilium & advenarum imperio ſubjecta & ſuppeditata, cum nihil infœlicius, quam ſervorum ſubjici ſervituti. Legimus quod multi alij Reges, imò & Reguli, uſque ad mortem pro liberatione terræ ſuæ ſubjectæ dimicarunt, ſed tu Iohannes, (lugubris memoriæ pro futuris ſeculis) & terra tua ab antiquo libera ancillaret, excogitaſti, & operam impendiſti; & ut alios tecum traheres in ſervitutem, quaſi cauda ſerpentina medietatem ſtellarum à firmamento, teipſumque primò depreſſiſti, factus de Rege liberrimo, tributarius, firmarius & vaſallus ſervitutis: terrarum nobiliſſimam chirographo ſervitutis æternæ obligaſti, nunquam à compede ſervili liberandum, niſi miſeratus ille qui nos & totum mundum, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenuit, dignetur quandoque liberare.* Nec verò de Pontifice quiritantur minus: *Tu Papa*, ajunt, *qui pater ſanctitatis, ſpeculum pietatis, tutor juſtitiæ, & cuſtos veritatis, toti mundo deberes lucere in exemplum tale conſentis, talem laudas & tueris? Sed hac cauſâ exhauſtorem pecuniæ Anglicanæ, & exactorem nobilitatis Britannicæ tibi inclinantem defendis, ut in barathrum Romanæ avaritiæ omnia demergantur. Sed hæc cauſa, & excuſatio eſt ante Deum, culpa & accuſatio.* Itaque ex eorum ſtatu ratum illis potentem aliquem Principem in Regem eligere, qui ſuas illis antiquas poſſeſſiones & libertates reſtituere poſsit: & is fuit Ludovicus junior Philippi Auguſti filius, D. Ludovici pater, ad quem miſsi viginti quatuor obſides, regnum ei aſſerturi, quod & ipſe ſuſcipit. Innocentius, re intellectâ, Wallonem Legatum in Galliam ad Philippum delegat, rogat, ne filium, Angliæ ſtatũ, Regemve Iohannem turbâre permittat: tueatur potius ut Vaſallum Romanæ Eccleſiæ, cujus & Angliæ *Domanium*. Reſpondet de plano Philippus, regnum Angliæ D. Petri patrimonium nunquam fuit, nec eſt, nec erit, Iohannes proditionis contra Richardum fratrem damnatus, verus & legitimus Rex nec eſt, nec fuit unquam, nec regnum donare potuit, ut etiam aliquando fuerit, cæde Arturi regnum commiſit, cujus in Curiâ Parium ſuorum reus peractus ſit. Cæterum regnum ſuum abſque Baronum conſenſu, qui illud tueri tenentur, neminem aut Regem aut Principem donare poteſt: *Et ſi Papa hunc errorem tueri decreverit, perniocioſiſſimum omnibus regnis exemplum dabit.* Hîc igitur omnes regni proceres unâ voce conclamare, *quòd pro iſto articulo ſtarent uſque ad mortem.* Hæc Lugduni geſta, poſt Paſcha, anno 1216. Poſtridie Philippus Legatum auditurus, Ludovicum filiũ adeſſe jubet, ubi totum negotium denuò excutitur. Legatus tamen, omnibus rationibus poſtpoſitis, Ludovicum Angliam ingredi vetat, patri ipſi ſi permiſerit anathema minatur, ac ita recedit à colloquio Ludovicus. Legatus verò ut ſalvum ſibi conductum præbeat, Philippum rogat, cui Philippus libenter ſe præſtiturum. *Sed ſi fortè*, inquit, *incideris in manus Euſtachij monachi, vel aliorum hominum Ludovici, qui cuſtodiunt ſemitas maris, non mihi imputes*, ſicque iratus à curiâ diſcedit.

Matthæus Paris in Iohanne.

An. 1216.

Ludo-

Ludovicus quippe hujus propositi tenax adeo, quod & materno jure hoc regnum
ibi vindicaret, ut apud patrem cum lachrymis protestari non vereretur, quando-
quidem fidem suam Baronibus Angliæ dedisset, *prælegisse ad tempus excommunicari*
à Papa, quàm crimen incurrere falsitatis. Quare Papam nihil moratus, in Angliam
ngenti classe comparatâ, cum magno exercitu exscensionem facit. Insequitur
odem tempore Legatus Wallo, cumque factionis suæ Episcopis Ludovicum ac-
censis candelis cum omnibus ei adhærentibus excommunicat, hancque suam sen-
tentiam singulis dominicis & festis diebus per universam Angliam publicè reci-
tari jubet. Verùm & appellat Ludovicus tanquam *de abusu*, & irritam à suis
pronuntiari curat; Et nihilo segnius expeditionem suam capessit, quam interim Io-
annis mors obturbat, quicum extinctum mox Baronum odium. Quare repensis Matthæus
Ludovico, quæ in eorum defensionem expenderat, filium ei successorem consti- Paris in
tuunt. Hujus actionis documenta à Matthæo referuntur integra, qui oculatus Iohanne.
rerum gestarum testis; & digna quæ apud eum legantur.

Sedente etiam Innocentio, Occidentales Constantinopoli potiti, Balduinum
Flandriæ Comitem Imperatorem creaverant; isque ut ab Ecclesiâ Latinâ pende-
bat, Græcam illi continuò subjecerat: Nec tamen eâ ratione Innocentij gratiam
retinere potest; quippe qui iniqua postularet, in primis verò conquereretur, quod
Patriarcham Constantinopolitanum *infra se ad sinistram* collocaret, dignitatem
utique Sacerdotalem suprà Imperialem longè evehendam innuens; quodque hoc
in loco Balduino demeretur eò magis sibi lucro cessurum arbitratus. Balduinus
itaque ad eum scribens celare non potuit, non eam fuisse Petri vocem, qui contra
præcipiat, *subditi estote Regi tanquam præcellenti, & Ducibus tanquam ab eo missis ad* Primæ Pe-
vindictam. Ac proinde dignitates Ecclesiasticas secularibus potestatibus subjicie- tri c. 2. v.
bat. Eò pertinet Innocentij Decretalis Balduino inscripta, in quâ locum illum 12.
Petri exponit; Notetur verò quâ Theologiâ: *Scribebat*, inquit, *Apostolus subditis*
suis, & eos ad humilitatis meritum provocabat; Imò exteris, omnium generum, in
Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, sparsis, qui, quo jure ejus subditi? nisi quatenus oves
Christi, quæ ejus vocem in Petro agnoscebant? Pergit: *Si expositio valet, sequetur* Extra de
ex hoc quod etiam servus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur, subditi majorit. &
estote omni creaturæ, propter Deum. Imò ignorare non debuit Græcos hic *κτίσει* obedientia
exponere per ὑπερέχει: Oecumenius ἐξουσίᾳ, δυνάμει, excellentiæ, potestati. Et hic C. 6. solici-
interim lepidam illam allegoriam *de duobus luminaribus* adducit, de quâ nos supra: tæ.
ex quâ consequenter Summa: *Imperium non præest sacerdotio sed subest, & ei obedire* 316.
tenetur. Item, *Episcopus non debet subesse Principibus sed præesse, & hoc Dictum est*
multum allegabile.

Novas Traditiones, in Concilio Lateranensi pro fidei capitibus intrusas, supra
attigimus. Aderat Petrus Cantor Theologus doctissimus, qui de vanarum cere-
moniarum multiplicitate, deque cultus divini profanatione multis egit: ex qua-
rum occasione, quod in religione præcipuum, negligebatur: Et superest adhuc
liber ejus, cui titulus, *verbum abreviatum*, in quo eas graviter insectatur. Verùm
surdis fabulam: non erant aures ad auscultandum. Ut & hoc tempore florebat in
Angliâ Walterus Mapez Archidiaconus Oxoniensis, excellenti vir ingenio, qui
in suis versibus Pontificum vitam omnibus suis coloribus depingit, Curiæ Ro-
manæ exactiones, rapinas, Prælatorum luxum, fastum, superbiam, uti in libro ha-
bentur, cui Titulus, *diversa poemata de corrupto Ecclesiæ statu*, prolixiora, quàm ut
hic commodè inseri possint. Exordium ab his versibus.

Roma mundi caput est, sed nil caput mundum,
Quod pendet à capite totum est immundum.

Sed composuit inter cætera, quod inscribitur, *Apocalypsis Pontificis Goliath*, quo nomine revelatum in Papa Antichristum designabat. Item, *Prædicationem Goliath*, cujus initium, *viri venerabiles, &c.* Et *alios in Papam & Curiam, & de malis Curiæ Romanæ* Tractatus, qui adhuc inveniuntur. Meminit ejus *in speculo Ecclesiæ* Giraldus Cambrensis, eumque hoc seculo in magnâ existimatione fuisse testatur.

Girald. Cambrens. l. 3. c. 1. & 14. in speculo. Ecclesiæ.

Propagabantur interim in Galliâ Waldenses seu Albigenses, doctrinamque de quâ nos supra & tuebantur, & promulgabant; indeque ab Alpibus, ad Pyrenæos usque montes ita eam diffuderant, ut plerique seu in agris, seu in urbibus ab Ecclesiæ Romanæ Traditionibus desciscerent. Quin & Proceres eis adhærebant plerique, Raimundus Comes Tholosæ, & S. Ægidij Regis Franciæ consobrinus, Raimundus Rogerius Biterrarum & Carcassonæ Comes, Petrus Rogerius Gabareti Regulus, Raimundus Comes Fuxensis Regis Aragoniæ propinquus, Guasto Bearnij Princeps, Comes Bigerronum, Domina Lavauraci, Comes Carmanij, Raimundus de Thermis, Americus de Monstrolio, Gulielmus de Minerbio & innumeri alij nobilitate insignes; quos sanè fortunas, vitam, decus suum manifesto periculo pro vitiorum errorumque adeo execrabilium defensione exponere voluisse, nemo sanus existimet. Contrà solâ conscientiæ vi, quicquid Monachi hujus temporis Papæ Satellites obganniant, impulsos fuisse necesse sit. Et verò hoc agnovit Gulielmus Paradinus in Annalibus Burgundiæ, qui Historias se legisse testatur, in quibus & Albienses, & Principes Regulique eorum fautores, ab his omnibus calumnijs vindicantur; eo tantum nomine vexati, quod Ecclesiæ Romanæ Traditiones & corruptelas publicè reprehenderent. Mittit igitur Innocentius, sub annum millesimum ducentesimum octavum, duos primum Legatos, Episcopum Oxoniensem, & Dominicum, qui colloquium Carmanij cum ijs ineant; mox & addit Abbatem Cistertiensem cum alijs duodecim ejusdem ordinis, qui rursum Apameæ coëunt. Ex parte verò Albiensium Theodorus, Canonicus ante Nivernensis, Balduinus, & Bernardus de Simorra, alij. Et reticent adversarii capita, de quibus inter eos certatum. Si Manichæi, Gnostici, Cathari, Montanistæ, Adamitæ fuissent, uti affingunt, haud dubie non omissuri. At, cum primoribus illis colloquia ista minus satisfacerent, populique Dominici concionibus nihil commoverentur, quem tamen Innocentius, in somnijs, uti dicebat, admonitus, ædem Lateranensem alias ruinam minantem suffulturum delegerat, ad alia jam consilia confugit, quibus præambula illa prætexebantur. Raimundum igitur Comitem, cujus prima authoritas excommunicat, ditionem ejus prædæ exponit, quoscumque ei Sacramento fidelitatis, necessitudine, fœdere, aliove pacto devinctos, omni nexu exolvit & liberat, idque *Apostolicâ authoritate, quod fidem Deo non servanti fides servanda non sit*; Quin & potestatem omnibus facit in ejus caput quidvis audendi, in omnes Albienses non secus ac Saracenos, pares etiam indulgentias prolixè pollicitus, omni ratione desæviendi; adeo, ut quæ in bellum sacrum indicta fuerat pecunia, in Christianorum necem intervertatur; novo & horrendo exemplo, crux in Infideles olim, prætextu saltem assumpta, crucifigendo verè in membris suis Christo jam adhibeatur; Nec eo minùs tamen, quæ secli aut vesania aut ignorantia, multi Principes, Magnates, Episcopi undequaque concurrunt, quibus, dispendio hujus populi, sua vitia expiare proclivius, quam si in

Pa-

Palæstinam, cum Saladinis pugnaturi, trajicere tenerentur. Ad hujus tanquam diluvij impetum consternatur primùm Raimundus Comes, seseque Romanæ Ecclesiæ obsequuturum recipit. Itaque (notetur hic formula) Almaricus Pontificis Legatus, exercitus & ipse Dux, stola collo injecta tractum in Ecclesiam, id est, in Templum, flagris compellit. Inde regiones depopulari, oppida diripere, strage, incendio, ruinâ omnia complere; Albienses inter hæc animum non despondere, identidem & bellum, & prælium redintegrare, repetere. Raimundus demum ipse, post tantam contumeliam, Papam nihilo mitiorem expertus, adstipulantibus Foxij, & Convenarũ Comitibus arma sumere; usque dum ingruentibus quotidie novis Episcoporum, & Regulorum Franciæ delectibus, confluentibusque in exercitum Papalem undequaque Cruce signatis, cogantur Raimundus quidem ad Aragonum Regem sese recipere: Albienses partim in montes ex apertâ planitie confugere, partim imbellibus familijs novas sedes quærere. Notetur interim, hoc bellum licet in Galliâ gereretur, Philippum Augustum tamen Principem ejus non fuisse, sed Pontificem ejusque Legatum, qui quæ hoc bello pararentur, sui juris faciebat. Tantùm Rex, subditos stipendia Pontifici facere, Proceres regni copias ei conscribere, non invitus patiebatur. Etenim, anno 1215. Petrus Beneventanus, Pontificis Legatus, in Concilio Mompessulano, Innocentij nomine, Simonem Monfortij Comitem, Principem & Dominum ditionum, quas hoc bello acquiesierat, instituit: Custodem alij dicunt, seu Guardianum, intereà dum Concilium Lateranense plenius statueret. Notat & Historia Albiensis, Ludovico Regis primogenito exercitum adeunte, Legatum id minus æquo animo tulisse, veritum, ne de terrâ, Pontifici jure belli quæsitâ, statuere vellet, quam nempe supremus ipse Dominus hæreseos veneno tamdiu expositam reliquisset. In Concilio igitur Lateranensi Simonem Monfortij Comitem Pontifex, omnium quæ fuerant Raimundi, proprietarium tandem dominum pronuntiat; Ita tamen, ut hominium Regi eo nomine præstet, quod & Rex admittit. Verùm, non multò post, omnia oppida ab Avenione Tholosam usque, à Simone ad Raimundum filium deficiunt, animos proinde Albiensibus reddunt. Itaque redintegrato bello, Episcopisque & Crucigeris undique accitis, denuò opus; dumque vices belli, modo hi, modo illi variè experiuntur, Comes Monfortij jam nonum mensem Tholosam obsidens, ictu lapidis in eruptione accepto, eodem die moritur, unde & urbis obsidio solvitur, & Albienses superiores evadunt. Et Monfortensis sanè strenuus belli Dux, sed ignorantia in primis notatur, quam veritatis perpetuo hostem nostris etiam diebus nimium experti sumus: quandoquidem eam tantùm ij persequuti sunt qui nunquam de eâ investigandâ cogitare voluerant. Hæc nos ex Historiâ Albiensi Petri de Vallibus, & Chronico ipso Monfortiensi.

An. 1215.

Interim seu ex Waldensium dispersione id factum, seu in alijs provincijs, ab eodem spiritu, Deo innotescere visum, eodem tempore diversis in locis similes conciones audiuntur, quas & non dissimiles persecutiones excipiunt. Author enim Trithemius, & ante & post eum alij, Argentinæ ad octoginta combustos fuisse, inque vicino agro trucidatos ad centum uno die. In Italiâ Nauclerus hanc doctrinam (hæresim appellat) mirificè crevisse, tum in equestri ordine, tum in plebejo, quotannisque in doctorum suorum sustentationem, collectam aliquam Mediolanum misisse. Bruschius Moguntiæ triginta

Chron. Hirsaug. Nauclerus 2. Volum. Gener. 41.

novem ustulatos; nec deinceps quidquam frequentius; cineribus quippe his, tanquam difflante Dei spiritu, in omnes Europæ fines, disseminatis. Nec id tamen aut tolerantiæ, aut conniventiæ adscribere liceat: Chronicon enim Hirsaugiense disertè: *Hos frater Conradus de Marpurg, Inquisitor Apostolicus, judicio ferri candentis, si negassent hæresim, probare consuevit, & quos ferrum exussisset velut hæreticos judicio seculari tradere comburendos. Unde paucis exceptis, omnes qui semel essent accusati, & ad ejus examen perducti, per eum condemnabantur ad incendium. Fuerunt qui crederent eum plures innocentes damnavisse, propterea quod candens ferrum à peccatis nullum reperisset immunem, etiamsi nullius hæresis maculâ unquam infectus extitisset.* Idem paucis paginis interjectis, *Eodem tempore in Alemaniâ multi nobiles & ignobiles, Clerici, Monachi, Moniales inclusæ, Burgenses, cives & rustici, à quodam fratre de Marpurg ordinis Prædicatorum, (qui generalis inquisitor hæreticorum fuerat à sede Apostolicâ constitutus) per diversa Teutonicæ loca ignis supplicio nimis præcipiti sententiâ, ut multis tunc fuit visum, sub hæresis nomine sunt addicti. Nam, ut quidam scribit, eodem die quo quis accusatus, sive justè, sive injustè, nullius appellationis, nullius defensionis sibi refugio proficiente, damnatus, & crudelibus flammis injectus est.* Paulo verò ante de deprehensis in Germaniâ, Italiâ & Lombardiâ innumeris loquens: *Capti quidam ex eis in civitate Argentinensi, coram omni populo & Clero confessi publicè fuerunt, quod tantus eorum esset numerus, ut si quis ex eis è Coloniâ ire Mediolanum statueret, omni nocte hospitem de sectâ eorum inveniret, in cujus domo omnia essent communia, mater, uxor & filia, habebantque signa parvula circa januas domorum aut supra tecta, per quæ habitationes complicum suorum invenire potuerunt.* Et flagitia quidem de quibus supra illis affingit, sed amabò, quis eorum causâ ignem ultrò subituros credat? Non alij sanè quàm Monachi hæc scribere potuerunt, quibus credendis vix hominum stolidissimus sit satis. Tandem, inquit Trithemius, cum se Conradus ille omnibus nobilibus, peræque & ignobilibus exosum reddidisset, eo præsertim quod Comitem Seniensem hæreseos falsò notatum persequeretur, non procul à Marburgo, nihil obstante salvo conductu, occiditur, *à quibusdam nobilibus, nullum locum veniæ vel gratiæ apud ipsum invenientibus.* Addamus ad id quod in Lombardiâ sedem præcipuam habuisse dicebantur, Authoris coætanei, hostile licet testimonium: *In omnibus*, inquit, *civitatibus Lombardiæ & in Provinciâ, & in aliis regnis, & terris plures auditores habebant, & in publico disputabant, & populum vocabant ad stationes solennes in foro, & in campo, & prædicabant in tectis. Non erat qui eos impedire auderet propter potentiam, & multitudinem fautorum suorum: Inquisitioni & examinationi frequentur interfui, & computatæ sunt 40. Ecclesiæ, quæ hæresi infectæ fuerunt, ac in solâ parochiâ Cammach fuerunt decem Scholæ hæreticorum.* Incidit verò insignis hæc oppositio in tempus Concilij Lateranensis, novorum commentorum nomine tantopere celebrati; Innocentij etiam tertij, quem omni ex parte cum Hildebrando componere solent.

Trithem. in Chron. Hirsaug. Godofrid. Monach. in Annalibus.

F. Rainer. Author. coætaneus qui scripsit contra Waldenses Ann. 1250.

PROGRESSUS.

Apud Sigon. de regno Ital. l. 17. inter literas.

FRidericus secundus Innocentij tertij quondam pupillus ut imperium capessit, ab Honorio tertio, Gregorio nono, Innocentio quarto, non magis comiter exceptus, quàm olim à decessoribus Henricus & Fridericus primus, pater & avus. Cum enim anno 1220. in Italiam ire cogitans, Conradum Spirensem Epi-

Episcopum, Cancellarium, cum amplissimo mandato præcursorem misisset, Honorius quasi Fecialem interpretatus, diplomatum præsertim tenore offensus, in quibus *Regem se Romanorum & Siciliæ* gerebat, omnesque Prælatos, Marchiones, Comites compellabat, per *Lombardiam, Romaniolam, & Tusciam, atque per totam Italiam constitutos. Præmittereque se ajebat, Conradum Legatum à latere Episcopum Spirensem, Imperialis aulæ Cancellarium, ut reciperet ab illis & fidelitates, & alia jura, ita ut ab eo nulla appellatio fiat.* Unde graviter commotus ille, nec minùs, quod Conradus ipse in suis Actis Vicarium se Friderici generalem per totam Italiam inscriberet, Friderico Italiam ingredienti nullum non negotium facessit. Etenim Mediolanenses, Honorij hortatu, portas ei urbis occludunt, & aliæ Urbes eodem impulsore idem parant, sed nihil illos moratus Romam pergit, urbiumque Legatos se subsequi jubet: Quia verò Honorio, coronam ei denegare, solitum sacramentum præstare parato, interim integrum non erat, aliud exigendum sibi proponit, quo ad certum diem, se sacram expeditionem susceptu-rum obstringit; ut ei nihil antiquius erat, quàm ut illum à rebus Italiæ procul amandaret. Igitur Fridericus, Siciliâ satis leviter lustratâ, statum Regni componit, & Conrado in Italiâ relicto, in Germaniam revertitur: inque his biennium, non sine Pontificis tædio, consumit. Sed, en inter has moras Romam appellit anno 1223. Johannes Bremensis, Solymorum Rex, qui labantibus in Syriâ rebus Christianis, subsidium, & præsidium apud Pontificem quærebat; Is occasionem amplexus Iohanni persuadet, Yolandam filiam Friderico uxorem det, Hierosolymitanum etiam regnum concedat, eâ lege ut recuperandum illud, infidelibusque eripiendum suscipiat: Quod Fridericus in se quidem recipit, sed ita ut rebus Lombardiæ componendis biennium excipiat; Pactum id & transactum anathematis pœnâ, quod à Cardinalibus illico pronuntiatum, nî Fridericus satisfaceret, ipso jure vim habiturum. Sed enim, ut ipse rebus Lombardiæ constituendis, Comitia convocat, filiumque Henricum idcirco ex Germaniâ accersit, sociæ Lombardiæ urbes in suspicionem adductæ, indeque arctiori inter se fœdere contra Fridericum devinctæ, Henrico aditum intercludunt, acriusque bellum suscipiunt; Honorius ipse licet id minime probet, qui prætextum eâ ratione Friderico preberi prævidebat unde profectionem differret; in eoque moritur. Honorius anno 1227. cui succedit Cardinalis Hugolinus, Gregorius nonus dictus. Hic igitur nihil pensi habens, Fridericum usque adeò urget, Crucigeros omnes, Brundusij ad diem Assumptionis vela facturos, adesse jubeat. Et cum totâ quidem ille classe confestim solvit: Sed vix tridui spatio sulcato mari, morbo pressus non sine aliquo classis copiarumque detrimento, littus repetit. Gregorius, tùm nullam excusationem accipere, apud omnes Principes quiritari, ex pacto cum Honorio inito Fridericum perjurij manifestum, anathemate proinde teneri, Anathema ipso jure esse; At ex alterâ parte Fridericus causam suam per literas, quæ apud Urspergensem leguntur, defendere: conqueri verò in primis quod Brundusinum Cardinalem qui rationes suas exponeret ad Concilium missum *ad audientiam suam admittere noluisset.* Et sanè Friderici causam tueri non est hic propositum nobis, sed Ricobaldus odij fontem nobis aperit, quod Gregorius amicitiam cum Friderico, contracto aliquo matrimonio, firmare in animo habuisset: quod ejus liberi minus amplexi essent, & metuebat Fridericus, ne per ejus absentiam Siciliæ regnum invaderet. Urspergensis verò, Abbas hoc tempore insignis, judicium suum non reticuit, *Hic*, inquit, *tanquam superbus, primo anno* *Ponti-*

Frideric. 2. quæ apud Bononienses servantur.

Anno 1227.

Collenutius ex Ricobald. l. 4.

Abbas Urspergens.

Pontificatus sui cœpit excommunicare Fridericum Imperatorem pro causis frivolis & falsis, & postposito omni ordine judiciario; Exprobrabat Gregorius, Romanam Ecclesiam ei sub tutelâ Innocentij tertij matrem extitisse: Respondet, novercam potius omnium sibi ærumnarum radicem & fontem; Quare Principibus ejus rapinas, sacrilegia, Simonias, injustos in Reges regnaque conatus, ob oculos ponit, inque exemplum, quàm crudeliter in Iohannem Angliæ Regem aliosque se gesserit, edisserit, ac tandem concludit: *timendum ne paries Ecclesiæ in paupertate & simplicitate fundatæ inclinetur, & ruina sequatur cum in divitiis ædificent.* Illorum igitur interesse domui suæ prospicere, qui alienam ejus dolo ardere videant; Dicamus obiter, quod Pontifices sacram illam expeditionem tam vehementer commendarent, & quidem expiandorum quorumlibet flagitiorum spe, non à melioribus tunc probatum, qui non solùm futura exinde mala providebant, sed præsentibus jam tangebantur. Idem Abbas in hanc sententiam, Conradus Cardinalis, Portuensis Episcopus, cum Legatus in Germaniam proficisceretur, *ut Cruciatam* quam vocant, promoveret, Prædicatoresque ei promulgandæ institueret: *Tunc quidam, Iohannes nomine, de ordine Prædicatorum, veniens de Argentinensi civitate, instabat prædicationi opportunè & importunè, ita ut hominum vitia & peccata quasi importunè exprobraret, & ad capiendas animas quædam dogmata, hactenus inaudita ingereret, quæ licet aliquâ ratione possent defendi, ut veritatem contineant, multa tamen exinde mala provenisse dignoscuntur, cum audientes alio modo ea intellexerunt, & ad perpetrandum immanissima facinora & flagitia proniores effecti sunt: Inter quæ Dominus Engilbertus Coloniensis Archiepiscopus à consanguineis suis interfectus est, & multi sacerdotes trucidati. Dicebant enim quidam pessimi, faciam scelera, quia per susceptionem crucis innoxius ero; quin etiam animas multorum flagitiosorum liberabo.* Unde Aventinus de eodem Johanne ejusque similibus, *ut facilius longinquæ militiæ pœnas dantes inducerent, multa nova hactenus inaudita dogmata inculcant. Quemcumque sceleri obnoxium, parricidio, incestu, sacrilegio pollutum, continuo ubi cruciculam vesti assuisset, solutum esse & crimine & pœnâ, declamitabant.* Et multa huc exempla adducit. Ad Fridericum redeamus; Gregorius die, qui vulgo Cœna Domini, anathema in eum edebat; Frangipanes potens Romæ familia, indignati populum commovent, & Gregorium Perusiam concedere cogunt; Fridericus verò nihil cunctatus, rebus Siculis compositis, ut actiones suas universo orbi probet, pridie Natalis cum classe in Palestinam appellit. Erat igitur unde Gregorius iram mitigaret, si non alio quàm Christi zelo succensus fuisset: Verùm, Sigonius ipse nos celatos noluit, eo vehementius incanduisse Gregorium, eo prætextu, quod nondum in gratiam receptus profectionem illam suscipere ausus esset; Quare absentiâ ejus abusus, Iohannis Brennensis ductu Apuliam invadit, socias Lombardiæ urbes in Fridericum accendit, Italiam in Guelfos, & Gibellinos, Ecclesiæ & imperij sequaces partitur an discerpit, ut non inveniatur aut urbs aut oppidum, ubi non superior pars contrà inferiorem, citerior in ulteriorem, plebs in optimates, & sic vicissim, non inimicitias cum omni sævitiâ exerceat, ut hoc incendium extremâ Italiæ ruinâ vix extingui potuerit. Non retrahitur interim ab instituto Fridericus, tenax adeo propositi, ut nonnisi urbe Hierosolymitanâ receptâ, de Italiâ sibi cogitandum putet. At, ut, & urbem cœpit & Diadema Regium suscepit, & res ibi Christianas constituit, certior factus, Pontificem in regnis suis omnia pro libidine agere, anno 1229. remedium allaturus, in Italiam advehitur. Matthæus Paris, ejus ætatis scriptor in Gregorium licet propensior, *nimis molestè ferens*, inquit, *quod Roma-*

Matthæus Paris in Henrico 3.

Abbas Urspergens.

Avent. l. 7.

Matthæus Paris in Henrico 3.

manorum Imperator excommunicatus & rebellis ad terram sanctam transierat, de illius pœnitentiâ, & satisfactione, ut rediret ad Ecclesiæ unitatem non mediocriter desperabat. Decrevit ergo eum quem contumacem vidit, & rebellem, ab imperiali fastigio depellere, & alium quemlibet filium pacis, & obedientiæ, loco ejus subrogare. Qui tamen paulo ante dixerat Fridericum rebus adeo accisis appulisse, ut Templarij & Hospitalarij in ejus adventu, flexis genibus adoraverint eum, genua ejus deosculantes; Quin & Epistolam Comitis Aterrensis profert, Fridericum admonentis, Iohannem Brennensem ejus socerum, Gregorio instigante, terram suam hostiliter ingressum ignem in ædificiis & villis accumulare, &c. Et si quis de Imperatore mentionem faceret, affirmare, non esse alium Imperatorem præter ipsum: Mirantur, inquit, super his amici vestri, excellentissime Imperator, & præcipuè Clerus imperij vestri, quâ consideratione, & conscientiâ talia facere potest Pontifex Romanus, & contra Christianos arma movere. Addunt Urspergensis & alij, ut copias Friderici in Palestinâ exhauriret, Gregorium Crucigeris Apuliæ & Lombardiæ profectionem, Lombardis adeo ipsis in itinere expoliatis, interdixisse; quin in Palestinâ ipsâ bellicos conatus impediturum, literas in exercitu sparsisse, quibus ab eo sibi cavere admonerentur. Ad Sultanum imò ipsum scripsisse, bono animo esse, nec quicquam Friderico restitueret; Ubi Urspergensis: Quis talia facta considerans non deploret & detestetur? quæ indicium videntur, per quoddam portentum & prodigium ruentis Ecclesiæ. Addit enim, inter Imperatorem & Soldanum fit compositio, Hierusalem quoque & Nazareth, & Ioppe, cum terris adjacentibus, & aliis quibusdam locis Imperatori restituuntur. At dum afflicti Christiani terræ lætitiâ exultant; adeo, inquit Paris, ut viderentur terrenis cœlestia misceri: intercipit & interficit læti hujus successus nuncios Gregorius, ut Friderici famam extinguat facitque in Apuliâ divulgari, Imperatorem esse mortuum. Quocirca civitates, quæ adhuc adhærebant Imperatori, disponebant se tradere sub dominio Papæ, & omnes Alemannos de terrâ sanctâ redeuntes, & ibidem in Apuliâ demorantes durissimo, & nequissimo facinore interficere: Sed Deus misericors aliter providit. Et hinc judicet quisque num Fridericus reditum maturare opus haberet, qui tamen beneficium absolutionis humiliter cum omni obedientiâ & devotione, & justitiæ exhibitione postulavit. Soldanus denique æquior Friderico, quam Pontifex Patriarcha & Templarij qui in Palestinâ ab eo pendebant. Paris enim: Templarij & Hospitalarij invidentes factis Imperatoris, sumpserunt cornua ex odio Papali, significaverunt subdole & perfidiosè Soldano Babyloniæ, quod Imperator proposuit adire flumen, ubi Christus baptizatus à Iohanne Baptista, &c. ut ibidem posset Imperatorem ad votum vel capere, vel trucidare. Quod cum audivisset Soldanus, & super hoc chartam noto sibi sigillo signatam conspexisset, detestatus est Christianorum versutiam, invidiam, & proditionem, maxime eorum qui videbantur habitum religionis, cum crucis charactere bajulare, & advocans duos secretissimos ac discretos Consiliarios instillavit auribus eorum universa, ostendens eis Epistolam, cui adhuc signum adhærebat, hancque misit Imperatori &c. Et hoc fuit seminarium odij inter Imperatorem & Templarios ac Hospitalarios. Qui, inquit, ut suæ proditioni colorem quærerent, per Patriarcham Giraldum sceleris conscium, literas in Occidentem scribi curant, quibus miseri hujus Principis fama traduceretur, cujus & exemplar profert; Et hoc voluit Urspergensis uno verbo: multa sustinuit ex perfidâ proditione Templariorum.

Cuspinian. in Friderico. Abbas Urspergens. Collenutius lib. 4. Neapol. Histor.

Cuspinianus in Cæsarib. Hieronymus Marius in Eusebio.

Iam Gregorius, ut eum, pactis perutilibus cum Soldano in decennium induciis, reducem videt, & ita quidem ut eo reverti minùs necesse habeat, ac proinde, quas absenti exhibuerat molestias, per otium ulcisci possit, ultro pacem

cum eo ambit, & Ananiæ, quæ ejus sedes anathema dissolvit, eâ tamen lege ut pro
Platina in Gregor. 9. damnis Ecclesię ditionibus illatis 120000. uncias auri Pontifici persolvat, cogendisque in ordinem Romanis suppetias ferat; quod utrumque Fridericus accuratè implet; Quamquam, quod à scriptore hujus temporis notatum, ex hoc colloquio
Continuator belli sacri. l. 3. c. 11. recursat illi perpetuo animi rancor, *quod cum de more pedem exosculandum exhibuisset Pontifex, Imperator genua ceu errore lapsus, summis vix labellis basiavit, quæ quidem incuria altius in Pontificis animo hæsit, quam ut unquam oblivisci posset.* Itaque, ut Fridericus Lombardiæ turbas componere conatur, quas ille perpetuò in eum foverat, Legatos eò mittit, in speciem quidem, monituros, ut sese Friderico subjiciant, revera, ut eos in Fridericum clanculùm exacuant. Quin & Fratres Prædicatores & Minores eò adhibet, Iohannem quendam inter alios, qui postquam inter Caroccia & vexilla omnium sociarum civitatum, concionem suam à Domini
Author. Ital. Apud vigner p. 400. Apud Sigon l. 17. de regno Ital. Avent. l. 7. verbis auspicatus est: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; Specificans,* inquit Author, suæ prædicationis scopum, concludit, quicumque Imperatori verbo factove adhæserint, adstiterintque, eos Ecclesiæ rebelles censeri: inque ea verba desinit; Pacem utique hanc, generalem conjurationem interpretatus, ad quam omnes civitates non invitabat & inducebat tantùm, sed mutuis Sacramentis in Fridericum ejusque posteros, ad extremum usque exitium, obstringebat. Restabat, ut in Germaniâ ipsâ negotium ei facesseret, quod & strenuè exequitur. Antecessorum enim exemplo, ingentem Principum Conspirationem, legatione missâ, in eum excitat, Henricumque filium sceleris Principem in patrem accingit, cui Mediolanenses, quam Patri denegarant, Italiæ coronam ultrò deferunt, modò subsidium allaturus accurrat. Verùm insigniores quique Germaniæ Proceres tum Ecclesiastici, tum seculares, in Italiam, injuriam Gregorio exprobraturi, descendere non gravantur: Bertaldus Patriarcha Aquilejensis, Otho Dalmatiæ, & Istriæ Regulus ejus frater, Eberardus Salisburgi, Sigefridus Reginoburgi Episcopus, qui cæterorum personam sustinebant, ut præ pudore, mandata sua revocare Gregorius cogeretur: Dum Fridericus rebellem filium obsidione cingens, eo angustiarum adigit: ut ad pedes provolutus veniam imploret: quem veneni sibi propinati convictum, vitâ donatum, in Apuliam sub custodiâ tenendum mittit.
An. 1235. Et hæc ad annum usque 1235.

An. 1236. Anno sequenti 1236. Fridericus rebelliones Italiæ, Lombardiæ præsertim, pertæsus à Gregorio mutuum officium postulat, ut quemadmodum illum in cogendis in ordinem Romanis juvit, ita in Lombardis, Mediolanensibus in primis compescendis, opem suam ne deneget: quos præsertim Albiensium, seu Waldensium partes tueri minimè ignoret. Eo nempe consilio, ut rem suam propriè hîc agi, Romanæ utique Ecclesiæ, intelligat. Respondet Gregorius, videat, ne armatus Italiam ingrediatur, aut Lombardos invadat: quin potius Palestinam cogitet, cujus intrà biennium induciæ finiantur. Si quid tamen est, quod eos velit, judicem ipsum constituat, de toto negotio libenter cogniturum. Ad tantam
Matthæus Paris in Henrico 3. superbiam respondet Fridericus, *& prudenter ac modestè in hunc modum: Italia hæreditas mea est, & hoc notum est toti orbi: anhelare ad aliena, & propria relinquere, ambitiosum esset & enorme, præsertim cum Italicorum, præcipuè Mediolanensium me injuriis lacessiverit insolentia, in nullo mihi debitam exhibens reverentiam.* Innuens nempe æquum non esse, ut quod evidenter ad se pertineret, ejus arbitrio tanquam controversum committeret. Gregorius tum novos ei tumultus in Germaniâ moliri, Austriæ Ducem inter alios opponere, sed quem Fridericus facili negotio coercet.

Lom-

Lombardorum item rebelliones fovere, succendere; Et hos rursum Fridericus anno 1237. prælio ad Cortem novam superatos, inque extremas angustias adductos, ad deditionem fere omnes cogit. Et Gregorio hactenus nullam præbuerat Fridericus ansam, unde manifestas cum eo inimicitias exerceret; quod sui juris esse noscebatur, tantummodo persecutus. Sed en occasio sese offert: Fridericus Sardiniæ partem, Galuram vocant, armis recuperaverat. Gregorius universam Sardiniam ad Ecclesiam pertinere contendit; hanc proinde portionem sibi debere restitui; Et quam frivolè supra vidimus. E contrà Fridericus eam retinere satagit, Imperij Romani patrimonium avitam ditionem. Ut verò Gregorius sese obfirmat, Hentium nothum, Regem Sardiniæ instituit. Visum tùm Gregorio in die Cœnæ Domini Fridericum excommunicare, inanemque hanc causam accumulatis inanioribus alijs, quas ante reticuerat, tumefacere magis quam roborare. Quod Fridericus, qui tum Patavij, ubi intelligit, ex ipso tribunali, Apologiam suam per Petrum de Vineis Cancellarium, apud omnes exponit: Inque abusibus & corruptelis Papæ, Curiæque Romanæ edisserendis, nihil reliquum facit. Scribit & eodem consilio, tum ad Romanos, tum ad cæteros Principes, sigillatimque, adversus omnes Pontificis objectiones, causæ suæ æquitatem tuetur: Quin & ejus Anathemata quam parvifaciat ostensurus, Gregorio ipsi hos versus mittit. An. 1237.

Roma diu titubans longis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

At ex alterâ parte Gregorius Lombardorum rebellium sese caput apertè profitetur, novos & in Apuliâ motus ciet, Genuensium & Venetorum fœdus sibi conciliat. Quotidie itaque in Fridericum novæ proditiones emergere, sese prodere, novæ rebelliones caput exerere: donec Fridericus, sese minimè deserendum ratus, in Hetruriam transit, Romæ jam ipsi imminet. Hîc Gregorius ad Supplicationes in speciem confugere, ut animum Populi emolliat: At re ipsâ, extrema quæque in Fridericum tentare; parem indulgentiam, veniam, ab omnibus flagitijs absolutionem, ijs qui se contra Fridericum cruce signârint, ac olim contra Saracenos, & pro Palestinâ concedere, elargiri. Cruce signatorum porrò acies Româ sese effundit, manum cum Friderico conserit, sed quam primo impetu fusam magnâ clade afficit. Inde eadem pietate, & fide, Gregorius pecuniam toto orbe in Palestinæ subsidium collectam, in Germaniâ præsertim, Galliâ, & Angliâ, in Fridericum convertere, ut Prædicatoribus & Minoribus non alia jam concionum materia sit, quàm in Friderico suisque exterminandis, quàm in Saracenis ipsis, plus esse meriti, quibus longo intervallo sint deteriores. Nec hic rabiei finis. Scribit Gregorius D. Ludovico Regi, literasque suas toto Baronagio Franciæ legi postulat, se Fridericum exauctorasse Robertumque Ludovici fratrem ejus loco auctorasse, quem omnibus Ecclesiæ viribus in eam rem adjuvâre statuerit. Respondet, frequenti Senatu *circumspecta Francorum prudentia*, inquit Author, (& verba ipsa inserere non pigeat.) *Quo spiritu vel ausu temerario Papa tantum Principem, quo non est major, imò nec par inter Christianos, non convictum vel confessum de objectis sibi criminibus, exhæredavit, & ab apice Imperiali præcipitavit? Qui si meritis suis exigentibus deponendus esset, nonnisi per generale Concilium cassandus judicaretur. De transgressionibus suis, non est hostibus suis fides adhibenda, quorum Papa dignoscitur esse capitalis. Nobis adhuc insons, imo bonus fuit vicinus, nec quid sinistri de eo vidimus, in fidelitate seculari vel fide Catholicâ. Scimus autem quod Domino nostro Iesu Christo militavit, marinis & bellicis se periculis confidenter opponens, tantum religionis*

in Papa non invenimus, imò qui eum debuit promovisse, & Deo militantem protexisse, eum conatus est absentem confundere, & nequiter præcipitare. Quid ad Romanos de prodigâ sanguinis nostri effusione, dummodo iræ suæ satisfaceremus. Si eum per nos & alios devicerit, omnes Principes mundi conculcabit, sumens cornua jactantiæ & superbiam, quoniam Fridericum magnum Imperatorem protriverit. Sed ne in vacuum Papale mandatum videamur suscepisse (licet magis constet ob odium Imperatoris, quàm nostri dilectionem ab Ecclesiâ Romanâ derivasse) mittemus nuncios prudentes ex nobis ad Imperatorem, qui, quomodo de fide Catholicâ sentiat, diligenter inquirant, nos super hoc certificaturos: & si nihil nisi sanum invenerint, cur infestandus? Sin autem, & ipsum, imò etiam ipsum Papam, si male de Deo senserit, vel quemlibet mortalium, ad internecionem persequemur. Quæ cum audierunt nuncij Papales confusi recesserunt. Adierunt igitur Dominum Imperatorem Francorum nuncij solennes, ipsi mandata quæ a Domino Papa receperunt seriatim nunciaturi. Quod cum audivisset Dominus Imperator, de immanitate odij stupefactus, respondit se esse virum Catholicum, Christianum, sanè de omnibus Orthodoxæ fidei articulis sentientem; & addit, non placeat Domino meo Iesu Christo, ut unquam recedam à fide magnificorum Patrum & antecessorum, sequens vestigia perditorum. Iudicet autem Dominus inter me & ipsum, qui me ita per orbem tam nequiter diffamavit, & tendens manus in cœlum lachrymis obortis, singultando exclamavit, Deus ultionum Dominus, reddat ei retributionem. Hæc Matthæus Paris Anglus Monachus; Et hinc de Gregorio nostra Gallia, & D. Ludovicus ipse, quid sentiret judicium faciat Lector. Interea res Syriæ in pejus quotidie ruebant, & qui postremi eo trajecerant, in Damasco adversam fortunam experti, qui Gregorio prætextus anno 1240. Synodum Laterani indicendi, cui, inducias cum eo pactus Fridericus, adfuturum se pollicebatur. Verùm, ut Legatos trans Alpes misisse intelligit, Iacobum Cardinalem Prænestinum & Othonem S. Nicolai, qui Principes ad Concilium invitandi specie, eum seriò exosum redderent, ab Ecclesijs pecuniam extorquerent, Conciliique authoritate in ejus perniciem abuterentur, Principes rogat sibi fœderatos, ut à Concilio abstineant, neminem delegent, ijs qui illud iter suscipient, se nullum salvum conductum præstiturum, significans; id eò præsertim, quòd Gregorium inducias abrumpere velle, Proxenetasque suos magnam pecuniæ vim in Angliâ & Franciâ idcircò corrasisse, intellexisset. Iuvat verò hîc authorem ipsum audire: Iohannes igitur Columna Cardinalis, cum induciarum author fuisset, Gregorius per Legati sui literas admonetur: *Quod in solâ Franciâ jam collectam adunaverat in auxilium suum pecuniam, unde per annum integrum bellum consertum contra Imperatorem, valeret indubitanter intrepidus continuare. Unde Papa hæc audiens, pœnitens & dolens quòd treugas acceperat, vocavit Iohannem de Columna, & Dominum Raimundum excellentes Cardinales, dictarum treugarum mediatores, & adversus Imperatorem intercessores. Confundor in memetipso,* inquit, *quod treugas concessi inimico Ecclesiæ Friderico: Vade igitur tu,* Iohannes de Columna, *qui interpres fuisti super hoc inter nos, festinus ad ipsum, ipsas me nolle acceptare denuncians, me illi inimicum fore ex hoc nunc & antea sub diffidutiatione audacter attestando. Cui Johannes: Absit Domine, hæc levitas verborum in ore tanti viri, ad tantum Principem destinanda, præcipuè per nos qui non vulgares reputamur: Huic enim consilio instabilitatis atque infidelitatis nequaquam consentio, sed constanter contradico. Cui Papa: Nec ego de cætero te habeo pro Cardinali; Et ait ei Iohannes, nec ego te pro Papa; Et sic recessit, de amico factus adversarius:* At percommodè accidit, quod mox subjungit: *Hoc cum Regi Francorum innotuisset, præcepit pecuniam totam, quam in terrâ suâ mellitis sermocinationibus, & fel-*

Ann. 1240

Matthæus Paris in Henrico 3.

fellitis comminationibus ab universitate Cleri, Rege permittente, messuerat, ab eodem Legato extortam in terrâ suâ, donec rei exitum videret, reservari, ut sic saltem etsi invitus, Papa fidelis, qui Vicarius Christi in terris nuncupatur, inveniretur. Ne vero existimes Fridericum aut minus armatum aut saltem imparatum fuisse, quinque illi uno tempore exercitus in procinctu: primus cui ipse præerat Faventiã obsidens: secundus in Tyrrheno mari, cui Hentius Sardiniæ Rex contra Genuenses: tertius, Duce Conrado Rege, in finibus Germaniæ contra Tartaros: quartus in Piceno & valle Spoleti: quintus in Palestinâ sub Rodolpho imperij Mareschallo, qui regnum Hierosolymitanum propugnaret, quod utique, nequicquam obstantibus Pontificis injurijs, per quindecim annos sartum tectum præstitit. Perseverante itaque bello, erat illi unde Faventinis graviter succenseret, qui & suâ pervicaciâ successus suos inhibuissent, & paulo ante *illum in civitate inclusum, antè à tergo, portis seratis conjurati præposuissent suffocare: quando alium illi similem & armis Imperialibus sophisticè redimitum, nequiter interemerunt, illum Dominum suum credentes suffocasse.* At ille tamen misericordiam suam implorantibus, & civitatem, & libertatem eandem, quam cæteris Imperij civitatibus, donat; quod ad eos dictum sit, qui eum animi ad vindictam propensioris accusant. Redibant etiam ex Transalpinis Legati illi, multis Episcopis ad Concilium confluentibus comitati, hos rogat apud se divertant, omnem salvum conductum pollicitus; eo tantùm consilio, ut causæ suę justitiam ijs patefacere possit. Id officij ut denegant, & Genuensium hostium suorum præsidio, quàm suæ fidei, sese committere malunt: Hentius, qui capiendis invigilabat, eos in mari adortus, Neapolim captivos abducit. Quibus quidem successibus alijsque in Picæno & Æmiliâ prosperè gestis, ita indoluit Gregorius, ætate alioqui jam provectâ, ut præ mœrore, diem supremum clauserit. Colenuccius l. 4.

Meminerimus interim, quia fucum facturi Pontifices Palestinam perpetuò in ore habebant, Honorio tertio Pontifice, cum Iohannes Brennensis Damiatam cepisset, urbem tum percelebrem, Cardinalem Pelagium ejus Legatum, exercitui cum summo imperio præesse voluisse; Unde Rex indignatus, Ptolemaida secesserit, multisque rei bene gerendæ occasionibus posthabitis, post multas clades Damiatam ipsam deseruerit; Item, sub Gregorio nono cum Richardus Cornubiæ Comes, Henrici Regis Angliæ frater, Cruce, ejus hortatu, susceptâ, cum exercitu ad S. Ægidium in Occitanis classem conscensurus accessisset, Legatum Gregorij Arelatensi Archiepiscopo comite, ejus nomine, vela facere prohibuisse: quòd in odium Friderici fieri interpretatus Richardus, indignabundus in hæc verba prorupit: *Credebam veritatis firmitatem inesse dictis Apostolicis, & suis quos mittit Prædicatoribus: cum jam ad mare, navem intraturus perveni, prohibet Papa, qui dicitur successor, & Vicarius Iesu Christi, qui nunquam verbi sui transgressor perhibetur, ne ad servitium Christi properem, ad omnia jam accinctus. Comes igitur detestans Romanæ Ecclesiæ duplicitatem, cum magnâ mentis amaritudine Marsiliam tendebat, spretis Legatorum fallacibus, & ambiguis sermocinationibus. Misit autem ad Imperatorem status sui notitiam, & significavit ei Papalem muscipelationem, per nuncios sibi speciales, scilicet Robertum de Tuinge militem & alios.* Idem verò paulo ante Cruce-signati, tum ex Galliâ, tum ex alijs regionibus experti, qui cum Lugdunum, quasi signo dato, convenissent, inde in Palestinam profecturi, Legatum Pontificis ibi offenderunt, qui mandato de scripto exhibito, sua quemque repetere jussit. Tum vox illa passim erumpere, *unde hæc in Romanâ Curiâ, & in Papa multiplicitas? Nonne nobis hic terminus, hic locus per Legatos & Papales Prædicatores, multo tempore transacto, præfixus*

 est

est ad transitum; secundum dicta & promissiones Prædicatorum, ad iter pro Deo succingimur, victualia & arma, & quæque nobis profecturis necessaria paravimus, terras nostras cum omni supellectili nostrâ, & domibus vel impignoravimus, vel vendidimus, amicis nostris valediximus, thesauros nostros in terram sanctam præmisibus, & nunc ad negocium Crucifixi impediendum, mutatis verbis insurgunt Pastores nostri. Et modicum indignati penè insurrexerunt in nuncium Papæ, si non Prælatorum discretio furorem populi temperasset.

Restabant tantùm Romæ Cardinales decem, sufficiendo in locum Gregorij successori impares: Rogant igitur Fridericum, duos, quos sub custodiâ servabat, ad se venire permitteret, ut electioni interessent, quod clementer annuit, ita tamen ut ambo revertantur, ni forte alter Pontifex creetur. Sublegitur verò Gaufridus Sabinorum Episcopus, Cælestinus nomine quartus, qui septendecim post dies moritur, necdum consecratus. Congregantur rursum Cardinales, & ut scissis inter Ecclesiam & Imperium studijs convenire inter se non possunt, coguntur illi duo, fidei datæ ut satisfaciant, in custodiam reverti: donec tandem, sede 21. menses vacuâ, cum non invenirent, inquit Paris, *saltem scintillantem sub cinere charitatis igniculum*; hinc urget Imperator, omnemque excusationis ansam præcisurus, Cardinales illos rursum mittit, juratos utique, *ut ipsi Imperatori suo ceu liberatori, ipsi efficaciter pacem Ecclesiæ & Imperio convenientem & sedi Papali consilium pro posse suo procurarent.* Utque Romanos acriùs extimulet, eorum ditiones populabundus ingreditur; Illinc & nostri Galli audacter significant, *confisi de antiquo priveligio suo per sanctum Clementem beato Dionysio concesso & obtento, qui concessit Apostolatum eidem Dionysio super gentem Occidentalem, Papam se electuros pro ipsis.* Ac porrò consequuntur ut anno 1243. Signibaldus Fliscus Genuensis eligatur, Innocentius 4. dictus, cui confestim Imperator, per Petrum de Vineis Cancellarium electionem congratulatur. Sed, ut erat sagaci ingenio, præsaga mente, *bonum*, inquit, *amicum Cardinalem, in accerrimum hostem Romanum Pontificem permutavi*, non minus quam cæteros sibi infensum fore ex ipsâ ad Pontificatum promotione, auguratus. Et sanè anathema in eum statim renovat, & post aliquot verba de pace commutata, cũ convenire inter se non possent, nempe quod Papa sibi purè credi vellet, Fridericus sese submittere nollet, nisi *præcognitis causis & prævisa via & omnibus conditionibus*, clanculum conscensis Genuensium triremibus in Galliam trajicit Innocentius, indeque Lugdunum, Concilium habiturus pervenit, cujus initium in annum 1245. incidit. Prætextus ei perpetuò Palestinæ defensio, sed revera bellum in Fridericũ, quod effectus docuit, parabatur; Eò tamen Friderico accedere ratum, Taurinumque jam pervenerat, cum Innocentium in se anathema pronuntiasse intelligit, Thaddæumq; Suessanũ Oratorem suum virum insignem, audire noluisse, rogantem, ut aliquantisper expectaret; quod & D. Ludovici Regis Franciæ, & Henrici Regis Angliæ precibus, aliorumq; Principum Oratoribus dare noluerat. Et hoc igitur Fridericum retinuit, qui nihilominus, modò pax ei Ecclesiæ redderetur, Europam adversus Tartaros tutaturum, Palestinam à Sarracenis proprijs impensis vendicaturum, Ecclesiam Græcam Romanæ conjuncturum spondebat. At respondet Innocentius *verba hæc esse*, & Oratorem rogat quos fidejussores dare possit: Reges duos, inquit, Franciæ & Angliæ; Rursum ille, *nolumus, quia si pacta commutaret, vel penitus infirmaret, nec aliud credimus propter frequentiam aliquo tempore in posterum, oporteret nos animadvertere in eosdem, & tunc haberet Ecclesia tres, quibus non sunt in seculari potentiâ majores, imò nec pares, inimicos.*

Ann. 1247.

Blondus decad. 2. lib. 7.

Per-

Pergit itaque, eumque excomunicatum imperio deponit: Subditos omnis generis in perpetuum sacramento fidelitatis solvit, & qui Imperatorem agnoverint, eodem anathemate involvit. Formula ejus in Historijs hujus temporis, inque Synodi Lugdunensis Actis, verbis arrogantissimis legitur. Notat verò Paris D. Ludovico Palestinæ periculum ob oculos ponente, quæ absque Friderico humanitus conservari non posset, roganteque tantum Principem Christi nomine tantam humilitatem subire paratum, in gratiam reciperet, Dominique exemplo & præcepto peccatori ad septies septuagesies usque sinum misericordiæ aperiret, absolutè denegasse. Notatu etiam dignum cum hoc ipsum Anathema in universam Europam, in Galliam præsertim ipsam, promulgandum transmisisset, postulasse Principes, uti spatium Friderico concederetur, intra quod Lugdunensi Concilio sese personaliter sistere posset: Respondisse verò Pontificem: *Absit hoc: Timeo laqueos, quos vix evasi, si enim veniret statim recederem. Non adhuc opto sanguinis effusionem, nec me sentio aptum aut paratum martyrio vel custodiæ carcerali.* Ac ita sententiam edit. Rector quidam Ecclesiæ Lutetiæ in Parochiâ suâ egregiè hoc munere defunctus: *Audite universi*, inquit, *accepi in mandatis, ut candelis accensis, & pulsis campanis in Imperatorem Fridericum excommunicationis feram sententiam solennem: causam autem ignorans, non ignoro gravem controversiam & odium inexorabile motum inter eos. Scio etiam, quod unus illorum alij injuriatur, quis, cui, nescio. Sed illum in quantum se mea extendit potentia, excommunico & excommunicatum denuntio, alterutrum istorum, videlicet ipsum, qui alij injuriatur & absolvo injuriam patientem, quæ tam damnosa est toti Christianitati.* Sic & Krantzius narrat, plures Principes & Barones ad hoc Decretum exclamasse, *non est Papalis juris Imperatorem substituere, sed tantùm electum à Principibus coronare.* Breviter author supra citatus: *Omnes angustiæ vulnus angebat, futura pericula, ratione prævia, ponderantes, quod Romana Ecclesia gratiâ Dei abutens, in posterum in tantam elationem & intolerabilem superbiam subvertaretur, quòd Principes Catholicos insontes, & justos, & præcipuè Prælatos, quavis levi causâ vel deponeret, vel deponere probrosè conaretur. Nos ipsum maximum Dominum, & Imperatorem Fridericum conculcavimus, & quis est is qui nobis temerè credit resistere? Et ita provocati nobiliores contra eum levabunt calcaneum, Deoque vindice authoritas Romana poterit deperire.* Et de isto igitur anathemate, hæresim licet prætexente, tale tum orbis judicium. Quæ sanè in eo tantùm sita, quod anathema per se frivolum, & inane contemneret; Nec hic subsistit Innocentius: Imperatorem enim pro suâ libidine habere apud se constituens, Principibus mandat, de novâ electione agant; quin & electionis arbitros designat, Duces Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, Brabantiæ, & Archiepiscopos Coloniæ, Moguntiæ, Salisburgi, plerosque juratos Friderici hostes, qui deliberaturi in insulam Rhemi, nemine insequente devehantur; Interim tamen Ferrariensis Episcopi Legati sui verbis, Henricum Turingiæ Landgravium commendat, quem & ipsi in ejus gratiam eligunt. Verùm Fridericus nihil consternatus, *Abjecit me Papa iste*, inquit, *in Synodo suâ, privans me coronâ meâ? Unde tanta audacia? Unde talis temeraria præsumtio? In hoc tamen conditio mea melioratur, in aliquo tenebar illi obedire, saltem venerari, nunc autem ab amore & veneratione, nec non & ab omnimodâ pacis absolvor adversus Papam obligatione.* Is itaque apud omnes Europæ Principes objecta sibi crimina diligenter diluit; eo faciliùs, quod omnes hujus ætatis Pontifices, ut scriptores testantur, sinistram de se existimationem apud omnes concitassent. Et novus ergo Imperator anno 1247. Aquisgranum coronandus cogitabat, Conra-

Matthæus Paris in Henrico 3.

ra-

rado præsertim Friderici filio, per suorum desertionem prostrato, quos Papa pecuniâ corruperat: sed reparat magnâ celeritate Conradus exercitum, qui sub ipsum solennitatis punctum, prælio superatum ad internecionem delet: Unde Landgravius ipse, *proprij vulnere doloris sauciatus & suffocatus, nulli lamentabilis muliebrem animam exhalavit.* Tumque impletum quod dixerat *Thadæus in Concilio Lugdunensi, cum sententiam Dominus Papa in Dominum suum fulminasset: Heu heu dies ista verè dies iræ, calamitatis & miseriæ &c.* Nec tamen Innocentius adhuc vincitur; quin Cardinales quatuor in Germaniam, Italiam, Hispaniam, Norvergiam mittit, qui de Friderico tanto graviùs conquerantur, injuriam sibi factam lepidè interpretatus, quod inflictam repelleret; eligendumque sibi proponit in Regem Germaniæ, Gulielmum Comitem Hollandiæ, quod itidem, effusâ pecuniæ vi, consequitur. Quicquid enim undecumque corradebat in hoc quasi gurgite absorbebatur. Et huic rursum, dum coronam suscepturus Aquisgranum petit, Conradus fit obviam, Octavianus Pontificis Legatus, blandis verbis juvenem à proposito divertere conatur. At ille: *Numquam*, inquit, *pro vobis proditoribus, patri meo deero.* Eo tamen ventum, ut Prædicatorum technis, qui populi animum corrumpebant, Gulielmus Aquisgrani & reciperetur, & coronam susciperet. Sed enim non multo post, & Conrado premente loco cedit, & Friderico demum cum exercitu imminente, Hollandiæ latebras repetere cogitur; Unum illi supererat in proditione suffugium. Itaque quo justam Friderici causam Deus benedictione suâ in Germaniâ, Lombardiâ, Hetruriâ ipsâ protegit magis, eo Innocentius acrius in omnem fraudem animum intendere; Ex familiaribus & domesticis corrumpuntur Theobaldus Franciscus, Iacobus de Mora, Pandolfus de Fasanellis, Gulielmus de S. Severino, & alij, qui ejus vitæ insidiantur, quorum & nonnulli conspirationem detegunt, cujus historiam in Friderici ad Regem Angliæ literis, apud Matthæum habemus: Authorem verò si quæris, *nomen & titulum*, inquit, *libentissimè taceremus, nisi quod illum vox publica detegit, & evidentia factorum accusat: quamquam nos taciturnitate nostrâ vellemus obtegere, seu verborum involucris excusare; Prædicti namque facinoris patratores, tam fugitivi videlicet, quàm obsessi, fratrum Minorum stipati consortio, Crucis ab eis signo recepto, contra nos authoritate summi Pontificis, per Apostolicas literas, prætendentes negocium apertè se gerere sacrosanctæ Romanæ matricis Ecclesiæ, prædicant, ac prædictæ mortis & exhæredationis nostræ summum Pontificem sic asserunt incentorem. Hoc ipsum captivi præfati, quos in expugnatione castri Scale, fidelium nostrorum prompta devotio carceri mancipavit, in spontaneâ & extremâ confessione suâ quando mentiri nefarium existimant, morientes coram omnibus sunt confessi. Bambergensis Episcopus etiam, cum post venalem consecrationem, imò potius execrationem suam, cornutus à Curiâ Romanâ rediret, priusquam à nostris fidelibus in Theutonia caperetur, futurum infallibiliter prædicavit, quod nos infrà breve tempus per familiares, & domesticos nostros occidi morte turpissimâ debeamus. Hæc nos, teste summo judice, cum verecundiâ loquimur, velut qui numquam diebus nostris scelus ejusmodi videre credidimus nec audire, quod gens nostra & Ponfices nostri tam crudeli morti aliquem tradere nequiter voluissent.* Adeò, ut Fridericus parum absit, quin sex illos conjuratos, *per diversa climata mundi, ad omnes Reges & Principes cum Bullâ Papali impressâ in fronte inventa*, in arce de Scala, ubi ipsi capti, *in publicam proditionis notitiam destinaret.* Notat idem author, captos Romæ non multo post, assassinos seu sicarios duos, qui in Pontificis caput summissi dicebantur, *fuerunt tamen*, inquit, *qui dicerent hoc astute fuisse adinventum & fraudulenter pro-*

Petrus de Vineis l. 2. cap. 10. Matthæus Paris pag. 692. anno 1249.

cu-

curatum, ut sic scilicet Fridericus, qui sibi consimilem casum Papa procurante nuper contigisse protestatus est, consimili culpâ diffamaretur. Nec Innocentius idcircò segniùs alios laqueos struit, dum orbem præstigijs elusurus, fulminatoria in Fridericum scripta vomit, Pharaone, Herode, Nerone, cæteris tyrannis execrabiliorem detonat; eo ardentiùs magis, quòd & cuniculos suos detectos & se nihilominus totâ Europâ putere, contristatur. *Hæc pagina*, inquit, *auditu horribilis cum ad multos pervenisset, medullas auditorum penetrando contra Fridericum erexisset, nisi Papales ejusdem Friderici adversarios avaritiæ, Simoniæ, & usuræ, aliorumque vitiorum maculæ coinquinassent. Qui inter cetera deliramenta Cruce signatos impudenter exagitant, nunc sub pœnâ excommunicationis ad terram sanctam, nunc ad imperium Romaniæ, nunc innuendo, ut super Fridericum insurgant, & transmittantur, elaborant. Et (quod detestabilius judicatur) Prædicatores & Minores facientes suos Telonarios viatica Crucesignatorum quovis extorquent argumento.* En igitur, alia rechna in lucem prodit: Reversus in Apuliam Fridericus, dubiâ valetudine ex medicorum suorum consilio medicinam sumere cupit; Petrus de Vineis, qui intimus ei consiliarius, medicum penes se habebat, qui præsentissimum venenum admiscet, balneumque veneno infectum, si minus succederet, in omnem eventum paraverat. Fridericus sub illam horam fortè admonitus: *Amici*, inquit, *confidit in vobis anima mea, caveatis, supplico, ne mihi in vobis confidenti virus pro medicinâ porrigatis.* Respondet Petrus: *O Domine mi pluries dedit iste meus Physicus salutarem vobis potionem, quare modò formidatis?* Attonitus medicus titubationem fingens, effudisse in terram videri vult, sed quod supererat, reis morte damnatis propinatum, eos paucis post horis sustulit; Itaque Medicus laqueo strangulatus, Petro de Vineis effossi oculi, quem Fridericus per plerasque Italiæ & Apuliæ præsertim urbes circumduci voluit, ut scelus apud omnes profiteretur. Cum autem eum Pisanis, qui vehementer oderant, tradidisset, præ desperatione, capite ad Columnam, cui alligatus erat, alliso, sese necavit. Hæc Paris Monachus, & post eum Sigonius. Addit verò ille, *Ecclesiæ inimicos dixisse, quod Dominus Papa ad hoc facinus, cor Petri enervando muneribus, & pollicitis maximis inclinârat.* Et qui præcesserant conatus huic conciliant fidem. Vitam interim suam miserandus Princeps nunquam non detestabatur: *Væ mihi contra quem propria pugnant viscera. Petrus quem Petram credideram, & dimidium animæ meæ, mihi mortem & insidias præparavit. Ecce Dominus Papa, quem imperium sub magnificis antecessoribus meis de nullo creavit, & ditavit, illud molitur exterminare, & in me ipsius imperij titubantis rectorem, interitum machinatur. Et obsorduit Domini Papæ fama per hoc non mediocriter: Veritatem tamen novit Deus secretorum perscrutator infallibilis.* Cujus & argumentum dicitur, ex eo quod Krantzius in annum 1249. *Tradunt*, inquit, *summum Pontificem Innocentium quartum, tanto zelo in Fridericum eximperatorem provectum, ut non modo Christianos Principes illi opponeret, sed etiam misso nuncio ad Soldanum Ægypti, illum à familiaritate ejus nisus sit avertere.* Et dolendum est quod ejus literas non habemus; At Innocentij saltem ad Soldanum è Græco in Latinum versas producit, ut ex responsione de petitione constare possit. Post solennes igitur formulas, quas Lector invisere non dedignetur: *Uti faciat eum Deus de affectantibus bonum & facientibus illud, & affectantibus pacem, & perseverantibus in causis ejus: & adjuvet eum Deus in his quæ decentia sunt, ad illos, qui sunt sui cultus sive ritus, & ad alios:* Intellexisse se exponit, quod de Christo proposuit, cui sit laus: *Et de Christo*, inquit, *plus scimus, quam vos sciatis, & magnificamus eum plus quam vos magnificatis.* Sed ad Imperatorem quod atti-

An. 1249. Krantzius l. 8. c. 14. in Metropol.

attinet, inde à tempore Soldani patris intercedere inter eos amicitiam; *Et inter vos, inquit, & Imperatorem vestrum, est sicut vos scitis.* Quare, non illi fas esse absque Imperatoris consilio & consensu, quidquam cum Christianis pacisci. Mirum verò, quod tot tantæque molestiæ ætate jam confectum non obruerint. Addamus Hentium nothum à Bononiensibus captum; in Apuliâ rursum alium; ipsum porrò gravi morbo correptum *ignem sacrum* appellat; Tandem tot rebus adversis jactatus, inquit Author, pacem omni ratione sibi quærendam ratus, *honestam pacis formam Domino Papę obtulit: Sed Papa lætificatus de adversitatibus suis, noluit quæ obtulit acceptare, unde multorum incurrit indignationem, & Francorum Nobilium, qui cœperunt ipsum Fridericum consolari, & eidem adhærere, & superbiam servorum Dei detestari.* Sicque, res Friderici in melius adeò proficere, ut Innocentius Regem Angliæ generalis pacis curandæ prætextu roget, sibi Burdegalis commorari liceat: Sed inter moras *Principum maximus* moritur, *stupor verè mundi*, nobilissimo condito testamento, quod apud Matthæum in Additionibus legitur. Collenucius etiam ex relatu Mainardini Episcopi Imolensis: *Tanta fuit*, inquit, *pœnitentiæ significatio, quam in delictorum confessione, more Christianorum edidit, quod vel ex eâ solâ conjici posit, illum singulare electionis vas fuisse.* Postquam verò eximias ejus virtutes, tum naturales, tum arte partas, mirum in modum extulit præclaras etiam & utiles, quas tulerat, leges tum Ecclesiasticas, tum civiles, de certamine, quod illi cum Pontificibus perpetuum, cujusque causâ ab Innocentio quarto excommunicatus fuerat, verba faciens, de Anathematis illius æquitate vehementer dubitat. *Quod etiamsi ita sit*, inquit, *tamen, si ea quæ gesta ab illo supra commemoravimus, aut quæ à diversis scriptoribus literarum monumentis tradita sunt, considero, aut etiam Epistolas ejus scriptaque perpendo, nescio sanè an illũ Ecclesiæ hostem declarârint, quòd de Pontificijs nimis vera prædicarit, multaque in eorum moribus, totâque illâ Apostolicâ vitâ desiderarit, aut quod imperij jura acriùs defenderit, aut denique quod nimis in Italiâ potens, contrà quam voluissent, fuerit. Iudicium hujus rei relinquam equidem æquo rerum à Friderico gestarum Lectori, sed interim, dum cogito Christum, quē Vicarij sui Pontifices, sicuti præcipit, imitari, eique ceu ministri parêre debent, mandasse, ut gladium in vaginam recondamus nec septies tantùm, sed septuagies delinquenti condonemus; & ex alterâ parte video, tot insidias atque proditiones adversũ Fridericũ institutas, tot Legatos Ecclesiasticos, qui Pastores appellantur, contra eundem in Regnum, Picænum, Longobardiam, Æmiliam, Flaminiamque missos, tot urbes atque regiones ob eandem causam devastatas, tantum Christiani sanguinis effusum, & illum tamen victorem semper evasisse, Pontificios verò, qui adversus eum se conjunxerant, infortunatos semper succubuisse: non possum non approbare, quod Pius Pontifex in Historiâ Australi scripsit, nihil videlicet excellenter malum in Ecclesiâ Catholicâ patrari, cujus prima origo à Sacerdotibus non dependeat, ni forte occulto quodam Dei consilio fiat. Ego sanè multas Friderici Epistolas, quæ extant, vidi atque legi, cum ad Pontifices & Cardinales, tum alios Christiani orbis Principes, privatasque etiam personas exaratas: sed nihil in eis deprehendi contra fidei nostræ regulam, nihil hæreticum, nihil denique quod aliquam Ecclesiæ oppressionē aut contumaciam redoleat. Sunt quidē in iis multæ quærelæ, lamentationes, admonitiones, de avaritiâ & ambitione Sacerdotum, de Pontificis pertinaciâ, qui suas excusationes & imperij defensionem audire nolit, deque insidiis, quæ sibi struerentur. Et qui harum rerum veritatem & magnam Principum virtutem cognoscere desiderat, is legere poterit, inter cætera, unam ex ejus Epistolis ad omnes Christianos Principes scriptam, cujus exordium ita habet.*

Collenucius l. 4. Historiæ Neapolitanæ.

habet. Collegerunt Principes, Pontifices, & Pharisæi Concilium in unum, & adversum principem, Christum Dei convenerunt; Et aliam item, quam scripsit ad Collegium Cardinalium, ut dissuaderent Pontifici, ne discordias inter ipsos & imperium aleret, quę ita incipit. In exordio nascentis mundi; Et eam item cujus principium est: Infallibilis veritatis testem & supremum justitiæ judicem obtestamur. Ex unâ inter alias ad Principes Christianos scriptâ, quæ sequuntur, profert: *Quod vobis Legati nostri retulerunt, credite ceu rem verissimam non aliter ac si eam Divus Petrus jurejurando confirmasset. An non videtur vobis lata adversus nos de depositione sententia, imperij majestatem læsam esse? Sumus enim puritatis nostræ conscij, & Deum nobiscum habemus, quem obtestamur, nos semper eo spectasse, ut Sacerdotes adduceremus ad perseverandum in verâ fide, cujusmodi in primitivâ Ecclesiâ fuerat dum vitam Apostolicam & Christi humilitatem imitabantur. Solebant enim tunc Clerici Angelos sæpe videre, miraculis fulgere, curare infirmos, suscitare mortuos, nec armis, sed sanctitate suâ Principes subjugare: Qui verò hoc seculo vivunt, mundo dediti sunt, & deliciis inebriati Deum humeris induunt, & divitiarum suarum superfluitate religionem nostram suffocant. Subtrahere igitur talibus opes superfluas, quæ ipsis nocent, eosque magno cum detrimento aggravant, estne à charitate alienum? Itaque ad hoc opus unâ nobiscum peragendum omnes Principes invitamus. Qui deponunt enim superflua, Deo melius inserviunt: & vos operam dare debetis, ut Deo benè serviatur.* Ac tandem concludit Author, celebris hac ætate Iurisconsultus: *Hæc fortè sunt illa, propter quæ eo tempore, Fridericum hostis Ecclesiæ nomen mereri censuerunt.* Cæterùm non reticent Historici veneno illum interemptum: Matthæus Paris *potionatum:* Chronicon Augustense *veneno extinctum,* & Sigonius idem; Alij, pulvillo in os injecto enecatum scribunt: cujus in Manfredum nothum rejecta suspicio; *quem tamen cum alijs fratribus hæredem relinquebat:* Unde plerique innoxium pronuntiant; Haud dubiè ut Innocentium onerent: Cuspinianus disertis verbis, *à Manfredo ori injecto pulvino suffocatus est, seu is ab hostibus seu à Pontifice corruptus.* Et quis ei infensior hostis? Et hæc ad annum usque 1250.

Petrus de Vineis l. 1. c. 1.

Matthæus Paris in Henrico 3. An. 1249. Compilatio Chronolog. apud Pistorium.

An. 1250.

Bellum interim in Palæstinâ gerebat D. Ludovicus, qui à Soldano & prælio superatus, & ipse captus retinetur; Nec tantæ cladis authorem scriptores dissimulant: *Fratres*, inquit Paris, *Regis Francorum Papam districtè convenerant; rogantes ex parte dicti Regis & suâ, ut pacem iniret cum Friderico humiliato, & satisfactionem Ecclesiæ humiliter offerente, sicut honorem universalis Ecclesiæ diligebat. Imponebant etiam illi dicti Regis fratres, videlicet Pictaviæ & Provinciæ Comites, quod per avaritiam,* inquit, *totum evenit infortunium memoratum. Ipse enim Papa Cruce-signatos, ne in succursum Regis advenirent, pecuniâ corruptus impedivit, & absolvit à voto suę peregrinationis, quos paulo antè per suos, quos mittit, Prædicatores & Minores cruce signavit. Præterea Cruce signatos Comiti R. & aliis vendit magnatibus, sicut olim Iudæi consueverunt oves & columbas in Templo vendere: quos Deum legimus in Euangelio in irâ punitos ejecisse.* Hoc testimonium Historia Innocentio perhibet. Econtrà de Friderico post alios Aventinus: *Fridericum Imperatorem, secundum Cæsarem Augustum, potentissimum utilissimumque Reipublicæ Christianæ, atque sine controversiâ sapientissimum Principem fuisse, Nicolaus Cusa Episcopus Brixinensis, flamen Romanus, vir undecumque doctissimus testis est, atque Ægidius Romanus Bituricensis in Galliâ Pontifex, Philosophus atque Peripateticus insignis, qui in libris, quos scripsit de institutione Regiâ ad Franciæ Occidentales Imperatores, hosce ad illius exemplar properare cohortatur. Idem Fridericus libros Aristotelis omnes, pleraque alia in sacris, prophanis literis, universam supellectilem Philosophiæ ex Græco atque Arabico sermone, per interpretes doctissimos*

Avent. l. 7.

vertendam curavit, Athenis legendam exhibuit, quibus rebus se à teneris unguiculis oblectatum fuisse profitetur; Levoviis, Æstiis, PintZiis, Senogallis, adcolis Venedi atque Codani in Germaniâ atque Sarmatiâ Europęâ sinus, quod exploso falsorum Deorum cultu, pietatem Christianam receperint, privilegia, immunitates, civitatemque Romanam donat. Ejus potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, vicinitas; (nam in Italiâ contra morem veterum Imperatorum habitabat, Germaniam per filium administrabat, bis duntaxat ex Italiâ in Germaniam egressus) formidolosa atque suspecta fuêre Romano sacerdotum Senatui. Quod Gregorius nonus Pontifex Maximus non it inficias, sed ingenuè fatetur: Visum est flaminibus Romanensibus imperium Germanum magis florere, quàm illis utile foret, placuit id contundere atque discordiâ non solùm debilitare, sed in cineres quoque atque favillas redigere, & Fridericum huncce à fastigio rerum humanarum deturbare.

Chronic. Martini, & Platina in Innocentio.

Superest, tres isti Pontifices, Friderici persecutores pro tot incommodis, quęnam commoda Ecclesiæ attulerint, videamus. Innocentius tertius, & Honorius tertius, Francisci & Dominici regulas comprobârant: Utrumque Gregorius nonus in Sanctorum Canonem refert, quin Antonium Patavinum superaddit. Innocentius verò quartus, ne inferior videatur, Edmundum Cantuariensem, Stanislaum Cracoviensem & Petrum Veronensem ijsdem fastis inserit. Vidimus autem Fratrum illorum opera, quænam miracula patrârent, & deinceps qui sanctos non faciat, vix ullus Papa occurret. Iudicet hîc Lector, quibus cautionibus, in regno cœlorum alios collocent, qui tam horrendis sceleribus semetipsos indignos qui terram calcent, ostendant. Innocentius, etiam tertius Transsubstantiationem constituerat, & Honorius tertius hostiam de genibus adorandam sanxerat, ægris etiam cum accensis cereis deferendam; Gregorius nonus, ne aqua hærere videatur, Squillam instituit, quâ pulsata, quisque eam adorare moneatur. Quin & *Salve Regina in* Templis decantandum, *& Ave Maria*, ad Campanæ pulsum demurmurandum. Alexander 3. Innocentius 3. Honorius 3. Gregorius 9. complûra Decreta ediderant, pleraque unde plena illa sua potestatis plenitudo fulciretur; Innocentius tertius àdeo profari non veritus: *Nos secundum plenitudinem potestatis, de jure possumus supra jus dispensare*, quod Glossa exponit, *contra vetus Testamentum, Apostolum, & quatuor Euangelia.* Hæc Innocentius quartus in Volumen unum compingi jubet, per fratrem Raimundum ex ordine Prædicatorum, & pro Authenticis haberi vult; Decretalia illis nomen. Et verò Lugdunense Concilium magnam Ecclesiæ reformationem pollicebatur: Sed en tibi illam: *Cardinales rubris galeris ac palliis utentur & equis phaleratis per urbem vehentur; scilicet honestandi ordinis causâ.* Numnon hac ratione orbis Christiani saluti mirificè consultum putas? Et ex his notet quisque, quibus authoribus inductus hic luxus; superinductę imò, quæ potissimum in prerio sunt superstitiones, & Ceremoniæ.

Iohannes de Oppido. Extra de Celebr. Missarum, C. sane cum olim. Durandus in Rationali c 41. Nauclerus Gener. 42. Vol. 2. Matthæus Paris in Henrico 3. Sigon de regno Ital. lib. 18. Platina in Innocentio 4. Extra C. proposuit de concess. præben. causa 25. q. 1. & 16. Glossa.

OPPOSITIO.

INveteratæ huic superbiæ, longique temporis præscriptione corroboratæ, quo mundum pro libito agere ferreque, si quis minus pareret, inferno adjudicare impunè licuit, si nemo contradicere audeat, cui jam mirum videri debet? Et tamen perditissimo etiam hoc seculo non desunt, qui exactionibus, violentijs, sordibus, Ecclesię Romanæ, frontem opponant.

In Angliâ, cujus se supremos Dominos jactabant, quidvis sibi licere existima-

mabant: Chartulâ illâ Regis Johannis freti, qui se Papæ hominem ligium constituerat; Ibi, Pontificij regiminis specimen habemus, unde nobis judicare promptum Ecclesiam, si ejus arbitrio relicta fuisset, in quam ruinam præcipitaturus fuisset. Defecerant à Rege suo Angliæ Episcopi, à Pontificibus extimulati; Ut pace inter D. Ludovicum Franciæ Regem, & Henricum tertium Angliæ factâ sese minimè comprehendi vident, ad Pontificem restituendi confugiunt. In his erat Henricus Episcopus Lincolniensis: Honorius tertius mille argenti marcas ab eo exigit, & eandem in cæteris proportionem servat. Matthæus hoc loco, *Talis erat hydropisis spiritualis Curiæ Romanæ*, qui & eum *Leonem feritate, sanguisugum avaritiâ* describit; Othonem idem Legatum in Angliam mittit: In medio Concilio, Papæ literas profert, in quibus explicare non verecundatur, *scandalum sanctæ Romanæ Ecclesiæ & opprobrium vetustissimum, notam scilicet concupiscentiæ, quæ radix dicitur omnium malorum, & in hoc præcipuè quod nullus potest aliquod negotium in Romanâ Curiâ expedire, nisi cum magnâ effusione pecuniæ, & donorum exhibitione. Sed quoniam scandali hujus & infamiæ Romanæ paupertas causa est, debent*, inquit, *matris inopiam sublevare, ut filij naturales.* Adverte verò remedium; ut ex omnibus Ecclesijs Cathedralibus duæ præbendæ sibi attribuantur, in Episcopum una, in Capitulum altera, & sic in Abbatiis & Conventibus; Hoc si fiat, *justitiam sine muneribus redditurum pollicitus.* Hîc congregatur Angliæ Clerus & ad Papalium literarum lectionem, *singuli singulos ad visum monebant super concupiscentiâ Romanorum*, quæ morale hoc distichum non didicisset,

Quod virtus reddit, non copia sufficientem,
Et non paupertas, sed mentis hiatus egentem.

Sed Rex Prælatorum & Procerum regni consilio respondet, hoc negotium ad universum Orbem Christianum pertinere, cujus ipse in extremo locatus sit, *ut cum viderimus qualiter cætera regna ergà tales se habuerint exactiones, Dominus Papa, cum ab aliis regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inveniet promptiores.* Et sanè Gallis nostris in Concilium Avarici Biturigum congregatis, cui, præsente Rege, Romanus præsidebat Pontificis Legatus, tot tantæque ei rationes proponebantur, in propositionis suæ, tum refutationem, tum ludibrium, in eo præsertim, quod tantum orbi commodum ostentaret, ut ipse pudore totus suffunderetur. Ac desitum tandem in hæc verba: *Multæ divitiæ facerent Romanos insanire: & sic inter diversas parentelas tantæ orirentur seditiones, quod posset timeri totius excidium civitatis, cujus etiam & modo penitus expers non est: Cum vix impossibile sit fontem cupiditatis desiccari: quod nunc faciunt per se, tunc facerent per alios, & suis multo majora, quàm nunc dari munera procurarent: Modica enim nulla sunt in conspectu divitum, cupidorum.* Post quæ Archiepiscopus Lugdunensis: *Domine*, inquit, *nullo modo volumus esse, sine amicis in Curiâ, & largitate donorum. Domine moveat vos zelus universalis Ecclesiæ, & sanctæ sedis Romanæ, quia si omnium esset universalis oppressio, posset timeri ne immineret generalis discessio, quod Deus avertat.* Quæ quidem defectio ab Apostolo prædicta, ubi de Antichristo agit, 2. ad Thessal. 2. Itaque protestatur ipse, se in hæc nunquam consensisse, mandata quippe à Pontifice Franciam jam ingressum accepisse, unde vehementer ipse doleret.

Gregorius Pontificatum adeptus, vestigijs antecessorum insistens, Stephanum, Nuntium & Capellanum suum in Angliam mittit, qui in ipso Prælatorum conventu literas ejus profert quibus decimas omnium mobilium, tam Clericorum, quam Laicorum, in *exterminationem Friderici* præfractè Postulat. Rex, qui

qui per procuratores fidem jam ſuam Romæ obſtrinxerat, *factus baculus arundineus* ijs qui in eum ſperabant, conticuit: At Comites & Barones, & cæteri Laici, abſolutè ſignificant, ſe nullo modo pati poſſe, ut Baroniæ & poſſeſſiones Laicæ ullo pacto Eccleſiæ Romanæ obligentur: Idem Prælati & univerſus Clerus, qui tamen triduò poſt emolliti, excommunicationis ſententiam veriti, quam Legatus in mandatis habere compertus eſt: Etenim illam in eos qui parere cunctabantur ocius exerit, & de decimis cum Stephano quodam Segravio Regis Conſiliario paciſcitur: quas iſte anathematis, & interdicti intentato metu, exegit. Itaque ex autumnalibus fructibus, *qui adhuc in herbâ*, decimam captabat, & ut pecuniam præſentem haberet, Eccleſiaſticos, *calices, phialas, philacteria, & alia ſacra altaris vaſa* vendere coëgit: *Continuis maledictionibus ſed occultis repleta eſt terra, imprecantibus cunctis: exactio fiat ſuis exactoribus nunquam fructuoſa, nec ipſi Papæ prodeſſe poſſit.* Exinde verò nunquam uſurarijs tranſalpinis Anglia caruit, qui ſub mercatorum nomine, curiæ Romanæ extorſiones nundinarentur. Unde, paulo poſt tempore, regni ſubditi tum nobiles tum ignobiles, in eam deſperationem conjecti, remedium ſuis anguſtijs quæſituri, Epiſcopis & Capitulis literas hac ſubſcriptione mittunt: *Tali Epiſcopo & tali Capitulo univerſitas eorum, qui magis volunt mori quàm à Romanis confundi, ſalutem.* In his nominatim conquerebantur, quod Pontifex Epiſcopis ſub ſuſpenſionis pœnâ mandabat, in neminem regnicolam beneficium conferrent, ni prius quinque Romani in unaquaque Eccleſiâ per omnes Diœceſes beneficia accepiſſent, *ad valorem uſque centum librarum ſterlingarum annuarum*; Nec eos quidem nominibus ſuis deſignabant, ſed filium *Rumfredi aut talis*, ac ſi prophetiam implere vellent, *Spoliaverunt Ægyptios ut ditarent Hebræos.* Quare, ratum cum ſibi ſit, Eccleſiam, Regem & regnum tantâ tyrannide liberare, ni ipſi (Epiſcopi) in ſuis bonis experiri & pati velint quod Romanorum perſonis propè diem parant, eorum negotijs ne ſe intermiſceant. Eodem ſenſu ad eos qui fundos illorum vectigales redemerant: Ne annuos reditus eis penſitent, erantque literæ annulo ſigillatæ, cui inſculpti duo gladij, hac inſcriptione: *Ecce duo gladij hic*: Eo ventum ut diſtraherentur tota Anglia, liberè & nemine contradicente, eorum horrea: *Largas*, inquit, *eleemoſynas advenientibus diſtribuebant egenis, & quandoque nummos inter pauperes ſeminantes eos colligere hortabantur. Delituerunt Clerici Romani in Abbatiis, de injuriis ſibi illatis murmurare non audentes, qui elegerunt potius res ſuas amittere, quàm puniri ſententiâ capitali.* Donec tandem admonitus per ſuos ejuſce rei Gregorius, Regi reſcriberet, in Authores animadverteret, ni faceret anathema & interdictum comminatus: Qui tamen commendatitias literas Roberto de Tinghe equiti, illorum Principi, ad Pontificem dedit, ut abſolutionem faciliùs impetraret.

Matthæus Paris in Henrico 3.

At Gregorius tamen nihilo ſegnior, anno ſequenti, Nuntios ſuos cum Legatorum facultate, toto orbe dimittit, modò Friderici exterminationem, modò & Palæſtinæ recuperationem cauſatus, qui nummos undequaque corraderent. *Argumentoſas*, inquit, *extorſiones, præcipuè in Angliâ excogitans, & multiplicans, Legatos ſub ſpecie ſimplicium nunciorum, poteſtatem tamen habentes Legatorum, undique deſtinavit, qui multifariam exegerunt pecuniam, quaſi ad ſuccurſum terræ ſanctæ, nunc prædicando, nunc ſupplicando, nunc præcipiendo, nunc comminando, nunc excommunicando, nunc procurationes exigendo: per regnum Angliæ infinitos extorres reddiderunt, & mendicantes: Nec tamen inde unquam ſenſit Eccleſia promotionem.* Et hîc ipſarum literarum exemplar refert; *Elegantiſſima verba*, inquit, *quæ ad corda hominum lapidea viderentur pene-*

Matthæus Paris in Henrico 3.

trare, *ni facta humilitati ac justitiæ luce clarius adversantia sequerentur*; Propemodum dicturus, meram hypocrisim fuisse, passionem Christi, & terræ sanctæ desolationem in suis Bullis, tanquam in scenâ repræsentantium, unde populum non tam commoverent, quam exenterarent; Addit itaque: *His data fuit potestas cruce signandi, & votum datâ pecuniâ relaxandi: Quare sese multi, quorum non erat numerus, cruce signaverunt: Sed cito in tantam nobilitatem, ne dicam arrogantiam elevabantur Prædicatores & Minores, qui spontaneam paupertatem cum humilitate elegerunt, ut recipi curarent in cœnobiis & civitatibus in solenni processione, in vexillis, cereis accensis, & in dispositione, vestimentis festivis indutorum, & concessum est eis veniam multorum dierum suis conferre auditoribus, signatosque hodie, datâ pecuniâ, cras à crucis voto absolverunt Parvoque tempore tanta facta est commutatio, tam multiformis pecuniæ exactio, nec sciri poterat, in quam abyssum tanta pecunia, quæ in Papales procuratores colligebatur, est demersa, quo fidelium circa negotium crucis tepuit, imò potius charitas refriguit generalis*.

Venit Ottho Cardinalis in Angliam Legatus, qui primâ facie, dona recusat, *contra consuetudinem Ramanorum*, inquit Author, & gestu suo populum valdè demulcet. Verum, vix hunc suum gustum dedit, ambabus manibus omnia ad se rapit, ab uno Wintoniensi Episcopo *quinquaginta boves pascuales, & centum summas tritici electi, & octo dolia vini meracissimi accipiens*, & sic de cæteris. Ubi verò adeundum est Concilium in Templo D. Pauli sibi extrui jubet, *sedem fastigiosam nimis & solennem, longis trabibus & sedilibus gradatim exaltatam*. Ibi novas inventiones in plebis, nobilitatisque damnum proponit, his patronatus jura aufert, quæ Papæ asserat, illis beneficiorum partem, quam exteris tribuat; Et hinc in Comitijs novæ in curiam Romanam querelæ; Quin & sacerdotia omnia taxat, in subsidium Papæ contra Fridericum, idque rigidissimarum censurarum pœnâ exigendum & numeratâ pecuniâ voto Palestinæ absolvit: quod Fratres Prædicatores & Minores eâ summa redimendum proponunt, quæ alias in profectionem transmarinam inpendenda fuisset: Exinde, inquit Matthæus, *factum est in populo scandalum cum schismate. Absurdum enim videbatur etiam simplicibus, quam diversis muscipulis simplicem Dei populum substantiâ suâ moliebatur Romana Curia privare, nihil petens nisi aurum & argentum*. Exigit prætereà à toto Clero contra Fridericum quintam redituum suorum partem, & extorquet, Proceribus regni nequicquam apud Regem vociferantibus: *Domine Princeps nominatissime, quare permittis Angliam fieri in prædam & desolationem transeuntium, quasi vineam sine maceriâ, omni communem viatori, ab apris exterminandam?* Rege respondente, *nec volo, nec audeo Domino Papæ in aliquibus contradicere. Et facta est in populis deploranda desperatio*. Nec hic omittendum, comprehensum hoc ipso tempore Cantabrigiæ Carthusianum quendam habitu & gestu, *honestæ vitæ ac severæ habitum prætendentem*, qui Ecclesiam ingredi nolebat: Deducitur hic ad Legatum in Turrem Lonnensem conjiciendus, ab eoque interrogatus: *Gregorius*, inquit, *non est Papa, non est caput Ecclesiæ, sed aliud est caput Ecclesiæ. Ecclesia prophanata est, nec debent in eâ divina celebrari, nisi rededicata fuerit: Diabolus solutus est: Papa hæreticus, polluit Ecclesiam, imò mundum, Gregorius qui Papa dicitur*; Et hæc quidem coram multis Prælatis & Episcopis, qui ab Authore recensentur: *Rogat iterum Legatus, nonne concessa est desuper potestas Domino Papæ solvendi animas atque ligandi, ut vices beati Petri exequatur in terris? Et cum omnes expectarent, quid responderet, credentes judiciũ ab hac suâ responsione dependere, ait sub interrogatione, & non sub assertione: Quomodo possem credere, quod cuidã Simoniali & usarario, & fortè majoribus facinoribus involuto,*

con-

concedatur talis potestas, qualis concessa fuit beato Petro? qui immediatè factus est ejus Apostolus, sequutus est Dominum, non tantùm incessu pedum, sed virtutum claritate? Ad quod verbum erubuit Legatus. Nec eo minus tamen pergit in instituto, adeò ut, Abbates regni Regem accedere cogantur, demisso capite, vultu lachrymis madente: *Domine Rex, suggillamur, nec licet nobis clamitare, jugulamur, nec possumus ejulare: Injungitur nobis à Domino Papa impossibilitas, & exactio toti mundo detestabilis. Sic enim & sic rediviva & semper nova, & inexpectata oritur nobis illata angaria à Romanis excogitata, quæ nos vel ad modicum non patitur respirare.* Conveniunt itaque Episcopi universim & rationibus, quas opponant, se muniunt. Verùm, gratia Regis suffultus Legatus, cui Papæ gratificari ratum, schisma inter eos facit: Quandoquidem, inquit Matthæus, ut prædam facilius capiat, *Gregorius de pecuniâ congregandâ vigil contemplator, ab Angliâ prœdam desideratam expectans, significavit Legato, ut non sicut prius, omnem simul clerum convenire attemperet, ne fortè audaciam alterutrum accipientes, pristinis rationibus & exceptionibus fulciantur contradicentes, imo potius singulatim quemlibet eorum conveniendo flectere conetur: Prius autem omnibus modis constantia Regis enervata, ut qui, cum Clero ante stetit, ei dederat cornua, effœminatus fiat ad ruinam. Hæc cum intellexisset Legatus, de docto factus doctior ad nocendum, Clerum Angliæ universaliter Londinum, authoritate Papæ coram eo, in festo omnium sanctorum convocato,* consequitur tandem quod contendebat. *Factus enim est tanquam oves traditæ rictibus luporum cruentatis, mellitis & super oleum mollitis Legati seductionibus, quas postea in jacula convertit, consensit.* Idem factitabat Gregorius in cæteris Europæ Provincijs, Scotiâ, Daniâ, Franciâ ipsâ, in quibus tamen, pro potestatis suæ modulo, varius ei exitus, multa identidem offendicula: Etenim, vidimus antea, congregatis in Francia pecunijs, cum ad perturbationem rei Christianæ abuti vellet intercessisse D. Ludovicum, pecuniamque intercepisse; & is tamen ad mortem usque in hac pervicariâ perseveravit, vel Matthæo illo teste: *Gregorius*, inquit, *quasi conceptos, quos tamen ipse sibi suscitaverat, dolores impotens sustinere, undecimo Cal. Septemb. viam universæ carnis est ingressus, pro meritis à summo judice recepturus, &c. Dolor maximus, quo Papa Gregorius corde interius pungebatur usque ad mortem, fuit, quod imperator cito post festum Assumptionis ceperat quoddam castrum nepotum & aliorum parentum Domini Papæ in Campaniâ, propè Montfortium, &c. Et in signum talis subversionis, quondam turrim semidirutam reliquit, ut memoria, tam culpæ, quàm vindictæ, nequaquam moreretur.* Ut hoc utique sensu illud Domini nostri sibi tribuere jure videantur, *Zelus domus tuæ comedit me.*

Ab Inncentio quarto ne meliora expectes, novos Pontifices, nova exactionum commenta consequuntur: Vix cathedram insedit, novos illicò, exactores quoquòversus emittit in Angliam, prædium quippe suum, Magistrum quendam Martinum in primis cum potestate excommunicandi & suspendendi: quàm strenuè adeò explicat, ut quicquid Pontifex in beneficijs sibi vindicabat, *ad opus Clericorum & consanguineorum suorum incunctanter obtineat, nec pudebat eum*, inquit, *palefridos concupiscibiles imperiosè exigere & extorquere à Prælatis, maximè a religiosis, præcipientem per literas districtè illi Abbati, vel illi Priori, ut ei equos, quales decebat specialem Domini Papæ Clericum insidere, transmitterent, contradicentes autem & excusationes & causas negationis protendentes, etiam rationabiles utpote Abbatem de Malmelsburiâ & Priorem de Mertona suspendendo, usque ad plenam satisfactionem graviter punivit.* Tandem, harum consimilium extorsionum pertæduit Regem ipsum, qui postquam nullam non subjectionem Papæ, Legato adeò ipsius in suo solio collocato, exhibuit

hibuit, ad universæ Ecclesiæ querimoniam non potuit non commoveri: Et eo sanè confidentiùs, quod camerâ Pontificis Lugduni fortè conflagrante, chartulam illam, quâ Rex Iohannes Angliam Papæ vectigalem fecerat, in cineres redactam intellexit. Itaque convocatis Comitijs, de regno benè constituendo, deque reformandâ justitiâ præclarum consilium init. *Diabolus*, inquit Matthæus, *hostis humani generis, pacis perturbator, & schismatum suscitator, hæc omnia per Papalem avaritiam infeliciter impedivit. Credens enim Dominus Papa quòd flexibiles Angli colla sua jam dictæ contributioni, juxta consuetudinem suam subdidissent, tum propter Regis aviditatem, tum propter petitionis instantiam, misit à latere suo quendam Clericum suum Magistrum Martinum, quem propter improbam rapacitatem suam multi magistrum Mattinum appellarunt, habentem novam & inauditam potestatem, videlicet ampliorem quam unquam meminimus aliquem Legatum habuisse. Manus enim extendit ad contributionem exigendam, provisiones secundum mentis suæ impetum ratione relegata ad opus ignotorum faciendas, redditus violenter extortos consanguineis Domini Papæ conferendos, authoritate Papali truculenter armatus, cujus novas chartas secundum desiderium suum, & secundum repentini casus emergentis negocium, singulis diebus ostendit. Unde fuerunt qui dicerent ipsum habere multas schedulas non scriptas, tamen bullatas, ut in eis quicquid ei placeret, scriberet, quod absit.* Verùm, *missus est iste Legatus Sophisticus ad Regem primò supplicans ei, ut & ipse vicem reddens Domino Papæ diligenter insudaret, ut Prælati Angliæ ad contributionem Domino Papæ faciendam generaliter consentirent, ad minus ad compromissionem & festinam solutionem decem millium marcarum:* Respondet Rex, Barones & Prælatos suos tam frequenter suis bonis varijs prætextibus spoliari, ut deinceps quidquam constituere nec velint, nec possint, *nec mihi Regi suo nec Papæ volunt, vel valent contribuere:* qui tamen mihi auxilium promiserunt. Et ad hæc Mag. Martinus valdè conturbatus à conspectu Regis recessit: At cum literas suas Prælatis exhibuisset. *Rex*, ajunt, illi *Dominus & patronus noster & multarum Ecclesiarum nostrarum fundator & instaurator, thesauro destitutus, rogat auxilium ad defensionem & munimen regni, id est, Reipublicæ, & hoc idem Dominus Papa postulat instanter pro ipso Rege. Supervenit autem alia Papalis non expectata postulatio, hinc impetimur, illinc perurgemur, hinc premimur, illinc coarctamur, & quasi inter incudem & malleum conterimur, & velut inter duas molas exagitamur.* Urget nihilominus magister Martinus, *& instat vigilantissimè & incessanter, redditibus quomodo libet ad opus Papæ, Papalibusque consanguineis congregandis, ac conferendis, de cujus protervià & injuriosâ rapacitate, honestius & tutius esse, ob reverentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ arbitror silere, quàm aures offendere audientium, & mentes fidelium alia enarrando perturbari.* Interim Portus Angliæ arctissimè observantur, ne Papæ cursores ullas amplius Româ expeditiones afferant. Inter quos quidam Dobræ interceptus, qui multas Bullas afferebat, multas, inquit Matthæus, *abominationes de diversis argumentis emungendi pecuniam continentes*, unde Rex inexplebilem curiæ Romanæ cupiditatem detestatus, in futurum prospecturus eximios quosdam viros ad Concilium Lugdunense, universi regni nomine, delegandos statuit. Intereà verò Martino illi per quendam Fulconem Varinum significatum, ex Angliâ ut confestim discederet: Rogat ille à quo habeat id mandati: Respondet, ab ijs qui nuper Luithonæ armati convenerant, si saperet ne triduum differret. Accedit demùm Regem ipsum, rogatque num eo authore id fiat: Negat Rex: Se tamen Barones suos continere vix posse, quin in seipsum insurgant, qui in regno suo tanta latrocinia tolerârit: Martinus tremebundus salvum

conductum in Papæ honorem postulat: Rex stomachabundus respondet: *Diabolus te ad inferos inducat & perducat: Iussit tamen cuidam Marescallo palatij sui, ut ipsum usque ad mare salvum perduceret.* Romam jam ut redijt, casum hunc suum Pontifici enarrat; En verò tibi quâ pœnitentiâ tangatur. *Rex*, inquit, *tam Francorum, quàm Aragonum ingressum regnorum suorum, Nuntiis nostris vetuerunt, expedit* ergò, inquit, *in iracundiâ magnâ, ut componamus cum Principe Friderico, ut hos regulos conteramus recalcitrantes: Contrito enim vel pacificato dracone, cito serpentuli conculcabuntur; voce susurra*, inquit Matthæus, *oculos obliquando & nares corrugando*, (ita hominis bilem describit) quod verbum in vulgus expressum *in multorum cordibus offendiculum indignationis generavit.* At Regni Anglici Oratores, ut Lugdunum ad Concilium convenere, partim Gulielmi de Powere verbis, partim amplissimâ Epistolâ exponunt, *quantum extortum tributum injuriose:* Mox verò post solennia ad Pontificem verba: En ajunt, *per vos & prædecessores vestros nullam considerationem habentes quod præter subsidia supra dicta, jam ditantur in Angliâ Italici, quorum est jam numerus infinitus, Ecclesijs ad ipsorum religiosorum spectantibus, patronatus, qui rectores Ecclesiarum dicuntur, præfatos religiosos, quos deberent defendere, relinquentes penitus indefensos, nullam curam animarum gerentes, sed lupos rapacissimos gregem dispergere & oves rapere permittentes. Unde verè dicere possunt, quod non sunt boni pastores, quoniam oves suas non cognoscunt, nec pastorum notitiam oves habent, hospitalitati eleemosynarumque largitati, sicut statutum est, in Ecclesiis non insistunt, percipiunt tamen in Angliâ sexaginta millia marcarum & eo amplius annuatim, aliis perceptionibus diversis exceptis, plus emolumenti meri redditus de regno reportant, quàm ipse Rex qui est tutor Ecclesiæ, & regni gubernacula moderatur. Porrò post creationem vestram firmiter sperabamus, & adhuc speramus, eam de vobis fiduciam reportantes, quod vestræ paternitatis misericordiâ mediante gaudebimus, eleemosynas nostras prædictas tempore vestro fore statui debito & pristino reformandas: Sed tacere non possumus gravamen nostrum, quo non solùm gravamur, sed etiam opprimimur ultra modum;* In id perorantes, ut quanto citius his medeatur; præsertim *violentæ oppressioni, intolerabili gravamini, & impudenti exactioni, quæ per hanc invisam adjectionem Papalibus literis frequenter insertam, non obstante, exercetur.* Sed Pontifex responsionem in longos dies rejicit, nec animi ægritudinem dissimulare potest, quod apud Concilium conquesti sint: si Fridericum semel compescuisset, *Anglos eorumque Regem pedibus se conculcaturum*, inter familiares minitatus. Urgent igitur Angliæ Legati responsionem, quibus per intermedium quendam respondet, non posse eos impetrare quod postulant. Quibus eo magis protestantibus, se *detestabile illud tributum* nunquam soluturos, emissarios suos furtim in Angliam mittit, qui unicuique sigillatim Episcopo *deplorabilem* illam Regis Iohannis *chartulam* subsignandam proponant; nempe, ut fit verisimile, cujus Authographum in Lugdunensi incendio concrematum, exemplari eâ ratione authentico supplere posset: Verùm, Rex, ut hoc intelligit, quicquid Episcopi fecerint, etiam cum vitæ periculo, se nunquam soluturum jurat; Addit verò Author, in colloquio quod Innocentius Cluniaci cum D. Ludovico habuit, omni arte conatum Innocentium Regi persuadere, ut contumeliam suam ulturus, *ipsum regulum* Anglorum bello peteret, seu regno spoliandum, seu Curiæ Romanæ arbitrio, vellet, nollet, submittendum: hoc si faceret Ecclesiam & Papalem authoritatem omnibus viribus in ejus auxilium incubituram; Quod tamen Rex Franciæ constanter denegasset.

Matthæus Paris.

Sequenti anno novæ prodeunt ad Papam & Cardinales commonefactiones, additis Regis, Ordinum, & Prælatorum literis, quibus innumera gravamina exponuntur, quorum capita apud eundem Scriptorem extant. Nova hæc in primis, quod Papa Prælatis per literas mandaret, proprijs quisque impensis milites equis & armis instructos, sibi ubi vellet, militaturos suppeditarent; hic quinque, ille decem, alius quindecim, &c. quibus annuum stipendium persolverent: quod quidem militare servitium soli Regi debitum, & eâ tamen lege, ut numeratâ pecuniâ eo sese redimere possent. Item: Quod, ne Rex id impedire posset, Nuntij Pontificis, Prælatis, in Principis fraudem, sub anathematis pœnâ, interdixerant, ne cuiquam hanc exactionem intra sex menses detegerent. Innocentius igitur quasi in Regis contemptum, quàm procul ut illa revocet, novum in Angliâ statutum condit: *Quod bona intestatorum in usus ejus cederent & ad hoc fratres Prædicatores diligenter exequendum constituit*: Quod Rex resciens *detestatus Romanæ curiæ argumentosam, multiplicem ac multiformem avaritiam*, disertè inhibet. Quin & tributum Papę deinceps pendere interdicit: Papa verò eo gravius commotus, de Rege, regnoque anathemati subjiciendo cogitat. Hîc Cardinalis Iohannes Anglus, Monachus Cistertiensis, *Domine pro Deo parcatis iræ vestræ, si dicere licet, indiscretæ, frenoque temperantiæ motus voluntarios compescatis, considerantes quoniam dies mali sunt: Terra sancta patet discrimini, Græca Ecclesia recessit à nobis, adversatur nobis Fridericus, quo non est potentior, imò nec par inter Principes Christianorum. Vos & nos qui culmen sumus Ecclesiæ à sede Papali, imò ab ipsâ urbe, imò ab Italiâ exulamus expulsi. Hungaria cum suis terris sibi conterminis nihil aliud, nisi à Tartaris expectat exterminium: Alemannia suis bellis concutitur intestinis: Hispania usque ad abscißionem linguarum Episcopalium desævit: Francia usque ad egestatem per nos jam depauperatur, quæ etiam in nos conspiravit: Anglia nostris injurijs multoties læsa, quasi asina Balaam, calcaribus & fustibus cæsa, tandem loquitur & obloquitur, & se nimis & intolerabiliter conqueritur fatigatam & irrestaurabiliter damnificatam. Ismaelitico igitur more, omnibus odiosi, omnes ad odium provocamus; & cum nec ad hæc verba, mens Papalis contrita, ad compassionem vel humilitatem inclinaretur, quin ad pœnam & ultionem inflammaretur, advenerunt nuncij ab Angliâ, animum Papalem emolumentis inhiantem mitigantes; & affirmantes quod per amicos suos specialissimos in Angliâ, incurvatus est animus Regis, ut, quod optat, effectui Cleri mancipetur, unde gaudium vultum & animum ejus mirificè serenavit.* Inter moras tamen, spe in audaciam versâ, Prælatis Angliæ *solito imperiosius* præcipit, ab omnibus beneficiarijs residentibus trientem suorum redituum persolvi curent, à non residentibus dimidium, cum hac detestabili clausulâ: *Non obstante*, &c. *quæ omnem justitiam extinguit.* Urgendis verò his exactionibus delegantur Iohannes & Alexander fratres Minores, *qui multis bullatis literis Papalibus armati, & sub ovino vellere lupinam rapacitatem palliantes, post ad Regem simplici intuitu, vultu demisso, sermone blando pervenientes, per regnum vagandi postulabant auxilium, ad opus Domini Papæ charitatem petituri, nullam se coertionem facturos asserentes.* Verùm, non multo post comparuerunt donis Cleri insolescentes, *nobiles mannos obsidentes, sellis deauratis falerati, prætiosissimis vestibus adornati, calciamentisque militaribus, qui vulgariter Heusees dicuntur, seculariter imò potius prodigaliter calceati & calcarati, qui in læsionem & opprobrium ordinis & professionis suæ profecti sunt, officio & tyrannide fungentes Legatorum, & procurationes exigentes & extorquentes viginti solidos pro procuratione parum reputarunt. Adeuntes igitur primò præcellentiores Angliæ Prælatos, pecuniam*

ad opus Domini Papæ sub pœnâ formidabili procaciter exigunt, terminum responsionis vel solutionis nimis abbreviantes, literas Papales fulminantes ostendendo quas quasi cornua minacia protulerunt. Adeò, ut Lincolniensis Episcopus, qui Minorum Ordinem semper protexerat, eique se adjungere in animo habuerat, *videns tam monstruosam transformationem*, totus obstupesceret. Sed eo impensius, quòd ex suo solo Episcopatu sex mille marcas postularent. Nec tamen Papa, Lugduni ejus rei admonitus, quidquam commovetur, quicquid illi, omne rigorum genus experti, suam Sedem appellent. Sed de his tyrannicis exactionibus, si quæ à Matthæo narrantur, nobis afferenda essent, producendus esset ipse totus. Satis sit, conclusionis loco, ejus verba proferre, quibus miserabilem Ecclesiæ Anglicanæ statum sub Gregorio & Innocentio describit. Sub Gregorio quidem: *Temporibus illis ingruentibus*, inquit, *igniculus fidei cœpit nimis refrigescere, ut pene in cinerem redactus, vix videretur scintillare. Iam enim Simonia sine rubore perpetrata, usurarij manifestè diversis argumentis à popularibus & minoribus pecuniam impudenter extorquebant. Expiravit charitas, libertas Ecclesiastica emarcuit, religio viluit, suppeditata & facta est filia Sion quasi meretrix effrons, pudorem non habens.* Et de curiâ Romanâ propriè loquitur, in injurias ipsius sese effundens, quas uno verbo perstringens: *Armato supplicat ense potens: Melius esset nobis mori, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum. Sed hæc Anglis flagella, multiformes reatus procurarunt, irato eo, qui regnare facit hypocritam propter peccata populi & tyrannum dominari.* Sub Innocentiò verò, *heu, heu modò comtemptis regni naturalibus, viris sanctis, literatis & religiosis, intruduntur alieni, honore quolibet indigni, literarum & idiomatis Anglicani penitus ignari, confessionibus & prædicationibus omnino inutiles, nec compositi, nec moribus informati, pecuniæ extortores, animarum contemptores. Quondam sancti viri religiosi & literati, Spiritu sancto cooperante & revelante ad Cathedras, licet renitentes, trahebantur, quas per fas & nefas aulici, tribunales vel barbari occupant violenter. Omnes jam domus, ad quas electio pertinet Pontificalis, ob id ipsum destruuntur: Patronatus oneri est jam, non honori, damno non utilitati. O Papa patrum Pater, & quid permittis Christianorum climata talibus inquinari? Meritò igitur, meritò ab urbe & sede pulsus propriâ, tanquam & profugus alter Cain, cogeris exulare, prosperantur hostes tui, Fridericales fugis fugantes, & qui te persequuntur sunt veloces & potentes. Ubique in tibi subjectos tua bulla fulgurat, sed vilescit apud rebelles. Ubique suspensis à beneficiorum collationibus Prælatis jubentur fieri provisiones: Sed indignis, barbaris & ignotis, qui ab ovibus ovilis dominici lac quærentens carnes & vellera tondent, radunt, excoriant eas, & eviscerant. O Deus ultionum Domine, quando exacues, ut fulgur, gladium, ut cruore talium inebrietur?*

In Franciâ Innocentius regnante D. Ludovico, licet apud eum hospitaret, non nobis æquior; Et hic Matthæus ipse audiatur. Vix Lugdunum ingressus, inscio Capitulo, præbendas vacantes donâre vult: Canonici apertè intercedunt, & minantur Donatarijs si illas adeant, non posse Archiepiscopum impedire, quin eos in Rhodanum præcipites dent. Verùm, ut ulteriùs progreditur, graviores quique commoventur. *Etenim*, inquit, *videbant omnes & singuli, & videntes sentiebant, ipsum Dominum Papam pecuniæ, & pecuniarum rapinis in multorum damnum, & depauperationem insatiabiliter inhiare. Nec credebant jam multi ipsum potestatem beato Petro concessam cœlitus, videlicet ligandi & solvendi obtinere, qui penitus beato Petro dissimilis probabatur. In Franciâ multi Nobiles in ipsum Papam & Ecclesiam, quod nunquam meminimus eveniße, conspirabant, sicuti in hac chartulâ, quę Gallicâ linguâ*

con-

conscribitur, *poterit considerari*, Quæ ibi integra extat. Summa est, omnes confœderatos, quorum sigilla scripto illi appensa, sese eo instituto consociâre, ut sua jura adversus Curiam Romanam asserant, & Principes fœderis eligere, Ducem Burgundiæ, Comitem Petronem Britanniæ, & Comites Engolismi & S. Pauli, qui, si quis ex fœderatis opus habeat, subsidio necessario adjuvet, idque, ajunt, quod Clerus eos pejoris conditionis faciat, quàm Ethnicos, de quibus Dominus dixit: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris & Deo quæ sunt Dei: novisque his consuetudinibus antiqua sua privilegia extinguit, cum sanè non per superbiam Cleri, sed per sudores militum, hominumque bellicosorum, partum fuerit regnum: Quod Papa ubi rescivit, veritus, ne id communicato cum Friderico consilio fieret, nihil consultius putavit, quàm ut gravamina illa tolleret, & præcipuos quosq; beneficiorum largitione demulceret; Nec eo minus tamen Fratres Prædicatores & Minores per totam Galliam ad Prælatos emittit, qui à singulis, ejus nomine, mutuam pecuniam exigant, quam, ubi respirare potuerit, redditurum polliceantur: *Sed Rex Ludovicus suspectam habens Romanæ curiæ avaritiam, prohibuit, ne quis Prælatus regni sui sub pœnâ amissionis omnium bonorum suorum, taliter terram suam depauperaret*, Sicque regno excedunt *Papales Legati sophistici, inanes & vacui, cum sibilo & derisione omnium.* At, inquit Matthæus, post innumeras extorsiones *æterno silentio dignos*, indulsit Papa D. Ludovico Regi, in favorem sacræ expeditionis, decimam, ut per tres annos exigeret, eâ conditione ut trienio sequente, parem ipse acciperet: quæ eo rigore extorta fuit, ut Clericus, qui viginti solidos annui reditus haberet, & inediâ conficeretur, duos persolvere immisericorditer cogeretur: cujus & sævitiæ multa exempla profert: Quod verò tantas extorsiones in suo regno à Papa exerceri D. Ludovicus aut permitteret, aut toleraret; ultramarinam haud dubiè expeditionem ei tàm infœliciter cessisse credebatur. Executores porrò illarum, ut plurimùm, novi hi Fratres Prædicatores & Minores, perpetui Paparum Telonarij, qui interim sese mutuò rodebant; *Et quod terribile est*, inquit, *& in triste præsagium per trecentos annos vel quadringentos vel amplius ordo Monasticus tam festinanter non cœpit præcipitium, sicut eorum ordo, quorum Fratres jam vix transactis viginti quatuor annis, primas in Angliâ construxêre mansiones. Morituris magnatibus & divitibus, quos norunt pecunijs abundare, diligenter insistunt, non sine ordinariorum injuriis & jacturis, ut emolumentis inhient, confessiones extorquent & occulta testamenta, se suumque ordinem solum commendantes, & omnibus aliis præponentes: Unde nullus fidelis, nisi Prædicatorum & Minorum regatur consilijs, jam credit salvari, in acquirendis privilegiis solliciti, in curijs Regum & Potentum consiliarii, & cubicularij, & thesaurarij, paranymphi & nuptiarum præloquutores, Papalium extorsionum executores, in prædicationibus suis vel adulatores, vel mordacissimi reprehensores, vel confessionum detectores, vel incauti redargutores.* Hic, quis Jesuitarum nostrorum veram imaginem non agnoscat? Et ibi consequenter describit, quantis privilegijs à Pontificibus in eos usus inservituri, cohonestarentur, quæ & hoc loco & alibi legere liceat. Notat Matthæus, cum Regem Norvegiæ devotum esse detexissent, *magna industria acquisivisse petram quandam albi marmoris*, quam magno pretio se redemisse dicerent, in qua plantam pedis Domini in cœlum ascendentis impressam fingerent; ostentasse alios sanguinem Christi & lac Virginis Mariæ: In primis illis Ecclesiæ seculis, Lector, cum recentiora omnia, qui fit, ut nil tale occurrat? Et quis igitur meras nugas, imposturas dubitet? Addit interim bonus Monachus: *In his diebus multi generati per incubos:* Hoc

cum eodem contextu, quid ſubaudiendum ſit, nemo non intelligat.

In Orientem adeò ipſum Gregorius manus ſuas exporrigere tentat. En verò quo ſucceſſu. Occidentales hoc ſeculo Conſtantinopolim bello ceperant, & Balduinus Imperio potîtus, Eccleſiam Conſtantinopolitanam Romanæ ſubjecerat, eâ ſpe, Pontificis in novo regno firmando, præſidium eo magis præſtò futurum; & reſtabat tantùm, ut controverſiæ de religione componetentur. Itaque Germanus Patriarcha Gregorio ſcribit, nihil illi optatius, quàm ut de illis cum eo conferat, paratus, provectâ licet jam ætate convenire quocumque opus foret: At, inquit, *quia nemo unquam in propriâ facie exiſtentem turpitudinem videre poteſt, niſi ſuper ſpeculum ſe inclinaverit, aut ab alio certificatus fuerit, qualiter ſe circa faciem habeat ſive turpiter, ſive non: habemus ſpecula multa & magna lucidaque, clarum videlicet Chriſti Euangelium, Apoſtolorum Epiſtolas, libros Theologorum, Patrum: Inſpiciamus in eis, ipſa oſtendent nobis qualiter unuſquiſque ſentit, ſive nothe, ſive legitimè.* Idem ad Cardinales & quidem ampliùs: *Mentibus*, ajunt, *noſtris ſcrupulum generat offendiculi, quòd terrenis tantùm inhiantes poſſeſſionibus, undecumque poteſtis abradere, aurum & argentum congregatis, diſcipulos tamen ejus vos eſſe dicitis*, nempe Petri, *qui ait: Aurum & argentum non eſt mecum: Regna vobis tributo ſubjicitis, negotiationibus numiſma multiplicatis, actibus dedocetis, quod ore prædicatis. Moderetur vos temperantia, ut ſitis nobis & omni mundo exemplum & exemplar, &c.* Sed enim Gregorius reſpondens ſuum illud*, *Tu es Petrus*, in ſolutum dat, ſolo Primatus nomine eum ſibi proterendum putat. Quippe dicebat Germanus: *Diviſio noſtræ unitatis proceſſit à tyrannide veſtræ oppreſſionis & exactionum Romanæ Eccleſiæ, quæ de matre facta noverca.* At Gregorius ad hæc, ad ſe ſolùm quæſtionum de fide deciſionem pertinere: Cæterùm *utrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem, ex Euangelicâ lectione tenêri materialem & ſpiritualem: ubi dictum, Ecce duo gladij*; quàm bellè quæſo Græcos hac methodo converſurus: *His autem ſalutaribus monitis*, inquit Matthæus, *auditis, ſed non exauditis, non ſe Græci Eccleſiæ Romanæ ſubdiderunt, fortè tyrannidem & avaritiam ejus pertimeſcentes, ſuper quo Dominus Papa & Cardinales tractatum habentes diligentem, propoſuerunt exercitum Cruceſignatorum univerſalem ſuper eos reflectere. Et factâ prædicatione ſignati ſunt nonnulli, ſuper Græcos præcipuè Conſtantinopolitanos profecturi.* Subjungit verò: *Hoc ſchiſma & diſſidium inter Romanam Eccleſiam & Græcam tale ſumpſit ſeminarium. Quidam Archiepiſcopus electus canonicè ad quendam nobilem Archiepiſcopatum in Græciâ vel poſtulatus, Romam adiit confimandus, nec potuit exaudiri, niſi pro impetratione illâ infinitum aurum promitteret. At ipſe deteſtans proſtantis Curiæ Simoniam, infecto negocio receſſit, & hoc toti Græcorum nobilitati nuntiavit; Et alij qui Romam adierant teſtimonium de ſimilibus aut deterioribus perhibebant, & ſic omnes à ſubjectione Romanæ Eccleſiæ tempore Gregorij iſtius receſſerunt*; Mox & judicium ſuum interponit. *Viſâ tantâ malitiâ & oppreſſione, erigitur Græca Eccleſia contra Romanam, Imperatorem ſuum expellendo, & ſoli Archiepiſcopo ſuo Conſtantinopolitano, nomine Germano obediendo.* Non multo poſt & Patriarcha Antiochenus eadem veſtigia acrius inſecutus, Gregorium adeo ipſum excommunicat, *ſe ſuamque Eccleſiam ſolenniter prædicando tempore & dignitate Domino Papæ & Romanæ Eccleſiæ præponit, & eſſe, & fuiſſe Romanâ Eccleſiâ excellentiorem, eò quod Petrus Apoſtolus primò Eccleſiam Antiochenam cum ſummo honore rexerat per ſeptennium, ibidem cum ſummâ quâ decuit, receptus reverentiâ, & ſimiliter honorificè incathedratus, Romæ verò fuit multis injuriis, & conviciis multipliciter laceſſitus, tandemque ſub Imperatore Nerone paſſus,*

cum

cum coapostolo suo sancto Paulo speciali Græcorum doctore diræ mortis supplicium consummavit. Potestatem ligandi & solvendi liberaliter potius Ecclesiæ Græcorum contulit, quàm Romanæ, quam Simoniæ & usuræ, avaritię & aliorum facinorum maculis constat jam sordere. Et hæc in Oriente.

Quid si igitur nec Romani ipsi vocem continere possunt? Sanè Gregorio interdictum intentante, obloquuntur, Urbem interdicto subjicere, nullam ob causam ei licere obtestantur; Et regerebat ille, *quod minus esset Deo, sed quolibet homine major; ergo major quolibet cive vel etiam Rege, vel Imperatore.* Secundò exigebant Magistratus & Senatores annuum ab Ecclesiâ Romanâ tributum, quod ipsi ad Gregorium usque, novo & antiquo jure perpetuo usu cæperant. Respondebat ille, donum gratuitum illud fuisse, quod Ecclesia sub persecutione, Magistratibus largiri solita, ut pacem redimeret, quod in consuetudinem abire non debeat, cum tot jam seculis nulla Romæ persecutio, nisi quam in alios ipsi Pontifices exercent. Si huic juri non aliud fundamentum, quis non multis retrò seculis occlamaturos, quis non extincturos dubitet? Tertiò, Comitatus, seu jurisdictionis suæ fines ita porrigebant Romani, ut Viterbium, Montaltum & alias Urbes & oppida, quæ ad Ecclesiam pertinere dicebantur, includerent; Respondebat ille, aliena ab illis usurpari, *& Christum in cruce suo sanguine ita liberam fecisse Romam, ut nec portæ inferni prævalant adversus eam*; Lepidam Papæ Theologiam nota Lector. Ex his igitur causis, inter Pontificem & Romanos contestatâ lite, Urbem cum Cardinalibus deserit, & Perusiam petit: inde verò anathema in Romanos detonat, unde bellum & multiplex conflictus, & per multos annos sanguinis Christiani larga effusio, uti apud eundem authorem videre est. Quare nec Innocentius ipse Romæ pedem figit, & Lugduni Concilium assignat; quin & per Legatos Henricum tertium Angliæ Regem rogat, ut Burdegalis commorâri sibi cum ejus bonâ veniâ liceat, quod fratres D. Ludovici apud infideles captivi eum ad pacem cum Friderico vehementius hortarentur: At, inquit Matthæus, prudentiores quique in Angliâ, talem hospitem reformidarunt, *quia posset in brevi tempore per navigium in Angliam navigare, & illam præsentiâ suâ deteriorare, & ut timetur, coinquinâre.* Quod & supra Cardinalis Iohannes Cisterciensis Monachus in suâ ad Innocentium commonefactione, *Nos*, inquit, *à sede Papali, imò ab ipsâ urbe, imò ab Italiâ exulamus expulsi.*

Verùm, ut in Germaniam præcipuè venenum suum ejaculabantur, ita nativa sua vis, quam strenuè extraneam illam excutere conaretur, in primis notare juvet. Et Gregorius quidem, quod vidimus, Fridericum evertendum quasi redemerat: Non dissimulans florere magis imperium Germanicum, quam suis rebus conduceret: Sed, inquit Aventinus, Germanicorum Episcoporum opera commodè id perficere non poterat; Et rationes audire operæ prætium: Quia, *erant illi in universum amantiores artium, atque boni publici, ac nondum servituti obnoxij: non ita ut nunc fugitantes laborum, socordię, inertiæ, ocio atque voluptatibus devoti: sapientiæ operam dabant, libris incumbendo, Christum amando, oves sedulo pascendo, Rempublicam procurabant, Christianæ concioni consultabant. Etenim hujusmodi sacerdotia atque Pontificatus fuisse primum beneficia Cæsarum atque Imperatorum & Principum nostrorum: deinde ab Imperatoris Henrici quinti tempore Comitiis calatis atque curiatis viritim suffragiis latis, lectos esse communiter à populo sacerdotibusque universis communes animorum pastores, demùm Friderici hujus ætate excluso populo, cæterisque sacrificulis, duntaxat mystis imponi Pontifices cœptum esse, supra explanavimus, quas ob causas illius tempestatis Episcopi in titulis, initiis Epistolarum atque Decretorum,* Avent. l. 7. Annal. Boiorum.

non

non uti nunc fit ascribunt, Apostolicę sedis gratia, nimirum favore humano, sed more Pauli clementiæ duntaxat divinæ id munus atque donum acceptum referunt, &c. Ergo hoc *institutum tollere & antiquare, Episcoporum authoritatem labefactare, ad unius cuncta potestatem redigere complacitum est, nec enim aliter Fridericus opprimi poterat, quem illi suum charissimum atque pientissimum Principem propalam prædicantes, nequaquam salvo rerum statu deserturi videbantur.* Ut igitur, inquit, Fridericus domitâ Austriæ rebellione, Taurinum hybernaturus venit, Gregorius, consilio cujusdam Matthæi Prædicatoris, *(ut nihil hoc genus hominum, sicut vulgo dici solet, non audet)* fœdus cum Iacobo Tiepolo Venetorum Duce init, pellectis in idem Episcopis Mediolanensi, Bononiensi, Brixiensi & alijs in Lombardiâ, quibus Gregorium de Montelongo Ducem præficit, ut primâ quaque occasione, in apertam rebellionem erumpant. Ne verò Germania Friderico suppetias ferat, Principes & belli Duces in Germaniâ corrumpit, ut quemque avaritiâ aut ambitione duci intelligit, quibus decimas, aliaque bona Ecclesiastica distribuit, unde, contra Episcopos suos, quasi ex maleficio obligatos & sibi obnoxios habeat, eoque suis & Fratrum Prædicatorum technis, pravis hominum affectibus ad suam libidinem abutentium rem perducit, ut Germaniam in propria viscera ensem stringere cogat. Quare rebus ita compositis in anathema contra Fridericum erumpit: zeli prætextu, ruunt in arma Italiæ conjurati. Concurrunt eodem tempore in Germaniâ perduelles, præcipuâ authoritate pollentes, incentoribus ejus Legatis, extimulante præsertim Alberto Beham, Ecclesiastico nobili, fastigioso pariter & docto, cui jurejurando prius sibi clanculum adstricto, totius negotij curam in quadriennium commiserat; tribus potissimum Bullis in id operis communito: Prima erat, invectiva contra Fridericum Principem, ut ajebat, de Christo perperam sentientem, cui non alius scopus, quàm ut religionem Christianam evertat, quod ut facilius consequatur, Papam & Cardinales in summam paupertatem adducere nitatur; Secunda: Sacrum cultum omnibus Friderici sequacibus interdicebat, omnesque ejus officiarios, vassallos, subditos, fidelitatis Sacramento solutos pronuntiabat; Tertia, omnibus cujuscumque generis & conditionis, ne eum verbo, facto, aut voluntate adjuvârent, indictâ æternæ damnationis pœnâ, prohibebat. His verò Bullis ut robur adderet, dona, beneficia, dignitates, ejus arbitrio dispensanda permittebat, unde consiliarios & secretarios Principum: prout quemque industrium nosset, corrumpere faciliùs posset; Et hîc Aventinus circumstantias omnes sigillatim enarrat. Erumpit tandem in Germaniâ profunda hæc conspiratio, eodemque tempore Prædicatores hasce bullas circumferunt: Sed ex alterâ parte, Conradus Friderici filius bonos quosque ad se vocat, Principes & Urbes imperio fideles ad officium invitat, seseque ad defensionem seriò componit. Ex omnibus Episcopis, ad quos Bullæ illæ perveniunt, nemo Pontifici paret, ex Abbatibus nihilo plúres, ad hanc novitatem omnes obstupescunt, incandescunt omnes, ac publicè protestantur, *nullum jus esse Romano flamini absque consensu Pontificum Germaniæ in Germaniâ; suos*, inquiunt, *Romanensis Sacerdos pascat Italos: Nos à Deo constituti canes à nostris ovilibus lupos ovinâ pelle tectos arcebimus: Quid alijs facturus sit, hinc discite, si nos fratres suos & collegas, ille personatus vicarius, ita accipiat.* Et in eundem sensum Sigefridus Reginoburgensis Episcopus & alij coram Othone ipso Bavariæ Duce, frequenti concione, qui proprijs impensis, *se quotannis sexcentos equites alituros Imperatori Friderico Christianissimo pientissimoque atque òptimo Principi professi sunt.* Sic Conradus Episcopus Frisingensis, sic Eberardus Salisburgi, Rudigerus Bathavij

thavij Episcopi: hic adeò, ut eum, qui bullas in ipso Templo sibi tradebat, impacto colapho in carcerem conjiceret. *Itaque Albertum istum* (inque eo Pontificem ipsum) *hostem Reipublicæ Christianæ, pacis conturbatorem, hypocritam pessimum, falsumque Prophetam pronuntiabant.* Nec his contentus Eberardus, Fridericum Austriacum cum Imperatore conciliat: & Papa quidem Austriacum excommunicat, sed Eberardus illico absolvit. Othoni porrò Duci Bavariæ scribit, nihil cum Deo gratius posse præstare, quàm si Albertum illum *serpentem in sinu* ex ditionibus suis expellat; Inde & Episcopus Bambergensis Alberti emissarios intercipit & spoliat; Brixinensis Alpium aditus, ne Romam accedant, intercludit; Idem & Alteichensis, quem, quod pro Friderico Deum orasset, anathemate perculerat, *Omnes*, in summâ *Episcopi, non solùm ejus mandata in dubium revocarunt, sed ipsum etiam veluti osorem Christianæ concordiæ, hæresiarcham perniciosissimum, per omnium sacerdotum, monachorum religiones devoverunt, deteriorem Turcis, Iudæis, Saracenis, Tartaris prædicabant; ea fieri auspicio Romani Pontificis apud Christianos, præter fas & æquum, contra leges, contra intercessiones, adversus auspicia, jus gentium, doctrinam Christi, quæ nec apud immanissimos Tartaros committerentur, vociferabantur.* Eo ventum, ut *Reginoburgensis & Bathavensis Episcopi cruce signatas copias adversus Albertum ducerent.* Quare & ipse Bavariæ Dux, apud quem ei perfugium, jam labascere, acceptis præsertim ab Imperatore Friderico ex Italiâ literis, quibus læsæ majestatis reum expellere jubebatur; Quæ omnia à vetulâ quadam devotâ (Catharina Beguta ei nomen) & ab Henrico nescio quo adolescente, Papa resciebat, ab Alberto in Italiam identidem transmissis. In his tandem angustijs ad superstitionem confugiunt. Erat Agnes Ducis uxor *religiosa*, superstitiosam verius dixisset; Albertus per Henricum Ducis Secretarium, Monasterij Præpositum & Theodoricum Otholinum familiarem Bresbyterum, ei imponit. Affirmantibus *istis se pridie Calendas Maij noctu quam pervigilio Legatis & auditoribus Christi D. Jacobo & Philippo celebrassent, cum concoxissent, bis per quietem atque somnium vidisse ensem Alberto cœlitus demissum, Deiparam Virginem, reliquos Christi Comites eburneos, qui inscripti aureis literis, omnia Acta Alberti probarent, confirmarent, authoresque fierent omnium, quæcumque is inceptaret, aut moliretur.* Inde serpente audaciâ Augustanum & Eichstatensem Episcopos, omnes suarum ditionum urbes, quæ militem Friderico suppeditârant, Ecclesiæ communione privarî jubet: Sed tamen non obtemperat quisquam: Landshutam demùm eos convocat: nemo etiam comparet. Mandat denique Gregorius, in ejus favorem Canonicis & Religiosis, alios Antistites sibi deligant: nec hi quidquam commoventur: aliquot tandem ex unaquaque Diœcesi Romam citat, eos præsertim, quos Albertus designabat: nemo ad profectionem se accingit: Intereà Eberardus Salisburgi, & Radigerus Pathavij Episcopi, Othonem Ducem Bavariæ adeunt, officij sui admonent, Imperatoris gratiam ei pollicenter rogantque, ut suo conventui, Ratisbonæ indicto, de Republicâ cum pluribus Episcopis deliberaturus interesse velit, quod & ipse annuit: Tunc sanè Eberardus Archiepiscopus Salisburiensis in concione, quæ apud Aventinúm integra extat, sinum aperit, præfatus enim, Christum tesseram nobis, quâ à cæteris dignosceremur reliquisse, studium pacis: *Summo opere*, inquit, *admonuit quoque, uti falsos Christos, falsos Prophetas vitaremus, qui tecti pelle ovinâ, nimirum Christiano nomine, atque Pontificio titulo, nobis dominari atque illudere cuperent. Quos e spinis atque operibus, nempe avaritiâ, luxu, contentione, odio, invidiâ, bellis, discordiæ malis, libidine dominandi, ambitione, cognosci oportere docuit: Quidnam apertius his-*

ce verbis, quam Babylonis Pharisæos atque scribas cœlestis Imperator indicavit? Sub Pontificis Maximi titulo, pastoris pelle lupum sævissimum, nisi cæci sumus, sentimus. Romani flamines arma in omnes habent Christianos, audendo, fallendo & bella ex bellis serendo magni facti, oves trucidant, occidunt pacem, concordiam terris depellunt, intestina bella, domesticas seditiones ab inferis eliciunt, &c. Non Pontificis more gregi consulunt, sed potius immanitate, tyranni licentia debacchantur: justicia rarescit, impietas, avaritia, cupiditas honorum, pecuniæ studium, libido crebrescit, &c. Et in hanc rerum confusionem expatiatur; *Hildebrandus ante annos centum atque septuaginta, primus specie religionis Antichristi imperij fundamenta jecit, hoc bellum nefandum primus auspicatus est, quod per successores usque continuatur. Primò illi Imperatorem à Comitiis Pontificalibus extrusere, ea ad populum, & sacerdotes transtulêre; Deinde & his ludibrio habitis atque explosis nunc & nos in ordinem cogere, atque servitutem conantur, ut soli regnent, capti jam imperij consuetudine, pensitatis suis & adversariorum viribus, occasione rapiendæ dominationis & opprimendæ libertatis Christianæ, specioso Ecclesiasticæ constituendę libertatis fuco utentur. Credite experto, non cessabunt donec Imperatore in ordinem redacto, Romani imperij honore soluto, Pastoribus veris, qui pascant, oppressis, canibus, qui latrare queant, sublatis, per hunc morem omnia extinguant, aut occidant : Ideo omnia turbare atque permiscere volunt, sed dominari vel ingratis contendunt. Paulus armarium Philosophiæ, præcepit, subjecti invicem in timore Christi estote, &c. Formam servi suprema majestas suscepit, ut discipulis suis serviret, eorumque pedes lavaret; Flamines illi Babyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt: non desistent donec omnia pedibus suis conculcaverint, atque in Templo Dei sedeant, extollanturque supra id omne quod colitur : Fames opum, sitis honorum inexplebilis est: quo plura avido concesseris, eo plura appetit : porrige digitum, & manum concupiscet. Licentiâ omnes sumus deteriores. Qui servus servorum est, dominus dominorum perinde ac si Deus foret, esse cupit, sacros cœtus atque Concilia fratrum, imò Dominorum, suorum aspernatur. Timet, ne eorum, quæ adversus auspicia, leges, intercessiones, in dies, magis atque magis gerit, rationem reddere cogatur; ingentia loquitur quasi Deus esset, nova consilia sub pectore volutat, ut proprium sibi constituat imperium, leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit : perditus homo ille, (quem Antichristum vocare solent) in cujus fronte contumeliæ nomen scriptum, Deus sum, errare non possum, in Templo Dei sedet, longè lateque dominatur: sed sicut in arcanis sanctarum literarum, qui legit intelligat docti intelligent, omnes impij impie agent neque intelligent*; Et hîc connotat illis breviter, quid de his in Apocalypsi, quod ad præsentem rerum statum accommodat; ad corruptelam præsertim Romanam: Mox verò, *Imperator, vana appellatio & sola umbra est : Reges decem pariter existunt, qui orbem terræ Romanum quondam imperium non ad regendum, sed ad consumendum partiti sunt. Decem cornua, id quod D. Aurelio Augustino incredibile visum est, Turcæ, Græci, Ægyptij, Afri, Hispani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali, Romanas provincias possident, Romanosque in his excidêre colonos*, Cornuque *parvulum*, ad locum Danielis alludens, *sub his succrevit, quod oculos habet & os loquens grandia, tria potissimum Siciliæ, Italiæ, Germaniæ regna in ordinem redigit, sibique servire cogit, insustentabili dominatione populum Christi, sanctosque Dei vexat, divina humana miscet, infanda, execrabilia molitur. Quid hac prophetia apertius? Omnia portenta atque prodigia quæ cœlestis ille magister noster cantavit nobis jam pridem fiunt, &c. Nisi hoc incendium extinguatur, universum orbem terrarum comburet : Decet eum qui primus hoc excitavit, ruina monstri nulla virtute redempti, quod huc usque Landelshutæ, in oppido Bojariæ, maximo Christianorum periculo delitescit, extinguere.* Tandemque

pero-

perorans, Albertum hunc, Pontificis incendiarium, *tanquam pestem & serpentem*, à Duce proscribendum concludit, Ac proinde, ex unanimi totius conventus consensu, haud dubiè sermones illos comprobantis proscriptionis in Albertum, ejusque satellites publicè lata sententia; Inque eo vitam Gregorius cum morte commutat.

Succedit Innocentius quartus, qui, quod supra vidimus, in Fridericum nihil non tentat, eique Imperatorem unum & alterum, pro libidine creatos, opponit: Albertus verò ille in ejus obsequio perstat, usque dum ab Othone Duce Bavariæ, in oppido Patavio captus, quod cum pluribus alijs ad rebellionem compulerat, moxque perjurij, sacrilegij, perfidiæ, impietatis convictus ejus jussu excoriatur vivus. Obeunt sub id temporis Sigefridus Episcopus Reginoburgensis, & Eberardus Salisburgensis. Sigefrido substituit Innocentius Burchardum de Zigenhagen, Eberardo Albertum Pitoegeum; Et ut Burchardum Salisburgenses repudiant, Philippum Ducis Carinthiæ filium, quem elegerant, accipit quidem, sed eâ lege, ut Othonem, nî Friderici partes ejuret, excommunicent; Cujus haud dubiè pars tot rebellionibus quassata in diversis Germaniæ regionibus labascere videretur. Otho contrà Episcopos & Antistites Provinciæ Myldorfium ad Synodum invitatos his verbis compellat: *Episcopum Romanum*, inquit, *Antichristum esse prædicastis, egoque, desertâ primarij Sacerdotis sectâ, ad Imperatorem defeci, vos suasistis, vobiscum pacem inij, nunc rursus bellum magis vobis placet, magis varij atque mutabiles estis homine triviali, Cur sic inepti ludificamini Christianum populum vestrâ puerili sententiâ? &c. Ad Christum Servatorem nostrum provoco, qui tales Pharisæos nobis vitandos prædixit, & vestris inominatis verbis se benè precaturum pollicetur. Ita, dum à vobis condemnamur, à Christo Domino Deoque nostro absolvimur. A quo sacrilegum hoc genus hominum manus sceleratas, impias, abstinebunt, qui ne Christo quidem authori nostro pepercerunt? Et quis est ille, qui sacricolas hujusmodi vivos cum liberis & uxoribus combussit? atque illo egregio facinore, eâ summâ pietate Deo Optimo Maximo perlitavit, adeò, ut regnum Palestinæ non solùm sibi, sed & posteris suis promeruerit?* Iehu Regem Israelis innuens. Quibus dictis secedit Otho, junctisque cum Conrado Friderici filio copijs, Dornbergam obsessurus, proficiscitur; Qui vero Myldorfi convenerant Antistites, in ejus sententiam pedibus euntes, gratiam ejus sibi captandam statuunt, eumque Pontificio anathemate solvunt. Et de Pontifice igitur Germania ita tum sentiebat.

Huc ex Epistolis Petri de Vineis Friderici Concellarij multa adduci possent, quæ tamen fervente inter Papatum & Imperium contentione, ex nimio affectu profecta censeri possint. Et ibi quidem exprobrat Papæ Fridericus, D. Petro quàm parum sit similis, quàm imo omnium testimonio contrarius: Insedisse Mosis cathedram Pharisæos: se à Papa excommunicatum, clave palam errante, inauditum, indictâ causa; Papam contrà quam Petrus, ventrem suum, pecuniam suam adorare, divitiis unicè inhiare, perpetuò, quem devoret, quærere, circumspicere: contrà quam Christus, nihil nisi bellum prædicare, non alium sibi in mundo finem proponere; Tùm verò exclamabundus, *postquam autem*, inquit, *impleta fuerit vino ventris ingluvies & stomachus usque ad summum ejus, tunc super pennis ventorum æstimas te sedere: Tunc tibi Romanorum subest imperium, tunc adferunt tibi munera Reges terræ, tunc vinum mirabiles facit exercitus, tunc tibi serviunt omnes Gentium nationes. Ploret igitur mater Ecclesia, quod Pastor gregis Domini factus est lupus rapax, crassum quidem de grege comedens, confractum non alligat,* Petrus de Vineis l. 1. Epist. c. 1.

& dissolutum ad propria non reducit, sed velut amator schismatis, caput & author scandali, pater doli contra jura Romani principis & honorem, tuetur hæreticos; Lombardos utique & Mediolanenses, qui tum magno numero Waldensium doctrinam profitebantur: quod susque deque habebat bonus iste zelator, modò finem suum consequeretur: Et *Hierusalem* interim excidio exponit, *jacetque ancilla canibus & tributaria Saracenis*: Dum magnum illum Imperatorem obturbat, itinera terrâ marique profecturis infesta reddit; *Herodes hostis impius, lapis offensionis, Petra scandali.* In literis etiam Friderici ad Principes Christianos, non illi religio Papam vocare, *hypocritam Apostatam, antiquum serpentem, qui in amaritudinem convertit fructum justitiæ, Pharisæum unctum oleo nequitiæ, præ participibus suis, bestiam ascendentem de mari plenam nominibus blasphemiæ, pardique varietatibus circumscriptam, belluam de quâ in Apocalypsi, exibat alius equus rufus de mari & qui sedebat super eum sumebat pacem de terrâ, ut viventes se invicem interficiant; Angelum prosilientem de abysso, habentem phyalas plenas amaritudine, ut mari & terræ noceat; Draconem magnum qui seduxit universum orbem, Antichristum cujus nos dixit esse præambulum, alterum Balaam conductum precio, ut malediceret nobis, Princeps per principes tenebrarum, qui abusi sunt prophetiis, cujus Cardinales vocantur filij Belial: Satan*, inquit, *in medio eorum tanquam quibus ministrat.* Fridericus tamen cui Albigensium sententia imputari non potest, cum pluribus locis in eos invehatur, Pontifices etiam ad ejus perniciem invitet, quibus tamen testimonium perhibet, à lasciviâ quam adversarij objicere solent perquàm alienum, quippe, quos vitæ prodigos, martyriumque constanter subeuntes describit, adeò, inquit, ut *quod est ipso dicto durissimum, superstites etiam non terreantur exemplo.* Indebant verò illis varia cognomina à suis Doctoribus, quò eos magis invidiâ onerarent. In his etiam Epistolis una legitur Philippi Galliarum Regis, D. Ludovici filij *ad Cardinales Ecclesiæ Romanæ*, sede vacante scripta, qui præ partium ambitione, in eligendo Pontifice convenire non poterant, ex quâ colligere facile, Ecclesia Gallicana de Romanâ quid tum sentiret; in Fridericum licet ejusque causam minus benè affecta: *Ecce*, inquit, *nobilis urbs Romana sine capite vivit, quæ caput extitit aliarum. Sed quid eos ad discordiam provocavit: Auri cupiditas & ambitio dignitatum. Non enim quid expediat considerant, sed quid volunt: Speciale commodum generali præponunt, & minus debitè utilitatem præferunt honestati. Quomodo igitur regent alios, qui seipsos regere non noverunt, qui inimicis prosunt, amicos lædunt, & sibi nihil peragunt ad profectum? Consueverat quidem olim Romana Curia honestate fulgere, scientiâ, moribus & virtute: nec fortunæ minis aliquatenus expergisci, quia sibi firmius in virtute, quàm in casu præsidium collocavit. Nunc verò eos effera conterunt, quos prospera extulerunt; & dici potest non curia sed cura, marcam desiderans, plus quàm Marcum*, id est Euangelium, *dum Salmonem legens despicit Salomonem.* Exponens deinde in eligendo quantam prudentiam adhibere necesse: *Veruntamen*, inquit, *præterire non libet, quod prudentia est ad malum, quando qui honorem desiderant, onus vitant, præesse desiderant, profectum negligunt subditorum, solicitudinem fugiunt & laborem, intendunt somno & libidini, & udis, & epulis delectantur. Tales utique pastores, non pastores, sed lupi impijssimi dici possunt, quorum perfidiâ sancta mater Ecclesia conculcatur, fides conteritur, spes subtrahitur & charitas radicitus extirpatur.* Quare concludit, *veritatem servate, Deum timete, resistentes viriliter pravitati, cui nimis colla submittitis & ultra, sed dicere nolumus, ne forte videamur arroganter ponere os in cœlum, &c.* Sic igitur Philippus noster. Authoris ipsius legitur Epistola, in quâ sacerde-

Petrus de Vineis Ep. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 21. 28. 31. 34.

Epist. 26. & 27. lib. 1.

Epist. 35. l. 1.

talis ordo de Fratribus Prędicatoribus conqueritur, illo tempore obrepentibus: *Lachrymabili querimoniâ cogimur explicare normam enormen in nostrum contemptum, & generale scandalum introductam, per quam augeri robur fidei dum creditur, oritur error & dissensionis materia propagatur.* Deinde expônit, *quomodo fratres Prędicatores & Minores contra eos odio & rancore concepto, vitam, & conversationem ipsorum reprobam prædicando multifariam depravarint. & jura ipsorum minoraverint, in tantùm, ut sint jam ad nihilum redacti, & qui olim dominabantur Regibus ratione officij sint in opprobrium & derisum, ipsorumq; celeberrima laus versa sit in fabulam omni carni. Tum quomodo prædicti fratres in alienam messem paulatim manum immittentes, clerum singulis dignitatibus supplantarint, & in se omnem vim & authoritatem clericalis ministerij astrinxerint, propter quod factum est, ut debitis decimis & oblationibus privati viverè non possint, nisi se ad aliquod opus aut ad artes mechanicas, sive ad quæstus illicitos convertant. Nec aliud superest nisi quod Ecclesiæ ipsorum, ad Dei & sanctorum honorem conditæ, funditus diruantur, in quibus nihil aliud cultus & ornatus remansit, quàm tintinnabulum & vetus imago fuligine superinducta. Ipsi verò Prædicatores,* inquit, *& Minores, imò nostri Prælati, potius & majores, qui à domiciliis & tuguriis inceperunt, domos regias & palatia subnixa altis columnis, & officinis distincta variis, erexerunt, quorum impensæ deberent in usus pauperum erogari. Et qui prius in nascentis eorum religionis exordio, deposito fastu, calcare mundi gloriam videbantur, nunc fastum resumere, & amplecti ardenter gloriam, quam calcarunt: Hi dum nihil habent, omnia possident, & carentes divitiis, cunctis fiunt divitibus ditiores, nosque, qui aliquid habere dicimur, mendicamus.* Itaque in supplicationem desinunt, Cæsarem rogantes, quanto citius remedium afferat, *ne inter nos*, ajunt, *& fratres jam dictos, torrente odij succrescente, fides inde patiatur naufragium, unde suscipere creditur incrementum.*

Nec deerant in omnibus nationibus viri eximij qui eadem animadverterent, Gulielmus Episcopus Parisiensis in libro de collatione beneficiorum, de Clero sui temporis: *In eis nihil pietatis ac eruditionis apparere* dicit, *sed potius Diabolicas turpitudines, omnium spurciciarum ac vitiorum monstruositatem: eorum peccata non simpliciter peccata esse, sed peccatorum monstra terribilissima, eos non Ecclesiam, sed Babylonem, Ægyptum ac Sodomam esse, Prælatos non ædificare Ecclesiam, sed destruere ac Deo illudere, cumque aliis sacerdotibus prophanare ac polluere corpus* Christi, *Prælatos omnibus Ecclesiasticis honoribus membra Diaboli & Dei hostes honorare, in cœlum denique Ecclesiæ Christi Luciferum restituere.* Notat speciatim frequenter *apud Papistas* (Papæ parasitos innuit) tam industrium beneficiorum aucupem inveniri, ut centum seu Præbendas, seu Canonicatus ad se unum contrahat; repertum etiam qui ad septingenta. Meminit & Cæsarius alterius Gulielmi, cui cognomen Aurifex, qui eodem tempore Tractatum scripsit, quo Papam Antichristum esse probabat, Prælatos ejus membra, Romam Bybylonem. At in Angliâ Robertus Episcopus Lincolniensis, insignis pietatis & doctrinæ nomine commendatus, linguarum etiam cognitione clarus, hîc nobis occurrit. Romam ille proficiscitur, Monachos suæ Diœceseos in meliorem disciplinam revocatûrus: *Ad hanc Curiam*, inquit Matthęus, *quæ instar barathri potestatem habet & consuetudinem omnium redditus absorbendi, imò ferè omnia quæcumque Episcopi possident & Abbates.* Verùm, quicquid volunt numeratâ pecuniâ à Pontifice obtinent. Conqueritur igitur ipse apud Pontificem, *Domine*, inquit, *credidi ut auxiliante consilio vestro, omnes de quibus sum conquestus, castigarem, atque ab errore penitus revocarem: Ipsi verò de Pratomonstrato & quidam alij, datâ pecuniâ, proh dolor, sese*

Cæsarius in dialogo distinct. 10

Matthæus Paris in Compend. Historiæ Angl: An. 1250.

sese redemerunt. Respondet Pontifex, *Frater liberasti animam tuam, quid ad te de gratiâ meâ? fecimus en gratiam.* Sicque reversus in Angliam Pontificis expilationibus sese opponit: Unde & excommunicatur, & in excommunicatione moritur; Papam à justitiâ, & veritate devium, *Lucifero & Antichristo* pejorem, ad extremum usque spiritum contestatus, & à Pontificis excommunicatione ad Christi judicium provocans. Legitur quædam ejus concio *de pace*, quam coram Papa habuit, in quâ, postquam pravos Pastores ovium suarum nullam curam habentes, & descripsit, & deploravit, schismatum, hæreseon, & infidelitatum verè authores, præfractè omnino: *Cum principale opus Christi, propter quod ipse venit in mundum, sit animarum vivificatio, & Satanæ opus proprium & maximè ab eo inventum, utpote homicidæ ab initio, sit animarum occisio & mortificatio, isti Pastores personam Jesu Christi induti, verbum Dei non annunciantes, etsi non superadderent malitias alias, sunt Antichristi, & Satanas transfiguratus in Angelum lucis, fures & latrones, mactatores ovium & perditores, facientes domum orationis speluncam latronum. Superaddunt autem & omne genus prævaricationis, ut jam non sit super quo percutiat eos Deus ultra. Superbia eorum manifestissimè sese ostendit semper, nec non cupiditas & avaritia, ut jam completa sit vox Prophetalis, quâ dicitur: Quod unusquisque declinat ad avaritiam suam à summo usque ad novissimum, lucrum avaritiæ sectantes, in hoc nescientes saturitatem, &c.* Et hic fusissimè illa explicat: *Sed*, inquit, *quæ est hujus mali tanti pejor & originalis causa, fons & origo? Dicere vehementissimè tremisco & expavesco, silere tamen non audeo, ne incidam in illud Væ Prophetæ dicentis, Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum: Causa, fons, & origo hujus, hæc est Curia, non solùm ex eo quod non dissipat, & has abominationes non purgat, cum ea sola hæc maxime possit, & ad hoc summè teneatur, sed eò amplius quod ipsa per suas provisiones, dispensationes & collationes, curæ pastorali tales, quales prætacti sunt pastores, imò mundi proditores, in oculis solis hujus constituit.* Sed de eodem nos inferius plura, Innocentij quarti historiam persequentes.

Legitur eodem tempore Epistola, in Angliâ evulgata hoc titulo, *de extremâ expilatione Angliæ, per Papam effectâ*, in quâ Author omnes ejus rapinas sigillatim executus, tandem erumpit: *Numquid Nabuchodonosori Regi debeat comparari, qui Templum Domini devastavit, & vasis suis argenteis & aureis spoliavit? Quod egerat enim ille, agit & iste; & ille domus Dei spoliavit ministros, & ipsam debito destituebat auxilio, hæc & hic facit. Certè melius est occisis gladio, quàm fame aliqualiter interfectis, quia illi sunt mortui statim, & isti sunt à terræ sterilitate consumpti.* Et recurrente perpetuo hoc versiculo, *Campatiantur tibi, filia, omnes transeuntes per viam, quia non est dolor similis sicut tuus: Iam enim præ dolore nimio, atque effusione tuâ nimiâ lachrymarum, super carbones est facies tua denigrata, ita, quod non es cognita amplius in plateis, in tenebrosis te tuis præfatus superior* (Papam intelligit) *collocavit, inebriavit te absynthio & felle. Afflictionem populi tui, ejusque gemitum audi, vide Domine, & descende, quia cor dicti viri, super cor Pharaonis, est nimium induratum; tuum populum abire liberum non dimittit, nisi in fortitudine manus tuæ. Non enim super terram flagitat miserabiliter, sed post mortem, quia quorumcumque Christianorum bona, sub nomine tituli de intestatis, post decessum omnia devorat, &c. Ne igitur tua filia, tuique sacerdotes in miseriam deducantur longiorem, expedit, ut regni potentes resistant conjecturationibus, conspirationibus, arrogantiæ ac suprebiæ dicti viri,*

ui non Dei contemplatione, sed pro præmissis & pro suis ditandis parentibus; ac pro nido tio, quia Aquilam exaltando per præmissa & alia imposita per eundem, totalem pecuniam Anglicanam, novi dominij genere, jam compellit. Tu verò, (Papam compellans) *animadverte verba Domini, & Prophetiam Ieremiæ, ad pulsandum hujusmodi inboata, quæ dicunt: Tu Pastor, qui populum meum dispersisti, & eum de suis habitationibus ejecisti: Ecce visitabo super te tuorum malitiam studiorum, nec erit vir qui super lium David de tuo semine sedeat, nec qui in Iuda ultra habeat potestatem, fiat nidus us desertus, & sicut Sodoma & Gomorra, taliter sit subversus: Qui si perterritus ex s dictis non destiterit ab incœptis, & restitutionem non fecerit de perceptis, psallent o eo, ex tunc nequiter corde indurato, Psalmum centesimum octavum:* Psalmum tique illum Davidis, quibus in reprobum hostem, Dei Christique sui desperatissimum, Iudæque proditoris Petro ipso interprete typum nihil non nprecatur; Is Hæbræis est centesimus nonus. Nec est quod de Matthæo ari S. Albani Monacho, egregio Anglicæ Historiæ scriptore, quidquam ldamus, cum ex diversis supra locis, quid de Romanâ Ecclesiâ sentiret onstet satis: Solenne sane illi dicere, *adeò invaluisse ejus cupiditatem, confunntem fasque nefasque, quod deposito rubore velut meretrix vulgaris & effrons, nibus venalis & exposita, usuram pro parvo, Simoniam pro nullo reputat.*

Perseverabant etiam hoc tempore Waldenses seu Albigenses in Delphinatu, ptimaniâ & Aquitaniâ, inque montibus illis, qui ab Alpibus ad Pyrenæos que continuantur. Hi sub ipso D. Ludovico paululum respirarunt, qui eo omine tantùm eos vexabat, quod Raimundi Comitis Tholosani subditi essent, i cum Comite Provinciæ, socero suo, bellum intercedebat, quem pro illâ cessitudine adjuvare tenebatur: quo saltem sedato bello religionem suam, in ontibus præsertim illis, tuebantur. Verùm, latè alibi fines suos dilatârant: andoquidem in Germaniâ prodibant concionatores magno numero, qui *sono tinabuli vocatis Baronibus, prædicabant in publicâ statione:* Papam hæreticum esse, ælatos Simoniacos & seductores: non illis ullam ligandi aut solvendi potestam, non interdicendi cultus divini, ususve sacramentorum: suos illos Fratres ædicatores & Minores falsis concionibus Ecclesiam pervertere: veritatem ntùm apud se retineri, prædicari: Sed etiamsi ipsi non venissent, Deum potius ex idibus ipsis alios excitaturum fuisse, qui verâ prædicatione Ecclesiæ suæ lucem æferrent, quàm ut fidem perire & pessundari sineret: *Prædicaverunt,* inquiunt, *hoc tempus Prædicatores nostri & sepelierunt veritatem, & promulgârunt falsitatem: s contra veritatem prædicamus & sepelimus falsitatem, & in fine indulgentiam, quam mus vobis, non damus fictam vel compositam ab Apostolico vel Episcopis, sed de solo o & ordine nostro.* Quibus verbis eorum doctrinam Krantzius exprimit, ipsis et perquam adversus. Amplius quid Matthæus Paris: pervasisse eos in Bulriam, Croatiam & Dalmatiam usque, ibi ita radices egisse, ut multos Episcopos se traherent: Eo verò Bartholomæum quendam Carcassona Narbonensis lliæ advexisse, ad quem omnes confluerent, qui in literis suis sese inscribebat, *rtholomæum servum servorum sanctæ fidei:* & Episcopos creabat, Ecclesiasque nstituebat: quæ verba ex Cardinalis Portuensis, Pontificij Legati Epistolâ, ad chiepiscopum Rothomagensem desumpta, consternationis utique plenâ; tipapam ille eum ideò appellat: nec tamen aliud crimen aut dogma affingit. mpe Bartholomæus ille in istis regionibus Ecclesiæ ordinem instaurabat, fal-

Krantzius l.8.c.18. in Metropol. & Saxon. l.8.c.16.

falsisque Pastoribus veros substituere satagebat. Archiepiscopum verò Cardinalis ille ad Synodum in Senonum urbe indictam, de tanto negotio consilium daturum adesse jubet, alioqui inobedientiam ejus se Pontifici significaturum comminatur. Hæc sub annum 1220. sedente Honorio tertio; & exinde latè propagatos necesse sit, cum idem Author sub Gregorio nono, in quadam Germaniæ parte, magnam eorum multitudinem inclusam fuisse narret, quæ cingente inde palude hinc mari, ad internecionem deleta fuerit. Eodem etiam tempore in Hispaniâ Episcopos, qui doctrinam eandem prædicarent, instituebant: eam licet adversarij pro libidine ementiantur, ut invidiâ eos onerent. Sed quænam illa fuerit ignoret nemo, qui aut eorum Confessionem aut judiciaria in eos Acta legere voluerit. Legitur Robertus quidam Bulgarus ab eis defecisse, qui mox Dominicanus factus, totum se ijs persequendis dederit, & in Flandriâ in primis multos igni tradiderit: At hic deprehensus potestate suâ abuti, ijsque crimina imputare, à quibus illi planè immunes, exauctoratur illicò, multorumque flagitiorum reus peractus, quæ, inquit Author, *tacere satius quàm dicere,* perpetuo carceri addicitur. Iudicet vero Lector, quæ tunc in miseros grassabatur vesania, annon & illorum innocentiam & hujus turpitudinem in aperto fuisse hinc satis convincatur. In Lombardiâ denique multiplicatos admodum constat, cum instante Pontificis Legato, decernitur, ut ex agris urbibusque expellantur, ædes eorum solo æquentur, bona in fiscum redigantur, qui eos receperint, graviter mulctentur: Mediolani verò in unaquaque regione, Fratres duo Prædicatores & Minores constituuntur, qui Archiepiscopi authoritate eos inquirant, comprehensosque, & Prætori traditos, publicis impensis quocumque Archiepiscopo visum fuerit, deportandos curent; Cum etiam Imperator Fridericus anno 1235. in literis ad Gregorium, pullulare illos imo silvescere conqueritur, in Italiâ & in ipsis urbibus bonâ sementem suffocare (qui ejusce temporis stilus): cum denique inducijs inter Gregorium & Fridericum factis, quibus Mediolanenses excludebantur, illum ut demereantur, hunc ut innocentiæ suæ approbatorem habeant, complures undequaque comprehensos, tanquam victimas, extremo supplicio affectos, mactant. Quò etiam refertur quod à scriptore quodam coætaneo de Waldensibus scriptum, *in solâ valle Camonicâ decem illos scholas habuisse;* Ut & quod Petrus de Vineis in Epistolis, *jam suos rivulos usque ad regnum Siciliæ derivasse:* Qui interim non aliam institutæ in eos persecutionis causam prodit, quàm quod *oves à Petri custodiâ, cui pascendæ à Pastore bono fuerant creditæ, segregare nitantur, & ab Ecclesiâ Romanâ, quæ caput est omnium Ecclesiarum, secedunt.* Cæterum in hac suâ professione, supra omnem fidem, constantes, *vitę prodigi, & necis improvidi sectatores, & quod ipso dicto durissimum est,* inquit, *superstites etiam non terrentur exemplo, adfectant ut vivi in conspectu hominum comburantur.* Hęc virtus in hominum animis unde, nisi à spiritu Dei ingeneretur?

An. 1229. Sigo. l. 17. de regno Ital.

An. 1235. Idem l. 18.

PROGRESSUS.

QUæ intervenit Friderici mors non tantùm Innocentio res suas in Italiâ restituendi, sed & alienas in Germaniâ turbandi occasionem præbuit. Itaque Conrado Friderici filio molestias exhibiturus, in Italiam sibi remeandum putat. Notatu verò dignum, quam ritè Lugdunensibus, dimisso Concilio, valedicat. Proceribus enim qui interfuerant, populoque universo congregatis, Cardinalis Hugo

Hugo concionem Pontificis, totiusque Curiæ Romanæ nomine, valedicturus habet, & perorat demum in hæc verba: *Amici magnam fecimus, postquam in hanc urbem venimus, utilitatem, & eleemosynam: Quando enim primò huc venimus, tria vel quatuor prostibula invenimus, sed nunc recedentes, unum solum relinquimus, verùm ipsum durat continuatum ab Orientali portâ civitatis usque ad Occidentalem: Et erat verbum offensionis in auribus omnium mulierum: quarum infinita multitudo sermoni assidebat: Omnes enim civitatem inhabitantes voce præconia convocabantur, ex parte Domini Papæ recessuri.* Exscendit igitur Genuæ, indeque Mediolanum digreditur, ubi triumphi more exceptus, novis sacramentis civitates adversus Imperatorem obstringit, nonnullas etiam de novo in fœdus pellicit, quæ in fide erga Conradum perstiterant, & excommunicat, & severissimè persequitur; denique nullam non rationem init, qua Friderici successori Italiæ aditus intercludatur. Ferrariam ut advenit, de fenestrâ ad populum concionatur & hanc quidem urbem suam esse contendebat: Thema illi fuit: *Beata gens cujus est Dominus Deus, populus quem elegit in hæreditatem sibi*, beatam urbem populumque innuens, qui Pontificis peculium esset, & ita in Scripturâ sacrâ ludebat. Extollunt interim Historici hanc concionem, quia Pontificem eum concionatum esse, monstri instar; Inde profectus, Æmiliæ, Flaminiæ, Hetruriæ urbes, relicto cum exercitu in Lombardiâ Cardinale Octaviano, confirmat: ita tamen ut Romam ingredi, dubius animi, cunctetur: Etenim Romani per ejus absentiam authoritate aucti, jamque per multos annos Pontifices Româ relictâ sedem diversis in locis tenuerant, Viterbij, Urbeveti, Perusiæ, Ananiæ, Assisij, ut inde cæteris provincijs imperitarent; incerti quam in urbe potentiam retinerent; Et hoc ipso verò tempore Romani Bracaleonem Bononia, justitiæ nomine celebrem, in Senatorem evocârant, qui juventutis petulantiam, & lasciviam veritus, obsequi noluerat, ni Senatoriam dignitatem sibi in triennium firmarent, atque obsidibus 30. primorum civium filijs datis, simul sese Sacramento adigerent, daturos operam, ut sibi fideliter obedirent: quos Bononiam sub custodiâ habendos illicò mittit. Et sanè in eo munere severè adeo se gessit, ut vel primoribus formidini esset. Sed quo plus authoritatis ei accrescebat, eo plus Pontifici demebatur. Interim Romanos tædere cœpit, quod propter absentiam Pontificis lucrum, ex magno illo in curiam Romanam concursu provenire solitum, & cessaret & aliò diverteretur. Et Episcopo porrò suo, non sine magno suo probro, carere tamdiu posse sibi non videbantur: Quare ad Innocentium Legatos Perusiam mittunt, rogatum, ut Romam repeteret; *more boni pastoris gregem suum juvaturus & ut gaudeat Roma suo Pontifice sicut aliæ civitates suo Præsule gratulantur. Etenim abusivum eis videbatur & videri debuit quòd ipsa sola Roma, quæ domina dicitur civitatum, inter omnes civitates, suo per tot tempora Antistite & superstite viduatur.* Quippe, inquit Matthæus, dum in transalpinis degeret, *emolumentis inhians adventantium, & sinum muneribus aperiens, vagus extitit, & instabilis, cismontanis se præsentem exhibendo.* Nectentem itaque moras solenni rursus more compellunt, *significantes ei, quod quam plurimum mirabantur, quod huc illucque velut instabilis, & profugus discurrebat, & relictâ Româ, sede suâ Pontificali, & ovibus suis, de quibus redditurus est summo judici strictissimam rationem, lupinis rictibus deserat lacerandam, alijs pecuniæ inhiando*; & quidem sub hac formâ, *& aut tunc veniret, aut nunquam.* Quod ubi videt, & Romanos prætereà Perusinis, & Assisinis obsidium & excidium minari, si eum diutius retineant, Perusiâ profectus Romam pergit; *timidus tamen & tremebundus* ingreditur, quod dicerentur Romani pecuniam ab eo statim repe-

Matthæus Paris in Henrico 3.

Matthæus Paris in Henrico 3.

repetituri, quam ejus causa in Fridericum insumpserant; & quidem non multo post populus damna, sibi ex ejus absentiâ illata, sibi resarciri postulat. *Novit enim mundus*, inquiunt, *eum non Lugdunensem, non Perusiensem, non Anagniensem ubi sæpe latitaverat, sed Romanum esse Pontificem.* Quibus utique verbis universalem eum non agnoscebant, & molestiam haud dubiè passurus erat, nî Senator suâ authoritate Populum mitigasset.

Conradus ex alterâ parte Friderici filius, in Italiam trajecerat, clientibus suis animum redditurus, passimque in urbibus certamina & strages: dum Guelfi in Gibellinos, Ecclesia in imperium sævit, ambo sese mutuò crudeliter proscribunt, evertunt. Quod bellum eo horridius, quod intra eadem mœnia, intra eadem septa tectaque exercebatur, ut in totâ antiquitate similia ultionis exempla non legantur.

In regnum suum inde penetrans Neapolim regionis caput, quæ se Papæ dediderat, recipit, exercitum ejus, cui Gulielmus cognatus præerat, profligat, 4000. pedites, Italiæ florem, ad internecionem delet, urbes suas omnes recuperat, subditos ad officium revocat, Papam proinde in extremum discrimen conjicit. In his angustijs hostem Conrado opponere visum, Richardum Cornubiæ Comitem, Regis Angliæ fratrem, ingentis, uti fama erat, animi Principem; Eo igitur consilio Neapolitanum & Siculum regnum, hominio ligio posſidendum, ei offert: *hujus fretus*, inquit Historicus, *sophisticâ deceptione, qui dixit, hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Cui cæterùm Bullæ suę non defuturæ essent, quibus & Conradus anathemate ligaretur, & subditi sacramento solverentur, & similes; quippe quem hæreticum jam pronuntiasset, ideo hæreseos reum, quod interdicto obsequutus non esset: quòd regnum ejus libidini non permisisset. At Richardus, invitante licet Alberto Legato, in eam rem misso, verbis non contentus, obsides à Papa sibi dari eximios quosque suæ gentis postulat: pecuniam etiam idoneam in belli sumptus suppeditari; Adde arces, quas in finibus regni posſidet, sibi tradi, in quas, si occasio tulerit, se recipiat: aliàs inquit Legatum alloquens, *idem est, ac si quis diceret, vendo vel do tibi lunam, ascende & apprehende eam.* Quare cum nullâ ratione inter se convenire potuissent, ad Regem ipsum Angliæ, Richardi fratrem itum, Principem, inquit Matthæus, *semper ad damna propria pronum, & credulum:* Huic proponit, ad hanc expeditionem se omnes Cruçe-signatorum copias, quæ Palestinam cogitabant, diversurum. Itaque magnus inde toto Oriente clamor, Patriarchæ Hierosolymitani, omnium Palestinæ Antistitum, Templariorum, Hospitaliorum, *Romanas Pontificum fallacias detestantium*, qui diuturnâ spe lactatos ad extremum exitium adductos, prodant potius quàm deserant. Et tamen Rex Angliæ nomine Edmundi filij regnum Siciliæ oblatum capessit, quicquid pecuniæ à Christianis, à Iudæis corradere potest, Pontifici transmittit; quin & mutuam suo nomine contrahendi quantamcumque potuerit, quacumque usurâ, potestatem facit, & *se ad hoc sub pœnâ exhæredationis obligat*; quibus tandem nummis auctus Pontifex exercitum conscribit. Conradus ex alterâ parte animo non turbatur, quin potius Pontifici obsistendum ratus, nobilibus & subditis animos eo magis facit: Ut hìc monachus noster exclamat, *si benè fecerit Papa, judicet judex omnium judiciorum Dominus.* Sed in belli compendium, misero Principi venenum propinatur, qui sensim tabescens ad extremum usque spiritum querulus ingeminat, *Ecclesia, quæ mater patri meo, & mihi esse debuit, potius novercatur:* Et biennem tantum filium relinquit; Veneni hujus, sunt qui fratrem authorem faciunt, sunt qui

qui Papæ ministros, quod ex ipso rerum statu magis verisimile; Matthæus sanè, nuntio hoc accepto, *cum magno cordis jubilo, oris risu, & vocis exultatione ait, gaudeo planè & gaudeamus universi Ecclesiæ Romanæ alumni, quia jam sublati sunt de medio duo maximi inimici nostri, unus Ecclesiasticus, alter secularis, Episcopus Lincolniensis Robertus, & Rex Siculorum Conradus.* Itaque occasione arreptâ Neapolim, Capuam, & regni partem ei occupare fuit facile. Sed Manfredus, faventibus regni Proceribus, & prosperis rebus ferocientem cohibet, & prælio rem dirimere ausum superat, *& factus est error novissimus pejor priore.* Unde Innocentius eum mœrorem concepit, ut paucis post diebus Neapoli moreretur; Et Conrado, quod notat Author, paucos menses superstes, & à Lincolniensis Episcopi manibus ad supremum usque spiritum, quod suo loco videbimus, infestatus. Hæc, anno 1254. mense Decembri: Perit verò una cum eo Regis Angliæ thesaurus, & ambitiosus conatus. An. 1254.

Huic Innocentio Decretalium opus debetur, in quo scopus ei fuit, quicquid per summam superbiam à se & antecessoribus contrà monarchiam temporalem sancitum, pro authentico obtrudere: quicquid etiam in spiritualem ipsam aut profanum cuderant, aut sacrilegum, quasi consecrâre. Debentur ei & Canonistæ, quorum ipse caput, quippe quos ad eximias quasque Ecclesiæ dignitates, complures etiam ad Galerum Cardinalitium evexit, ut & ab eodem fonte forensium vitilitigationum gurges, *detestabilis* illa in primis clausula, *Non obstante*, de quâ tam sæpe Matthæus: quâ semel inductâ antiquos omnes Conciliorum Canones, & Priscorum Pontificum Decreta, Ecclesiarum etiam libertates & privilegia, everti demùm cœpere; adeò ut in ipsam curiam civilem exinde obrepens, magnas justitiæ strages ubique dederit. Hinc verò, vulgaris illa querela, *heu, heu! hos ut quid dies expectavimus? Ecce jam civilis Curia exemplo Ecclesiasticæ coinquinatur, & à sulphureo fonte rivulus intoxicatur.* Inoleverat jam mos, ut pecuniæ in bellum sacrum destinatæ & Cruce signatorum indulgentiæ, Imperatoribus & alijs Principibus divexandis à Pontificibus interverterentur: Hic, ut alios antecellat, de pulpito promulgari jubet: Qui adversus Conradum militaverit, quàm qui in Soldanum, ampliorem peccatorum remissionem consequatur; Quatenus, *si quis contra Conradum signaretur, signatus & signati pater & mater, omnium peccatorum suorum veniam consequerentur.* Neptes etiam suas splendidè collocavit: unam inter alias Henrico Friderici filio, Regis Angliæ nepoti, ut eum in Ecclesiæ filium adoptaret: Quod omnibus tum imperij Proceribus novum, dimirantibus, quod Papa *generosum nobilem* ignobilitare præsumeret; Ita denique orbem Christianum expilavit, *ut computatione factâ inventum est*, inquit Author, *& veraciter compertum, quod iste Papa præsens Innocentius quartus, plus Ecclesiam universalem depauperaverat, quàm omnes prædecessores à tempore Papatus primitivi; redditusque Clericorum per ipsum in Angliâ alienorum, quos Ecclesia Romana ditaverat, ad plusquam 70. millia marcarum ascendit, redditus Regis merus, non ad ejus partem tertiam computatur.*

OPPOSITIO.

ET de Roberto quidem Episcopo Lincolniensi quædam supra attigimus: Innocentius iniquum quid ei præcipit, *quod*, inquit Matthæus, *frequenter fecerat illi & aliis Angliæ Prælatis.* Respondet igitur per Epistolam, quam integram pro-

profert: *Salutem: Noverit discretio vestra quod mandatis Apostolicis affectione filiali devotè & reverenter obedio: His quoque quæ mandatis Apostolicis adversantur, paternum Zelans honorem, adversor & obsto: Ad utrumque enim teneor ex divino mandato: Apostolica enim mandata non sunt, nec esse possunt alia, quam Apostolorum doctrinæ, & ipsius Domini nostri Iesu Christi Apostolorum magistri & Domini, cujus typum & personam maximè gerit in Hierarchiâ Ecclesiæ Dominus Papa, consona & conformia, &c.* Ibique clausulam illam detestatur: *Non obstante: ex quâ scateat cataclysmus inconstantiæ, audaciæ, & procacitatis, inverecundè mentiendi, fallendi, diffidenter alicui credendi, vel fidem adhibendi, & ex his consequentium vitiorum, quorum non est numerus, Christianæ religionis puritatem & socialis conversationis hominum tranquillitatem commovens & perturbans. Præterea*, inquit, *post peccatum Luciferi, quod idem erit in fine temporum ipsius filij perditionis Antichristi, quem interficiet Dominus spiritu oris sui, non est nec esse potest, alterum genus peccati, tam adversum & contrarium Apostolorum doctrinæ & Evangelicæ, & ipsi Domino Iesu Christo tàm odibile, detestabile, & tàm abominabile quàm animas curæ Pastoralis officij & ministerij defraudatione mortificare & perdere, &c. Talium pessimorum interemptorum deformitatis, & deificationis in ovibus Christi in Ecclesiâ Dei introductores, ipsis pessimis interemptoribus sunt pejores, Lucifero & Antichristo proximiores, & in hac pejoritate gradatim, quanto magis super excellentes, qui ex majore, & diviniore potestate sibi divinitus in ædificationem non in destructionem tradita, magis tenerentur ab Ecclesiâ Dei tales interemptores pessimos excludere & extirpare.* Et mandata sua ejus generis esse, proinde minimè Apostolica edisserit. *Hoc enim esset*, inquit, *suæ potestatis evidenter sanctissimæ & plenissimæ vel defectio vel corruptio vel abusio, vel à throno gloriæ Domini nostri Iesu Christi omnimoda elongatio, & in cathedrâ pestilentiæ pœnarum gehennalium duobus prædictis tenebrarum Principibus proxima coassessio. Nec potest quis immaculatâ & sincerâ obedientiâ eidem sedi subditus, & fidelis, & à corpore Christi, & eadem sanctâ sede per schisma non abscissus, mandatis vel præceptis, vel quibuscumque conaminibus, undecumque emanantibus, etsi à supremo Angelorum ordine, obtemperare: sed necesse habet totis viribus contradicere & rebellare, &c. Quia Apostolicæ sedis sanctitas non potest nisi quæ in ædificationem sunt, & non destructionem, hęc enim est potestatis plenitudo, omnia posse in ædificationem: Hæc autem, quas vocant provisiones, non sunt in ædificationem sed manifestissimam destructionem: non igitur eas potest beata sedes Apostolica acceptare: quia caro & sanguis, quæ regnum Dei non possidebunt, eas revelavit, & non Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est in cœlis.* Ad harum literarum receptionem æstuans Innocentius, *Per Petrum & Paulum*, inquit, *nisi moveret nos innata ingenuitas, ipsum in tantam confusionem præcipitarem, ut toti mundo fabula foret, stupor, exemplum, & prodigium. Nonne Rex Anglorum noster est vasallus, & ut plus dicam, mancipium, qui potest eum nutu nostro incarcerare & ignominiæ mancipare?* Et ejus impetum ægrè Cardinales cohibere potuerunt: *Non expediret*, inquiunt, *ut aliquid durum contra ipsum Episcopum statueremus: ut enim vera fateamur, vera sunt quæ dicit: non possumus eum condemnare, Catholicus est, imò & sanctissimus, nobis religiosior, nobis & sanctior, excellentior, & excellentioris vitæ, ita ut non credatur inter omnes Prælatos majorem aut parem habere: Novit hoc Gallicana & Anglicana Cleri universitas, nostra non prævaleret contradictio: Hujusmodi Epistolæ veritas, quæ jam fortè multis innotuit, multos contra nos poterit commovere: Magnus enim habetur Philosophus, literis Latinis & Græcis ad plenum eruditus, zelator justitiæ, Lector in Theologię scholis, prædicator in populo, castitatis amator, persecutor Simonialium. Hæc dixerunt Dominus Ægidius Hispanus Cardinalis & alij,* quos

quos propria tangebat conscientia. *Consilium dederunt Domino Papę, ut omnia hæc conniventibus oculis sub dissimulatione transire permitteret, nec super hoc tumultus excitaretur.* Adverte verò, quam subjungit rationem: *Maximè propter hoc, quia scitur, quod quandoque discessio est ventura;* discessio illa ab Apostolo prædicta, 2. ad Thessalonicenses capite secundo; Antichristo utique authore, quem proinde non illi, quod jam credi volunt, ex Babylone expectabant, sed ex Ecclesiæ meditullio, ex Româ ipsâ; Et hinc Innocentij in Lincolniensem odium. Hoc igitur ipso anno in suis ædibus Bukedoniæ morbo corripitur, ubi fratrem Iohannem de S. Ægidio ordinis Prędicatorum alloquens, tum illum, tum cæteros ejusdem ordinis, & alios paupertatem voventes, acriter redarguit, quod magnatum peccata, quibus familiares sunt, non corripiant; Papæ adeò ipsius, qui animarum curam propinquis suis indignis, ignaris, impuberibus committat, quæ hæresis vera sit, S. Scripturæ contraria, quæ pastores idoneos constitui jubet: ut protinus sit & Papa hæreticus, qui hoc faciat, nec minus ipsi qui conniveant, utique æterno supplicio digni; Inde advocato suo Clero, animabus ingemens, quæ per Curiæ Romanæ avaritiam peribant: *Christus*, inquit, *venit in mundum, ut animas lucraretur: ergo si quis animas perdere non formidat, nonne Antichristus merito est dicendus? Dominus sex diebus mundum condidit universum, sed ut hominem repararet, plus quam triginta annis laboravit: nonne ergo animarum destructor inimicus Dei & Antichristus censetur? Privilegia sanctorum Pontificum Romanorum prædecessorum suorum Papa impudenter annullat, per hoc repagulum: Non obstante, &c. Daut aliquis Papa salvetur: Absit dicere contrarium: Dicit Salvator, qui minor est in regno cœlorum, major est Iohanne Baptista, quo major inter natos mulierum nemo surrexit. Nonne major est ergo aliquis Papa dator privilegiorum vel confirmator, isto vivente? Quare ergo quę jecerunt, diruunt fundamenta, qui sequuntur. Plures Apostolici viri unum aliquod privilegium prius piè concessum confirmarunt. Nonne plures divinâ gratiâ salvati majores sunt uno adhuc periclitante? Unde ergo hæc injuriosa temeritas, privilegia antiquorum sanctorum multorum in irritum revocare?* Et hîc in Ecclesiæ Romanæ rapinas & Simonias expatiatur; Ut Fratribus mendicantibus injungant, moribundis invigilent, ut in Palestinæ subsidium, Testamento bonorum suorum partem legent: Si convalescere detur, profectionem voveant: *Cruce quoque signatos personis laicis, sicut in Templo oves & boves venundare consueverunt, vendit apporriandos, fortè appropriandos. Inspeximusque literam Papalem, in quâ insertum reperimus, quod Testamenta condentes, vel crucem suscipientes & subsidium terræ sanctæ impendentes, tantundem recipient indulgentiæ, quantum pecuniæ largirentur.* In summa,

Ejus avaritiæ totus non sufficit orbis.
Ejus Luxuriæ meretrix non sufficit omnis.

Et in hoc erat, ut explicaret, Curia Romana quo pacto, non secus ac *Behemot* in Iobo, con fisa, *ut Iordanis influat in os ejus*, *patulo hiatu aspirabat: ut etiam bona intestatorum & distinctè legatorum sibi usurparent, & ut hoc licentius facerent, Regem in rapinis suis consortem facerent & participem: nec liberabitur*, ajebat, *Ecclesia ab Ægyptiacâ servitute, nisi in ore gladij cruentandi.* Sed sub prophetiæ hujus finem urgentibus singultibus & lachrymis, *migravit ab hujusmodi mundi, quem nunquam dilexit, exilio, sanctus Lincolniensis Episcopus Robertus secundus, Domini Papæ & Regis redargutor manifestus, Prælatorum correptor, Monachorum corrector, Presbyterorum director, Clericorum instructor, Scholarium sustentator, populi prædicator, incontinentium persecutor, Scripturarum sedulus perscrutator diversarum, Romanorum malleus & contemptor, &c.*

At Innocentius obſtinato animo, invitis omnibus Cardinalibus, oſſa ejus Eccleſiâ ejicere ſtatuit, *ut, Ethnicus, rebellis, & inobediens per totum mundum acclamaretur, juſſitque talem literam ſcribi Domino Regi Angliæ tranſmittendam, ſciens quod ipſe Rex libenter deſæviret in ipſum, & in Eccleſiam deprædandam. Sed nocte ſequenti apparuit eidem Epiſcopus Lincolnienſis, Pontificalibus redimitus, vultuque ſevero, intuituque auſtero, ac voce flebili ipſum Papam in lecto, ſine quiete quieſcentem, aggreditur & affatur, pungens ipſum in latere ictu impetuoſo, ſui cuſpide baculi, quem bajulabat, paſtoralis, & dixit ei, Senebalde Papa miſerrime, propoſuiſtine oſſa mea in mei & Eccleſiæ Lincolnienſis opprobrium, extra Eccleſiam projicere? Unde hæc tibi temeritas? Dignius foret ut tu à Deo ſublimatus & honoratus, Dei zelatores, licet defunctos, coleres: Nullam poteſtatem in me habere te Dominus amodò patietur: Scripſi tibi in ſpiritu humilitatis & dilectionis, ut errores tuos crebros corrigeres, ſed tu monita ſalubria ſuperbo oculo, & faſcinanti corde contempſiſti. Væ qui ſpernis, nonne & tu contemneris? Et ſic recedens Pontifex Robertus, ipſum Papam, qui quando, ut dictum eſt, pungebatur, ab alto ingemuit, quaſi lanceâ tranſverberatus, dereliquit ſeminecem, & voce flebili cum ſuſpiriis ingemiſcentem: Unde Camerarij ejus hæc audientes, attoniti interrogaverunt quidnam hoc ſibi vellet? Papa verò cum gemitibus & ſuſpiriis reſpondit, dicens Terrores nocturni conturbaverunt me vehementer, nec mihi penitus ut prius reſtaurabor reſtitutus: heu, heu quantum latus doleo, ſum lancea genij lanceatus. Nec comedit nec bibit, illâ die, fingens ſe anhelis febribus inflammatum,* & alibi *quaſi pleureſi irremediabiliter infirmatum: nec unquam poſtea ipſe Papa unum bonum diem vel proſperum continuavit, uſque ad noctem, vel noctem uſque ad diem ſed inſomnem & moleſtam.* Uſque dum exercitu ſuo profligato, mœrore in profundam melancholiam verſo, Neapoli vitam finivit; ubi propinquos ſuos plorantes, veſtimenta ſcindentes & capillos vellentes præ dolore, circumſpiciens, *ſublevans oculos in morte natantes, ait: Quid plangitis miſeri? Nonne vos omnes divites relinquo? Quid amplius exigitis? Et hæc dicens diſtrictum Dei judicium ſubituram animam exhalavit.* Notat Aventinus paucis verbis, Innocentium filij Conradi biennis regnum jam jam devoraturum, de repente
Avent.l.7. ſublatum, *divinitus*, inquit, *(ut in Annales relatum reperio) die illi dictâ ab immortali Prætore.* Cæſtrenſis, quâ nocte animam efflavit, auditam vocem in curiâ
Cæſtr.l.7. Papæ, *veni miſer ad judicium Dei:* Inventumque in latere lividum vulnus: Verùm, Cardinalis cujuſdam viſio eadem Hebdomadâ notatu digna, cujus nomen Matthæus ſupprimit, *ad cautelam: Videbatur enim ſibi quod fuerat in cœlo coram majeſtate Domini ſedentis pro tribunali, à cujus dextris ſtabat beata Virgo mater ejus, à ſiniſtris verò quædam matrona nobiliſſima corpore & habitu venerabilis, quæ extento brachio ſuper manum ſiniſtram, deferebat quaſi Templum & ſcribebatur in fronte Templi illius literis aureis, Eccleſia. Coram verò majeſtate divinâ incurvatus Innocentius quartus, junctis manibus & erectis, flexiſque genibus petens veniam & non judicium. Nobiliſſima autem mulier, ait, ex adverſo: Iuſtè judex, rectè redde judicium: Accuſo enim eum ſuper tribus. Primò, cum in terris Eccleſiam fundaſſes, libertatibus eam donaſti, quæ à teipſo proceſſerunt: hic verò eam reddidit ancillam viliſſimam. Secundo, fundata eſt Eccleſia, ſalus peccatorum, ut ſcilicet lucrifaceret animos miſerorum: hic verò facit eam menſam nummulariorum. Tertiò, fundata eſt Eccleſia in fidei firmitate, juſtitiâ & veritate, hic verò fidem & mores fecit vacillare, juſtitiam ſuſtulit, veritatem obumbravit: Iuſtum ergo judicium redde mihi. Ait autem Dominus: Vade & pro meritis tuis mercedem apprehende: Et ſic ſublatus eſt. Cum verò ex terrore ſententiæ evigilaſſet Cardinalis, clamans, effectus eſt quaſi extra ſe, ut omnes ſui dicerent ipſum furere. Tandem mitigato dolore, viſionem ſuam plenius*

co-

œpit enarrare, & publica facta est in partibus illis. Ejusdem generis est illa Alexandri
arti successoris, qui eum eodem statu vidit, & præstantem cum eo apud Deum
eminam expostulantem: *dissipasti Ecclesiam Dei, dum viveres & carnalis penitus*
ctus, &c. Deumque eandem quam supra sententiam proferentem audivit: un-
, inquit Author, vehementer consternatus, aliquot dierum spatio animum re-
lligere non potuit: Quare, munera offerenti cuidam, ut Ecclesiam quandam si-
concederet, respondisse. *Non frater, mortuus est venditor Ecclesiarum: Creditur*
em, quod si hac visione non corrigatur perterritus, acrius eoram Deo redarguetur. Quæ
nia à Roberti Lincolniensis historiâ pendent, quem ille inter Ecclesiasticos
æcipuum hostem profitebatur, coætaneis licet scriptoribus, sanctimoniâ &
raculis clarum. In eadem porrò sententiâ fuisse eximios quosque viros Mat-
eus asserit, quos in Franciâ viderat & audiverat, Abbatem de Flaye ordinis Ci-
rciencis, Iacobum de Vitriaco, Robertum de Curcum & alios. Meminit &
em Epistolæ Lugduno ab Innocentio scriptæ ad Episcopum de S. Albano in
gliâ, quâ eum rogabat, nec eo minus mandabat authoritate Apostolicâ,
annem quendam de Canecava nepotem & Capellanum suum in Ecclesiâ de
engrade, cujus ipse patronus, constitueret: ita tamen ut eam in aliam commu-
et, quam primam idem Iohannes ejusve procurator optâret, reservata *donationi*
su perpetuò illa de Wengrade, *non obstante* Privilegio Anglis indulto: ne benefi-
Clerico Italo immediatè conferrentur. *Hoc verò, inquit, huic libro duximus*
rendum, ut legentibus innotescat, quot angariis & injuriis nos miseros Anglos exagitat
ia Romana. Sed ut, Apostoli adimpleatur sententia comminatoria: Nisi prius venerit
eßio non revelabitur filius iniquitatis. Ecce causa, ecce materia: quare recedunt corda,
non corpora à patre nostro Papa, qui in vitricalem exasperatur austeritatem, & à ma-
nostrâ Ecclesiâ Romanâ, quæ in novercalem desævit persecutionem. Et huc omnes
ulos intendebant.

Galliam jam accedamus: Vidimus ut Innocentius Crucem contrà Conradum
derici Cæsaris filium promulgârit: majores indulgentias ijs, qui adversus
m militârent, quàm, qui in Palestinam trajicerent, pollicitus: nempe Cruce
ato cuique non remissionem peccatorum suorum tantùm, *sed & parentum.*
eo propriè tempore, inquit Matthæus, quo D. Ludovicus Cæsareæ omnium
m necessariarum penuriam passus, quam matri, fratribus, fidelibus suis la-
tabili Epistolâ exponebat: *Blanchia Domina hoc audito, quæ regni Francorum*
muliebriter rexit habenas, omnes regni nobiles fecit convocari, ut super hoc contrecta-
diligenter, & contrectantes cœperunt obmurmurare cum irâ magnâ, dicentes, quoniam
minus Papa novum prælium suscitavit & intestinum, qui in finibus Christianorum,
r Christianos Christianos exacuit, & factâ prædicatione super viros Deo subjectos, ut
n ampliet dominium, Dominum nostrum Regem pro fide Christianâ tot probra, tot
ersa sustinentem, facit tradi incuriæ & oblivioni. Iam enim dilata fuit prædicta præ-
tio per fines Francorum. Blanchia igitur commota, quia non sine causâ murmur suscita-
r, jussit omnium terras & possessiones Cruce-signatorum in manu suâ recipi, dicens, qui
æ militant, de Papalibus sustineantur, & eant irrediturі. Magnates insuper contermi-
in quorum terris talis prædicatio omnes signaverat, fecerunt similia, & ita emarcuit
dicatio & signati revocabantur. Necnon Prædicatores & Minores, qui hoc negotium
motionis commoverant, severè nimis super hoc sunt redarguti à Magnatibus, di-
ibus: Nos vobis Ecclesias & domos ædificantes, vos educamus, receptamus, vestimus
ascimus: Quid vobis Papa confert utilitatis? Vos vexat, exagitat, & de vobis suos
facit

facit telonarios & benefactoribus reddit odiosos : Quibus ipsi : Obedientia nos coegit. Ex tunc Dominus Papa meritò erubescens de pace tractare satagebat. Interim bellæ hujus obedientiæ prætextu D. Ludovici auxilia obturbantur, exercitus deletur, Palæstina prædæ exponitur, ipse ab hostibus capitur, unde tantum dolorem concipit, tam altum mœrorem, ut etiam liberatum aliquo post tempore nemo consolari posset.

Erant verò Fratres Mendicantes, uti supra, omnium harum calamitatum partim præcipui ministri, partim authores; Ex his in eam potentiam evecti, ut reliquo Clero formidini essent, dum confessionibus suis populi animis obrepunt, adulationibus aures Pontificum insident, & ordinarios porrò omni functione privant: quos *cæcos & duces cæcorum dicebant, qui nunquam in Decretis vigilarant, qui nunquam unam quæstionem didicerant enodare*; Singulos adeo rogare non verecundati: *Es ne confessus? quibus si responsum fuisset, etiam: à quo? A sacerdote meo: Et quis ille idiota? Nunquam Theologiam audivit: Nobis confitemini imperterriti, quibus tanta, ut jam videtis & auditis, concessa est potestas. Multi igitur, præcipuè nobiles, & nobilium uxores, spretis propriis Sacerdotibus & Prælatis, ipsis Prædicatoribus confitebantur.* Et hîc iterum hodiernorum imaginem advertat Lector. Eo res venit, ut Pontifex ipse præcipites adeò in ambitionem ferri conspicatus, eam reprimere cogeretur, *Quid hoc est fratres? ubi est hæc humilitas? ubi paupertatis votum?* Hic igitur universitas Parisiensis commoveri, ex eo præcipuè, quod suis argutijs doctrinam Christianam adulterarent: Primò, docentes quod essentia divina, neque ab homine glorificato, neque ab Angelo conspiciatur. Secundò, Quod licet essentia divina una sit in Patre & Filio & Spiritu Sancto, tamen ut hæc essentia est in ratione formæ, una est in Patre & Filio, & non una in his & Spiritu Sancto: Et tamen forma idem est quod essentia divina. Tertiò, Quod Spiritus Sanctus, prout est amor, vel nexus, non procedit à Filio, sed tantùm à Patre. Quartò, Quod nec anima glorificata, nec corpora clarificata erunt in cœlo Empyreo cum Angelis, sed in cœlo aqueo seu Crystallino, quod est supra firmamentum: quod etiam de ipsâ beatâ Virgine asserebant. Quintò, Quod malus Angelus in primo instanti creationis suæ fuit malus & nunquam fuit non malus. Sexto, Quod multæ fuerunt veritates ab æterno, quæ non fuerunt Deus. Septimò, Quod Angelus in eodem instanti potest esse id diversis locis, & etiam ubique si vellet. Octavò, Quod principium, nunc & creatio, passio, non est creator, nec creatura. Nonò, Quod malus Angelus nunquam habuit, unde stare potuit, neque Adam in statu innocentiæ. Decimò, Quod qui habet meliora naturalia, plus habebit, de necessitate ex gratiâ & gloriâ: Quas omnes Theses Prælati Ecclesiæ cum Universitate Parisiensi congregati absolutè damnant, his verbis: *hunc errorem prohibemus & assertores ejus & defensores excommunicamus*; Nempe, inquit Author, *qui non verentes tangere montes, à gloriâ Dei opprimendi, nitebantur secreta Dei investigabilia temerè perscrutari, & judicia Dei, quæ sunt abyssus multa, nimis præsumtuosè indagare.* Exinde verò pluribus locis notat, eos in id incubuisse, ut Universitatem Parisiensem everterent, cujus consuetudinibus & juribus sese subjicere noluerant: Ex quo Regum confessores & Consiliarij facti. Itaque cogebantur studiosi, *collectam facere & contribuere, scilicet quilibet secundum posse suum. Et cujuslibet communia hebdomalis abbreviata est.* Sed in Pontificem inciderunt aduersarium, Cardinalesque ejusdem farinæ, qui in Mendicantium gratiam Theologiæ Doctorum numerum auxerunt: ut eos introducerent: Quo schismate Universitas in dissipationis periculum adducta est. Et hæ turbæ quo tandem evaserint deinceps videbimus.

Matthæus Paris in Henrico 3.

Matthæus Paris in Henrico 3.

At

Ad Waldenses quod attinet, in Franciâ & Germaniâ ita propagabantur, ut eorum in toto historiæ contextu cernantur vestigia. In Lombardiâ etiam ipsâ, ubi Petrus Veronensis Dominicanus omnes inquisitionis rigores exercet in eos qui *credentes* vocabantur, omni suppliciorum genere in eos sæviens usque dum Primo-es quosdam adortus, in agro Mediolanensi invenitur mortuus; Capitur Carinus quidam hujus cædis insimulatus, qui decimo post die à Prætore dimittitur, nempe innoxius: Petrus verò Veronensis ne cæteri deterrerentur, à Pontifice inter sanctos relatus. Cæterùm meminerimus, Innocentium, licet in Decretalibus sanciendis nihil omittat, non potuisse consequi ut nec ipsius successores, ut Gallicanę Ecclesię ijs se subjicerent; ad Canones quod attinet, antiquâ collectione contentæ, quæ Corpus Canonum vulgò vocitatur; Epistolas verò Pontificum ad Gregorium secundum usque, non ullas citeriores approbarunt, nempe, antequam Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus Gallicanarum Synodorum libertatem, annum circa 742. in Galliâ conturbasset. Quod certi juris adeò, ut Iohannes Andreas celeberrimus Iureconsultus in Prologum Decretalium testetur, qui præter ea quæ in corpore illo Canonum continebantur, aliquid allegasset, *crimine falsi teneri existimâ-tum*: quod quàm longè abest à Nicolai primi sententiâ, distinctione decimâ nonâ, de quâ nos suprà.

Iohannes Andreas in Prologum l. 1. *Decret.* Nicol. 1. ad Episc. in Galliâ constitutos in Epist. Bonifacii l. 3. Epist. 42.

PROGRESSUS.

INnocentio Neapoli mortuo, Præfectus portas urbis claudi jubet, & Cardinalibus, successorem ut eligant, negotium dat. Is fuit Renaldus de Anania Cardinalis Hostiensis, qui Alexander quartus; Et is quidem seu ab illâ visione recens, seu ex proprio instinctu, aliquam melioris regiminis spem faciebat; Ex eo precipuè, quod statim à suâ electione omnes per literas ubique monuerat, precibus à Deo flagitarent, ut se Ecclesiæ benè gubernandæ idoneum redderet: *Alij enim ejus successores*, inquit Matthæus, *nihil tale fecerant*. Ex eo etiam quod in suis ad Episcopos, Germaniæ præsertim, literis, quarum exemplar apud Aventinum, eorum vitia & abusus coarguebat: *Sed*, inquit Matthæus, *sibilis adulantium seducibilis, & pravis avarorum suggestionibus inclinativus, à collateralibus fratribus*, (Cardinalibus) *suis, decipi cito se permisit ejus simplicitas. Et de bullâ suâ, quę est pignus fidei Papalis & testimonium, facta est ut dicitur fraus inopinata, non tamen in his ipsum excuso, consilio nempe aliquorum, in quos confisa anima ejus requievit confidenter, & persuasu Prædecessoris sui Papæ Innocentij quarti, qui fratres Cardinales ad hoc moriturus animaverat, bellum inchoatum contra Fridericales & præcipuè Manfredum, filium Friderici naturalem, sed legitimatum, potenter continuare præsumpsit.* Cui instituto devotio & pietas prætexebantur, quod Nuceria Calabriæ urbs à Saracenis detineretur. Iam, quia Angliæ Regem fucum sibi factum tam citò agnoscere incongruum erat, mittitur Legatus, qui Edmundum ejus filium Apuliæ, & Siciliæ Regem per annulum investit; Et existimabat incautus Princeps, animos se & urbes eâ ratione posidere: quare se illico ad iter accingit, anxius tantùm quo pacto pecuniam suam per Galliam trajicere posset. Alius mox Legatus, Rustandus nomine, insequitur decimam in Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ exacturus, Regem etiam Hierosolymitano voto soluturus, modò Manfredo bellum inferat. Et his artibus sese credulus Princeps deludi patitur; Quin & Crucem Londini prædicat Rustandus, & in cæteris urbibus contra Manfredum solennibus verbis: Et *mirabantur fideles*, inquit, *cum au-*

Avent. l. 7. Matthæus Paris in Henrico 3.

audirent, quòd tantum eis promitteret pro sanguine Christianorum effundendo, quantum pro cruore infidelium aliquando. Et moverunt sannas & risum, Prædicatorum mutabilitate. Quodam etiam die, sub concionis finem subdere non veritus, *Estote filij obedientiæ:* Quo pacto verò? *Obligamini tali & tali mercatori, in tantâ pecuniæ quantite.* Sed en Catastrophen: Manfredus in Apuliâ Pontificis copias delet, subditi regni, ut intelligunt exterum Regem inscijs Ordinibus sibi à Papa datum, Cruce signatos etiam in se, quasi infideles sint, ab eo conversos, ad Manfredum omnes confluunt; Ij adeò ipsi, qui Pontificis partes sectati erant, inque eum ingentem exercitum conscribunt. Quare, inquit author noster, *expiravit, quæ consuevit haberi devotio habita à Prælatis, & populo penes matrem nostram Ecclesiam Romanam, & patrem, & pastorem nostrum Dominum, videlicet Papam. Etsi illa curia fideles Christi multoties usque ad amaritudinem spiritus cruentaverit, nunquam tamen sicut hoc & sequenti anno, tam lethaliter universos Christi servos & singulos sauciavit: Coguntur enim insontes idololatrare, & quasi Apostatæ veritati, quæ Deus est, abrenunciare.* Et hîc in circunstantijs explicandis immoratur: In his, *venduntur Prælati ut boves & asini; Ecce ultima conditio servitutis. Ecce venditores ejiciendi à Templo, flagellandi: Sed quia ignobilius est, facere injuriam violenter, quàm pati cum innocentiâ, credendum est, quod super hoc clamor ascendat querulus ad Deum Dominum ultionum.* At tandem concludit: *Potestatem habet Papa in his quæ operantur ad ædificationem, non in his, quæ ad ruinam, secundum Episcopum Lincolniensem Robertum.*

Nec vero alibi rem fœlicius gerebat: etenim, inquit, ut animadversum fuit ejus actiones à precibus illis, quas primo adventu pro se fieri flagitabat, adeo discrepare, *intepuit in plerisque erga ipsum devotio, hypocrisim reputant, & secularitatis palliationem quam plurimi.* Itaque quam de ejus sanctimoniâ conceperant spem *prorsus exsufflata evanuit;* Romæ in primis, cum Senator Brancaleo, de quo supra, jus absque personarum acceptione diceret, nobilitas id ægrè passa, comprehensum in carcerem detrusit, evasit ex tumultu uxor, & Bononiam pervenit, ibique obsides arctius haberi jubet. Rogant Romani Pontificem, eos pro suâ authoritate à Bononiensibus reddi præcipiat, qui, ut Romanis gratificetur, precibus & minis nihil reliquum faciens, repulsam patitur. Hîc populus in nobilitatem insurgere, Brancaleonem in ejus Pontificisque contemptum, liberare, restituere; Pontifex nobilium hortatu Senatorem ejusque sequaces, populum utique excommunicare: *omnes cachinnantes*, minas ejus contemnere, deridere; Senator seditiosos pellere, non amicis, non propinquis Pontificis parcere, urbe demùm exigere; Ananiæ ejus patriæ etiam exitium minari. Eò ventum, ut volens nolens natalis urbis ruinam demissisimis verbis supplex per Legatos deprecari compelleretur, *ne universo orbi opprobrio esset.* Interim verò Romanorum nobilium ædes Brancaleon solo æquat, ipsos partim in carcerem conjicit, partim suspendit & mutilat; in illis nonnullos Cardinalium affines & propinquos: Manfredi, non minus amicus quam Alexandri hostis. Quin & ipso mortuo, tantum potuit apud populum ejus memoria, ut in odium Papæ Avunculum Senatorem in ejus locum eligeret, caputque pretioso vase clausum, marmoreæ columnæ, probitatis suæ monumentum imponeret. Hęc in Curiæ Romanæ contemptum eò apertius, quod Pontifex, ut ejus obitum resciverat, populum monuerat: *ne quem in Senatorem eligeret absque suo assensu: ipsi vero cachinnantes, mandatumque Papale contemnentes, illico elegerunt avunculum Brancaleonis, locoque illius in Senatorem solenniter substituerant.* Hæc Matthæus, unde, quod ante

[r]ite dixerat, probet, Pontifex ex pravo regimine quanto in contemptu apud om[n]es esset.

In Germaniâ ad annum usque 1257. Gulielmus Comes Hollandiæ Imperato[r]is titulum à Pontificibus collatum retinebat, qui dum ex magno prælio sese reci[pi]t, sagittâ transfixus moritur. Tenerior adhuc Gonradi filius quàm ut Imperator [e]ligeretur: Alexander tamen Archiepiscopo Moguntino, & alijs Germaniæ An[t]istitibus gravissimas pœnas interminatus, mandat, puerum hunc, excommunicati [f]ilium ne eligant, qui ignorare non possint, Fridericus avus Pontificibus quàm [a]dversus fuerit: commendat verò illis Richardum Cornubiæ Comitem, quem [p]ars Principum suscipit, eo prę sertim nomine, quod pecuniosus haberetur; unde [v]ersus. An. 1257.

Nummus ait pro me, nubit Cornubia Romæ.

[P]ars Alfonsum Castellæ Regem: plerique tamen in Richardum tandem consen[t]iunt, quem ex Angliâ accersitum, in Germaniam inducunt. Alfonsus tùm bellum [i]ndicere, ni loco cedat, Papamque per Legatos rogare ne alium quam se coronet: [R]espondet ille, in more positum, ut coronam Augustalem accipiat nemo, ni se [p]rius Germanici, & Italici regni compotem fecerit. Itaque, Imperatore dubio, [s]cinditur Germania, dum Octavius ejus Legatus Cruce abusus in imperij clientes [o]mni sævitię genere in Italiâ grassatur, inque eo moritur Alexander anno 1261. [C]ui tertio post mense successor eligitur Urbanus quartus, Trecis in Campaniâ Cel[t]icâ, obscuris parentibus ortus. Summa Constitut. Firma profecto consistit. An. 1261. Sigo. l. 19. de regno Ital.

Insignis habetur ejus constitutio (*crudelissimam* vocat) ut omnis Episcopus aut [A]bbas electus personaliter transalpinâre teneatur, id est, *in suam læsionem imo [e]versionem, Romanorum loculos prægnare.* Habet & Urbanus Concilium Romæ, [n]on quidem de fide, quod exoleverat pridem, sed de expellendo Manfredo. [V]isum igitur Cruce-signatos in eum producere, auctis adeo indulgentijs; Caro[l]um etiam Comitem Andegavensem D. Ludovici fratrem in Italiam vocare, spe [A]puliæ, & Siciliæ regni pellectum; sicque in hoc quasi barathrum absorbentur [o]mnes thesauri, quos Henricus Rex Angliæ incautius profuderat. Et Carolus [q]uidem de re totâ cum D. Ludovico consilium capit: Verùm, adventum ejus [m]ors Urbani antevertit, cui eodem instituto Clemens quartus succedit, Narbo[n]æ ortus, Perusiæ electus, qui illicò ad Carolum Legatos mittit. Is vero exerci[t]u, terestri itinere, subsequi jusso, Romam mari trajicit, ubi à Romanis gratanter [a]cceptus, Senator perpetuus, quæ tum suprema illis dignitas, creatur, Clemente [i]ntereà, propter lites, quæ ei cum Romanis intercedebant, Viterbij residente: unde [p]er quatuor Cardinales regni investituram Carolo confert, eâ conditione, ut an[n]uum 4000. aureorum censum, hominij signum, persolvat: Prætereà, delatum [e]tiam ultrò sibi imperium Romanum, non accepturum polliceatur. Quare [p]rogreditur in Apuliam Carolus, adsistente Constantiensi Episcopo Clementis [L]egato, *danteque plenam peccatorum remissionem iis qui militabant pro Carolo.* Et pro[p]e Beneventum Manfredum prælio superat, qui & ibi occumbit. Quâ victoriâ [p]aulo post regnum sibi asserit prostratasque Guelforum, proinde & Pontificum [t]otâ Italiâ res, non mediocriter recreat. Verùm, expergefacti ex alterâ parte Gi[b]ellini, Conradum Friderici nepotem, (Conradinum vulgo) Carolo objiciendum, [e]x Germaniâ evocant. Is exeunte anno 1267. Veronam advectus, ineunte [v]ere in Apuliam contendit, & à Gibellinis omnibus Imperator consalutatus, [o]biter, non procul ab Aretio parte copiarum Caroli profligatâ, Romam inde di- Matthæus Paris in Henrico 3. Colle. l. 4.

digressus, Pontifice Viterbij prӕterito, ab omni populo, faventibus animis excipitur. At in finibus regni prӕlio cum Carolo postmodum decernens, primo quidem impetu exercitum ejus fundit: sed, dum in prӕdam effunduntur sui, Carolus redintegrato prӕlio victoriam consequitur; Ille verò cum primoribus, è fugâ retractus, in hostium manus cadit. Hîc, pastoralis Clementis clementia enituit. Sigonius quasi per transennam, Conradinus, *jussu Caroli, judicio constituto, quasi latro supplicio ultimo est affectus.* Qui utique patris & avi regnum armis disceptabat. Principes, quam sæpè, non tam justo titulo, inter se dimicant? Sed Author Neapolitanæ Historiæ, & alij candidè: Carolum, cum Conradinum integrum annum sub custodiâ tenuisset, Papam quid sibi faciendum esset, consuluisse. Respondisse uno verbo: *vita Conradini mors Caroli, mors Conradini vita Caroli:* ut eum de medio tollendum intelligeret. Notat ille magnanimos quosque ex nobilitate Gallicâ in hanc sententiam consentire noluisse; Comitem Flandriæ super omnes, Caroli generum, qui liberandum & aliquâ affinitate devinciendum proponebat, eumque generosiores quique sequebantur: ij præsertim, qui pravis affectibus vacui; sed, inquit, *crudelior sententia vicit.* Nec sanè, ut jus gentium omittamus, sine instinctu plusquam humano: namque, ut nihil de vesperis Siculis hîc dicamus, quæ immane hoc facinus publicè ulciscuntur: Carolus Salernitanus Princeps, Caroli filius, non multo post profligatâ triginta sex triremium classe, cum innumeris nobilibus capitur, ipse sub custodiâ cum novem insignioribus detinetur, & 200. nobiles Messanæ simul capite truncantur; Qui etiam in vinculis servabantur, furente populo, igne in carcerem undequaque immisso, in odium Papalis anathematis, concremantur: Quin & in Carolum per regni Iureconsultos, exemplo à Conradini judicio sumpto, jure agitur: unde & sententia, & supplicium simile consequebantur, ni Regina Constantia, Petri Aragonum Regis uxor, pietate & prudentiâ singulari, ejus in Cataloniam ad Regem mittendi prætextu, justam hanc ultionem impediisset: unde immortalem illa laudem apud omnes consecuta sit. Carolus igitur Conradinum octodecim vix annos natum, in plateâ publicâ Neapoli capite truncari jubet; Deum injuriæ sibi factæ testem judicemque cientem; Is verò chirotecis in aera jactis, Federicum Castellanum amitæ suæ filium, regnorum suorum hæredem pronuntiat. In ejus oculis caput amputatur Federico Duci Austriæ, intimo & coætaneo, ut ejus quasi morte transverberetur: quod ipse exosculatus pectori admovit; mox & undecim alijs Sueviæ, & Italię proceribus. Addit Author, ministro, qui Conradinum truncârat, alterum ad id præparatum, cervicem ferijsse, ne unquam posset gloriari, se illius sanguinem fudisse, qui è tanta familia natus esset; Quin & Comitem Flandrię præ irâ, manu propriâ eum qui sententiam pronuntiârat, confodisse. Hoc facinus detestatus est totus orbis Christianus, omnes omnino Principes, qui D. Ludovicum Regem, & Carolum fratrem ipsum, nuper admodum à Soldano in Palestinâ captos, humanissimè habitos recordabantur; Et hinc est quod Petrus Aragonius Carolo in quibusdam literis exprobrat: *Tu Nerone Neronior, & Saracenis crudelior.* Quam interim crudelitatem nemo non Clementi imputat; Et verò sententia ipsa, in Conradinum lata, fidem faciat. *Ob turbatam Ecclesiæ pacem, falsoque assumptum Regium nomen.* Non erant quęso sua jura idonea satis, unde hunc titulum sibi caperet? Quin & Clementis ipsius literas habemus, id est, Caroli hujusce Siciliæ Regis ad Petrum Aragonium, *ordinatas*, inquit Author, *per Clementem Papam quartum*, in quibus Petrum Aragonium, Neapolitanum regnum

Collen. l. 4.

Collen. l. 4. Hist Neapolitanæ.

Henricus Guldelfingensis in Historiâ Austriacâ.

Apud Petrum de Vineis.

egnum bello petentem, favore hujus Pontificis fretus, minaciter compellat: *Non onsiderasti*, inquit, *improbissime hominum, matris Ecclesiæ insuperabilem excellentiam, uæ cunctis nationibus habet imperare, & cui totus orbis terrarum, & omnes obediunt naiones. Hæc est, quam terra, pontus, ætheraque colunt, adorant, prædicant, & tenentur mnes qui sub suo sole sunt, reddere tributaria debita, & præstare obsequia, capitibus incliatis.* Adeò, ut supplicium Conradini per sarcasmum ei exprobret, de quo etiam benè meritum dicere non vereatur, *quod quamvis prædo, comprehensus in præliis & ecto judicio mortis patibulum forsan meruisset, attamen crudelissimi spiculatoris gladio, ussus fuerit supplicium diræ mortis*; Idem etiam ipsi auguratus exitium. Qui sanè on Regis, non Principis Francico sanguine prognati stilus, sed Pontificum verè ujus ætatis, inclementis illius Clementis: quod & Author agnoscit. Ei verò reondens Aragonius justum Dei judicium ob oculos ponit, quod, tantam immaitatem, omnibus execrabilem, mox consecutum sit. Etenim, hoc suo scelere non iu fruuntur, cum notat Collenucius Carolum exinde perpetuo mœrore ex conicutis infortunijs conflictatum & confectum: Clementem verò mensem tantùm ipervixisse, cum victoriæ fructum, universam Italiam sibi recepturus videbatur. 'acavit inde sedes annos duos & novem menses, antecessores licet ejusmodi inommodis prospicere conati erant. Namque qui Viterbij residebant Cardinales, um nemo se alio inferiorem putat, nihil certi statuere poterant: ex quibus unus nysteria sua deridens: *Domine*, inquit, *discooperiamus tectum cameræ hujus, quia Spitus sanctus nequit ad nos per tot tecta ingredi.* Quare, quod pars Gibellinorum, ex eâ ccasione animos resumeret, Philippo Regi Franciæ, & Carolo Siciliæ, Viterbium enîre visum, ut pudorem illis incuterent: qui tandem, diu multumque contestati l perfecerunt, ut in Theobaldum Vicecomitem Placentinum, Leodiensem (Lauensem alij dicunt) Archidiaconum, qui tum in Syriâ degebat, consentirent. Is in taliam reversus, Gregorij decimi nomen sortitus; Et hinc Cardinalis Portuensis ersus ille. Onuphr. in Pontificibus.

Papatus munus tulit Archidiaconus unus
Quem Patrem patrum fecit discordia fratrum.

Hæc anno 1272. Obierat interim Richardus Cornubiæ Comes, competitorum mperij alter, cujus locum suffecturi Principes congregabantur. Et pars Richardo itâ functo, Alfonsum Castellanum retinendum censebant, pars Regem Germaniæ onnisi ex Germaniâ petendum contestabatur: Obtestabatur verò Gregorius, nî atim aliquid certi statuerent, se pro suâ authoritate Imperatorem illis daturum. taque inter se tandem conveniunt, ut singulis suffragij sui jus in unum Ludovium Palatinum Ducem Bavariæ transferentibus, quem ipse eligeret, is Imperator aberetur. Qui quidem omnibus ritè expensis, Rodolfum Alberti filium Comiem Habsburgensem, Principem exiguarum quidem opum, sed rei bellicæ expeientiâ clarum, Cæsarem nominavit: Consensere omnes: Solus Rex Bohemiæ Otocarus, cujus Magister Palatij fuerat, indignatur: Unde acre inter eos bellum xarsit. Is Austriacæ familiæ caput, penes quam hodie Imperium. Iam quia Gregorius eum approbat, tumultuatur Alfonsus & apud Gregorium graviter conqueitur, quod in electionem Rodolfi, se inaudito, consensisset. Sed, ut ab eâ petitioe, nihil ultra contestatus discederet, consilium ei dedit. An. 1272.

Sedente Gregorio celebratur Lugduni Concilium, cui Philippus Rex Franciæ, mperator Græciæ, & plures magni Principes intersunt, quod ut optatum à se nem consequeretur, ex unaquaque provinciâ certos Antistites sibi addictos,

adeſſe jubet. Thema illi fuit: Machabæorum exemplo oſtendere, Epiſcopum Romanum, ſummum utique ſacerdotem, utriuſque gladij compotem eſſe: quare de bello ſtatuere, præſertim ſacro, ſui propriè juris eſſe: hoc enim quaſi condimento amara quævis illis deglutienda proponebat. Itaque conſequenter ſtatuit, ut omnium beneficiorum decima per ſex annos in id perſolvatur; omnibus pœnitentiarijs & confeſſoribus injungit, apud peccatores gnaviter inſtent, ut pecuniâ opibuſque ſuis eum adjuvent, ac Chriſtianis omnibus, nullo ſexus, ætatis, conditionis diſcrimine, ſub antahematis pœnâ, annuum denarium imperat. Rodolfus verò inconſultis Imperij ordinibus, eo intuitu, Romandiolam ei primùm concedit; quæ 70000. drachmas auri annuas Imperio pendere ſolita. Conqueſtus erat, qui Concilio intererat Græciæ Imperator, dùm Turca ſuæ cervici immineret Carolum Andegavenſem nova ei negotia faceſſere; Et jam reverſus in Græciam, Gregorio per Legatos pollicebatur, dum modo Caroli conatus averteret, ſe novam Romam veteri, Conſtantinopolim Romæ conjuncturum: Id Gregorius pronis auribus haurit, & Nuntios ad eum delegat, qui tribus conditiotionibus cum eo paciſcuntur. *Primò: Ut in ſacro Græcorum officio*, ἐν ταῖς ἱεραῖς ὑμνῳδίαις, *cum quatuor Patriarchis primus nominetur. Secundò*, τοῦ ἐκκλήτου, *ut Romam appellare liceat, tanquam ad maximum & perfectiſſimum tribunal. Tertiò*, τοῦ πρωτεύειν ἐν ἅπασιν, *ut in omnibus rebus primum locum obtineat.* De alijs Theologiæ capitibus, inquit Gregoras, non commutatum verbum: *Non de ipſâ additione ſymbolo facta*, ἀλλὰ μακρά τις ἠρεμία καὶ ἄνεσις, *Sed pacata & tranquilla fuerunt omnia*; Longum de his ſilentium, ſolum, quod ejus intererat, hîc ſpectatum: Verùm, incommodè ei accidit, quod Imperatorem Eccleſia Græca ejuravit. In hoc ſpeciatim Concilio, certus ordo eligendi Pontificis conſtitutus, qui etiamnum in conclavi obſervatur, qualis legitur in Capitulo: *Ubi periculum*, de electione in ſexto; Nec verò Cardinales ibi hortatur tantùm, ut *Vicarium Ieſu Chriſti, ſucceſſorem Petri, rectorem univerſalis Eccleſiæ, gregis Dominici directorem*, eligant, ſed ſubjungere non veretur, *per neceſſariam totius mundi proviſionem, idoneum eidem Eccleſiæ ſponſum.* Quod Innocentius quidem tertius, in tertio ſermone de conſecratione effatus erat, hic audaciùs in Decretali, quæ maximè illis authentica, expromit; illa quippe ad cujus amuſſim creantur Pontifices, ſuis proinde proprijs titulis, ſi uſquam, inſigniendi. Et quid igitur Chriſto Domino fiet, vero & ſoli Eccleſiæ Sponſo? & quis alius dicere potuit: *deſponſavi te in miſerationibus & miſericordiis?* quis alius eam ſanctificat, *ſeipſum tradidit pro eâ, ut ſanctificaret & mundaret eam lavacro aquæ in verbo?* quis proinde alius idoneus ille, *Eccleſiæ Sponſus?* Et, qui hunc titulum ſibi vendicat, quis porrò niſi Antichiſtus? Non ſanè per comparationem aut proportionem, quæ audax etiam nimis, ſed purè, propriè, abſolutè. Sin Bellarminus hîc regerit, Gregorium id facere, quatenus Vicarius eſt Chriſti: num unquam vel per ſomnium audivit, Principis procuratorem, ſi ejùs vice matrimonium contrahat, Sponſum ſe dicere, ſi dixerit crimine vacare poſſe? Quare in Bernardi reprehenſionem quomodo non incurrat? qui Eugenio Papæ hoc nomine interdicit? imò in Iohannis Apoſtoli Prophetiam, *tantæ blaſphemiæ nomine coopertus*, quo pacto non impingat? Certè, non ita Thomas de Corſellis in Concilio Baſilienſi: *Diximus Eccleſiam Ieſu Chriſti ſponſam fore, Papam verò vicarium eſſe ſcimus. At nemo ſic vicarium ſuum inſtituit, ut ejus ſponſam illi ſubjiciat; Quinimò plus arbitrij in rebus arduis habere creditur Sponſa, quam vicarius, cum illa unum cum ſponſa corpus exiſtat, vicarius non idem cum Domino.* Et moritur Gregorius iſte, ineunte

Nicephor. Gregoras l.5.

C. Ubi pericul. de electione, & electi poteſtate in ſexto. Innocent. 3. in ſerm. 3. de Conſecratione, Summi Pontificis. Oſeæ. 3. Epheſ. 5. v. 25. & 26.

Bellarm. de Romano Pontifice l.2.c.31. Bern. Epiſt 237. ad Eugenium. Thomas de Corſellis apud Æneam Sylvium 1. Commentar. de Cõcilio Baſileenſi.

...unte anno 1276. cui succedit Petrus de Tarantasia Episcopus Hostiensis, ex ordi-
...e Prædicatorum, qui Innocentius quintus; eique post quinque menses, Otho
...liscus Genuensis, qui Adrianus quintus, Romæ præsente Rege Carolo, urbis Se-
...atore, creatus.

Adriano V

Displicuit ista electionis ratio Cardinalibus, quâ suæ authoritati detrahi vi...ebatur. Itaque statim Pontificatum ingressus, ut potentiam Caroli declinet, ...iterbium secedit, quam & imminuturus, Imperatorem Rodolphum Carolo ...bjiciendum in Italiam invitat: quò & jam à Gregorio rogatus, se accessurum ...romiserat. Hic judicet Lector, id quam vehementer animum ejus pungeret, cum ...ndecim dies tantùm sederit, & nondum consecratus, de supplantando Carolo ...ogitaret; Nec Cardinalibus ordo ille Conclavis à Gregorio institutus arridebat, ...ui idcircò nec in eligendo successore, nec in hoc ipso observatus: ab Hadriano ...ontrà, pauculo hoc regni intervallo, Bullâ in eam rem editâ, revocatus; Nem...e, quòd eâ ratione resecaretur ambitus, proinde & largitioni non esset locus: Ut ...er nundinationem aut tumultum Papam creari ipsi præoptent. Cum igitur ...ulla illa, quippe ante consecrationem instituta, authoritatem retinere non pos...et, Iohannes 22. qui ejus locum subit, eam illico confirmat; Et hinc Nicolaus ...rtius, Martinus quartus, Honorius quartus, Nicolaus quartus, Cælestinus quin...us, absque Conclavi creati, ut vel ex eo quam inconstans sit, quo regantur, Spiri...us, cognoscere liceat. Pergit Iohannes, Prædecessorum vestigijs insistens, sto...dus licet & levis: & *plus*, inquiunt, *detrimenti, quàm honoris & emolumenti Ponti...catui afferens*, apud Rodolfum instare, ut veniat: Sed bellum ille quod ei cum ...ege Bohemiæ intercedebat, causatur, dum Iohannes anno Pontificatus secundo ...iterbij, testudinis ruinâ obruitur. Revertuntur hac occasione Romam Cardi...ales; Et hîc rursum Carolus, Urbis Senatorem agens, electioni præsidet, cumque, ... Gallus aliquis nominaretur, frustrà annixus esset, post multas contentiones, sex...o post mense Iohannes Ursinus, qui Nicolaus tertius, eligitur; *ambitionis ille & ...udaciæ plenus*, sic enim à Macchiavello designatur, Caroli potentiæ impatiens, sta...m proponit ei: necesse esse, ut Rodolfus in Italiam veniat, in Palæstinam traje...turus, cui alias subsidium ferri non possit: Hetruriam porrò in Imperij ditione ...enseri, quæ nisi Rodolfo restituatur, excusationis loco fore. Itaque hoc præ...extu, Hetruriam, quam Vicariatus nomine antecessores Carolo contulerant, ei ...dimit; Romæ etiam, quia Senatorem tantæ authoritatis ægris oculis videt, ...lientes suos in eum concitat: seque Senatorem creari curat & deposito Carolo, ...olus Senatorium & Pontificium munus simul implet; In cumulum denique, ...atuit: Ne quis Rex, Princeps, regio sanguine cretus, aut aliâs eminentioris digni...tis, in Senatorem assumi possit, civitasve quovis titulo à quoquam ultra annum ...dministrari, nisi ex ipsius speciali favore: Sicque, quia Suevica familia extincta, ...us amicitia se facilius carere posse putat, Carolum quasi pedibus calcat. Et Ro...olfo quidem plus in Germaniâ negotij esse olfecerat, quàm ut in Italiâ quid...uam moliretur: Cujus in ore frequens illud erat, *vestigia Italiam adeuntium videre ..., non cernere redeuntium:* Eâ igitur fiduciâ, eum tantò magis urget, & cun...anti indignari videtur, præsertim, quod ad iter Hierosolymitanum se non ac...ngat, qui prætextus excommunicandis Imperatoribus nunquam non succur...ebat. Quare Rodolfus, certum corpus majoris umbræ spe, minime dimissurus, ... se hoc onere redimat, Nicolao Romandiolam universam pacatè possidendam ...onfirmat eâ lege, ut Hetruriam, Carolo subductam, sibi restituat. Quo facto

Platina in Hadriano 5.

Platina in Iohanne 22.

Platina & Stella in Nicolao 3. Macchiavelli Hist. Florent. l. 1.

Blondus Decad. 2. l. 8.

Martinus Polonus in Chronic. ad annum 1277.

facto Bertaldum Ursinum fratrem Nicolaus Comitem Romandiolæ creat, eique exercitum attribuit, ut oppida quæ à Gibellinis insidebantur recuperet. Alium rursum Francisco Latino sororis filio, Hostiensi Episcopo, uti Hetruriam, Picænũ & Lombardiam repurget; sicque de potiôre Italiæ parte statuit. Narrant Martinus, & Platina, in animo habuisse, ni morte præventus fuisset, Reges duos sui nominis facere, Hetruriæ unum, Lombardiæ alterum ut viribus suis ille Germanos ultrà Alpes, hic Gallos in regno Neapolitano, in officio continerent; In hos verò præsertim, Petrum Aragonum Regem concitavit, admonitum ut favore suo fretus, jus sibi ex Constantiæ Manfredi filiæ matrimonio quæsitum persequeretur, licet tum multiplicibus antecessorum Bullis, tùm duorum Lugduni Conciliorum decreto, omnes Friderici posteri excluderentur; Et Persuasus sanè ab eo Petrus biennio post, quas vocant vesperas Siculas, patravit, postridie Paschatis die dictâ Insulanorum quoque hospitem Gallum trucidante: quo facto Petrus in regnum ab indigenis protinus revocatur. Notandum, postquàm Hetruriæ vicariatum & Senatoriam dignitatem Carolo abstulisset, per intimos suos explorasse ejus animum, num aliquam in ipsum simultatem aleret: quibus affirmantibus eum se, erga Ecclesiam, eodem modo affectum, arbitrari. Imò, inquit, Principis ingenium ex suo metitus, *fidelitatem habet à domo & genere Franciæ, perspicuitatem ingenij à regno Hispaniæ, discretionem verò verborum à frequentatione Curiæ: alios tolerare possemus istum non poterimus.* Author porro bonus iste Nicolaus, celebris illius Decretalis, quæ extat capite *Fundamenta*, de electione & electi potestate in sexto, cujus verba: *Petrum*, inquit, *in consortium individuæ unitatis assumpsit Deus, id quod ipse erat, Dominus voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, &c. ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne*, scilicet Ecclesiam, *diffunderet*: ut quo pejores sunt, pejoraque faciunt, eo plura sibi perpetuò & audacius arrogent.

Platina in Nicolao 3. Blondus Decad. 2. l. 8. Stella ibid.

C. Fundamenta de electione & electi potestate.

Nicolao anno 1282. succedit Simon Turonensis, qui fuit Martinus quartus, vincentibus numero Cardinalibus Gallis, Urbeveti consecratus. Huic constitutum ut decessoribus, rerum in Italiâ potiri: sed adversis planè vestigijs restitutâ Carolo Senatoris dignitate, excommunicato in ejus gratiam Petro Aragonio, Cruce in eum ejusque sequaces publicè assumi jussâ, ut, qui eos afflabat, Spiritus sibi ipse contrarius erat; In eo solo prædecessori concors, quod ejus concubinam apud se recepit, quæ, quia illi ursum pepererat, ut idem incommodum vitaret, omnia Ursinorum insignia in Palatio eradi jussit, ne formam eandem ex eorum inspectione conciperet. Tradunt hîc Historici, Petrum Aragonium, cum Carolus, lanienam Siculam ulturus, eum acriùs premeret, ex occasione suarum literarum bellum in duellum convertere voluisse; Itaque obtulisse, ut regni controversia certamine millenorum utrinque aut centenorum, aut singulari adeò ipsorum Regum finiretur. Conditionem singularis certaminis alacriter accipit Carolus: dies constituitur, locus Burdegala in Aquitaniâ deligitur, vindex palestræ, Rex Angliæ, utriusque propinquus. Addunt & Martinum, *quamvis absurdum videretur*, in id consensisse, Gerardumque Parmensem Cardinalem spectatorem totius rei futurum, eo misisse: Comparet Carolus, majoremque diei partem expectat, quod certaminis Præses adtestatur; Et, Aragonio in arenam non prodeunte, discedit, eam igitur ob causam Petrum anathemate ferit, regno Neapolitano indignum pronuntiat; quin & Catalaniæ regno deponit, quod proinde in Carolum Philippi Galliæ Regis secundum filium confert. Mox verò & Crucem in eum

An. 1282.

Iohannes Noviodunensis in illustrationibus Bedæ.

Blondus Decad. 2. l. 8. Collenuc. l. 4.

um convertit, & in gratiam Caroli omnium peccatorum remiſsionem aſſumptu- s pollicetur. Nota Lector, qualis hic Chriſti vicarius, qui tantos Principes inter duello committit; quem num dubitas quin ejuret? Cum autem omnes Siculi eo- em anathemate involuti fuiſſent, rebus Petri in extremum adductis, ad Marti- um ſupplices confugiunt, eminuſque proſtrati conclamâre leguntur: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem:* Cui interim blaſphemiæ non recla- mat: nec animadvertebant miſeri Draconem in eo loqui, dum Agni cornua oſten- t. De hoc eodem Pontifice Nicolaus de Biberach Theologus Erfordienſis con- queritur, quod impubere ſe Romæ, Ganimedis loco abuti voluiſſet; ſunt hæc us verba, eumque ita Germaniam odiſſe, ut in ſtagnum converſam ſæpe optaret; uare & Epitaphium ei condit ejuſmodi.

Paul. Æmilius in Hiſtor. Francorum in Philipp. tertio.

Hic jacet ante chorum ſubmerſor Teutonicorum
Paſtor Martinus, extra qui totus ovinus
Et lupus introrſus, cui nulla redemptio prorſus
Sed ſit ad inferna, detruſus ab arce supernâ.

Nicolaus de Biberach in lib. qui inſcribitur occultus.

inc verò nonnulli illum *Teutonicorum inimicum* nuncupant, præſertim Author iſtoriæ Auſtralis. Huic poſt biennium ſublegitur Iacobus Savellus Romanus, onorius quartus, qui in Romandiolâ, ad ſedis ſuæ obſequium reducendâ totus, tatum tandem finem conſequitur, dum Guidonem Montefeltrenſem Gibelli- rum Principem, qui præcipuè obnitebatur, partim bello domat, partim ſecum ciſci coactum, in Comitatum Aſtenſem compellit; eaque lege in gratiam re- pit.

Verùm, Rodolfi præcipuè ſeu imbecillitas, ſeu nimia prudentia, Pontifices in aliâ quaſi emancipavit: Cum enim, inde moleſtias, quas Pontifices deceſſoribus is exhibuerant, reformidat, hinc per Princevallium Fliſcum Cancellarium, Ur- s Italiæ libertatis appetentes, ad priſtinum officium revocare, quam difficile, & plorat, & pro explorato habet, libertatem illis integram reſtituere apud ſe nſtituit: modo ſingulæ pecuniarum egenti certam ſummam ſuppeditent. Qua- , Princevallium cum illis tranſacturum rurſum delegat. Is verò diplomata ndicto pretio illis tradidit; Et hinc plerarumque privilegia, civitatis Lucenſis, 000. aureis redempta, Florentiæ 6000. & aliarum, quæ eâ ratione ſui juris ctæ, *Imperij fideles*, exinde vocantur. Suggillant Rodolfum Hiſtorici, Blondus, bellicus, Trithemius, Cuſpinianus, Krantzius, Nauclerus, alij, quod imperio agnam cladem attulerit, ſed *Honorio Papæ*, inquiunt, *non diſplicuit hæc venditio, et indigna tanto Principe videretur, quia eâ ratione Eccleſiaſtica ditio ſecurior futura debatur.*

Iohannes Noviomagus in illuſtration. Bedæ.

Addamus breviter, ſuperſtitio ut cum ambitione crevetit. Sub Alexandro arto, Peruſiæ, quæ ejus ſedes, Flagellantium ſecta exoritur, authore Eremita odam; viri & fœminæ in peccatorum expiationem ſupra umbilicum nudatæ, e per vicos flagellabant, horrendis ejulatibus Virginem Mariam reclamantes, bes circumeunt, alioſque ſuo exemplo concitant, populumque omnis gene- ſecum abducunt, Ex Hetruriâ in Picenum, inde in Æmiliam ſeſe effundunt: hæc fanatica ſuperſtitio, ignis inſtar, obvia quæque depaſcat. Aventinus de c: *Sanguinaria pœnitentia tum Peruſiæ in Tuſciâ orta eſt, nec ulla injuria cœli viæ præpedivit, quo minus hæc ſacra cruenta perpetrarent, atque cœptum caperent iter;* In ermaniâ præſertim: *Itaque imperia dira in ſeipſos, ne ſomno quidem quieto irrogando ſque per tres & triginta dies, atque ſemiſſem perdurabant: tùm ſe expiatos ſceleribus,*

Blondus l. 8. Decad 2.

Deoque reconciliatos existimabant : Iam, inquit, *Alpes superârant*, *superioremque Bojariam lustrarant*, *atque Fruxinum usque penetrarant*, *Ludovicus ultra in suo regno progredi prohibuit*, *Henricus verò veluti prophanos (ne suos omnino fines ingrederentur) publico edicto coercuit.* At Krantzius, quid meliores de his sentirent, expromens: *in hac sectâ*, inquit, *horrendi intùs latebant errores*, *qui Deo volente*, *propalati exterminabant Dæmoniacas illas adinventiones* : *Interim verò facie dejecti*, *vultibus ad commiserationem flexis*, *canebant hymnos in laudem Crucis Christi*, *& quoties nomen Christi intervenerat*, *quod utique non raro fiebat*, *proni cadebant sine respectu loci*, *lutosi*, *scruposi*, *lævis*, *asperi*, *humecti*, *aridi*, *nihil verentes*. *Habet enim inter mortales & Diabolus martyres suos.* Pontificij authoris hæc verba sunt, hæc licet effera superstitio in oculis Pontificum non tam approbaretur, quàm adoraretur; Ab ejusdem Pontificis authoritate Clara in Sanctorum Canone refertur, & festum suum habet, cujus & Regulam confirmat, ut quem Franciscus inter viros, illa inter fœminas locum obtineat. Et consimilibus blasphemijs ejus Legenda scatet. Urbanus quartus, ab eodem spiritu, eodem tempore, *Festum corporis Christi* instituit, de cujus origine varij variè; Sunt qui impulsum dicant, quod Sacerdote in urbe Vulsenorum celebrante, sanguis ex hostiâ prodire visus: unde Bulla, cujus initium: *Transiturū de hoc mundo* : Alij reclusam quandam ex agro Leodiensi, Evam nomine, quam ante Pontificatum Urbanus familiariter cognoverat, id sibi cœlitus revelatum significasse, unde alia illa Bulla: *Scimus ô filia*, pari fundamento nixa. Sub Clemente quarto, primus Iohannes Semeca in Gratiani Decretum commentarios scribere ausus: sic enim de eo loquuntur: Quidam Iohannem Theutonicum Præpositum Halberstatensem vocant: Nec is de sede Romanâ parum meritus sibi videbatur, qui tot axiomata in Pontificum favorem indidisset, de quibus suo loco. Attamen cum Clemens decimas à Clero Germaniæ belli sacri prætextu inclementius flagitaret, ipse fraudis gnarus intercessit, & Concilium appellavit, quo nomine excommunicatus fuit: In quo licet statu mortuus, in Sanctorum Canonem ob miraculorum famam posteà relatus. Instituerat Gregorius decimus, uti vidimus, ordinem eligendi Pontificis in Conclavi; in Concilio etiam Lugdunensi Mendicantium ordines, ingruentibus quotidie novis, quaternario numero definierat, qui jam in novem decemve examina evaserant; *Saccorum Fratres*, *Fratres pratorum*, *& alios*. At Nicolaus tertius Minorum regulam in scholis publicè legi voluit: qui impediret, anathemati subjecit. Vidimus verò satis, qualis ille fuerit: Ut horum unusquisque Mendicantibus quasi certatim authoritatem addere voluerit, quippe quos suarum exactionum, & violentiarum ordinarios proxenetas facerent. Sed Honorius extremam manum attulit, unde formidini Pontifices omnibus deinceps fuerunt; Uti filij, nepotes & posteri hæreticorum (& tales illis quoscumque libet) ad nullam personalem dignitatem, munia publica, Ecclesiastica beneficia, quoquo prætextu admitti possint. Et experimento nos in Galliâ didicimus, quorsum hoc pertineret, Bullæ initium: *Exhibita nobis, &c.* quæ in *fautores & receptatores* hæreticorum porrigitur, id est, pro libidine extenditur.

Krantzius in Metrop. l. 9. c. 44.

Summa Constitut. & in Clementinis l. 3. de reliquiis & veneratione Sanctorum Tit. 10. c. 1.
Petrus Præmonstrat. in Chron. qui inscribitur Biblia pauperum.
Arnoldus Bostius.
Krantzius Saxoniæ l. 8. c. 17.
Avent. l. 7.
Volaterra. in Antropologiâ c. 21.
Chronic. Æditui.

OPPOSITIO.

IN eam tandem magnitudinem monstrum hoc Papatus excreverat, ut orbis Christianus vix illi nútriendo satis esset; Huic quasi prædæ diripiendæ, Legati

&

& Mendicantes, unguium instar erant; Reformidabant in primis Principes eorum censuras, non tam religione ducti, quàm ne aut simplicior plebs his artibus subornaretur, aut avidiores vicini eo prætextu ad suam cupiditatem abuterentur; Ne deerant tamen, qui se adversus illas vendicarent. D. Ludovicus noster supra alios, qui suo exemplo cæteris præluxit, in celeberrimâ illâ Pragmaticâ Sanctione quæ disertè: *Simoniæ crimen pestiferum Ecclesiam labefactans, à Regno nostro penitus eliminare volumus & jubemus. Item, exactiones & onera gravissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri impositas, vel imposita, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum extitit, sive etiam imponendas vel imponenda levari aut colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, piâ, & urgentissimâ causâ, vel inevitabili necessitate, ac de spontaneo & expresso consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri.* Beneficiorum ille etiam, quas vocant, *provisiones*, ad antiquos Ecclesiæ Canones revocabat. Et in confirmationem Prælatorum, tum electivarum, tum præsentatarum, ullam pecuniam Romam transferri vetabat. Clerus in Angliâ audacius: Cum Legati nunquam nisi Clerum & regnum expilaturi veniant, Regem rogant, uti ex jure & privilegio Angliæ, nulli Legato, nisi veniâ prius disertè petitâ in Angliam transfretare liceat. Instabant, ut de fratribus Mendicantibus, Prædicatoribus & Minoribus præsertim, quos vulgo *Legatos Sophisticos* vocant, idem statueretur; Et porrò obtinuissent, nisi in Regem tum incidissent, qui Pontifici mutuam operam præbebat, ut utrique populum deglubere liceret. Rustando Papæ Legato crudelem exactionem urgente, cui Rex ipse adsentiebatur, *à sulphurato fonte proh dolor! Romanæ Ecclesiæ* manantem, Fulco Londinensis Episcopus, frequenti Concilio: *Antequam*, inquit, *tantæ Ecclesiæ consentiam servituti & injuriæ, ab intolerabili oppressione, profectò decapitabor.* Sequitur Episcopus Wigorniensis altâ voce, *priusquam tali subjaceat Ecclesia sancta subversioni, suspendio condemnabor.* Referebat Rustandus, *omnes Ecclesias Papæ esse*: Excipit Magister Leonardus modò *tuitione non fruitione*, non ut dissipet sed ut conservet. Rex, quem Legatus lucri participem fecerat, Episcopo Londinensi tanquam cæterorum incentori pœnam minatur; Tum ille, *Auferant*, inquit, *Episcopatum, quem tamen non possunt de jure auferre, Papa & Rex, qui me fortiores sunt, Tollant mitram, Galea remanebit.* Hæc sub Alexandro quarto, ad quæ populus: *Papa iste est, qui postulavit ab Ecclesiâ precum devotionem sibi impendi, & quomodo credi potest, quod hic faciat pejora prioribus?* *abj.*

Bochellus l. 4. Decret. Eccl. Gallican. p. 647.

Matthæus Paris in Henrico 3.

Verùm, nemo hîc Archiepiscopo Eboracensi Sewalo fortior; ille ipse de quo S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, cujus à scholâ prodierat, tam præclara prædixerat. Hic, ut videt à Papæ provisionibus nihil in suo Archiepiscopatu intactum, magno animo sese opponit: In primis, quòd omnia munia Ecclesiastica Italis, qui apud se erant, distribueret, desertoribus proinde greges committeret, & omnes Angliæ Prælatos Romæ confirmandos personaliter *transalpinare* juberet. *Aggravavit itaque manum suam Dominus Papa in eum jussitque illum in totâ Angliâ excommunicari ignominiosè, accensis candelis, & pulsatis campanis, ut tali terrore ac tanto suam constantiam enervaret, &c. Ille tamen de consolatio cœlitus mittendo minimè desperavit, omnem Papalem tyrannidem patienter sustinendo; Nec optimos Ecclesiæ suæ redditus transalpinis indignis & incognitis conferre volebat, nec curavit voluntati Papali, relicto juris rigore, muliebriter obedire vel inclinare. Quapropter quanto magis, præcipiente Papa, maledicebatur, tanto magis à populo benedicebatur; tacitè tamen propter metum Romanorum. De carcere*

Matthæus Paris in Henrico 3.

mundi ad cœlum ascendens, avolavit, dum constanter contra Romanæ Curiæ tyrannidem, quoad poterat pro Ecclesiâ suâ viriliter dimicavit, multis tribulationibus lacessitus, pro istâ vitâ mundanâ, regnum cœlorum, ut veraciter creditur, commutavit. Nec omittendum, *quòd huic suo charissimo beatus Edmundus, dicere consuevit discipulo speciali: O Sewale, Sewale, Martyr ab hoc seculo transmigrabis, ferro, vel saltem gravibus & insuperabilibus in mundo tribulationibus impetitus & trucidatus. Veruntamen sit tibi consolator, qui suo Psalmagrapho inspiravit, dicens, Multæ tribulationes justorum, de quibus quandoque liberabit omnibus eos Dominus, &c.* Narrat idem author, eum, morti propinquum cum se sentiret, madentibus oculis in cœlum sublatis, in hæc verba erupisse: *Ante summum & incorruptibilem judicem ipsum Papam appello, & erunt mihi testes cœlum & terra, quàm injustè impetivit me, & lacessitum multipliciter scandalizavit.* In hac igitur animæ suæ amaritudine, Roberti Episcopi Lincolniensis exemplo, Pontifici per literas enormia facta sua ob oculos ponit, utque à solitâ tyrannide, Sanctorum prædecessorum humilia vestigia relegens, sibi temperet. *Dixit enim Dominus Petro: Pasce oves meas, non tonde, non excoria, non eviscera, non devorando consume. Sed Dominus Papa subsannans & contemnens, indignationem concepit non minimam, eo quod in tantam temeritatem & præsumptionem prorumperent, ut Dominum Papam auderent quomodolibet sollicitare: Et tam Archiepiscopi Sewali, quàm dicti Roberti Lincolniensis salutaribus monitis, renuit inclinare.* Et huic tamen Author noster miracula tribuit. Hæc etiam sedente Alexandro quarto.

In Galliâ sub Gregorio decimo florebat Nicolaus Gallus, in Occitanis natus, Carmelitarum Prior generalis septimus, qui corruptelarum pertæsus, quæ jam ordinem suum pervaserant, antiquam eremum repetit, ibique vitam finit; Author ille libri, cui titulus, *Ignea Sagitta:* In quo Monachorum suæ ætatis, Mendicantium præsertim mores describit, qui licet ab ortu recentes, in eam depravationem venerant, ut in suis conventibus, studiorum, exercitiorumve Christianorum nulla jam mentio fieret, voluptati & turpitudini tantùm incumberetur. Hos dum ab eremis in urbes transeunt, ita degenerasse, ut præsentes & futuros seducant: In culpâ verò Pontifices esse, qui nihil non illis, Ecclesiæ damno, salutis propriæ periculo, indulgeant. Ab eadem venâ Elias Rubeus Anglus in Semidiali, Monachos religionem in superstitionem vertisse, ab interiori ad exterius avertisse, ad cucullam, ad colorem, ad cibum: Ut in rebus vanis & adiaphoris salus collocetur. Non aliud hominum genus clericis cupiditate magis cæcum, turpitudine magis infame; Hominem alias à bonis moribus commendatum, ut in aliquam dignitatem in Clero evehitur, in latronem illicò transformari, ex agno lupum fieri, nundinatorem & cauponem ex milite Christi; Itaque meritò à quodam dictum de Monacho in Episcopum consecrato: *Monachum promovendo perimunt.* Omnes Episcopos Episcopatum portâ non apertâ invadere, perruptis muris, nec inferiores aliâ ratione promoveri. In Curiâ Romanâ, dicebat, *nisi gravidas ære crumenas præsentaveris, ad Ecclesiasticæ dignitatis honorem non promoveberis,* literarum, virtutis, religionis nulla ratio habetur: *in tali casu literas, virtutes & moralia, realis superat allegatio.* Hinc verò, *quia promotos se gloriantur. pecuniæ per subsidium, exfrontisimi fiunt extortores postea pecuniarum: sed in hac re, me judice, supremè delirant viri Ecclesiastici: At quid de Rectoribus Ecclesiæ dicemus? Certè, ut in veritate merâ subsistamus, nihil boni citra mendacium de eorum dicere poterimus universitate.* Nicolaus de Biberach in Germaniâ non secùs. Narrat se Romæ fuisse, indicat simulatas blanditias erga exteros literatosque homines, & *juramenta per Judæ oscula.* Fidem ibi

Elias Rubeus in Semidiali l. 2. c. 3. & 4.

bi & pietatem aromatum instar *raram & caram*: Papam ejusque satellites omnia d se rapere, Pharaone pejores, fures, latrones, *perpetuò in sinu mulierum? &c.* In os versus desinens,

Papæ dicatis, precor, intuitu pietatis,
Quod stat in Ecclesiâ, jam multiplex Simonia,
Et mala, quàm plura, quæ sunt fidei nocitura,
Quæ si durabunt Eclipsin forte creabunt.

Ecclesiæ deliquium exinde præsagiens. Arnoldus de Villanova sanè, natione Ca-lanus, vir omnium linguarum & disciplinarum cognitione tinctus, præfractiùs: *iabolus*, inquit, *totum populum Christianum fecit aberrare à veritate Iesu Christi. Fi-s, quam jam habent Christiani, talis est, qualis Dæmonum. Omnes Claustrales sunt tra charitatem, & damnantur. Omnes falsificant doctrinam Christi, malè fecerunt heologi, nempe Scholastici, miscentes Philosophiam Theologiæ. In jure Papæ, tantùm hominum mandatis & operibus agitur.* De doctrinâ verò, *Sacrificium altaris* disertè mnat. *Missæ non sunt celebrandæ: pro mortuis non est sacrificandum: Nihil in eo Deo ertur: Eleemosyna magis passionem Christi repræsentat, quam hoc sacrificium.* Quare, has Theses, hæreseos damnatur à fratre Iohanne de Langolio, ex ordine Prædi-torum, & Gaufrido de Crudellis. Bernard. Luitzemburgens. in Catalogo Hæreticorum.

Verùm, Germania sub Honorio quarto, avitæ virtutis memorem se exhi-it. Mittit ille Iohannem Episcopum Tusculanum Cardinalem ad Rodolfum Cæsarem, rogandi specie, ut in Italiam coronam suscepturus veniat, quamvis id inimè cuperet: & ab omni Clero, per quinque annos, proventuum suorum adrantem postulat, seculares pariter & regulares complexus, etiam virginum bbatias. Itaque convenitur Wirtsburgi, ibique explicantur diplomata, regijs in eam rem orationibus roborata: Surgit Archiepiscopus Coloniensis omnium consensu, intercesſioneque factâ, Concilium generale appellat, Ra-tones, ex mandatis universi Conventus exponentem, Legatus abrumpit, mina-tr, fulminat, excommunicat, Monachi & Sacerdotes eum cachinnis excipiunt, rumoribus Templum complent; Exclamat ille, vim sibi fieri, & Cæsarem, qui cram aderat, implorat. Is per Mareschallum, seminecem, cum palabundâ fami-l, in hospitium deduci jubet. Tùm Probus Tullensis Episcopus Theologiæ Doctor, in labro lustrico consistens, hujusmodi orationem habet. *Quousque, olegæ Charissimi, Romuli illi vultures patientiâ nostrâ, ne dicam stultitiâ, abutentur, ousque eorum flagitia, avaritiam, superbiam, luxum tolerabimus? Non cessabit hoc ge-s Archisynagogῶν pessimum, nisi omnes ad egestatem & servitutem durissimam redege-;* Pontifices sacerdotibus Iudæorum comparans: *Discordia nostra hocce malum avit, discordiâ nostrâ illi nebulones usi sunt, nec unquam, quandiu illi salvi fuerint, ristianis festam pacem servare, ab armis feriari, pietatem inter se colere licebit. Nuper xones atque Suevos inter se commiserunt, deinde divum Fridericum secundum, reipublicæ ristianæ utilissimum, Conradum quartum Suevos atque optimos Principes, imperio simul que vitâ privârunt. In Germaniâ discordiæ mala, Satanæ & Antichristi satrapæ inarunt, Conradum posteà insontissimum, immerentissimum & optimæ indolis ado-entulum, prolem Divorum, jure gentium, hæreditatem majorum repetentem, fraude, o, interceperunt, ac crudelissimè necarunt. Suevos atque Francos Westriacos* (Con-lum contra Carolum) *inter se armis, veluti spectaculum sibi ac paria componentes, mmiserunt: Deinde adversus hos Hispanos concitarunt. Nunc nos adversus Galliæ* Avent. l. 7. Nauclerus Vol. 2. Gener. 43

atque Hispaniæ Proceres, cognatos nostros, ex Germaniâ quondam profectos, concitâre nituntur, (Ut utrumque Italiâ expellant.) *In memoriâ habete, quod ante duodecim annos ille sanè egregius Decimus, cum decimis egerit; Idem, Quartus cum quartis aget. Ut illas Gregorius vigilantissimus à nobis emungeret, Scythas, Arabes, Turcas in nos armavit. Mentiar, nisi hosce, (nempe maximum vectigal) magis salvos quàm nos esse velint, Divi Bernardi consecranei, quibus tamen, ut amicis ille consultum volebat, millibus aureûm nummis sexcentis se redemerunt. Hinc licet existimare, quanti illa Conciliabula constent, quantumve auri corrodatur. Fallacia fallaciam trudit, atque placita hujusmodi argutorum hominum magis more, quàm ex bono atque æquo, Satanæ illi lucem simulantes, comminiscuntur, quibus populo tenebras offundunt, quæ nequaquam Christo Domino, Deoque nostro cordi esse, exitus & opera, nisi planè cæci sumus, probant, eventus docet, sacræ literæ cantant. Proinde Patres Christo devotissimi, expergiscimini, consulite, succurrite rebus perditis, respicite atque capessite rempublicam. Majores nostri, immunes imperij tamen, Romanos armorum studiosissimos, disciplinæ militaris peritissimos, gentium victores, rerum dominos, orbis terrarum domitores, humano generi, finitimis imperitare permoleste tulerunt, eorumque imperium armis solverunt. Nos pueris atque effœminatis (ne quid gravius dicam) æquo animo servimus? Quis sit ille Tusculanus, non sum nescius: Novi hominis mores, aurisuga est, venalisque fœnerator, atque perfidus, vile pecuniæ mancipium. Ego minas ejus floccifecero, Senatumque totius orbis Christiani appello. Hæc ubi Probus dixit, cæteri omnes sententiam ejus collaudant, atque sequuntur. In paucis diebus universi, Tusculano vim formidante, neque in publicum prodire audente, paulatim dilabuntur. Ita re infectâ, Concilium solutum est.* At Pontifex hanc contumeliam ulturus, Probum anathemate percutit, & quatenus potest Episcopatu suo privat.

Mattheus Paris in Henrico. 3.

In pari casu Matthæus Paris Monachus in exclamationem erumpit: *O Romanæ Curiæ sterilis sollicitudo, cæca ambitio, licet sancta*, (sic ille per ironiam) *sæpius tamen pravorum decepta consilio, quare fræno discretionis impetus tuos non moderaris, ex præteritis erudita, ex toties expertis castigata? Ecce in tuis jacturis omnes punimur: omnes enim compatimur, universalem sentimus cum opprobriis confusionem: Duos jam in Alemanniâ Imperatores conata es creare, in quorum promotione inæstimabiles thesauros undecumque raptos oportet exponere, utroque tamen incerto de dignitate. Et nunc in partibus Apuliæ, Papalis exercitus turpiter contritus bis, videlicet semel sub ducatu Wilielmi Cardinalis, iterùm sub legatione vel ducatu Octaviani Cardinalis, omnes filios Ecclesiæ universalis damnis lacessivit, opprobriis inebriavit, doloribus sauciavit. Ut autem brevibus concludatur, universalis Ecclesia, quæ à Romanâ tenetur Curiâ defendi, in multis se conqueritur prægravari.* Hæc paulo antè sub Alexandro quarto.

Sed eodem Pontifice prodit Theologorum Parisiensium cum Mendicantibus contentio, qui ex Pharisæis, Pontificum Publicani facti, Pastorum ordinariorum mastiges, omnium universitatum perturbatores; Et jam vidimus, ut illi ob Theses quasdam hæreticas reprehensi damnatique fuerint, si perseverarent, Ecclesiæ communione pellendi; Qui nunc novi criminis arcessuntur, Dominicani præsertim, Novi Euangelij, *æternum* vocabant, authores, cujus specie, consilium illis, sacrum illud Domini nostri sepelire: De eo igitur Authores in hæc verba: *Crebrescentibus scandalis & odiis inter Magistros Parisienses & fratres Prædicatores, electi sunt, cum magnâ deliberatione, quidam celeberrimi magistri Lectores, videlicet Magister Wilielmus de sancto Amore, & Magister Odo de Doaco, qui nobiliter rexerant in Artibus, in Decretis & tunc in Theologiâ, Magister Christianus Canonicus Belvacensis, qui maximus quasi Philosophus emeritus, postquam in artibus rexerat, in*

Mattheus Paris in Henrico. 3.

The-

Theologiâ lecturivit, Magister Nicolaus de Baro super albam, qui rexerat in artibus, Legibus & Decretis ad legendum in Theologiâ præparatus, Magister Iohannes de Gectailla Anglicus, Rhetor universitatis & Magister Iohannes Belim Gallicus, nominatissimi philosophi regentes in artibus. Omnes isti de nobilissimis viris procreati, prælecti sunt er magnum, quia fides patiebatur, detrimentum, consilium & deliberationem, ut Romam adeant & Dominum Papam pro tranquillitate Universitatis Parisiensis, & fidei reintegratione, maximè cum hoc malum majus generare comminetur: Collectaque sunt eis c universitate viatica: Fratres namque nova quædam prædicabant, legebant & docent, ut dicebatur, deliramenta, quæ de libro Ioachim Abbatis, cujus scripta Gregorius Papa damnaverat, extraxerunt. Et quendam librum composuerant, quem sic eis intitulare mplacuit: Incipit Evangelium æternum: Et quædam alia quæ non expedit recitari. Prædicatores autem contra Universitatem suos expeditos nuncios illicò transmiserunt, ut agistris in faciem contradicerent. Subsannavit populus Eleemosynas consuetas subtrahen-, vocans eos hypocritas & Antichristi successores, Pseudoprædicatores, Regum & Principum adulatores, & consiliatores, ordinariorum contemptores, & eorundem supplantato-s, thalamorum Regalium subintratores, confessionum prævaricatores: Qui peragrantes notas provincias, peccandi audaciam subministrant. Auditis igitur hinc indè querelis, æcipit Papa, ut novus ille liber, quem Euangelium æternum nominant, secreto & si posses eri, sine fratrum scandalo, combureretur, & alia, quæ de Ioachim corruptela dicuntur anasse. Vigilanter igitur procurante diligentiâ Domini Hugonis Cardinalis & Episopi Messanensis, qui de ordine Prædicatorum extiterunt, cautè ac tacitè procuratum est, a ut tumultus ad horam conquievit. Dogmata hujus Euangelij hæc fuere: *Deum trem sub lege regnasse, filium sub gratiâ, sed jam exortis quatuor mendicorum ordinibus, piritum Sanctum suo regno inaugurari ad finem usque mundi duraturo, atque eos solos lvatum iri, qui novo huic Euangelio credituri essent: Christi Euangelium non esse veum, perfectum, & salutare, parvi etiam esse æstimanda ejus Sacramenta: Sed, hoc si cum o conferretur, tantum præstare, quantum Sol lunæ præstat. Denique aliam prorsus esse cclesię, cujus hic fundamenta jecit, quam prioris rationem & proportionem.* Et tamen us authores, à Pontificibus tollendi, tolerabantur, fovebantur: quia justum & s illis quidque, modò ad suam potentiam faciat: Metuebant verò præsertim, ne roxenetæ sui gratia apud Populum exciderent, quorum ore, unguibusque præm ad se rapere solebant: In eos itaque & concionatur & stilum stringit Gulielus ille de S. Amore, magnæ tum inter bonos existimationis, publicè in Sermoibus præ se ferens, se præ alijs omnibus criminibus hypocrisim detegendam quasi demisse; quippe à quâ veræ pietati plus quam à cæteris simul omnibus, & damni periculi; quia etiam Ecclesia undequaque hypocrisi scatebat, quam nemo, apæ & Prælatorum metu, aggredi audebat; Inter alia legitur etiamnum liber us *de periculis mundi, seu novissimorum temporum*, Cujus initium: *Quia nos vacantes cris Scripturis, &c.* Basileæ anno 1555. excusus, & quidem extra omnem suspionem, cum Matthias Paris in magno, quod scripsit contra Antichristum, voluine, eum integrum complectitur; & Parisiensi ipsi Universitati tribuit; nempe ujus authoritate & mandato eum scripserat & ediderat; vel ex eo, quòd numero urali semper loquitur. In eo igitur libro convincit eos aut sine missione con-onari, aut saltem sine Canonicâ missione: contra & præter veritatem sacrę Scriuræ aut fraudulenter reticentes, quod maximè docere deberent: in familias repere, populoque per confessionem obrepere, quem in suam demum potestam redigant, ut facilius dominentur; *se etiam generales Ecclesiæ opitulatores* vocare, omni-

Matthias Paris in li. de Antichristo.

omnibus sese hominibus anteferre, religiosis ipsis; & ut sanctiores appareant; novas superstitiones & traditiones comminisci: Primos accubitus in convivijs diligere, primas Cathedras in Synagogis, salutationes in foro, & ab hominibus appellari Rabbi, jactare se magnos in Ecclesiâ Dei profectus facere, sua suorumque miracula ostentare, & quæ minime fecerint, sibi vendicare: specie humilitatis in aulas Principum sese insinuare, & in aulicis censeri velle, hominum ulceribus abblandiri, & zelum longè alium, quam Pastorum ordinariorum ementiri: Initio, cum gaudeo suscipi, sed quod mox in tædium transeat, contra quam veris Apostolis contingat: Importunè flagitare, indifferenter recipere, nec unde necessitatem sublevent, sed indulgeant voluptati: Magnatum denique literas commendatitias emendicare. (Et hîc Pharisæorum Neotericorum mores agnoscat Lector).

Gulielmus de S. Amore lib. de pericul. mundi edito Basileæ, Ann. 1555.

Idem in Sermone quodam: Christum, inquit, ad prædicationem simplices & idiotas elegisse: At Antichristum èconstrà, ut falsitatem suam propaget, homines duplices sibi delecturum, subdolos, & secularis scientiæ peritos: Nec tales ipsum Antichristum modò delecturum, sed & ejus membra, ejus Asseclas. Nec mirum si fidei Christianæ professores illi ad necem poscant, cum Iohannes in Apocalypsi dicat: *Vidi Bestiam ascendentem de mari, cui septem capita & cornua decem.* Bellua autem illa Antichristus cum suis.

Duæ Conciones Gulielmi de S. Amore in Antilogiâ Basileæ editâ An. 1555.

Et aliquot post ânnis, Iohannes de Poliaco Gulielmi discipulus, & Laurentius Anglus, has Theses publicè in Sorbonâ defendunt. In quodam Sermone Ecclesiam etiam præmonet: *A Monachis gravissimum illi impendere periculum: Fore illos seductores & Antichristi Ministros; Et Antichristi quidem, qui prope ad portas adstet.* Verùm, cum Papa novi hujus Euangelij scandalum, ne suis rebus noceret, compressisset, paulo post tempore, vindictæ cupidine in Gulielmum de S. Amore & similes, occasione ex illis *veritatibus* sumptâ, jure an injuriâ agit, eumque hæreticum & pronuntiat & proscribit; Quin & de illo apud nostros Principes conquestus, qui ejus gratiam promereri volebant, eundem Universitate exigit, quæ inde quasi vacua remansit; Thomam etiam, Bonaventuram & alios in eum exacuit, quâ ratione vera Theologia Sophisticæ succubuit, Aristoteli Paulus; Mendicantes verò exinde scholas Theologiæ invadunt, Iuris prudentiæ pulpita Canonistæ, ut ad Gratianum & Lombardum reductis omnibus, de sacrâ Scripturâ in scholis sit altum silentium. Itaque ex eorum officinis libri deinceps prodeunt, ex ipsis titulis dignoscendi, Summæ, Repertoria, Quodlibeta, Rosaria, Legendæ, Specula, in Sententias, Decreta, Ordines, Monachorum Regulas, Confessiones, Tractatus de potentiâ Papæ & clavium, de utilitate vitæ Monasticæ, de Mendicitate, de sex alis Seraphim, de septem gradibus contemplationis & consimiles: quibus ad nostra usque tempora condensatis ignorantiæ & supestitionis tenebris, tyrannis porrò Pontificia ad fastigium usque perducitur.

Laurentius Anglicus in defensione Gulielmi de S. Amore, & Tractat. cavendum esse à Pseudoprophetis. Serm. 2. in die Philippi & Iacobi, Thomas Cantipratensis in Apibus mysticis.

Nec omittamus Michaelem Pallæologum Græciæ Imperatorem, cum auxilij spe à Gregorio decimo promissi, in Concilio Lugdunensi se præstiturum recepisset, ut Patriarcha Constantinopolitanus Episcopi Romani Primatum agnosceret, ad eumque cuivis appellare liberum esset, *necessario*, inquit Trithemius, *consilio* reversum in Græciam, Johannem Beccum Patriarcham in squalore carceris, cum propinquis aliquandiu detentum, in id adegisse, ut per literas huic facto consentiret: Verùm, Michaele vix vitâ functo, Episcopi Græciæ, Iohannem illum uno consensu deponunt, alium in ejus locum creant, & quicquid in libertatis suæ fraudem in Concilio decretum, detestantur; adeò, ut universus regionis

Chronic. Hirsaugiense. Nicephorus Gregoras Hist. l. 5. & 6.

lerus eâ re indignatus, Michaelem in loco sacro sepiliri, ne quicquam instante ndronico ejus filio, prohiberet.

Toto hoc tempore Waldensium in diversis regionibus leguntur vestigia, in os Dominicani, Inquisitorum munere functi, nihil ad summam sævitiam reliqui ciebant, vivos gregatim comburentes: qui tamen, cineribus suis in Euangelij nen Dei virtute conversis, ita pullularunt, ut Episcopi & judices, quod ex ipsis ctis, Avenionensibus præsertim constat, ad tantam constantiam stuperent, & sâ suppliciorum inutilitate, à crudelitate deterrerentur. Hæc sub annum 1283. dente Martino 4. Thomas Cantipratens. l. 1. c. 56. Blondus Decad. 2. l. 9. An. 1283.

PROGRESSUS.

HOnorio succedit Iohannes Asculanus ex ordine Minoritarum, in monte Aventino electus, qui Nicolaus quartus. Is curiam Reate statim transtulit, seu aëris intemperiem, quæ anno præcedente grassata erat, seu seditionis populi rtæsus, sequenti tamen anno, tædio loci Romam reversus. Discordiæ malum nc, Apuliæ & Siciliæ regnum. Itaque inter Carolum secundum Andegaven- n, & Iacobum Aragonium convenit, ut Sicilia Iacobo relinquatur, quem Ca- lus à Pontifice investiri curet, quod & ipse spondet: Cui pacto occasionem dit navalis Caroli clades, in quâ & ipse captus, se custodiam repetiturum polli- us, ni intra triennium satisfaciat. Interea verò Carolus & Ludovicus filij obsi- s dabantur; Ex alterâ parte, res Syriæ eo redactæ erant, ut extremum exitium in s expectaretur; Soldano quippe Tripoli, Tyro, Beritho, & alijs magni momen- urbibus potito, ut in totâ fere Palæstinâ, una Ptolemais superesset, quæ & ipsa xilium implorabat. Erat itaque, unde Nicolaus seriò extimulatus, omnes orbis hristiani vires eo converteret: proinde pacem inter Carolum Andegavensem, Iacobum Aragonium authoritate suâ communiret. Et verò mille & quin- ntos equites suis ipse impensis in Palestinam transmiserat, sed inopportunè eò & temerè, ut primo suo impetu in Christianos converso, strage, rapinis, ulterijs, stupris, incendijs, omnia complerent: mox verò inducias cum Soldano ctas, quo tempore maximè necessariæ, non expectatis novis copijs, abrumpe- nt; Et hoc primum Nicolai erratum Historia ejus temporis agnoscit. Alterum dit, *quod unicam sui Pontificatus felicitatem labefactavit: Carolo namque secundo tificari cupiens, pacem interrupit, quam ille & Arago constituerant. Carolumque no honestaturus, quod paternâ successione habiturus erat, regem eum utriusque Siciliæ, quæ & ultra Fretum, & ejus quæ citra dicitur, appellavit*; Eâ lege ut decimas per xennium ibi exigere sibi liceret: Quod cum Iacobus ferre non posset, Carolum angustiarum redegit, ut Nicolao ipso consentiente, primum pactum repetere geretur, quod intra biennium sese impleturum pollicebatur. Sed inter moras rit miserabiliter Ptolemais, unaque quicquid tanto sudore & sanguine Chri- no in Asiâ partum, Cypro exceptâ, & Ciliciæ orâ. Id anno 1290. quo & colaus Papa & Rodolphus Cæsar vitâ functi. Et hic quidem, qui dum vixit mæ consecrari susque deque habuit, quicquid suaderent aut Pontifices aut sui. *lia*, ajebat, *multos Alemannorum Reges consumpsit, non ibo Romam, Rex sum, Impe- or sum, nec minus pro utilitate Reipublicæ me facturum confido, quàm si Romæ fuissem onatus*. Nicolaus verò, etiam in morte, Papatum in ordine Minorum perennare natur; *Tradunt*, inquit Krantzius, *illum, quum se decessurum intelligeret, convocasse in*

Blondus l. 8. Decad 2.

An. 1290.

Chronic. Hirsaug.

Krantzius l. 8. c. 35.

in unum Cardinales, & ratione temporum suorum coram eis redditâ, omnes de plenitudine potestatis, dignitate, quâ præditi fuerant, absolvisse, ut in reliquum privati viverent; Itidem, primum stupuisse Cardinales, de eo quod acciderat, deinde quasi moti capitis hominem, qui ad exitum insanisset, reliquisse: Illum totidem sui ordinis fratres evocasse, illos titulis Cardinalium insignivisse, jurejurando ne quem se moriente, nisi ex suo numero Pontificem crearent, neve ullum in suum adoptari finerent collegium, nisi sui fratrem ordinis, adegisse: Hoc Testamento condito, ad superos evolasse. Mira res, si vera relatio: Exinde usque ad tempora Sixti quarti, occultum in fratribus Minoribus fuisse Papam, qui in personâ ejus defecerit, cum in manifestum Pontificem assumeretur. Et hæc Epocha tam vesana ambitione insignis, etiam in morte & post mortem, digna, in quam hic progressus desinat.

OPPOSITIO.

SUb Nicolao renovatur in Galliâ contra Mendicantes Cleri querimonia, ordinarios ab istis supplantari quiritantis, adstipulante Parisiensi Universitate, Sorbonâ præsertim ipsâ: Iudicet verò Lector, num æquum sibi fore Pontificem sperare poterat, quem tam superba cupiditas, Papatum in suo ordine perennandi, transversum raperet. Conveniunt igitur in aulam Episcopi Parisiensis, Archiepiscopi quatuor, & viginti Episcopi, cum Rectore, Facultatibus & suppositis Universitatis: in quorum medio Bituricensis Archiepiscopus, *magnus*, inquit Author, *per omnia Clericus*, de charitate orationem habuit his verbis: *Hodie ista charitas refriguit, & Ecclesiasticus ordo penitus est confusus, quia multi falcem mittunt in messem alienam, ita ut jam Ecclesiâ monstrum dici possit. Sicut enim in corpore naturali contingit, quod monstrum dicitur, cum membrum unum alterius officium habet, sic & in corpore spirituali, scilicet Ecclesiâ: cum utique literati & prudentes fratres, videlicet majores & minores, officium specialiter nobis commissum, occupant, sed injustè, cum nemo debeat sibi honorem assumere, nisi qui à Domino tanquam Aaron vocatur. Quia ergo super isto sæpe rogari fecimus Monachos personaliter per Dominum Regem, & quoque per alios magnates rogari fecimus ut à nostro officio cessarent, nec tamen fecerunt: sed quoniam nobis invitis prædicaverunt, per singulas diœceses, & confessiones audierunt, dicentes super hoc privilegiis Papalibus se munitos, venimus ad vos, qui præsentes sumus, & habemus literas de ratihabitione omnium Episcoporum regni Franciæ, ad conquerendum vobis de tantâ fratrum insolentiâ: quia quod nos sumus, vos eritis. Credo enim, quòd non sit hodie Prælatus inter nos, qui de hac Universitate non sit assumptus.* Surgit postea Ambianensis Episcopus & multis rationibus exponit, verisimile non videri, eum fuisse animum Pontificum, ut privilegia Mendicantibus concessa, suis fraudem facerent, Decretali præsertim Innocentij tertij: *Omnis utriusque sexus*; Universitatem, ut se Prælatorum causæ adjungeret, precatus, *quibus ratum esset huic injuriæ sese opponere ad sanguinem usque.* Hortatusque Fratres Mendicantes, ut harum difficultatum solutionem, ambo conjunctim Româ peterent. Respondere Mendicantes per unum ex suis: Ambianensem Romæ fuisse cum privilegia ipsis concessa, Prælatos etiam, Procuratores sibi suos habuisse, qui nullis contra conatibus pepercissent, Pontificem nihilominus absolutè pronuntiasse, *Placet*: Itaque quæ sibi jure quæsita sunt, non amplius disceptanda videri: *quia nequaquam*, ajunt, *Universitatis ullius membrum sumus.* Sequenti die celebratur apud Minores Conceptio Virginis Mariæ: Quidam igitur ex Majoribus (Dominicanis) concionem suam eò accommodarat. *Ibi impleta est*

criptura, quæ dicit, facti sunt amici Herodes & Pilatus ipsâ die; nempe, quod de conceptione B. Virginis invicem pugnent: Tandem in congregatione, quæ vigiliam Thomæ apud Bernardinos subsequuta est, Ambianensis rursum Episcopus surgit, cumque illum enarrans; *Prope est Dominus invocantibus eum in veritate,* juxta andam Decretalium glossam, veritatis tres constituit species, *est verum vitæ, doctrinæ, justiciæque, ostendens per multas authoritates Theologiæ, Canonum & Legum, evidentibus factis, fratres non habere veritatem vitæ, quia de hypocrisi ipsa arguantur manifestè: nec veritatem doctrinę, quia corde fel gererent, & ore dulcia prædicarent: nec veritatem justiciæ, quia aliorum sibi officia usurparent. Et his finem imponens, legi fecit rum ibi dicta privilegia, cum dictâ constitutione:* Hæc Godefridus de Fontibus Sorbonæ tùm Doctor. Godefrid. de Fontib. in Quodlibet. Sorbonæ.

At Germania neglectis ramusculis securim ad radicem apponit. Præceperat omnibus Germaniæ Archiepiscopis Nicolaus, Synodum quisque in suâ provinciâ haberet: ibique, recuperandæ Palæstinè prætextu, decimas, toties per abusum extortas & interversas, deposcebat; suffraganeos igitur & diœcesanos suos convocat Salisburgensis: *Et ubi illi Romanam avaritiam rursus ad decimas aspirare persentiscunt, pauci ex Concilij decreto, rem magnam esse, & se tot extra ordinem tributis attritos & exinanitos respondent: proinde amplius deliberandum, caput Reipublicæ Christianæ Principes in gratiam redigendos, sine horum authoritate nihil decernendum censent.* Eodem consilio Pontificis jussu, ab Ecclesiæ communione amputatus fuerat Meinardus Comes Tyrolensis, duplici nomine, quod per vim arces quasdam in Episcopatu Tridentino retineret, & quod Henricum Episcopum juris Canonici professorem perpetuo bello vexatum, Episcopatu cedere coëgisset: Eo verò defuncto, Episcopatum Nicolaus Philippo Mantuano ordinis sui socio concesserat, quo instigante Meinardum anathemati subjecerat. Vim igitur & injuriam sibi à Patribus fieri protestatur, causamque suam Apologiâ publicâ tuetur. *Equidem,* inquit, *bellum non infero, sed propulso, nihil unquam mihi magis cordi fuit, quàm pacem cum quovis hominum, maximè cum Episcopis conservare: nisi boni patres, ut cæteri mortalium, copiâ rerum corrupti, nobis immeritissimis ultro arma, pravâ libidine dominandi, intulissent, nosque terris avitis spoliare conati fuissent. Arma sumpsi, castella hostibus patriæ ademi, quò mihi ac popularibus otio frui, absque armis liceat. Quod si quispiam vas atque præs fuerit, ne metuere perfidiam, & lupos habeam: neve de cætero hujuscemodi nobis à fastuosis illis Archisynagogis (nam pastoribus dicere religio est) contingant, actutum omnia reddam, aliter nunquam committam, ut tam stultus videar, ut è manu manubrium mihi eripi patiar, aut memet ultro atque meos ludibrio effœminatis Antichristis atque prodigiosis Eunuchis esse sinam. Nemo magis concordiam Christianam labefactat, non sacris literis interpretandis aut ediscendis, sed liberis dant operam, Liberum amant, divitias congregant, regna, gloriam, dominationem avidissimè appetunt. Pro hisce nobiscum sanguine ovium decertant, Christi paupertatem, comitum ejus simplicitatem non solùm non æmulantur, sed irrident quoque atque antiquare conantur: Si Antichristi non sunt, quid aliud obsecro sunt? Estne istud pascere oves? amare gregem? regna, opes, aliena appetere? pro gloriâ, dignitate digladiari, oviculas opprimere, occidere, belligerari. Christi præceptum invertunt, damnant, tunicam & pallium vi auferunt. Quis tam ferreus, ut verius dicam, tam stolidum pecus fuerit, ut superbiam, fastum, perfidiam, fraudem, flagitia, scelera, luxum, avaritiam nebulonum æquo animo ferat? Pejores Turcis, Saracenis, Tartaris, Judæis sunt, plus his omnibus Christianæ simplicitati officiunt, libertatem Christi sanguine partam exscindere conantur, dominationem arripiunt. Cum nostri servi sint,* Avent. l. 7.

sint, ipsi dominari contra jus gentium, adversus leges, auspicia, & oracula divina, dominos sibi servire volunt. Scitum est enim vulgi proverbium, sacerdotes superstitionum præstigiis caliginem oculis offundere mortalium, & ceremoniis, carminibusque cassis, veluti mandragoræ soporiferæ poculo, mentem mutare, & humanis animis atque sensibus stuporem propinare. Numquid Pastor aut oves tondet, aut mulget? nonne nuncius rem domini, atque eorum, ob quorum utilitatem mittitur, agere debet? Proinde à sævo & nobis iniquo Pontifice ad æquum Pastorem, pientissimumque patrem provoco. Inter hæc dum illa ad Pontificem Romanum referuntur, ipse animum efflat. Et Cœlestinus quintus postea Maynardum anathemate solvit.

PROGRESSUS.

POst obitum Nicolai, Cardinales, intemperiem aëris causati, Româ relictâ, Perusiam petunt; Nec deerant qui dicerent, quæ Nicolaus universo orbi Christiano pepererat, infortunia, ex eo profecta, quod Romæ, morbo grassante, electus fuerat. Sed in causâ præcipuè erat ambitio, quæ eorum animos ita distrahebat, ut duorum annorum & trium mensium spatio, in deligendo successore, convenire non possent. Carolus licet Apuliæ Rex, qui hæc incommoda prævidebat, eo se transferret; aliquot etiam menses præsentiâ suâ rem ursurus apud eos moram traheret; adeò, ut Benedictus Cardinalis Cajetanus, qui post Bonifacius octavus, eum tanquam, precibus suis vim afferentem, petulantius argueret: Eo igitur digresso, Petrum Moronem Eremitam tandem eligunt, ætate provectiorem, sed à bonâ conversatione commendatum. Is fuit Cælestinus quintus, si Stellæ credimus, in contemptum & ludibrium electus. Quia verò novum erat, ut aliunde, quam ex medio Romanæ sedis fastu, Pontifex eligeretur, Author Platina, ad ejus coronationem 200000. homines confluxisse. Et in primo quidem consistorio Ecclesiam Romanam reformandam sibi proponens, se Christi exemplo asino vehi velle, ostendit, Cardinalesque idem facere, quod ab eorum moribus valde alienum: Exinde igitur, si quando per inexperientiam in lapsus pueriles incideret, ipsi gaudere & ludos facere: ut quam necesse esset alium deligi, nemo non cognosceret. Ipse verò has technas subodoratus, impositi muneris tædere, eo sublevari cupere, quanquam Carolus, ut Pontificatum retineret, omnibus rationibus hortaretur, Neapolim idcircò eum duceret, Archiepiscopumque, circumstante omni populo benedictionem suam postulantem, serioque adjurantem, ne pontificatum abdicaret, solenniter induceret. Ars tandem Cardinalis Benedicti pervicit: Romam enim reverso, Benedictus juris Canonici callentissimus, multas ei in animum cogitationes ingerit, quibus muneris sui onus repræsentat: de animabus totius mundi rationem reddere quanti sit oneris, proinde quàm periclitetur ejus salus, si per ætatis infirmitatem, aut per imperitiam Ecclesia Christiana detrimenti aliquid accipiat; Quin & nonnullos subornat, qui noctu clanculum, immissâ per canaliculum in aurem ipsius voce, eum quasi cœlitus admoneant: *Cœlestine, Cœlestine, dimitte Papatum, si vis salvus fieri, negotium supra vires est:* Ut se ab Angelo compellatum putaret. Quare homo simplicior, id tantùm cogitare, ut sibi Pontificatum abjicere liceret; eximeretur modò illi scrupulus: utrum salvâ conscientiâ possit, quem Benedictus facilè sustulit, multisque rationibus adductis, Decretalem sanciri pervicit: *Romanum Pontificem posse liberè resignare;* Sicque Cœlestinus eo onere levatus, sex tantùm menses sede poti-

Stella in Pontific. Platina in Cælestino 5. Christianus Masseus in Chronico. Henricus Erfordiensis in Chronico. Avent. l. 7.

Platina & Stella in Bonifac. 8. Continuator Vincentii. l. 31.

[P]otitur: Benedictus verò in ejus loco collocatur, qui Bonifacius octavus. Et hic [p]orrò, non diu moratus, similem Decretalem edit, quæ habetur in sexto: *Quod [P]apa Papatui liberè renuntiare potest*: Sed Cœlestino mortuo contrariam evincit: [Q]uod papatui renunciare, *scelus inexpiabile*, Papæ Papatum abdicare nefas esse; [i]isdem Cardinalibus idem suis suffragijs affirmantibus & negantibus. Cœlesti[n]o id unum in animo, ut eremum repeteret: At, ut eo profecturus, clanculum [s]e subduxit, ex itinere Bonifacius miserum retrahit, & in arctissimam custodiam [c]onjicit: *Ut indè mortem illi acceleratam fuisse sit creditum. Namque verebatur*, in[q]uit Historicus, *vir ipse astutus, quod & futurum brevi apparuit, ne populi Petrum po[t]ius sanctitate recognitâ conspicuum, quàm se doctrinâ, fastu & elatione redundantem, [p]ro Romano Pontifice, pro Petri successore, Christi vicario, sequerentur*. Sanè, violen[ti]am ejus custodiã nemo non damnavit, adque ejus obitus rumorẽ, *voces opprobrijs [&] ignominiâ plenæ in Bonifaciũ Pontificẽ propalàm in urbe & in Curiâ injactantur*. Quæ [B]londi, Platinæ, & aliorum, de ambitione, audaciâ, insolentiâ, ingratitudine [B]onifacij verba. Collenucius candidè post alios: In carcere crudeliter necari [j]ussisse asserit.

Extra de renunciatione cap. 1. in Sexto.

Thomas. Walsingh. in Edwardo I.

Avent. l. 7.

Colenuc. l. 5.

Insignis consequenter omni violentiæ genere ejus Pontificatus: Ut non im[m]eritò Langius Monachus Citicensis dicat, *leoninâ mente tyrannizans*, magis quam [p]apissans, *universo orbi metum sui & terrorem incutere moliebatur*. Suspecti illi Iacobus & Petrus Columna Cardinales, proinde & universa Columnensium familia: Crucem in eos assumi jubet, qui Præneste sese recipere coguntur, quod à Sarra Co[l]umna patruo suo tum tenebatur. Oppidum mox ipse per Cruce signatos obsidet, quo, ne in ejus manum incidant, excedere visum, Sed ut oppidum ad deditionem compulit, in eorum odium funditus evertit: eodem furore in Zagaruolum & alia [l]oca, in quæ confugerant, grassatus. Cardinalem utrumque demùm solenniter galero privat, familiam universam Ecclesiâ excludit & proscribit; Sarram nominatim eorum patruum, authore Petrarcha, in eas angustias redigit, ut palabun[d]us nemora & deserta petere compelleretur, nemini vitã suam committere ausus, ne in manus Bonifacij traderetur. Et de vi quidem sibi illatâ apud omnes Principes Christianos conquerebantur illi, quam interim ipse libro Decretalium sexto, quem tum evulgabat, tanquam re benè gestâ triumphans, inserere non verebatur. Et verò eadem rabie in omnes Gibellinos seu Imperij Clientes debacchabatur. Digna profano hoc Pontifice stropha hîc occurit. Iacobo de Voragine Archiepiscopo Genuensi successor sublectus fuerat Porchetus Spinola, ex ordine Minorum; Confirmandus Romã accedit, quo die frontes cinere signãtur: Provolvitur ad ejus pedes Porchetus post alios complures, frontẽ cineris cruce signandus. Tum Bonifacius carmine mutato: *Memineris*, inquit, *quod Gibellinus es, & cũ Gibellinis in cinerem revertêris*, & cineribus in ejus oculos conjectis, Archiepiscopatum eodẽ die ei abrogat; Iudicet hinc Lector, suas ceremonias in quo pretio haberet, Iubileum inde anno 1300. celebrans, cujus ipse inventor, nihilo reverentiùs: *Portam auream* Historicis primus aperuisse dicitur; Portam illam, ad cujus apertionem ex toto orbe tantus fit hodie concursus, tanquam ad certam salutem, ad plenam peccatorum remissionem, quam centesimo quoque anno aperiendam statuit. Adverte verò sacra illi hæc ceremonia, ut ipsi authori ludibrium merè & ludus: *Usque ad illum*, inquit Historicus, *Pontificibus non venerat in mentem tam festo negocio commovere Christianismum. Quod ipso apparatu in eo, qui tum agebatur in urbe Jubileo, solenniter fertur ostentasse: Primâ quidem solenni die in Pontifi-*

Langius ad Ann. 1295.

Blondus Decad 2. l. 9. Ex Petrarcha.

Blondus ibidem.

Krantzius in Saxoniâ l. 8. c. 36.

calibus apparens populo, Apostolicam illis benedictionem impartitur: Posterâ autem die Imperiali habitu, infulâ nihilominus Cæsareâ insignis, gladium ante se nudatum jussit deferri, & sedens altâ voce testatur: Ecce duo gladij hic: Et hîc exclamant Authores. *Vides ô Petre Successorem tuum, & tu salutifer Christe tuum cerne vicarium;* (Quæ tamen verba nonnulli ipsi adscribunt.) *Vide quo ascendit superbia servi servorum tuorum.*

Krantzius ibidem. Ioh. Marius Belga lib. Antiq. quinto. Libertez de l'Eglise Gallicane. Extra Tit. de maioritate & obedientiâ C. unam sanctam Ecclesiam.

Ne verò hac specie eum contentum putes, rem ipsam gnaviter prosequitur: Decretalem, quæ in Extravagantibus legitur, edit, in quâ disertè: *Unam sanctam Ecclesiam Catholicam, & ipsam Apostolicam urgente fide credere cogimur & tenere.* Et illico nos ad Romanam, uni Pontifici parituros revocat: cui in Petri personâ dictum sit. *Pasce oves meas*, ita ut *seu Græci, seu alij*, in Christi ovibus non censeantur, nisi ei obsequantur: *In hac*, inquit, *ejusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem Euangelicis dictis instruimur: Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hîc, in Ecclesiâ scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam.* Ex his verbis, contra quam omnes Patres & interpretes, apertè ratiocinatus: *Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesiâ, ille verò ab Ecclesiâ exercendus, ille sacerdotis, is manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis;* Id est Papæ: *Oportet autem*, inquit, *gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subjici potestati: Nam cum dicat Apostolus: Non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinatæ sunt: non autem ordinatæ essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium ad suprema.* Et hic rursum Apostolum, contra ipsius mentem, nullo pudore inducit: En enim tibi locum: *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto: non enim potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ.* Ubi Patribus omnibus constat, Apostolum de potestatibus temporalibus agere, & verbis illis generalibus neminem ab eorum obsequio excipere, cujuscumque tandem aut generis sint aut ordinis. Pergit, *spiritualem dignitate & nobilitate terrenam quamlibet præcellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quantò spiritualia temporalia antecellunt. Sic de Ecclesiâ & Ecclesiasticâ potestate verificatur vaticinium Hieremiæ: Ecce constitui te hodie super gentes & regna, & cætera quæ sequuntur: Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali, sed si deviat spiritualis minor, à suo superiori.* Quem interim locum nemo unquam veterum ad Papam retulit; Et sic ipsi sine adversario vincere facile. Quid si igitur suprema illa spiritualis potestas aberret, quò perfugium? En, ut de plano nodum solvit: *Si verò suprema deviat, à solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo, spiritualis homo judicat omnia, ipse verò à nemine judicatur.* Homo spiritualis igitur apud Paulum, num Papa solus? numnon potius hominem animalem spirituali ibi opponit, hominem Spiritu Dei regeneratum, non regenerato? Et num igitur singulis fidelibus hæc potestas, ut de Regibus & Principibus tanquam superiores judicium ferant? An Episcopus Romanus solus, ut sibi soli hoc privilegium asserat, fidelis proinde solus? Et sic in suis Decretalibus, Pontificibus non secus ac Pasquillo Romano Scriptura sacra merè ludus. Concludit nihilominus ex his ridiculis antecedentibus impudenter: *Porrò subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino esse de necessitate salutis.* Sed pravo hoc jure quàm pravè utatur jam videamus.

1. Cor. 2. v. 14. & 15.

Post obitum igitur Rodolfi Imperatoris, scinditur imperium, vacante tum

Pon-

Pontificiâ sede; pars Principum, Ecclesiastici præcipuè, Adolfum Comitem Nassovium eligit, pars Albertum Rodolfi filium: Bonifacius verò, ut àd Papatum venit, utrumque repudiat, eo obtentu quod se inconsulto de electione deliberare non potuissent. Inde bellum civile in Germaniâ, tandemque prælium, in quo Adolfus occumbit; ut postea Alberto facilè fuerit, ab omnibus electoribus confirmari. Iubileo igitur peracto, Oratores suos Romam mittit, ut electionem suam Pontifici probaret. At, *Respondet animosus, quod sine suâ authoritate electio facta, robur non haberet, nam utriusque penes se gladij potestatem manere affirmabat.* Aliud ejus specimen in imperio Orientis exhibet: Carolus Comes Valesius, Philippi Pulchri Francorum Regis frater, Catharinam Balduini Constantinopolitani Imperatoris filiam duxerat; Permittit illi Orientis imperium invadere, quo socer spoliatus fuerat; In speciem, ait Platina, ut in expeditione Hierosolymitanâ ejus operâ utatur, sed revera ut eum vicarium suum in Hetruriâ, exterminandis Gibellinis, constituat. Eoque tandem provehitur, ut authoritate Apostolicâ, omnibus Prælatis, Clericis, personis Ecclesiasticis mandet, ne ullum tributum, decimam, vicesimam, centesimam, personis Laicis pendant, Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Dominis, &c. & ne quid his illi imponant, ni in Anathema incurrere velint; Communitatibus & universitatibus etiam, sub interdicti pœnâ, quo, nonnisi in mortis articulo & à solo quidem Pontifice absolvi possint; Audax cœptum & omnibus Principibus & Magistratibus manifestè injuriosum, quod tamen confestim in Angliâ effectum sortitum: ubi Edwardo Regi ex bello Scotico redeunti Clerus respondet: non sibi amplius fas esse tributum persolvere: quo audito, manum in Temporalia Clericorum bona injicit; Ubi etiam diplomate expresso vetat, ne quid in regnum Scotiæ tentet, quippe quod ad sedem Romanam *pleno jure* pertineat. Hactenus sanè nemine reluctante; At, ut in Galliâ nostrâ idem audet, in Regem Philippum Pulchrum incidit, qui Decretali suæ non plus æquo tribuens, ejus insolentiam, uti vidimus, omnium Principum commodo gnaviter coercet.

Krantzius in Saxon. l. 8. c. 36.

Platina in Bonifacio 8.

Extra in sexto l. 5. c. 23. Clericus.

Matthæus Westmonast. in Floribus Temporum, Ann. 1301.

OPPOSITIO.

ANno igitur 1301. Bonifacius Episcopum Apameensem in Galliam ad Philippum Pulchrum mittit, *in violentiâ & fastu illi simillimum*, ut eum ad Sacrum bellum excitet: Nec sanè meliori quàm majores fide. Imperiosissimis ille literis & minarum plenis, Legatum ille suum munierat, nî ad nutum optemperaret, anathema vibraturum; Et Legatus ipse pro suâ proterviâ persuasionibus duriora verba interserebat. Tantam arrogantiam concoquere non potest Philippus: comprehensum Legatum Narbonensi Archiepiscopo custodiendum tradit, usque dum de eo statuerit; Æstuat hîc Bonifacius & Archidiaconum Narbonensem, gente Romanum, ad Philippum delegat, cujus verbis Regi præcipit, Legatum illicò liberet; Episcopis & Patricijs Franciæ Romæ die dictâ, ad Concilium sese sistant: Quin & cunctante Philippo, protestatur, regnum Franciæ ad Ecclesiam Romanam pertinêre: proinde abstineat ab ejus administratione, illudque Pontifici & Ecclesiæ regendum relinquat; Mox & subditos fidelitatis sacramento absolvit, quotquot aderant speciatim compellans: si minus pareant, *omnes indulgentias, concessiones, & gratias*, quas ad hanc usque diem Pontifices Regibus, regnove indulserant, suspendit; quippe affingere ausus, in Archivis Romanis certum quoddam in-

Ann. 1301.

Henricus Stero in Annalib. Ann. 1301. Chronique de S. Denis.

Paulus Æmilius in Philippo Pulchro. Blondus Decad 2. l.9. Naucler. vol. 1. Generat 44. Bochellus Decret. Gallican. Ecclef. l. 2. c.32. Chronic. Montfort. Theodor. à Nyem. Gulielm. de Nangis Iean le Maire de Belges.

instrumentum reperiri, unde Franciam Pontificij juris esse liqueat. Philippus his exacerbatus, Prælatos regno excedere vetat. Pontifex verò eo magis in eum anathemata detonat, qui in Episcopum manum injecerit, de sedium vacantium bonis statuere audeat, & Episcopos investiat. Tunc sanè Philippus, ut causæ suæ jus acquirat, Episcopum ex carcere liberat quidem, at Bullam illam Robertus Atrebas ex manibus Archidiaconi, dum eam legit, raptam in Palatij Parisiensis atrio comburendam tradit: eumque protinus facessere jubet, quod absque morâ facit. Iuvat hîc & quas attulit literas audire, & quas retulit: Et Bonifacij quidem sic se habent: *Deum time, & mandata ejus observa. Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes: Beneficiorum & præbendarum ad te collatio nulla spectat: & si aliquorum vacantium custodiam habeas, fructus earum successoribus reserves: Et si quæ contulisti, collationes tales irritas decernimus, & quantum de facto processerunt revocamus: Aliud credentes hæreticos reputamus.* At Philippi: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, aliquarum Ecclesiarum & præbendarum vacantem collationem ad nos jure Regio pertinere, & fructus earum vacatione durante nostros facere: Collationes à nobis hactenus factas & in posterum faciendas fore validas; & illarum vigore possessores contra omnes viriliter nos tueri. Secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus.* Nempe prout illi paulò ante à D. Petro Flota Philippi Legato, ad consimiles minas responsum: *Gladius vester est verbalis, sed gladius Domini mei est realis.* Tilium hîc nostrum Meldensem Episcopum audire operæ pretium. *Demirêmur*, inquit, *hominis impudentiam, qui Regnum Franciæ Majestatis Papalis Feudum esse affirmare ausus fuerit: & stultiores illo etiamnum quicunque disputant: Utrum Papæ tantum liceat.*

Platina in Bonifac. 8. Nauclerus Volum. 2. gener. 44. Chronic. Martin. manuscriptum. Albertus Argentin. in Chron. Krantzius. in Saxon. l. 8. c. 37.

Inter has contentiones coveniunt Lutetiæ Ordines regni, *omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Decretistis, Theologis & Magistris* aucti: In quorum medio Archiepiscopus Narbonensis sermocinans decem accusationis capita in Bonifacium profert. *Primò, quod sit Simoniacus. Secundò, quòd dicat se non posse committere Simoniam. Tertiò, quod homicida sit. Quartò, quod usurarius, idque esse manifestissimum. Quintò, quod non adhibeat fidem conficientibus Eucharistiam. Sextò, Quod anima sit mortalis, & quod aliud gaudium non sit, nisi vitæ præsentis. Septimò, quod sit revelator confessionum. Nam coegit quendam Cardinalem, ut confessionem a quodam Hispaniæ Episcopo sibi factam revelaret, quâ cognitâ, Episcopum loco movit, sed post pecuniâ placatus Papa, eundem restituit. Octavò, quod habeat duas neptes concubinas & ex utraque filios progenuerit; O fœcundum patrem. Nonò, quod Regi Angliæ concesserit omnes decimas de Ecclesiasticis bonis in subsidium belli contra Francorũ Regem. Decimò, quod stipendio allexerit Saracenos ad invadendam Siciliam. Itaque ad sedem Apostolicam, tum, ut ipse dicebat, vacantem, futurumque Concilium appellat.* Interea verò sancitum, sub gravi pœnâ, ne quis aurum, argentumve extra regnum, in res Curiæ Romanæ transferret. Hîc igitur Bonifacius irâ abreptus, Concilio Romæ habito, regnum Franciæ interdicto subjicit, & Regem ipsum & posteros ad quartam usque generationem Ecclesiâ excludit: Archidiaconumque Constantiensem, utrumque in partibus fulminaturum delegat; Cujus tamen Trecis cum suis Bullis comprehensi expeditio succisa fuit. At verò Bonifacius, quem toties repulerat, Albertum sibi in Imperio confirmandum proponit, modò bellum se in Philippum suscepturum, regnumque invasurum polliceatur; quâ lege Regis Romanorum simul & Francorum titulum ei permittit. Sed Albertus sanè, pro suâ prudentiâ, illi minimè credulus, conditionem repudiat; ne tamen eum sibi adver-

ersarium constitueret, respondet, non posse, nî imperium sibi ad posteros transmittendum concedat. Interim verò bellum hoc in nuptias vertit: & vano illo Bonifacij consilio rejecto, affinitatem Philippi, ductâ ejus filiâ, amplectitur.

Sed enim Philippus, rem sibi cum *implacabili homine* esse cogitans, finem huic negocio imponere apud se statuit. Cardinalibus Columnensibus, uti vidimus, Bonifacius Galerum abstulerat, & Sarra patruus, terrâ marique oberrans, in pyratarum manus inciderat: Cui præter vindictæ cupidinem nihil supererat. Nobilis quidam Gallus eum in triremi cujusdam Pyratæ, remigem, catenis revinctum agnoscit; & liberum sibi dari precatus, ad Regem Philippum clanculum adducit. Jam ratum erat Regi Gulielmum Nogaretum Narbonensem, equestri loco natum, in Italiam mittere, Bonifacio in os pronuntiare jussum, Regem ab eo ad Concilium appellare, in omnem eventum dignam insolentiâ suâ contumeliam inferre. Philippus igitur Nogareto Sarram adjungit, & Nogaretus quidem Senis, pecuniam à Petrucis accepturus, aliquantulum hæret, dum Sarra obsoleto vestitu, veteres amicos explorat & recolligit; præsertim verò trecentorum equitum Gallorum fidem sibi obstringit, qui pace factâ, ex bello Siculo reliqui, huc illuc vagabantur. Diluculo itaque ex insidijs, Ananiam, ubi Bonifacius, in ædibus paternis, invadit: Qui in tàm inopinato tumultu, quid rei esset, ignarus, Pontificalia indutus in Throno sese collocarat, cum ingressus Nogaretus, appellationem Regis nomine edit, Pontificique, Lugdunum veniendum significat, unde in penitiorem Galliam exauctorandus deducatur, colloque tractum, ferreâ chirothecâ renitenti in os impactâ, eum Romam abduci jubet. Narrat Historia: *Cum eum apprehendissent, in equum posuisse effrenem, ad caudam versâ facie, sic discurrere ferè usque ad novissimum halitum actum; Bonifacium illum*, inquit Author Chronici Monfortensis, *qui Reges & Pontifices ac religiosos plerumque ac populum horrendè tremere fecerat & pavere, repente timor, tremor, ac dolor uno die pariter invenerunt: aurumque nimis sitientem aurum perdidit, ut ejus exemplo discant superiores Prælati, non superbè dominari in Clero & populo, sed forma facti gregis, ex animo curam gerere subditorum, plusque amari appetant, quàm timeri. Qui*, inquit Platina, *Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis terrorem potius, quam religionem injicere conabatur, quique regna dare & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur, aurum undique conquisitum, plus quam dici potest, sitiens.* Ex hoc verò justo supplicio, in talem desperationem, rabiemque incidit, ut tricesimo post die vitam finiret, proverbioque locum daret, quod sui Pontificatus quasi compendium: *Intravit ut vulpes, vixit ut Leo, & mortuus est ut canis.* Dicunt alij prædictum hoc illi à Cœlestino his verbis: *Ascendisti ut vulpes, &c.* Historia Tusca sanè ita scriptum prodit in electione Pontificum, quasi per prophetiam: *intrabit ut vulpes, &c.* Quod omni ex parte adimpletum notat Fasciculus temporum: *Papa iste in tantam arrogantiam erexit seipsum, ut Dominum totius mundi se diceret, tam in temporalibus quàm in spiritualibus. Et multa magnificè fecit, quæ in fine miserabiliter defecerunt.*

Thomas Walsingham in Chronic.

Chronic. Monfortense.

Platina in Bonifacio 8.

Ranulph. in Polychronico. l. 7. c. 39.

Walsingam in Historiâ Angliæ.

Ad doctrinam quod attinet, florebat hoc ipso tempore in Galliâ Robertus Gallus, vir insignis, ex Prælato Dominicanus, qui tamen ordinis sui mores minus probasse videatur; Extat libellus ejus Lutetiæ cum Hildegardæ Vaticinijs editus, in quo visiones quasdam suas complexus, capite quinto, Papam *idolum* vocat, Deumque his verbis inducit: *Quis posuit idolum hoc in sede meâ, ut imperaret gregi meo? Aures habet & non audit clamorem plangentium & descendentium ad inferna: clamorem buccinæ & toniturorum tremendas voces exuperat ululatio eorum. Oculos habet,* nec

nec respicit abominationes populi sui, & debacchationes voluptatum eorum: quanta maligna operatur populus ejus coram me, nec videre ea vult, nisi congregare possit ex eis thesaurum: os habet & non loquitur, dicens: Constitui super ipsos qui loquantur eis bona, sufficit ut per me vel alios faciam bona. Væ idolo, væ ponenti, quis æquabitur huic idolo in terrâ? Magnificavit nomen suum in terrâ, dicens: Quis me subjiciet? Numquid domus mea nobilibus terræ copulatur? Dapibus superexcellentior sum, equites equitantes serviunt mihi, quod non consueverant patris mei, fit mihi: Ecce domus mea sternitur argento, aurum & gemmæ sunt ornamentum ejus, &c. Num locum illum Zachariæ Prophetæ convenientius Pontifici accommodare potuit? *O pastor idolum.* In primo & duodecimo capitibus, sub serpentis nomine, Papam seu Antichristum describit, qui sese supra modum extollat, pios quosque, exiguo quidem numero, opprimat, multis pseudoprophetis circumseptus, qui in contemptum Dei & Christi, eum solum prædicent, & extollant, nomen Iesu contra obscurent; Demùm Ecclesiam Romanam depingens: *Orabam*, inquit, *flexis genibus erectâ facie ad cœlum, juxta altare S. Iacobi Parisiis à dextris, & vidi in aere ante me corpus unius summi Pontificis albis sericis indutum, tenebatque dorsum ad Orientem, elevatis manibus ad Occidentem, sicut solent sacerdotes stare, dum agunt Missarum decreta. Non videbatur caput ejus, diligentiusque intuens, an esset omnino sine capite, vidi caput ejus aridum, macilentum, ac si esset ligneũ, dixitque Spiritus Domini: statum Ecclesiæ Romanæ significat.* In quâ igitur nihil sanguinis superest, succi & vitæ nihil. Ut significet etiam, qualem ipsa panem filijs suis tribuat: *Iterum*, inquit, *alio die idem operis me agente, fui videns in spiritu: Et ecce vir ejusdem habitus circuibat, panem delicatum portans in humeris, cum vino optimo, dependebantque panis & vinum per latera ejus; ipse verò tenebat manibus lapidem oblongum durissimum, dentibus rodens illum, ut famescens circa panem agere solet, nihil autem agebat; Et de lapide egrediebantur duo capita serpentum, & instruebat me Domini spiritus, dicens: Lapis hic, quæstiones inutiles & curiosæ sunt, in quibus famescentes laborant, animarum substantialia relinquentes, & dixi: Quid ergo capita illa dicunt? Et dixit nomen uni, vana gloria, alteri, religionis dissipatio.* Num aptioribus verbis Sophisticam sui temporis exprimere potuit? quæ cum verbum Dei in alimentum populi distribuendum in promptu habeat, post tergum id rejicit (onere nihilominus illo humeris suis impacto) & in quæstionibus aut otiosis, aut contentiosis, quasi rodendis, immoratur tota & immoritur. Quod utique Propheta Iudæis exprobrabat: *Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, & laborem vestrum, pro re minimè satiaturâ;* (Esaiæ 55. v. 2.)
Quin & Ecclesiæ reformationem in visione ante vidisse videatur: *Vidi*, inquit, *Crucem quandam perlucidam de argento, ad modum Crucis Comitis Tholosani: sed poma illa duodecim quæ sunt in brachiis crucis, erant sicut quædam poma vilia multùm, quæ projicit mare, & dixi: Quid est hoc Domine Iesu? Dixitque ad me spiritus: Crux hæc, quam vides, Ecclesia est, quæ futura est lucida per mundiciem vitæ, sonora per claram vocem prædicationis veræ veritatis; Sollicitus dixi: Quid ergo significant illa poma vilia? Et dixit, humiliatio Ecclesiæ futura.* Quæ sanè Crux Ecclesiam merito designabat, quatenus crux Christi Ecclesiæ salus, vera prædicatio hujus crucis, vera cultus divini reformatio, traditionibus humanis, insepulti, quæ gloriã crucis obscurabant: proinde & Ecclesiam ipsam denigrabant. Et hunc tamen Authorem Possevinus Iesuita *Excellentem verbi Divini concionatorem* vocat. Nec verò ambigamus, in tanto Gallici Cleri contra Bonifacium consensu plures fuisse, qui cum Roberto, & Pontificis tyrannidem & Ecclesiæ deformitatem agnoscerent. Etenim Philippus Rex, anno 1302. dum Narbonensem provinciam lustrat, querelas multorum, con-

(Possevinus in Apparatu Tom. 2. An. 1352.)

ontra fidei Inquisitores audit, qui quod confiscationum participes fierent, quos si- videbatur absque causâ comprehendebant, absque probatione idoneâ damna- nt: unde & Vicedominus Piccinianus Curiam Romanam adîre cogitur, quod uem innocuum putabat, ex eorum carcere liberasset. Addamus Nogareti illius trem, qui Philippi Pulchri mandato Bonifacium cœpit, in Occitanis propter Valdensium religionem combustum: Sed præterquam quod Waldenses in Fran- â perseverabant, clara eorum in Italiâ & Germaniâ vestigia, ex eo ipso sanguine, ui passim ab Inquisitoribus effundebatur. In Italiâ, ubi Bonifacius nullo non ri- ore Fratricellos exterminat, quorum Doctores præcipui, Gerardus Sagarelli armensis, & Dulcinus Novariensis Hermanni cujusdam discipuli, qui in Italiâ, um vixit, pro sancto habitus, Bonifacij demum jussu Ferrariæ ex sepulchro effos- s. Quibus interim pro suo more sexcentas turpitudines impingunt, falsi apertè m convicti; Cum sanè Pontificem Antichristum esse, Ecclesiam Romanam Ba- ylonem Apocalypticam, & Spirituales qui maximè videri volebant, à Deo re- ctos, adversarijs ipsis testibus & seriò, & ante omnia inculcarent. Et porrò, à onifacio impurissimo ac profanissimo Pontifice quod tanta paterentur, flagitia lla in causa fuisse nemo præsumat, Et verò in Germaniâ, eodem tempore nobis ccurrunt.

Paulus Æmilius in Philippo Pulchro. Guido Perpinian. de Hæresibus. Blondus Decad. 2. l. 9. Gulielmus de Nangiaco. Nicolaus Emericus l. 1. Inquisitionum.

Addamus sub Nicolao quarto, Petrū Iohannis Biterrensem Franciscanum, qui ostillas in Apocalypsim composuit, in quibus celebres illos locos ad Ecclesiam omanam refert, *quam Ecclesiam carnalem & Synagogam Satanæ* vocat, *Papam Antichristum mysticum, Prelatos Antichristi membra,* quo nomine ab Inquisitoribus hæ- eseos damnatur; qui, quem vivum comprehendere non poterant, mortuum ex umulo extrahunt. Petrum etiam Cassiodorum Italum, cujus strenua illa ad Ec- lesiam Anglicanam Epistola: *super cathedram Mosis sedent scribæ & Pharisæi: cui- am illos æquiparabo? &c.* In quâ eam hortatur, ut Antichristi jugum & crudeles ontinuasque exactiones excutiat; Et hæc decimum quartum seculum jam pulsant.

Guido Perpinianus, de Hæresibus. Bernard. de Lutzemburg. de Hæresibus. Nicolaus Emericus l. 1. Inquisition.

P R O G R E S S U S.

BOnifacio Benedictus XI. Tarvisinus succedit, ordine Dominicanus, à Cardi- dinalibus Perusiæ creatus, quò se à Bonifacij clade receperant. Is primo impe- u Nogaretum excommunicat, & Ananienses cives, qui ejus conatum juverant, sed ohannem & Iacobum Columnam Cardinales restituit; ita tamen ut ad tempus galero abstinere jubeantur: At Phillippum Regem censuris planè eximit, eique, quæ Bonifacius abstulerat privilegia, omnia reddit: Verùm, nono Pontificatus mense, venenato ficu, quod nonnulli scribunt, interemptus moritur. Anno igi- tur 1305. Cardinales post decem mensium contentionem, in Raimundum Go- thum Vasconem consentiunt, Burdegalensem Archiepiscopum absentem, cui Clementis quinti nomen: Qui, ut se electum intelligit, omnes statim Car- dinales Lugduni adesse jubet: Parent illicò illi: ipse verò cui ratum sedem Pon- tificiam in Galliam transferre, locum ei Avenionensem Civitatem deligit, qui Cardinalibus ita arrisit, ut septuaginta quatuor annorum spatio, ibidem perse- verarit. Causam quidam afferunt, quod voluptatibus suis, quàm alibi liberius indulgerent; quod sanè illis in Italiâ peræquè licuisset; Solidior hæc, quod Romæ, Senatorum authoritate & optimâtum potentiâ, in officio contineren- tur; ut frequenter cum Curiâ suâ Viterbium, Perusiam, Urbevetum, Ananiam,

Thom. Walsingam in Chronico. Leandro Alberti. Ann. 1305.

Assisium petere cogerentur: Antecessores verò, quia suaviorem in Galliâ conversationem in diversis profectionibus experti erant, quibus, utpote minus notis, major quàm Romæ reverentia exhibebatur, sperabant & hi se pacatiùs Avenione regnaturos: indeque absque contentione dominationem suam in alias gentes exporrecturos. Certè, *Hermanus & Occam Minoritæ, insignes hac tempestate Theologi, ambitionis, avaritiæ, voluptatis summæ notam huic Pontifici inurunt*; Villanus & Antoninus speciatim, Concubinam publicè Avenioni habuisse, Comitis Foxensis filiam tradunt. Cæterùm, *cuncta tum vitia, crimina, scelera, flagitia, quæ hactenus sub virtutis specie, pietatisque nomine Romanam Ecclesiam incesserant, impudentissimè, apertissiméque & inolevisse & invaluisse commemorant*: Nec inde Gallia nostra melior; non si lasciviam spectas. Clemangis enim Archidiaconus Bajocensis: *Ex illo planè suam cladem imminere prænosse Roma debuit, ex quo propter suas fornicationes odibiles, urbe relictâ, Avenionem confugit: Ubi, quantò liberius, tanto apertius & impudentius, vias suæ Simoniæ & prostitutionis exposuit, peregrinosque & perversos mores, calamitatum inductores in nostram Galliam vexit.* Nihilo magis ad technas forenses quod attinet, quandoquidem omnes Curiæ Romanæ strophas, stilum ipsum Rotæ, nostros docuit quæ simplicitatem nostram planè extinxerint; ut ab illis deinceps repurgari nunquam potuerit. Nec verò tum excepisse quemquam legas, Romam Petri Sedem esse, illuc remeandum ubi Spiritus Sancti domicilium. Placebat sanè Avenio quam Petrus nunquam adierat, non illis Petri Sedes minus; Cum interim hodie universam Ecclesiam ad unam Romam, Romam ad hanc solam cathedram revocent. Cardinales, ut Lugdunum convenêrunt, Clementi coronam imponunt, magno undequaque nobilitatis concursu. Aderant Rex Philippus, & Carolus frater, recens ex Italiâ reversus, qui Clementis electionem non parùm promoverat; Iohannes etiam Burgundiæ Dux, & alij Principes multi. Ea turba fuit, ut muro, ingruente multitudine affatim corruente, plures obtererentur: in quibus Armoricæ Dux, & Carolus Regis frater graviter læsi, Papa ipse decussa ex capite tiara dejectus, cujus & gemmam ingentis pretij amisit; Et hæc omnia omen plerique interpretabantur. At Papatum seriò in Galliam transferri argumento fuit, quod multos Cardinales Gallos Pontificatum ingressus novus iste crearet, penes quos electionis facultas. Interim ne Romanos in desperationem adduceret, tres illis Cardinales misit, quibus Senatorum dignitatem concessit, ut suam absentiam ipsi supplerent.

Nicolaus Clemangis in l. de corrupto Ecclesiæ statu.

An. 1308. Iàm, anno 1308. Alberto occiso, Henricum Henrici Comitis Lutzemburgensis filium, qui septimus dictus, Electores in Imperatorem assumpserant, eximiæ fortitudinis Principem: eique Aquisgrani diadema imposuerant: Is actutum Legatos ad Clementem Avenionem expediverat, ut coronationem suam Romæ celebrandam impetrarent; Et Clemens eâ conditione concesserat, ut intra biennium in Italiam proficisceretur: At Henricus non expectatâ die, Alpibus trajectis in Italiam descendit, ubi multas civitates erga se malè affectas, quippe factione Guelfas, offendit, quæ arctiori fœdere sese in eum obstrinxerant; Robertum Siciliæ Regem Pontificis amicum, qui copias illis administrârat, unde præsidia, ubi opus, constituerent; Exercitum etiam eduxerat, quo eorum Societatem defenderet. At ex alterâ parte rursum, complures, quæ eum magno plausu excipiunt, præsidia sibi & præfectos dari non illibenter patiuntur, in Lombardiâ præsertim, quæ ut à Roberto remotior, ita ejus artibus pervia minus. Viterbium accedenti Clerus & populus Romanus salutaturi obviam veniunt, Romamque honorificè dedu-

reducunt. Ingressus igitur agnito, conjurationem in se initam esse, ut suæ securitati caveat, Optimates Sacramento sibi devincit, & turribus præsidia imponit. Addunt & nonnulli, novo exemplo tributum à populo accipere voluisse, quo quippe die, alij Missilia jacere soliti; Itaque Guelfis eo prætextu populum commovere proclivè fuit, Roberto præsertim Rege Siciliæ adstipulante, qui festivitatis cohonestandæ occasione, eo accesserat. Quare, Henricus Laterani coronatus, urbe Cardinalibus relictâ, Tibur secedere cogitur; Quò sanè digresso, satis ostenderunt, sibi non tam in mandatis fuisse, ut eum coronarent, quam ut, si possent, urbe prohiberent. Etenim ejus occasione Clemens postmodum legem illam statuit: Uti Reges Romanorum in Germaniâ electi, pro Imperatoribus nec habeantur, nec sese gerere possint, donec à Papa Imperatoris nomen acceperint; Quin &, uti in interregno, Papa in urbibus & ditionibus imperij omnem potestatem habeat. Verùm, non diu inter eos rixatum: Bonus enim Princeps Senas contendens, inque itinere Boncoventum obsidens, veneno propinato, paucis post diebus interimitur. Ex Historiâ verò, de Authore judicet Lector, quandoquidem in eo conveniunt omnes, venenum illud à quodam Bernardo Dominicano, Henrici confessore in hostiâ traditum: unde versus. Henricus Stero in Annalibus sub annum 1313. Clemens Ne sede vacante aliquid innovetur. Idem de sententiâ & re judicatâ,

Iure dolet mundus, quod Iacobita secundus,
Iudas nunc extat, mors Cæsaris hæc manifestat.

Addunt & quidam, instigante Pontificis Legato. Qui id moliebantur, num, quæso, Transubstantiationem in animo credebant? Alij Dominicanos Sacerdotes in hujus facinoris odium, manu tantùm sinistrâ communicare jussos. Et Henrici Comitis Flandriæ, cæterorumque Procerum solicitudine, reus ille peractus, sed is toxici effectu conspecto, fugâ statim sibi consuluerat. Notat Aventinus, Clementem Henrico ex eo hostem factum, quod, coronam suscepturus, Cardinalibus Sacramentum præstare denegasset, fatus *contra majorum morem, libertatemque religionis Christianæ esse, Principem Principum, orbisque terrarum Dominum, servo servorum Sacramentum dicere*; Propterea Robertum Regem Neapolis, & alios Principes in eum instigasse, quem, cum vitæ suæ insidias etiam per venenum struere intelligeret, ei diem dixisse, contumacemque, læsæ majestatis reum, ac proinde regno spoliatum pronuntiasse. At regessisse Clementem, de Neapopolitano regno Henricum statuere non posse, cujus cognitio, feudi quippe Pontificij, ad sedem Romanam pertineat. Collenuc. l. 5. Henricus Stero. in Annalibus. Trithem. in Chron. in Abbate Henrico 13.

Clemens, cum studio Caroli Comitis Valesij Pontifex crearetur, in sex capita secundum Antoninum, fidem suam Sacramento obstrinxerat, quæ apud Antoninum & alios habentur: In primis absoluturum se, quicumque contrà Bonifacium consenserant & Cardinalibus Columnensibus etiam galerum restituturum; Adde, quod suo tempore promendum reservabat, memoriam Bonifacij se condemnaturum, nomen ejus è Pontificum Catalogo erasurum, ejusque cadaver effossurum. Anno igitur 1310. Avenione, *in ipso consistorio publice excusatus Philippus Rex Franciæ, de iis, quæ egerat contra memoriam Bonifacij quondam Papæ, & pronunciatum ad excusationem Regis quod egerat, ea in bonâ intentione & bono animo ac Zelo, præsentibus ibidem Regis nunciis; Et hæc fuerunt consequenter, ut dictum est, Bullarum Papalium testimonio confirmata. Fuit ibidem Papæ Clementi commissum totum negotium, totusque processus habitus Bonifacij Papæ memorati ab utraque parte, scilicet accusante, & defendente, fuitque renunciatum & conclusum per viam pacis tractatæ. Papa verò suscepit super se negotium examinandum & finaliter terminandum. Item, ibidem Papa Clemens* ab- Antonin. parte 3. Tit. 21. c. 1. parag. 3. Villani in Historiâ Florent. An. 1310. Chronic. Martini. Chronic. Monfort. Thomas Walsingham in Chronic.

absolvit Gulielmum de Nogareto, præsentem & petentem absolvi à sententiâ excommunicationis, quâ tenebatur propter Bonifacij Papæ captionem. Additur ex ipsius Consistorij consensu, Reges, regnumque Franciæ anathemati aut interdicto subjici non posse: Quæ Bulla in Archivis regni servatur. Chronicum Monfortense disertè: *Duas constitutiones Bonifacij revocasse, unam, quâ Regi ipsi scribebat, ipsum tum in spiritualibus, tum in temporalibus Ecclesiæ Romanæ subditum esse; alteram sexto Decretalium insertam, cujus initium, Clericos.* Et Columnensibus quidem jam prospectum fuerat, sed restabat, ut memoria Bonifacij damnaretur, ex ipsâ tum Philippi justificatione, tum Authorum absolutione satis damnata: Sed hoc caput ad Viennense Concilium rejicitur, quod exeunte hoc anno cœptum: Ibi disceptatum ex parte Philippi Regis, damnandum hæreseos nomine Bonifacium, quod præ alijs tres Cardinales acriter contenderunt: Sed vicit pars major, partim quod Cardinales ab eo creati, dignitates suas eâ ratione periclitaturi, sibi prospiciebant, partim, quod electioni Clementis, cujus pars fuerant, non parum roboris ex eorum abdicatione decedebat. Certum, Philippum Regem in hoc negotio ita sese obfirmasse, *ut petierit per suos nuncios à Domino Papa,* inquit Walsinghamus, *ossa prædecessoris sui Bonifacij, ad comburendum tanquam hæretici, importuna instantia.* Et id sanè non inconsulto Parisiensi Senatu, nec non ipsâ Theologicâ facultate.

Nicolaus Trivetus Dominic. in Annalibus.

Walsingh. Chronic.

In hoc Concilio tria capita agitabantur, Templariorum negotium, Bellum sacrum, Ecclesiæ reformatio; Damnantur hæreseos & aliorum criminum Templarij, exinde in pluribus locis crudelissimè combusti, totaque Europâ proscripti, bonis spoliati. Multi tamen authores innocentiæ illis testimonium perhibent: Bocatius, Villanus, Antoninus, Nauclerus, Aventinus, alij; Pars asserit opes, quas possidebant maximas, illis exitium accersivisse, Philippum incusantes, Clementemque ipsum, qui nihil ei denegatum vellet; pars incanduisse in eos Pontificem, Curiam Romanam detestatos, quæ omnium in orbe Christiano calamitatum, supremique Palestinæ excidij, una causa esset: Adeò, ut nullis tormentis, non ullâ supplicij acerbitate, adigi possent, ut crimen ullum sibi impositum confiterentur, Quin imò, qui in Germaniâ, in Moguntino conventu, teste Æmilio, innocentiam suam probasse leguntur: *Authores sunt,* inquit, *non obscuri, Iacobum Burgundionem ordinis Principem,* (alij Molanum cognominant) *cum productus ad supplicium, circumfusâ ingenti multitudine, dum pyra extruitur, staret, propositâ vitæ spe, ac impunitate, si quæ in custodiâ fassus de se suisque esset, nunc quoque confessus, veniam publicè peteret, hujusmodi verba fecisse. Ego nunc supremis meis rebus, cum locum mendacio dari nefas sit, ex animo vereque fateor, me ingens in me, meosque scelus conscisse, ultimaque supplicia cum summo cruciatu promeritum, qui in gratiam, quorum minimè decuit, dulcedineque vitæ, flagitia impia, sceleraque ad tormenta ementitus sum, in Ordinem meum de religione Christianâ optimè meritum, nec mihi nunc vitâ opus est præcaria & novo super vetus mendacio retenta, exin rogo impositum, ac admoto paulatim igne primoribus pedibus ad exprimendam scelerum confessionem, ne tunc quidem, cum reliquo corpore depasto vitalia fœdo nidore torrerentur, ab hujus orationis constantiâ descivisse, aut mutatæ mentis ullam significationem præbuisse, neque ipsum, neque duos cum supplicio affectos nobilissimos ejus ordinis viros, quorum alter esset Delphini Allobrogis frater.* Et hinc argumentum capiat Lector, unde de calumnijs judicium ferat, quas ab omni ævo Pontifices adversarijs imputare soliti. Addunt Authores non contemnendi, duos Cardinales huic supplicio interfuisse, & magnum illum magistrum Clementem Papam de sententiâ, quam in eum tulerat, responsurum, ad Dei tribu-

Paulus Æmilius in Philippo Pulchro.

Supplementum Martini, Parad. in Historiâ Burgundicâ.

tribunal vocasse, qui quadraginta post diebus, die illi dictâ, objerit: Supplicium enim incidit in undecimam Martij, & Clemens 10. Aprilis moritur; Clementinarum promulgationi mensem tantum unum superstes.

Ad Palæstinam quod attinet, Crux assumenda publicatur in Turcas, additis indulgentijs, quàm unquam antea indulgentioribus: nempe, ut quicumque in hanc expeditionem Cruce se signassent, damnationem incurrere non possent, his disertè verbis: *Nolumus ut pœna inferni sibi aliquatenus infligatur; concedens insuper Cruce signatis, ad eorum vota, tres aut quatuor animas, quas velint, è Purgatorio posse eripere.* Unde magnum apud Theologos Parisienses scandalum, eo impensiùs, quod huic Bullæ clausula specialis inerat: *Mandamus Angelis quatenus animam à Purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant*; nempe ex eo jam dogmate, quod apud eos invaluerat, Papas Angelis, ut pote Lictoribus suis, imperare; Et hujus Bullæ exemplaria etiamnum servantur, Viennæ, Pictavij, Lemovici. At de reformatione Ecclesiæ, aut nihil omnino, aut parum admodum, uti in sectione sequenti videbitur: sed ex vitæ Clementis clausulâ, qualis ille fuerit videamus, qui de Paradiso tantâ cum fiduciâ statueret. Antonini igitur ipsissima verba sunt: *Post Concilium generale celebratum, anno Domini 1313. Clemens iter agens à Viennâ, ut perveniret Burdegalam, in viâ infirmatus diem clausit extremum. Hic, ut Chronica referunt, fuit nimis cupiditatibus deditus, propter quod, scelus Simoniæ maximè à Canonibus detestatum & punitum, multum viguit in Curiâ suâ circa beneficia. Quod autem quidam dicunt in Papam non posse cadere Simoniam, beatus Thomas hos reprobat, &c. Insuper refertur, quod cum ex hoc seculo migrasset quidam suus nepos, quem multum diligebat sensualiter*, (adverte hæc verba) *induxit quendam peritum in arte Necromantiæ, ut inquireret per maleficium illum, qualiter illi nepoti suo esset in aliâ vitâ: Qui artem exercens, fecit quendam Capellanum Papæ, audacem valdè videre inferni loca, ibique Palatium, in quo erat lectus ignitus, vidit, ubi quiescebat nepos ille Papæ Clementis. Quod cum Papæ retulisset, nunquam postea visus est lætus: sed paulo post decessit: Cujus cadaver cum positum fuisset in quadam Ecclesiâ cum multis luminaribus, nocte ignis Ecclesiam combussit, & corpus ejus à lumbis usque ad pedes.* Et hic tamen ille est, qui in Clementina, *Pastoralis; Nos tàm ex superioritate, quam ad imperium non est dubium nos habere, quàm ex potestate, in quâ, (vacante imperio) succedimus Imperatori, & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium nobis, licet immeritis, in personâ beati Petri concessit, &c. Decernimus*, &c. Numnon potius credere datur nobis, vel ex illis quæ supra, ab eo hanc potestatem esse, qui domino dicebat: *Hæc omnia dabo tibi regna, si procidens adoraveris me.* Is ille etiam, qui Festum corporis Christi in Concilio Viennensi omnibus servandum præcepit, quod primum ab Urbano quarto institutum, exinde neglectum fuerat, novasque idcirco indulgentias attribuit: nempe: *omnibus*, inquit, *pœnitentibus & confessis qui matutinali officio Festi ejusdem in Ecclesiâ in quâ idem celebrabitur, interfuerint, centum, qui verò Missæ, totidem; Qui autem in primis ipsius Festi vesperis interfuerint similiter centum, qui verò in secundis totidem; Illis verò, qui primæ, tertiæ, sextæ, nonæ ac completorij officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum, quadraginta; Illis autem qui per octavas illius Festi matutinalibus, Vespertinis, Missæ ac prædictarum horarum officiis interfuerint centum dies singulis octavarum ipsarum diebus, de omnipotentis Dei misericordiâ confisi, de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus.* De hujusmodi verò inventis num melius, quàm ex ipsis inventoribus, judiciũ feramus, quibus, seu vitam seu mortem eorum consulas, derisui & ludibrio illa ipsa erant? Et audent

Clement. l. 2. Tit. 11. de sentẽtia & re judicatâ C. Pastoralis.

Lib. 3. Clementinar. Tit. 16. de reliquiis & veneratione sanctor.

dent interim, reverentiâ sibi præstitâ perperam utentes, Principes & imperia, quâ datâ occasione, indignissimè exagitare; Hic ipse inter alios, Venetis infensus quod Ferrariam cepissent, eos & universos & singulos prædæ exponere: ita ut, pro mancipijs attinêri possint; quâ pœnâ, ut sese redimerent, Franciscum Dandulum, quem absolutionem petitum Veneti miserant, post multas dilationes eò adigit, ut ad ejus pedes, quam diu ipsi collibuit, provolutus, ferreâ catenâ collum revinctus, instar canis, subter ipsius mensam jacêre cogeretur, unde ei apud suos *Canis* cognomen; Et Baronius interim Alexandri tertij erga Fridericum primum truculentiam nobis in dubium revocare ausit, quod à solitâ Paparum clementiâ nimis abhorreat.

OPPOSITIO.

CLemens in indicendo Viennensi Concilio, reformationis Ecclesiæ spem facturus, Durando Rotæ auditori & Episcopo Mimatensi Gallo (is vulgo speculator) mandatum dederat, ut quædam capita ad eam pertinentia in Concilio proponenda digereret; Extat adhuc Tractatus ille, cui Titulus, de Concilio celebrando, Lutetiæ anno 1545. excusus; In eo initium à Cleri Romani reprehensione ducit, si auditus fuisset, forte ejus corruptioni non parsurus: *Secuti sunt*, inquit, *viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correctionem verò habuit suæ vesaniæ: nam subjugale mutum, quod hominis voce locutum est, Prophetæ insipientiam probavit. Quod etiam hodie accidit, cum tam stulta & dissoluta perpetrentur in Ecclesiâ Dei à dictis personis Ecclesiasticis, quæ deberent esse lumen aliorum, & lucernæ super candelabrum positæ, juxta id quod Dominus ait: Sensus hebetant Iudæorum & etiam Paganorum.; Et etiam illi qui ratione divinæ agnitionis omnimodo carent, istorum detestantur insaniam, & eorum distorta & Deo contraria itinera saniùs sapiendo redarguunt.*
Tit.2. Inde, quæ via ad reformationem tenenda sit, summatim explicat: In sacro, inquit, Concilio, in eam conspirantibus Regibus simul & Pontificibus. 1. uti ad legem Dei, ad Euangelium, ad Concilia instinctu Spiritus S. approbata, ad bonas etiam leges humanas, recurratur; *Et quicquid per alios invenitur, in regimine mundi in contrarium attentatum, corrigatur & reformetur, prout melius possit, nec in contrarium impunè attentetur.* Tollantur etiam omnes abusus, consuetudines, dispensationes, privilegia, libertates, exemptiones, quæ illis adversantur, utpote quæ meræ corruptelæ censendæ sint. 2. Papæ ipsi, se suaque facta & dicta divi-
Tit.2. nis & humanis legibus conforment, & se per imitationem eis subjiciant, & exempla eorum, quæ agenda sunt, subsequentibus & subditis demonstrent; aliter, si à legibus & doctrinis illis discedant, & dominari, quam subditis consulere malunt, *honorem eorum inflari in superbiam & quod provisum est ad concordiam, tendere ad noxam.* 3. Negari non posse, quin Ecclesia Romana in multis à sacrâ Primitivæ Ecclesiæ institutione, sanctorumque Patrum Conciliorum & Decretorum sententiâ deflexerit, *in tantùm, ut primæ institutionis videantur obliti*; cum tamen sacrarum Scripturarum veritatem consuetudini cuicumque, etiam perantiquæ, anteferre debeamus. Quartò, Papam non debere facilè pati, causas ex provincijs in Curiam transferri: Ecclesiasticum ordinem manifestè confundi, cum Papæ benificia ab Episcopis pendentia, etiam ante vacationem conferunt, ut metuendm sit, cum Romana Ecclesia sibi universa vendicet, ne proverbio locus fiat: *Qui vult totum, perdit totum*, Et hìc in extraneorum promotionem invehitur, quorum vocem

m subditi non audiunt, qui nec subditos intelligunt, nec ab ipsis intelliguntur, Part. 2.
digni, cæci cæcorum duces: Unde tota Ecclesia subvertatur. In Simoniam Tit. 7. 11.
oque, quæ in Curiâ Romanâ *perinde regnat*, inquit, ac si nullum peccatum esset; 12. 20. 21.
uralitatem proinde beneficiorum, pensiones Cardinalium, quibus Episcopatus
erantur, & alia beneficia, quæ in Pontificum propinquis & nepotibus perenna- Titulo 32.
, quæ nunquam moriantur. S. Gregorium Magnum Episcopi universalis ejusdem
ulum repudiasse, nec alium quemquam eo nomine vocari voluisse. Quin & partis &
teres Papas in suis Epistolis solitos alios Episcopos sibi præferre, quod etiam exem- 4.
is probat; Quare, ita honorandam esse Ecclesiam Romanam, ut honor alijs de-
tus eis non denegetur; Adeò, ut Milevitani Concilij Canonem confirmandum
cat: *Ut unaquæque causa in suâ provinciâ terminetur.* 6. Utile videri, ut in Conci-
matrimonium Sacerdotibus concedatur: Cum planè frustra & incassum ha-
enus sint ad castitatem coacti, cumque Græciæ Sacerdotes jus matrimonij ha-
eant, idque etiam Apostolorum tempore in usu fuerit. 7. *Cogendos esse Monachos*
l laborem manuum, ut olim in Ecclesijs Ægypti, quæ nullum planè Monachum
eciperent, qui aliquam artem non nosset. At in primis nullatenus ferendum esse,
t officio Pastorum fungantur, Sacramenta administrent, ægros visitent, mor- Part. 2.
uos sepeliant, &c. Et Mendicantes tanto minus. 8. Reprimi opus esse abu- Tit. 53. &
m imaginum, nundinationem indulgentiarum & pœnitentiarum, Monacho- Part. 3. Tit.
um vagam in concionibus licentiam, qui sacras Scripturas relinquunt, ut homi- 16. & 28.
um inventa deprædicent. 9. Sed eo semper redit, reformandæ Ecclesiæ, seu in Part. 2 Tit.
oliteiâ, seu in disciplinâ, seu in moribus, nullam spem, nullam rationem esse, nî 57. Part. 3.
Romana exemplo præeat, cujus corruptelas per omnes partes exequitur: ni Papa Tit. 15. &
nte omnes sibi legem præscribat, intra sacras leges tum divinas, tum humanas 16.
se contineat: nihil ullo modo in contrarium indulgeat, nihil etiam inconsultis
ratribus coepiscopis faciat; quippe qui Apostolorum locum obtinent, quibus
Christus parem cum Petro dignitatem, parem potestatem contulit: non autem
urialibus Romanis; Nisi etiam Ecclesiæ Romanæ Primatus, per jura Ecclesia-
tica, & secularia distinguatur, nec Papa universalis Ecclesiæ Pontifex vocetur,
roque eo se gerat, quod Gregorius prohibuit. Verùm, inquit, *Ecclesia Univer-* Part. 3. Tit.
versalis malis exemplis Ecclesiæ Romanæ scandalizatur & quasi inficitur populus uni- 32.
versalis, & nomen Domini, Dominatores populi, secundum Esaiam, ex hoc sinunt blas-
phemari: Nam secundum Augustinum, nihil magis confundit Ecclesiam Dei, vel ei offi-
cit, quàm dicere peiores sunt Clerici quam Laici; Indeque excurrit in rapinas Legato-
rum, Nuntiorum omnium, Curiæ Romanæ ministrorum, exactiones indulgen-
tiarum, privilegiorum, dispensationum in luxum & superbiam Papæ & Prælato-
rum, quocumque gradu, majorem quam quorumcumque Regum & Principum:
ignorantiam inter hæc & negligentiam plerorumque: unde innumeræ animæ pe-
reant; Et hîc identidem exclamat, tanquam in deplorato morbo, spem omnem
abjiciens: *Proh dolor, quia videtur in ipsâ Ecclesiâ verificari dictum Esaiæ 34. in figu-* Part. 3. Tit.
ram Babylonicæ Civitatis, gloriosæ in regnis & inclytæ in superbiâ Chaldæorum, de quâ 28. & seq.
dicitur: Erit cubile Draconum, & pascua Struthionum, & occurrent Dæmonia, Onocen-
taurus & pilosus clamabit alter ad alterum, ibi cubavit Lamia, & invenit sibi requiem, ibi
habuit foveam ericius & enutrivit catulos, illic congregati sunt milvi, alter ad alterum.
Item, *utinam non verificetur verbum in clero, Esaiæ dicentis: Populus hic labiis me hono-*
rat, cor autem eorum longè est à me. Et complures similes loci in hoc Tractatu occur- Part. 3. Tit.
runt, digno, qui integer legatur, nec ejus Lectorem pigeat. Interim harum com- 28. & 50.
mone-

monefactionum nullus fructus; In hoc contrà Concilio editur Decretalis illa; cui initium *Pastoralis*, in quâ Clemens sese supra Imperatores longè extollit, quippe vicarium Regis Regum; Non alia reformatio hinc prodit, quam quæ ex ridiculâ illâ lege, cujus in Clementinis initium: *Exivi de Paradiso, dixi rigabo hortum plantationum, ait ille cœlestis agricola, qui verè fons sapientiæ, verbum Dei à patre in patre manens, genitum ab æterno, &c.* Audi verò, talia præfatus, quid subjungat: *Hic hortus siquidem est Fratrum Minorum sancta religio, quæ muris regularis observantiæ firmiter undique circumclusa, intra se solo contenta Deo, adornatur abunde novellis plantationibus filiorum.* Quam quidem prolixa hac Bulla sibi ordinandam proponit, ut graves illos scrupulos tollat, quibus angi videbantur: Num præcepta, comprehensa in Euangelio, observare tenerentur, etiam consilia omnia, an nonnulla tantùm particulatim vestimentorum, quæ materia, quis color, quæ longitudo, latitudo, forma; Profunda scilicet religionis Christianæ mysteria, Concilij generalis consideratione digna, de quibus tamen ambiguè adeo statuit, ut non multo post novâ lege ijs consuli sit necesse.

Florebat & hoc tempore Dantes Florentinus, pietatis & doctrinæ laudem apud scriptores coætaneos consequutus; Tractatum is scripsit, cui titulus *Monarchia*, in quo probat Papam Imperatore superiorem non esse, nihilque in imperium juris habere: quod cum illa Clementina *Pastoralis* ex diametro pugnat, qua utrumque Pontifex sibi præfractè arrogat. Eò etiam venit, ut dicat in Cantione de Purgatorio,

Di hoggi mai che la Chiesa di Roma.
Per confonder in se due reggimenti
Cade nel fango & se bruta & la soma.

Constantini etiam donationem refutat, quæ *nec de facto* fuerit unquam nec *de jure* esse potuerit; ideoque à quibusdam hæreseos damnatus fuit: *Sunt & tertij*, inquit, *quos Decretalistas vocant, Theologiæ ac Philosophiæ cujuslibet inscij & expertes, qui suis Decretalibus totâ intentione innixi, de illarum prævalentiâ credo sperantes, Imperio derogant. Nec mirùm, cum jam audiverim, quendam de illis dicentem & procaciter asserentem: Traditiones Ecclesiæ fidei esse fundamentum. Quod quidem nefas, de opinione mortalium sibi submoveant, qui ante Traditiones Ecclesiæ in Filium Dei Christum sive venturum, sive præsentem, sive jam passum crediderunt, & credendo speraverunt, & sperantes charitate arserunt, & ardentes, ei cohæredes futuros esse mundus non dubitat.* In poëmate de Paradiso Italicâ linguâ conscripto conqueritur, quod Papa ex pastore in lupum evaserit, & oves Christi à verâ viâ diverterit: Propterea Euangelium deseri, Patrum scripta negligi, solis Decretalibus incumbi, de Nazareto, ubi Gabriel alas suas expandit, neminem cogitare, Vaticanum tantùm & alia selectiora Romæ loca à Papa & Cardinalibus attendi. Et hæc, inquit, militiæ Christi, cui nomen dederat Petrus, coemeterium fuerunt, cujus interim doctrinam Romæ verè sepeliverunt. Olim illatum Ecclesiæ gladio bellum: inferri jam fame, sublato pane illo quem Deus, ei alendæ, dederat, quem nemini denegat, nempe verbi divini prædicatione; *At tu*, inquit, Papam ipsum compellans, *qui per Cancellarium tantùm scribis*,

Dante del Paradiso C.9.& 29. del Purgatorio. C. 32.

Cogita Petrum & Paulum, qui mortem oppetivere,
Propter vineam, quam vastas, etiamnum vivere.
Potes tu quidem dicere, firmum habeo desiderium.
Sic ad eum, qui voluit vivere solus,

Quique per saltus fuit, pertractus ad supplicium,
At qui nec piscatorem agnosco nec Paulum.

Alio loco, indignum esse edisserit, quod Scriptura divina, aut omnino à tergo linquatur, aut violenter torqueatur: Nec attendi quanto cum sanguine in orbe seminata fuerit, quā grata sit ei, qui illam cum humilitate accedit: Contrà, unumquemque in suis commentis sibi plaudere, Euangelium verò taceri: In cathedrâ toto anno vanas quæstiones, meras fabulas personare, oviculas interim hoc vento inflatas tabescere; Et multa alia ex eo adduci possent, in indulgentias Papæ & Ecclesiæ Romanæ abusus, quam ita depingit, ut cuivis facilè liqueat, in eâ se meretricem illam Apocalypticam probè agnoscere.

Memorabile est, quod hoc tempore Fridericus 3. Siciliæ Rex, Princeps religiosus, scandaloso Ecclesiæ Romanæ regimine ita commovetur, ut de veritate Euangelij tantumnum dubitet; Compulsus tamen visione, in quâ mater ei apparuit, apertâ facie, quamque ex hac voce agnovit: *Fili mi, do tibi benedictionem meam, ut veritati omnino studeas deservire*; Arnoldum Villanovanum accersit, qui tum magnæ apud omnes existimationis, ut ejus ope suis dubijs satisfieret. Dubium hoc ei præcipuum: Euangelij doctrina inventum ne humanum esset, an divina Traditio. Et hîc tria potissimum animum ejus conturbabant; Primum, quod Clerus universus, magni pariter & parvi, ad Euangelium vitam suam non conformarent, officio sacro aut perfunctoriè tantùm, aut etiam per ludibrium defungerentur, de animarum regimine nullam curam haberent, in vanam gloriam contrà, toto impetu ferrentur. Secundùm, quod Monachi ipsi qui simplicitati Apostolicæ propiores viderentur, à viâ Dei tanto magis essent alieni, ut eorum respectu non Clerici tantùm seculares, sed Laici ipsi justificari possent, serpentes, viperæ, sine ullo spiritu pietatis; Ibique eos ab omnibus notis describit improbitatis, hypocrisis, impietatis, crudelitatis, rapinæ, lasciviæ, contemptus divini, incredulitatis, Et quidem circa Euangelium. Tertium, quod in doctrinâ tam gravi, tanti ponderis, negligentiam sedis Apostolicæ satis demirari non posset. Fuisse enim cum in diversas regiones mitteret, qui de progressu Euangelij inquirerent: jam verò nihil tale videri, propagandi extrinsecus Euangelij nullam curam haberi, extinguendorum intrinsecus schismatum nihilo magis, fovendorum potius & succendendorum: & Legatos in rebus mundanis perpetuò occupari, de promovendo, de conservando saltem Euangelio parum sollicitos. Cæterùm Fratres, de visione consulenti, respondisse, nonnullos illusionem esse, nonnullos matrem in Purgatorio esse hinc significari, quæ suffragijs indigeret. Et ad visionem quidem respondet Arnoldus multis rationibus & exemplis, præsertim, quod Euangelij voci ejus commonefactio consona esset, haud dubie à Deo illam esse: Quare, multis verbis hortatur, ut Deum juxta suam vocationem colat, justitiam & charitatem exerceat, pauperum non minus, quàm divitum rebus consulat, quod ad Deum pertinet considerationibus humanis perpetuò anteponat. At, ad doctrinam Euangelij quod attinet, credendum ei & affirmandum, quod tota Scriptura Euangelij est doctrina Dei: Quod Iesus Nazarenus est Christus, veteribus in Servatorem promissus, ille ipse Deus, qui universum creavit: Quod non tantùm ex articulis fidei, sed etiam demonstratione comprobari posit, cui nemo hominum refragari queat. Et hanc ei scripto complexus tradit.

Colloquiū Friderici Regis & Arnoldi de Villanova.

Iam ad rationes dubitandi, eas ejusmodi esse, ut fidem ipsius roborare potiùs quam

quam labefacere debeant; Primam utique & secundam, quæ Regularium & secularium lasciviam & depravationem spectant, quia Salvator ipse Ecclesiæ fundamentum, tum suâ ipsius, tum præconum suorum voce, id hoc tempore eventurum disertè præmonuit, nec in Scripturis Canonicis tantùm, sed revelationibus sanctæ Ecclesiæ, per sanctas personas utriusque sexus exhibitis, quas sancti Pontifices apud se magnâ curâ & devotione in Archivis sedis Apostolicæ servaverunt: *Sicuti*, inquit, *ego vidi & contrectavi manibus meis in almâ urbe*; Ad tertiam vero, nempe sedis Apostolicæ negligentiam, quod Christus suo tempore fecerat, & propediem facturus erat, ei sufficere deberet; Fecerat quidem, quia bis jam Sedi Apostolicæ *Apostasiam Diabolicam* denuntiari jusserat; Primum sub Bonifacio octavo, demum sub Benedicto undecimo, & interdum *cum plenitudine luminis directivi: Nam*, inquit, *nuncius profitebatur, primò, quod ea quæ nunciabat non habebat à se, nec à motu proprio ferebatur ad nunciandum, sed à lumine & præcepto Domini dominorum, & locum & tempus & modum, quibus illa nuncianda susceperat, exprimebat eis: 2, Pronuntiabat eis laqueum insidiarum Satanæ ad eorum seductionem, ita quod apertè dicebantur eis duo; Primum, quod juxta se habebant consiliarios, qui erant Angeli Satanæ, qui sub spe religionis & pallio recti zeli satagerent eos abducere à cribratione & purificatione statuum prædictorum, &c. 3. denunciat eis, quod si negligerent exequi denunciationem, Deus faceret eos hic degustare præsagium æterni judicij, sic scilicet, quod domino Bonifacio dicebatur in scriptis, quod in discrimine tali, & talis confusionis deducerentur, nec credidit quousque gustavit. Domino verò Benedicto dicebatur in scriptis, quod si negligerent, velocissime raperetur à sede; Et à die quâ legit, non sedit nisi triginta quinque diebus, ita quod neque ea quæ scribebantur ei, nec eventus antecessoris moveret eum ad credendum, sed omnia sprevit. 4. ad illuminationem & motum denunciabantur eis particulariter abominabiles & diabolicæ perversitates multorum illius status, quem superius memoravi, scilicet, quòd ea quæ superius expressistis, minutim explicabantur, & insuper alia sub tali formâ. Homines pestilentes dissipant civitatem Agni cœlestis, & maximè in statu, qui de altitudine perfectionis Euangelicæ gloriatur, & subvertunt Euangelicam veritatem, ac dirimunt ædificium ejus in populo, non solùm perversis operibus & exemplis, sed corruptione doctrinæ in suis prædicationibus & præconiis, &c. Nam cum in dolo & astutiâ malignitatis prædicent, quandoque indirectè allegant, & quandoque impertinenter applicant & perversè, & quandoque sophisticè distinguunt, & inconvenienter exponunt; Et sic veritas Scripturæ obtenebratur per eos, nec exponitur auditoribus clarè, sed adulterantur per eos eloquia Dei. Et in spiritu*, inquit, *Antichristi satagunt populum avertere à præclaris* Ordinariis, *& oves subtrahere propriis pastoribus; tot modis & taliter sicut in Scriptis, quæ sunt adhuc in Thesauro sedis Apostolicæ, particulariter exprimebatur. 5. Amplius in eisdem scriptis dejiciebatur dæmoniaca pestis Inquisitorum de statu illo, & cæteris, &c.* nempe qui officia *illa in provinciis emebant, non ut errantes ad viam reducerent, sed ut benè ambulantes, calumniis in furibundas Dæmonum oppressiones implerent.* Ibique in turpitudines expatiatur, quæ inter eos regnabant, fraudes etiam quibus sese tuebantur; quas, prolixiores fortè, Lectorem apud Arnoldum legere malim, hæc tamen quæ sequitur à tergo minimè relinquenda, *Scripturas*, inquit, *veritatem Euangelicam exprimentes, & sacri textus mysteria declarantes ac eorum transgressiones ac spurcitias describentes, occasione alicujus dicti, non erronei aut falsi, sed tantùm ambigui, tanquam superstitiosas & erroneas condemnant, & comburunt; Cunctis collegis illius status legere, vel studere in prædictis Scripturis ubique sub pœnâ mortis interdicunt, puteumque vivarum aquarum claudendo, sitientibus* aquam

aquam vitæ vel intellectus sacrorum eloquiorum. 6. Quod denuntiatum erat Pontificibus, ut ex parte Dei hæc revelarent hominibus: Quod ex scripturis ostensu facilè, quas SS. Patres, tum Romæ, tum in antiquis Monasteriis deposuerant: Verùm lethargiâ spirituali oppressos, noluisse ad bonum attendere, & opprobrium Christi de terrâ delere, maluisseque, ut fascinati sunt, evidentissimum mendacium, quàm Euangelij mysterium recipere. Itaque universam Ecclesiam ab his seductoribus infatuatam fuisse, ut inordinatam multitudinem, quæ Euangelium exterminat, ordinem putaret. 7 Quòd, denunciatore illo Ecclesiam universam his stimulis excitante, ut Euangelij exterminationi obviam iret, omnes nihilominus ex compacto aut aurem suam avertunt, aut denuntiationem aspernati sunt, aut in denuntiantem vesanierunt, ut inter omnes non unus surrexerit veritate Catholicâ laureatus, & justitiâ Euangelicâ loricatus, & probitate cœlestis militiæ animatus, qui diceret: *Iste homo Zelare videtur, pro decore & gloriâ sponsæ Christi & animarum salute: Scrutemur igitur & palpando diligenter experiamur, si ea quæ nuntiat, sive loquitur ad conversationem, sive corruptionem Euangelij potius ordinentur, &c. Sed obmutuit Senatus, & solùm ob hoc quod languores & maculas sponsæ denuntiabat Sponso, propter Zelum adhibendæ sanationis flagellabatur. Et hi qui vexillum Euangelicæ sanctitatis gerebant, externis cæteris acerbiori furiâ persecuti sunt eum, non solum charitatis & justiciæ regulis abnegatis, sed insuper humanæ verecundiæ fræno deposito, satagebant polluere innocentiam, & perdere innocentem.* Concludit tamen, non esse quod propterea Fridericus sedis Apostolicæ negligentiâ offendatur, ut de veritate Euangelij Christi dubitet, cum id ipse tàm longo ante tempore prædixerit, Et Deus bis jam hoc ipso tempore denuntiationem fecerit; cum etiam denunciator ipse, quamvis indignè repulsus, irrisus & vinculatus, nihil commoveatur; imò constantior & solidior, quam fuerit unquam, in fide maneat. *Scio enim*, inquit, *quòd Deus tertio faciet prædicta denunciari sedi Apostolicæ, sed per quem aut ubi, vel quando determinatè, ignoro, quia non est mihi indicatum. Et si denunciationem susceperit & in zelo Moysi & Phinees prosequatur, eam decorabit per divinam potentiam omnibus sublimibus antiquis & novis. Si verò neglexerit, certi sitis, quod Deus infra dictum triennium faciet in ea terribilissima judicia, ut sint Orientalibus & Occidentalibus ad stuporem, & qualia, dicam vobis ante recessum meum in spirituali.* Et sanè sub id temporis magna illa & diuturna contentio inter Imperium & Papatum, imperante Ludovico Bavaro, exoritur; Denuntiator verò, cujus hic mentio, Arnoldus haud dubie ipse, totâ tunc Europâ percelebris omnium linguarum & disciplinarum cognitione, cui de reformatione Ecclesiæ, Romæ sermonem injicienti responsum, *intromitte te de medecinâ & non de Theologiâ & honorabimus te. Quibus verbis, inquit, ab agro Theologiæ parvulos Christi nitebatur excludere, cupiens istum agrum singulariter cum Gigantibus possidere*, Id est, cum ijs qui Deo bellum inferunt. Fridericus igitur Arnoldi sermonibus permotus, veritatem Euangelij penitus scrutari apud se statuit, vitam suam ad doctrinam Christi formare, qui veritas ipsa, quique solus hominibus vitam largiri posit; Ejus verò incrementum omni conatu procurare, quicquid contra ei adversari cognoscat destruere, Regemque Aragonum fratrem, ut idem faciat, hortari, quem per literas totius rei certiorem facit, quibus & hîc eadem mente respondet; extant adhuc utræque anno 1309. datæ.

Legitur eodem tempore Edwardi Regis ad Clementem Epistola, in quâ exponit Reges & Proceres Regni sui, inde ab ortu Ecclesiæ, Ecclesias multas studiosè construxisse & liberaliter dotasse, idoneosque ministros præfecisse, unde fides Catho-

Catholica, in populis & linguis sibi subditis, fideliter propagata esset, vinea Domini mirificè profecisset. *Verùm*, inquit, *quod dolendum est, ipsius vineæ progenies degeneravit in labruscas, & exterminant eam apri de sylvâ & singulares feræ depascunt eam.* Sin dubitas quem velit, *dum*, inquit, *impostitiones & provisiones sedis Apostolicæ, quæ solito gravius invalescunt, ipsius peculium, contra piam voluntatem & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & præsertim exterorum: & ejus dignitates & beneficia pinguia personis conferuntur alienigenis, plerumque nobis suspectis, qui non resident in dictis beneficiis, & vultus commissorum sibi pecorum non agnoscunt, & linguam non intelligunt.* Et hìc multa incommoda ob oculos ponit, quæ inde consequantur; magno & incomparabili, temporalis & spiritualis status Ecclesiæ, regni & populi detrimento; Graviter obtestatus, ut quam primùm his provideat, quandoquidem tantum malum dissimulari non posset: *Successor*, inquit, *Apostolorum Principis ad pascendum, non ad comedendum oves Dominicas, & confirmandum non deprimendum fratres suos, mandatum à Christo suscepit.* Quia verò Clemens animum ad hæc minus advertisset, Edwardus Annatas extrà regnum transferri, Prælatis etiam, ne Romam ordinandi peterent, prohibuit. Epistolæ initium: *Pensata sedis Apostolicæ clementia, &c.*

Perdurabant Waldenses in diversis provinciis & diversis nominibus, quæ adversarij pro libidine plerumque iis imponebant; In Lombardiâ, uti vidimus, Fratricelli vulgo appellabantur: Et quia Papam, Curiam Romanam, quasque in doctrinam, moresque corruptelas induxerant, detestabantur, non solùm ad necem crudelissimè poscebantur, sed etiam apud posteros sexcentis turpitudinibus per calumniam infamabantur; cum tamen non alia eorum dogmata fuerint, quàm Waldensium & Albiensium, Ecclesiarum reformatarum confessionibus maximam partem consona. Ex narratione Rainerij Scriptoris coætanei id liqueat, qui se interfuisse testatur, tum in Lombardiâ, tum alibi, cum ab Inquisitoribus examinarentur: Nos verò suprà ex ejus scripto excerpsimus, quę ad eorum confessionē pertinent, ut hìc repetere non sit opus. Ad mores verò, modestos fuisse scribit, simplices, à mercimonijs abhorrentes, ut fraudem & mendacium vitent, labore suo victitantes, parvo contentos, castos, sobrios, exemplo suo ad omne bonum præeuntes; Addit, primam illos pueris regulam quasi pro rudimentis tradere, legis decalogum, decem præcepta Dei, ut à peccatis abstinere discant, quæ vulgo *mortalia* dicunt, quæ omnia, cum obsoletis illis nonnullorum calumnijs minimè quadrent. Clemens igitur Crucem in eos assumi jubet, miseros prædæ exponit, vitâ bonisque spoliandos proscribit, & in uno loco, in quem fortè se receperant 4000. simul obterit, prærupta montium petunt alij, in quibus ad tempus usque Eugenij 4. id est, 100. post annis eos agnoscit Antoninus Author. Et ex his verè propagati, quos etiamnū videmus in Augustanâ valle, Angronienſi & convicinis. Idem de his judicium, qui hoc ipso tempore Cremę in ducatu Austrię magno numero cremati leguntur, quos Hirsaugiensis Abbas eadem fide an antecessoribus credulus criminatur, veritatem multis mendacijs involvens. Constat tamen, ipso teste, eis Missam tanquam vanam & inutilem execratos esse & hostiam consecratam, Deum ab hominibus inventū, Ecclesiam Romanam infidelium congregationem, non Christi cœtum dixisse; Et porrò merita & intercessiones Sanctorum apud Deum dierum & ciborum discrimen, consecrationes Romanas, aliaque ejus generis & pro nihilo habuisse, & detestatos esse, ut quod pręterea Author eis affingit, mendacij Parenti sit tribuendum; Testatur verò, innumeros ejus professionis in Austriâ, Bohemiâ, vicinisque regionibus fuisse, & quendam ex suis concionatoribus Viennæ igni damnatum, ad supplicium adductum, plures quam 80000. in illis regionibus eam religionem

Anton. part. 5. Tit. 21. C. 10.

Chronic. Hirsaug.

amplexos, professum esse, quorum, in diversis locis, multi flammis passim traditi: *Ii verò*, inquit, *unanimi consensu perseverabant pertinaciter in erroribus suis usque ad mortem.* Iudicet æquus Lector, num ob illa, quæ ipsis imputantur flagitia, quisquam unquam rogum alacriter aut adeat, aut adire possit, ne dum, tam numerosa omnis generis multitudo. Coloniæ non multo post comprehenditur Lombardus, primarius inter eos Pastor, qui & ibi & alibi, multos discipulos sibi asciverat, per libellos suos, linguâ Germanicâ in vulgus sparsos, in quibus doctrinam suam, inquit idem, sacris Scripturis communitam acriter propugnabat: unde ignis supplicio damnatus, *multos, (ut ipse fatebatur) occultos in civitate Coloniensi & extra, errorum suorum professores, cultores atque discipulos reliquit.* Addit, *ex hac face Bohemia tunc infecta, usque in præsentem diem, eisdem erroribus & turpitudinibus scatet, quemadmodum inferius anno Blasij Abbatis 17. plenius dicemus.* Et verò toti orbi postea satis innotuit, quales essent Bohemi, Constantiensis Concilij præsertim tempore, in quibus nulla flagitiorum illorum macula apparuit, ut Trithemio proinde responsum sit, qui vulgi opinione abreptus, his calumnijs historiam suam consperfit.

PROGRESSUS.

ANno 1316. post duorum annorum, trium mensium & septemdecim dierum interregnum, quo Cardinales inter se convenire non poterant, accedit ad sedem Iacobus de Ossa Cadurcensis, qui Platinæ Iohannes 23. Discordes Cardinales ejus arbitrio detulerant, ut quem aptiorem judicaret ex suo numero eligeret: Verùm, præter eorũ expectationem, consilio Cardinalis Neapolionis Ursini, se ipse, delusis omnibus, Pontificem nominat, Thronumque insidens. *Ego sum Papa*, inquit & hic Antoninus: *Quamvis in aliis electionibus quis seipsũ eligere non valeat, tamen in electione Papæ non prohibetur, cum sibi committitur electio.* De hoc vocationis genere ex sequentibus judicium feret Lector. Gesta hæc Lugduni, unde non multo post Avenionem, sedem sibi firmaturus, proficiscitur. Iohannes iste porrò obscuris natalibus, & quod ejus temporis scriptores notant, novarũ rerum avidus, ambitioneque planè effreni percitus. Henrico 7. vitâ functo, in vacuâ imperij sede implendâ Electores studijs scindebantur, plerisque in Ludovicum Bavariæ Ducem propensis, nonnullis in Federicum Austriæ Ducem; Ludovicus coronationem impetraturus Iohannis consensum per Legatos exambit. Causatur Iohannes, ausum jam Ludovicum, quæ Imperatoris omni ex parte absoluti potestatem excederent: sicque preces ejus rejicit; Fridericus ex alterâ parte, majorũ virtutem per Legatos ei ob oculos ponit, Rodolfi & Alberti Cæsarum; Respondet uno verbo, Salomoni filium fuisse parum sapientem, sicque eos dimittit: Nempe, ut utrumque, quam diu poterit, in æquilibrio retineat, regnet verò intereà, juxta illam antecessoris sui legem: Uti in interregno Pontifex imperiũ gubernet, quod ipse, eo jure fretus, sibi arrogabat. Pergit nihilominus in possessione Ludovicus, & Federicum prælio superat, ipsumq; cum insigniori nobilitate capit; Inde, rebus Italiæ prospecturus, Matthæum Vicecomitem Mediolani constituit, Gibellinorumque animos passim erigit. Iohannes, ut hunc progressum videt, imperij regimine, anathematis pœnâ abstinere jubet: Cardinalem Legatum in Lombardiã mittit qui eadem pœnâ indictâ, Vicecomites Patrem & filium Mediolano cedere præcipit: parere detrectantes excommunicat, urbi ipsi sacris interdicit, & cruce signatos in eos ad arma vocat; Quare, Avenione in Ecclesiâ Cathedrali, anathema, quale suo loco videbimus, detonat: Ut non paruisse sine more, in Hæresim Ludovico imputêtur. Hinc verò in factiones atrociores quàm unquam anteà dividi Italia, Guelsi in Gibellinos & vicissim in-

An. 1316.

Antonin. part. 3 Tit. 21. c. 4.

Blondus Decad. 2. l. 10. Avent. l. 7.

Antonin. part. 3 Tit. 21. c. 6. pa-rag. 10.

insurgere in iisdem urbibus, mirum quàm efferati; Monachi ipsi, hi pro Papatu, illi pro Imperio digladiâri; Minoritæ contra Dominicanos, Dominicani etiam inter se scindi. Ludovicus nihilominus Italia cum exercitu trajecta, Romæ gratanter accipitur; Utque incredibilem populorum consensum omnibus ostendat, coronationem suam differt, dum Proceres Italiæ & Civitatum Legati omnes advenissent, qui undequaque ad eum accurrebant: Tum verò coronam ejus capiti Laterani imponunt, vel ut alij, in æde D. Petri, Cleri & populi mandatu Stephanus Columna & Ursinus de Ursinis, eumque consecrant, Iacobus Pratensis Castellanus Episcopus & Ellerensis; Quippe non Pontifice, non ejus Legato adhibitis, opus esse visum: quandoquidem urbis, tum temporis, administratio penes primarios Barones, qui se Regis Romanorum Vicarios profitebantur, ibique omnem authoritatem obtinebant, Et quotannis mutabantur, nisi Senatui prorogari placeret. Progreditur Ludovicus ulterius, rogantibus Romanis, qui sæpius jam apud Pontificem,& incassum quidem,institerant, ut Romæ (Germanus quippe eorum Episcopus) resideret; Papam à Clero & populo anno 1327. eligi curat Petrum de Corbario Reatinum, Minoritam, virum doctum & rebus gerendis idoneum, cui Nicolai 5. nomen; Nec defuerunt, qui Galerum ab eo aut Episcopatus acciperent. Quin & Iohannem frequenti Concilio hæreseos convictum, igni damnat. quæ sententia publicè in imagine executioni mandatur: Quo peracto, rebus in Italiâ quam optimè potuit constitutis, in Germaniam, Iohannis artibus variè turbatam, sibi redeundum statuit. Ex tantâ contentione orbis Christiani incendium mirum ni expectaretur; Eò acrius, quòd aliquot ante annis Iohannes Philippum Comitem Valesium & alios Principes in Italiam contra Ludovicum cum idoneis copijs induxerat; Utque Philippum, exinde regnum adeptum,eo magis devinciret,Decimam ei ex universoClero exigendam concesserat; Belli in infideles suscipiendi prætextu,quod illis pridem in consuetudinē transierat. Alternis quidem successibus res,modò huc, modo illuc nutarant,donec Ludovicus in Germaniâ cum Friderico paciscitur, qui libertatem suam Imperij cessione redimit. At sanè Nicolaus quintus Iohannis rivalis à Pisanis, qui à Ludovico defecerant, Iohanni proditus in carcerem conjicitur, quâ occasione Iohannes Rex Bohemiæ sibi utendum ratus, pacem inter eos aliquâ conditione moliturus arbiter intervenit. Ast inter has moras anno 1334. Iohannes Avinione moritur, orbe Christiano undique conflagrante, quo præsertim provinciæ & civitates Italiæ quasi depascebantur.

Naucler. vol.2.

Ann.1327.

Antonin. part.3.Tit. 27.c.6.par. 6.& 9. Avent.l.7. Gulielmus de Naugiaco. Ann.1334. Supplem. Martini. Antonin. part.3.Tit. 21.c.6.par. 15. Summa Constit. à Greg.9. ad Sixt.5.usq; constit. paternum morem. Annales Franciæ. Christianus massæus in Chronico. Gulielmus Ockam. in opere 90. dierum. Adrianus 6.in quæst. de confirmat.

Conveniunt omnes Historici Thesaurum reliquisse Iohannem ingentis pecuniæ, alij quindecim, alij vigintiquinque, *milliones auri* affirmant, quod portentosum illo tempore; Etenim Palæstinæ recuperandæ prætextu, totum orbem deprædatus erat; Nec interim Edwardum Angliæ Regem commonefacere erubescebat, quod Hibernis graviora onera imponeret, *quorum*, inquit, *Adrianus prædecessor illi dominationem sub certâ formâ concesserat*; Qui, quo jure aut quâ successione ad Pontifices pertinebant? Publicè cæterùm prædicavit Avenione, fidelium etiam sanctissimorum animas, antè supremum judicium, faciem Dei non videre, quod ex visionibus nescio cujus Tundaldi Hiberni se didicisse præ se ferebat; Quin & Monachos duos Lutetiam miserat, Minoritam unum, Dominicanum alterum, qui hanc opinionem de suggestu docerent, & Sorbonam ad eam approbandam cohortarentur; Quod & apud cæteras Universitates procurabat. Sed Rex Philippus Valesius doctiores quosque regni Theologos in Vicenarum saltum cogit, qui

um sententiam hæreseos apertè damnant; In his Thomas Valesis, Durandus de S. Porciano, Gulielmus Caleth, alij; Addit Aventinus, *se legisse Epistolam Theologorum ejusdem tempestatis, maximè Parisiorum, qui illum hæreseos notâ inurunt, atque ut resipiscat commonefaciunt*; quod asserunt, eum illorum hortatu, paucis ante obitum diebus fecisse; Ab hodiernis fortè hæreseos tanto magis damnandus: cum idem nobis Author sit: *Quosdam, qui in finibus Bohemiæ, atque Austriæ supremam illam Majestatem senis, adolescentis, columbæ imagine, (uti adhuc fieri solet) pingebant, læsæ religionis accersivisse, Antropomorphitas esse renunciasse, quos ad ignem comdemnarit.* Quandoquidem hanc absurditatem in clarissimâ Euangelij luce Bellarminus hodie, ejusque sequaces defendere non verentur. Avent. l. 7.

Minoritas Nicolaus V. magnopere promoverat: Iohannes id operis redemisse videtur, pro solitâ Spiritus mendacij varietate, ut eos dejiciat & conculcet; Et argumentis quidem, quæ Mendicantium fundamenta planè evertant. Ad quæstionem enim illam, Christusne & Apostoli aliquid proprij habuerint, asserit credendum esse Scripturæ sacræ, ex quâ articuli fidei probari debent, quæ nos doceat eos aliquid proprium possedisse; Quare, contrarium credere hæresim esse, & qui deinceps aliter loquutus fuerit, pro hæretico censendum. Quia autem in paupertate illâ suâ præsidium collocabant, ad mendicitatem eos revocat, eleemosynisque contentos esse jubet, ostendens, usum illum *de facto*, quem Nicolaus V. eis permiserat, cum proprietatis exceptione, quam Ecclesiæ Romanæ reservabat, merum artificium & vaframentum esse, quo reipsâ, ab eâ, quam profitentur, paupertate eximantur, unde Mendicantes, ut sibi victum ostiatim quæritandum vident, in eum vehementer incandescere cœperunt. Asserit denique Christum nunquam præcepisse, nunquam consilium dedisse Christianis, ut bona sua relinquerent; Non aliam pietatis regulam Apostolis, quàm cæteris Christianis sanxisse, quorum perfectioni mobilium immobiliumve possessio neutiquam repugnet: Apostolos nunquam paupertatem vovisse, nunquam bonis suis per totum renuntiasse, qui sanè ut & alij pij potuerunt & possunt, bonâ conscientiâ, de rebus temporalibus litigare, nec votum porrò ad Christianam professionem quidquam facere; Eo venit, inquit Aventinus, *ut Franciscanos in diem viventes, ostiatim victum mendicando quærentes, suæ opinioni adversantes, ut qui Christum, ejusque nuncios nihil possedisse docebant, impietatis, pestiferi erroris condemnaret, ex civitate Christianâ exigeret, fraterculos nuncuparet, plerosque etiam igne concremaret.* Interim observat Aventinus idem, hoc tempore: *Quod in alimenta pauperum ante distributum fuerat, in ornamentum, cultum parietum, atque pompam versum esse*; Nempe ex bonis Ecclesiasticis: *Tùm verò privata sacrificia, sacrificularios Pontifices, sacrilegia, compilationes, peculatus Temporum ac sicuti nunc vocant, incorporationes & absentias invaluisse*, quod in antiquis monumentis reperisse se asserit. Huic etiam Iohanni Decretalium supplementum debemus, quas *Extravagantes* vocant. Iohannes 22. Constitutiones, ut à Clemente Clementinas. Nec desunt, qui dicant, utrasque ab eo publicatas, cum Clemens, *agnito multa in suis simplicitati repugnare*, eas suppresissiet; Legitur una, præter illas, in Summa Constitutionum, in quâ, quod nonnullæ provinciæ & civitates Italiæ Imperatoris Ludovici partes sequerentur, Inquisitoribus præcipit, ut eos non secus ac hæreticos persequantur, quippe qui hæreticis societate juncti sint: Hæresis autem in eo erat, quod legitimo Principi contra Papam obsequerentur, quod *ei, in præcipitium damnationis & mortis sese immergere.*

In Extravag. Ioan. 22. Tit. de verbi signific. c. 1. 2. 3. 4. & cap. ad Candidorem. Cum, inter nonnullos quia, quorundam,

Sic igitur tandem Decretalia ad fastigium nobis perducuntur, de quibus vulgatum avorum proverbium, ex quo Decreto alæ supervenerunt, id est, Decreta in Decretalia abierunt, omnia in pejus perpetuò ruisse; Decretalia utique, quibus asseritur: *quod super gentes & regna Romanus Pontifex à Domino constituitur. Quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscitur. Quod Imperator fidelitatis juramentum Papæ præstare tenetur. Quod Papa ad imperium superioritatem habet, & vacante imperio Imperatori succedit. Quod Imperatorem ipse deponere, quin & solus eligere, si ipsi videtur, potest*; Itidem: *curatorem ei dare & cæteris regibus & statibus: Regnaque pro arbitrio ab uno ad alium transferre, ut qui eorum rector sit & corrector.* Hæc ex illo Domini dicto, si illis fides: *Omnis potestas mihi data in cœlo & in terrâ.* Ut & quod David de Christo prædixerat, *ab uno mari usque ad alterum dominabitur.* Hîc verò certatim Canonistæ, in Glossis & in Decisionibus Rotæ: *Papa censetur vicariatum Christi gerere, non tantùm in terrenis, cœlestibus & infernis, sed etiam in & supra Angelos bonos & malos. Solus habet potestatem & jurisdictionem omnium insimul Patriarcharum; majorem quam omnes sancti, omnes Angeli; adeò ut ipsos Angelos excommunicare possit: Mundus universus est ei pro Diœcesi, ex quadrato rotundum facere potest, jus ex injuriâ, ex nihilo aliquid. Potest & ipse contra jus naturale gentium & civile, humanum, divinum absolutè, & tamen justè judicare: Supra & contra omne jus, supra & contra omnia Decreta, Canones & statuta Conciliorum; Quippe cujus sententia sit supra omnium orbis Episcoporum sententiam; Ipse cum sit, causa causarum, cujus nulla ratio, nisi ipsa; ut qui aliam quærat, altissimo se assimilare velle videatur.* Deo inquam adæquare. Ac proinde Papa illis Deus; *Audi plura, en Romam, Potest dispensare contra Apostolum, tanquam superior, & contra vetus Testamentum, eo quod major sit omnibus ejus authoribus*; Quidni & Spiritu Sancto major, qui eos inspiravit? Quidam, *imò contrà Euangelium ipsum. Voluntas nempe Papæ est omnis justitiæ regula, quicquid facit, Deus pro benefacto habet: idem ei Consistorium cum Deo, idem tribunal cum Christo, cum similis sit Papa Deo, excepto peccato, adeò ut si sententiam mutet, Deum mutasse præsumere oporteat. Item, ab eo ad Deum appellari non potest, cum ipse in terris sit Deus, proinde judicet ut Deus ipse. Denique mandat Angelis, ut animas in paradisum transferant, Dæmonibus ut easdem, in vim suarum indulgentiarum, ex Purgatorio & inferno retrahant:* Pleni sunt his Axiomatis hujus ætatis libri, nec quisquam id ignorat; Et deinceps blasphemijs certabitur. Eo provehuntur, non Canonistæ tantùm, sed ipsi Glossarum Authores, quas accuratius examinare debuerant, cum pro authenticis tradantur, ut Papam nobis tanquam Deum proponant; Deum inquam essentiâ, si eos audire fas nobis. Quod quis unquam nisi Spiritu Dei prædicente credidisset? Glossa in caput, *Periculoso*, de statu Regularium in sexto, *Principem totius mundi* vocat; quâ Satan minimè id ferant. Quid restat igitur, nisi ut quâ Deus? At additio Petri Bertrandi in Extravagantem Bonifacij 8. præfractè: *Iesus Christus filius Dei, dum fuit in hoc mundo, & etiam ob æterno naturalis Dominus fuit, & de jure naturali in Imperatorem & quoscumque*

Summæ Constitut. C. cum nonnulli. C. super gẽtes extr. de consuetudine. Can. Solita de majorit. & obedient. Clementina unica de jurejurando. Clemẽtina Pastoralis de sententiâ & de re judicatâ. C. Venerabilem de electionib. C. 2. de sententiâ & re judicatâ. Auguft. de Anconâ in lib. de Potestate Eccles. q. 36. art. 2. & q. 35. art. 1. 37. 38. 44. 45. 46. De Rescriptis 6. & ibi Glossa. Decis. Rotæ. In Decret. Gregorii Tit. 7. c. Quanto. Glossa Lãcelot. in Templo omnium Iudicum l. 2. c. 1. par. 4. Bald. in l. rescripta, C. de precib. Imperat. offer. num. 7. August de Ancona, de potestat. Eccles. q. 18. art. 1. 2. 3. 5. Canonistæ ad cap. Quanto de Translat. Episc. & C. Proposuit de Concess. Præbend. Glossa dist. 4. C. 4. Augustinus de Ancona ut supra. Hostiensis in caput cum venissent de judiciis. Cravetta post Baldum, Concil. 566 colum. 2 & Rolland. Consil. 1. num. 93. & num. 130. Baldus Concil. 359. & Cravetta Concil. 241. num. 3. Glossa in Can 4 de concess. Præbend. & Can. 3. q. 6. causa 15. Decisio 1. vel 437. in compilat. Rebuffi, edition. Lugdunens. anno 1555. p. 27. Bald. in Lege ultima Cod. de sententiis rescindend. & ibi Lancelotus & alii. Lancel. l. 1. c. 1. par. 4. de respons. Pontif. C. debetur de Appellat. Lancel. Conrad. in Templo omnium judicum l. 2. c. 1. Bald. in cap. Cum super de causis propr. & possess. In Extravagant. Comm. l. 1. de majorit. Et obedientia. C. unam. sanctam & ibi Glossa. Et additio Petri Bertrandi in jure Canonic. Editionis Gregorianæ Lugdunens.

alios,

alios, utpote in personas, quas creaverat & donis naturalibus & gratuitis dotaverat, & etiā conservabat: Eadem ratione ejus potest; Hasne igitur aut conservat, aut creavit? Adverte rationis loco execrandam blasphemiam: *Nam non videretur Dominus discretus fuisse (ut cum reverentiâ ejus loquar) nisi unicum post se talem vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset: Fuit autem iste Vicarius ejus Petrus, & idem dicendum est de Petri successoribus.* Et horum verborum quia nonnullos Canonistas hujus seculi puduerat, ea illi in quibusdam editionibus eraserant: Sed Gregorius 13. reformandi prętextu, ea restituit. Glossa in caput, Fundamenta, de electionibus in sexto, pronuntiat *Papam hominem non esse;* Et versus subjungit: *Tu maxime rerum, nec Deus es, nec homo, sed intermedium quid;* Unde ut cognomen Papæ, *Admirabilis*, quo nomine censêtur Christus apud Esaiam capite nono; Mirum quod non addiderit quod sequitur, *Emmanuel*, Deus nobiscum; Dixerat, quæ in Extravagantibus Iohannis 22. titulo 14. *Non est, purus homo*, supervenit alia, *Cum inter nonnullos*, titulo 14. quasi indignabunda; *Credere Dominum Deum nostrum Papam ita statuere non potuisse, hæreticum est.* Adverte verò ab istis hominibus quænam reformatio expectanda sit, cum Gregorius 13. hanc Glossam in jure Canonico â se recognito intactam & integram reliquerit, ab alijs explosam restituerit. Adeò grave est illis de Antichristi privilegijs, quicquid simulent, vel tantillum remittere. Verùm, ut Antichristus nomina blasphemiæ multiplicat, ita excitat viros in orbe Deus, qui eum detegant, & quasi digito commonstrent, quod nobis edisserendum consequitur.

C. Fundamenta de Electione, in 6.

Glossa in proemium Clementinar.

Ius Canonicum impressum Lutetiæ, ann. 1520. apud Claudium Chevalonium, in sole aureo.

Ius Canonicum Gregorii 13. impressum Lugduni, postremæ Editionis apud Rovillium in Extravagantibus. Ioa. 22 C. cum inter. nonnullos. Tit. 14. in verbo declaramus circa finem.

OPPOSITIO.

LUdovicus 4. Imperator Federicum competitorem compresserat, seque affinitate Regis Angliæ communierat, cujus uxoris sororem matrimonio sibi adjunxerat, Comitis Hollandiæ filiam. Quare Iohannes Papa sibi validâ in eum conspiratione opus esse cernebat, seu, ut eum in Germaniâ retineret, seu, ut in Italiâ omnia ei difficilia redderet: Itaque fœdus cum Carolo Pulchro Rege Franciæ, & Roberto Rege Siciliæ init: Luitpoldum Austriæ Ducem, Federici fratrem, in armis esse jubet: Ducem Polonię in Regem promovet, eâ conditione, ut ei bellum inferat: Teutonicis denique equitibus præcipit, ut pace cum Lituanis factâ, Brandeburgensem Marchionarum invadant, qui ad Ludovici filium pertinebat. Exinde, ut eum à Germaniâ divelli non posse existimat, Philippum Valesium in Italiam inducit cum Cardinale Bertrando Dominicano, qui sibi viam sternat, ac tandem quoscumque Ludovici partes sectaturos anathemati subjicit. Ludovicum in his difficultatibus clientes sui inclamant, ejus opem implorant: Is nihilominus jus sibi ex eo quæsiturus, Oratorem ad Ioannem mittit: ad ipsum ejus Legatum, ut pacem tentet: qui minis & contumelijs excepti ad eum revertuntur; Ingeminat imò Iohannes anathematum fulmina ut Italiam cum excercitu ingredi, omissis cæteris, necesse sit. Legitur apud Aventinum Ioannis in Ludovicum Bulla, ex antiquis Bavariæ Bibliothecis deprompta, quam hîc integram inseri interest. *Posteaquam*, inquit, *à decessoribus nostris res Romana à Græcis ad Germanos translata, Carolo magno in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor beneficium Pontificis maximi esse solet. Decretum siquidem est, ut cum Germani Principes Regem jussissent, id demùm ratum esse, si Romanus Pontifex, Universi orbis Christiani Pater atque Princeps, author fieret, nec ante cuiquam Comitijs Cæsareis, suffragijsque Principum, designato Regi, neque administrandi, neque Regij tituli usurpandi jus est, quâm primarius Sacer-*

Avent. l. 7.

dos Dei Opt. Legatus suo numine faveat & aspiret. Prætereà summa potestas maximum imperium ubi orbum capite fuerit, per es max. Pontificem, cujus beneficium illud est, existit. Et nos supra vidimus ex hac *beneficij* voce, quanta certamina extiterunt, quantus totâ Italiâ sanguis effusus. *Itidem ubi septem suffragatores Comitiis Cæsareis discordes fuerint, neuter Rex est. Episcopus Romanus sicut communis omnium mortalium parens, fasces Romanos ob dissentionem destitutos, Rempublicam derelictam, suo arbitrio temperat: Quemadmodum animus imperare, corpus illi, cujus beneficio vivit, servire debet, ita optimè consultum esse rebus Christianis, nemo non ambigit, ubi fragilia æternis, prophana sacris, corporalia spiritualibus subdita sunt atque obtemperant: Quod tum fiet, quando Pontifex Maximus dignitatem utramque suo arbitratu moderatur, Ecclesia dominabitur, ejus lege atque imperio omnis potestas redigitur. Et Imperator religione sacramenti, ei qui terris præsidendo vicem cœlestis Imperatoris perfungitur, addictus est: Hasce ob causas, cum post facta Imperatoris Henrici septimi, duo Fridericus atque Ludovicus Reges consalutati fuerint, ambo utpote contra auspicia creati, indigni sunt summo rerum humanarum fastigio: Respublica in medio derelicta atque dilacerata, à nobis jure nostro administratur. Proinde, Ludovicus maximo malo suo, non minore Ecclesiæ Romanæ detrimento, nec dum à nobis dignus, qui imperet judicatus, suâ sponte Regium nomen, rerum habenas temerè usurpavit, idque ut in Italiâ ita & Germaniâ occupat: Nam Brandeburgensem Principatum contra leges atque intercessionem, filio suo tradidit. In Italiâ Galeatio ejusque fratribus de crimine hæreseos condemnatis, atque renunciatis, suppetias tulit.* Et perpetuò ob illam quam volunt hæresim, cujus non Apostoli, non Patres meminerunt usquam. *Nos igitur juxta munus cœlitus nobis datum, Ludovico præcipimus, ut intra menses tres sese abdicet ab regio nomine, gubernatione, functionibus publicis, rebus gerendis penitus abstineat, à se hactenus acta rescindat, nec posthac, nisi jussu & mandato nostro dignitatem resumat. Quod si obtemperare detractaverit, Patriarchis, Episcopis cunctis, Sacerdotibus, Principibus, Civitatibus imperamus, ut eundem deserant, ac nobis parere cogant. Data atque publicata Avenione, octavo idus Octobris, anno dignitatis octavo, Christi vero* 1321. Et ut nos nihil hîc exaggeremus, hoc tantùm loquendi genus advertat Lector: cujus specimen nobis in quadam suâ Extravagante, in quâ sine ambage, *Deus mihi commisit jura imperij terrestris & cœlestis.* Hæc Bulla, ut in manus Ludovici pervenit, quâ erat prudentia super illa, in Italiâ, Germaniâ, Franciâ Bononiæ præsertim & Lutetiæ, celeberrimos quosque Theologos & Iureconsultos seriò consulit; Eoque redit omnium sententia. *Quòd Acta & dogmata Iohannis adversus Cæsarem, Christianæ simplicitati & divinæ philosophiæ repugnant. Extant verò adhuc*, inquit Aventinus, *hujuscemodi consilia Theologorum in Bibliothecis, in membranis scripta.* Multi etiam viri magni, de quibus deinceps, tùm Iureconsulti, tùm Theologi in Iohannem stilum stringunt, quem ex S. Scripturis, legibus & Canonibus antiquis, acriter convellunt. Minoritæ inter alios quidam insigniores, ut Ludovicum tueantur, à Iohanne discedunt, eique quasi diem dicunt. At in eo constitutus Ludovicus solennem Reginoburgi conventum indicit: Quò confluunt præcipui Germaniæ Episcopi & Principes; In his Iohannes Rex Bohemiæ, & Matthias, Henricus & Balduinus Moguntinus, Coloniensis, & Trevirensis, Archiepiscopi. Decretum ibi: *curaturum Imperatorem Ludovicum, ne Germana libertas in servitutem redigatur, utque majestas imperij à faucibus tyranni eripiatur. Quare ex conventus decreto, vana irritaque esse vicesimi secundi Acta declaratum: & quicumque ea tueretur, hostem reipublicæ, bona ejus publica esse, placuit.* Inque horum vim Otho Carinthiæ Episcopus, & Lambertus Tholosanus

Extravag. ne sede vacante. C. si fratrum.

nus

nus Pontificis Legati, Germaniâ pelluntur, Obsequuntur verò Decreto omnes Episcopi, Prælati, Sacerdotes, Monachi, Franciscani ipsi: Soli Dominicani nutant, modò in Iohannem, modo in Ludovicum, ut è re suâ videbatur, propensi, modo Iohannis interdicto parentes, modo, ne expellantur, sacra celebrare parati; Et porrò hujus conventus authoritate promulgatur Decretum, quod apud Aventinum integrum legitur: Cujus, ne prolixiores simus, præcipua capita insevere sufficiat: *Christus Servator, Dominus atque Deus noster, ejus legati primarij Petrus, Paulus, Iacobus, Iohannes, tempora periculosa, ubi ad cœlum migrarint, nobis imminere cantarunt, & in primis admonuerunt ut summopere atque anguium in morem astuti, decreta Pharisæorum, Pseudochristos, pseudoprophetas, pseudoapostolos à mendacio simulatæ religionis ita appellatos, vitaremus. Qui se mystas ferunt cum sint nuncij Antichristi. Eos inexplebilis, honoris, potentiæ, pecuniæ sitis atque luxus, avaritia, fastus, qui in proverbium venêre, produnt, non imus inficias, ingenuè fatemur, tempora nostra censuram non ferunt. Iam pridem corruptis moribus simplicitas Christiana sordet, longinqua consuetudo potentior veritate vincit: tamen indignatio silentium rumpit: In altissimâ humanarum rerum specula cœlitus positi, tacere non possumus, ne canes muti, juxta Vatem sacrum, qui latrare non possunt, simus. Et si lupos pelle ovinâ tectos abigere ob infœlicitatem temporum non valemus, resistere tamen, hujuscemodique prodere, munus nostrum est. Quamvis tantumdem ut vellemus non possumus, tamen non assequutis voluisse, abundè pulchrum atque magnificum est.* Hanc demùm Thesim ad Papam Iohannem accomodat, & quam multipliciter Ecclesiam Christianam devastet, exponit: qui Christianos in propria viscera ensem stringere cogat, populos perjurio, perfidiæ, rebellioni, conspirationibus assuefaciat. *Nec licet per hunc Antichristum*, inquit, *Christianis pacem à Deo datam servare: Tanta est hominis vel potius Satanæ illius vecordia, publicè pro concione scelera sua, quasi benefacta, prædicat. Cum Christiani,* inquit, *Principes inter se discordant, tum verè Romanus Sacerdos est. Pontifex Maximus, demùm regnat, demùm dominatur, ubi omnibus discordiâ, seditione, mutuo odio debilitatis formidolosa fit ejus potestas: universi ejus nutui obsequuntur, & vel screatus observant, &c. Et profectò ejus fraude duo rebus impositi sumus, quos vel una quidem literula in gratiam redigeret, aut jure potius, vel apud se, quàm armis disceptare hortaretur; At nullam operam dedit, ut inter nos pacem componeret, imò magis discordiam aluit, modò mihi, modo Austriaco studebat: nunc Friderico, nunc Ludovico favere se simulabat, ut quisque imbecillior erat, ita magis huic operam suam pollicebatur. Ad consecrationem ultrò invitabat, per fallaciam utrisque verba dedit, & pronos ad concordiam rursus arma sumere persuasit. Astu hæc omnia egit, ut interea, dum domesticis armis, cognatisque bellis atterimur, imperium pessundaret, labefactaret, urbes, castella, populos, Rempublicam invaderet, in cujus perniciem conspiravit, populumque Christi in servitutem redigeret, adversus Dei sanctos pugnaret, &c. Sibi licere absque morâ actutum, vel in nos indemnatos sententiam ferre jactitat. Cum capitalis sit inimicus, publicusque hostis, tamen in propriâ causâ actor, testis & judex est, id quod nec apud Turcas, neque Iudæos, neque Saracenos, neque Sarmatas fieri solet. Eos, qui fidem Cæsari servant, & Christo Servatori nostro præcipienti obtemperant, nec ullam aliam ob causam hæreseos notâ inurit. Quicquid libet, licitum judicat, metitur opibus licentiam, &c. Satanæ spiritum sibi sumit, se similem Altissimo facit, se adorari, (quod cœlitum quidam sibi à Iohanne fieri prohibuit) pedes sibi osculari, more Diocletiani, atque Alexandri, crudelissimorum tyrannorum permittit. Cum Christus manceps, divinitatis dominus, & Deus noster pedes comitum suorum, piscatorumque laverit, ut nuncij sui vicissim illis, ad quos missi sunt, faciant. Una majestas atque divina providen-*

Avent. l. 7.

dentia, ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri, ubique præsens, universis rebus incubat, rebus omnibus per se consulit, &c. Imperatores quoque terris, neque fortè, neque casu, neque à mortalibus, neque occultâ fatorum potestate dantur, sed à supremo numine eliguntur, atque divinitus constituuntur, rebusque humanis à Patre indulgentissimo imponuntur. Et porrò Romanus sacerdos cujus conversatio in cœlis esse debet, urbes, castella, vicos, regiones, opes, potentiam, tantum splendorem, jus gladij, adventitia, non jure suo, sed alieno beneficio occupat, possidet; nempe benevolentiâ atque liberalitate, ne dicam socordiâ atque ignaviâ rectorum Germaniæ. At mortalium ingratissimi de optimè meritis pessimè merentur: Ensem, cujus manubrium nostra munificentia tenent, in nostra viscera, quorum beneficiarij sunt, stringere non verentur; Iam egregij illi pastores, opibus & splendore à Majoribus nostris aucti, ferre parem nequeunt: Cæsarem Italiâ, Româ, Christum terris extrusere: illi cœlum quidem permittunt, inferos atq; terras sibi asseruêre, Deosq; terrarũ, hominumq; non solum dici, sed etiam credi volunt, quasi perinde animis atque linguis imperare possint, atq; divisum cum Iove habeant imperium. Repugnant, & maximè diversa sunt Crucifixus & summa potestas, miles & Sacerdos, Imperator & Pastor, regnũ & patibulũ, corporalia & spiritualia, arma & sacra, bellũ & pax, Cæsar & nuncius, Princeps & minister Dominus & servus: Qui vult esse maximus inter vos (ait supremus arbiter cœli Legatis suis) infimus omnium, atque vester servus sit, &c. Bellua multorum capitum monstrum biceps est Augustus & Pontifex Maximus, id quidem fuisse Decium atque Neronem & hujusmodi Tyrannos falsorum Deorum cultores, in numismatis & epigrammatis legimus, &c. Ludibrium naturæ abominabile, ira Dei, socordia, atque ignavia nostra est, Principem Principũ servo servire servorum. Si servus servorum Dei est, cur non servit? cur non ministrat? cur non amat? cur non pascit? cur non docet? non nunciat, &c. Aviditate potentiæ, pecunia, ima summis miscet, omnia venalia, Deum & inferos habet, &c. Inde verò sumpto à prçteritis exemplo, Bullç Papalis refutationẽ aggreditur; jura prçsertim, quæ sibi arrogat: Quod imperio vacãte, diffidentibus, electoribus ejus regimen ad Papã pertineat; electio etiam sua quã ritè processerit, ipse quã rectè electus se gesserit, quàm justè ad necessariam sui defensionem in Germaniâ, in Italiâ accesserit, pluribus exponit. Et porrò pergens: *Me hçreticorum,* inquit, *fautorem falsò vocat, Christianus sũ: at ipse Hæresiarcha est, non enim discipulus est Christi, cujus vitam irridet, paupertatem floccifacit, pietatem aspernatur, religionem polluit, sacra prophanat, mores spernit, instituta condemnat, dogmata vilipendit: Nam Divum Franciscum veritatis divinæ prçconem, paupertatis Christianæ antesignanum, consecraneos ejus universos Avenione, sexto Idus Decembris, anno ab orbe servato 1322. impietatis condemnavit. Audite obsecro quam ob causam; Homo perniciosus, avidusque Imperij, argentum Euangelio, (ubi opes scelera vocantur) aurum Christi inopiæ præfert, Franciscanos fraterculos ignominioso apud se cognomine, item stolidas pecudes, perniciosas vulpeculas, quæ simulatâ religione mundo imponant, populum fallant, nuncupat; Illorum religionem exscindere, quod Christum, comites ejus nihil possedisse in terris, doceant, asserant, prædicent, conatur: Sed contra cœtus Franciscanorum Perusiæ celebris, universis suffragantibus Theologis, probè ejus facta depinxere, veritatemque sacris literis, testimonio divino tutati sunt, quamvis magis carcere & vinculis, quèm disputationibus hujusmodi genus hominum castigandum foret; Tamen eundem suis depinxere coloribus, atque insatiabile avaritiæ barathrum, & simulachrorum cultorem declararunt. Nam & auri pondus ingens, ajunt, quod ab orbe Christiano, præcipuè Alemanniâ, Arelatensi regno, Italiâ, sub specie expeditionis Asiaticæ emunxit, Saracenis, ut Christianis Armeniç, qui ab eo compilari atque venire detrectarant, arma inferrent, distribuit, &c.* Perorans tandem; *Ut Antichristus non sit, tamen ejus antecursorem atque ante-*

Ann. 1322.

nteambulonem esse necesse est, à quo ad propugnandum Templum Dei (cujus cura nobis elitus à Deo Opt. Max. data est) ad universum totius orbis Senatum Christianum procamus. Et hanc appellationem nonnulli plenam periculi arbitrabantur: Sed ulielmus Ockam Franciscanus, magni nominis Theologus, ejusque collegæ, *ris in eam rem evulgatis, nodū in scirpo quærentibus,* inquit Aventinus, *satisfecerunt.* am verò vim habuit apud Principes, etiam adversarios, hæc Ludovici Apoloa, ut Comites Tirolij, & Goritiæ pacem inter Ludovicum & Federicum firandam sibi proponerent. Federicum Ludovicus in prælio captum, jam aliquot nos, sub custodiâ habebat: Eum libertati restituit: ita ut Federicus vicissim Reo titulo renuntiet & Austriacos cum Bavaris de imperio nunquam certaturos de datâ polliceatur; quam pactionem ejusdem communionis participatione ommuniunt, sed Federicum promissis minus stetisse Historici plerique redarunt.

In italiam, uti vidimus, anno 1327. trajecerat Ludovicus, & rebus in Lombarâ constitutis, Romæ solenni more Augustale diadema receperat; Ibi verò celerem Synodum habuerat, in quâ, ipso de Papa Iohanne graviter conquerente, *Senntiæ graves, multa liberè, audacter, fortiterque dicta fuerant.* Sicque tandem Iohan: deposito, alius in ejus locum delectus fuerat. Decreti, quod integrum apud ventinum extat, præcipua capita hic inserere juvet: quod Sacræ instar Ludovis omnibus Christianis inscribit. Ibi igitur exponit, quantâ patientiâ eo usque ot iniqua facinora ipse pertulerit, quem tamen Deus illis reprimendis gladio acnxerit; At sanè, ne quod pacis desiderio fecit sibi ignaviæ adscribatur, neve dum celeratis parcit, bonis injuriosus fiat, ratum sibi esse malum resecare ad vivum; upo, inquit, *pellem ovinam jure nostro detrahemus, & ut paucis, missis ambagibus, rem eriam, aures arrigite, favete, omnium res agitur. Universi vulgus sine authoritate, sine ratiâ, domi atq; foris, venales sumus: majestas & authoritas, religionis libertas, imperiumue populi Christiani, leges, divina, humana prodita sunt hosti acerrimo: Quies in seditionius, in pace turbæ sunt, homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani avaritiâ, nocenssimi, & ijdem superbissimi, itidem luxu effœminati, atque ambitione perditi, quibus fides, ecus, pietas, postremò vitia, virtutes, honesta, atque inhonesta omnia quæstui sunt, arcem eipublicæ Christianæ occupant, tumultū ex tumultu, bellum ex bello serunt: Caput factios Iacobus ille de Baburco,* correctiùs, *de Cadurco, qui se Papam nominat, ingentem vim ecuniæ, quam undique à Christianâ plebe fraudulenter corrasit, adversus sanctos Dei, imerio Christiano devotos, sicut Abiathar Sacerdos,* (qui Absalonem contra Davidem ectabatur) *ense Cæsareo nobis à cœli numine commisso abutitur, temporalibus hujus seculi tris contra divinum præceptum incubat, regno mundano inhiat, sicuti pastor est personatus, a mysticus est Antichristus, canis pelliculâ tectus, in gregem Christi lupinâ rabie grassatur, vendit scelera, inferos, superos, beneficia cœlestia cauponatur, cum Saracenis, Armeios Christianos quinque annis continenter ejus opem implorantes infestantibus fœdus, soietatemque inijt; Boruscorum primarium præsidem diras, inferiasque comminatus, cum Lituanis, hostibus pietatis Christianæ acerrimis, atrocissimis latronibus, inducias facere oegit, hosti regionem prodit, fenestram invadendi Brandeburgenses Christianos aperuit. Liuani conjurati Baburci, ultrò citroque impunè per fines Brandeburgensiū commeârunt, Chriianos, ferro, cæde extinxerunt, vagientes in cunis, in sinu parentum crudelissimè contrudati sunt. Templa, cænobia, collegia sacerdotum, Monachorum, compilata, incensa, eversa, irgines sanctæ per vim stupratæ, hostia sacra hastâ transfixa, insultante hoste, hoc convicio blata, en hic est Deus Christianorum; &c. Atque hæc omnia scelere vicesimi secundi acta sunt,*

An. 1327.

Avent. l. 7.

sunt, &c. Monstrum biceps, mundanus & spiritualis esse contendit: Christus Servator noster, cui omnis potestas in cœlo atque terrâ data est, tamen imperium atque regnum terrarum à populo sibi oblatum suscipere detrectavit, &c. Atque satis constat inter omnis divinæ Philosophiæ, legum, & Pontificij juris scientissimos, penes Pontificem Romanum nequaquam esse utramque dignitatem, sacram atque prophanam, &c. Sacrosanctum Romanum imperium, cui Christus, cui comites ejus obtemperarunt, & vectigales fuerunt, sacrificuli fastuosi beneficium esse pernegamus, &c. Jacobum igitur antea à sacrarum literarum antistitibus hæresiarcham declaratum, ex Concilij Decreto, more majorum Pontificatu submotum, atque à Christo repudiatum renunciamus. Habemus bonorum exempla, quibus nobis licere id facere, quod illi fecerunt, putamus. Otho primus cum populo Romano Sacerdotum ejus tribu, Iohannem duodecimum ex albo Pontificum Romanorum ob scelera (quæ si ad flagitia vicesimi secundi comparaveris, ludus est) erasit, alium pastorem urbi & orbi imposuit. Idem alios complures Imperatores, optimosque Principes fecisse, in Annales & Fastos relatum est; Proinde Iacobum illum crimine veræ irreligiositatis, nota hęreseos, antea à Franciscanis, cæterisque Theologis inustum, contemptorem pauperatis Christianæ, Imperij Antichristi authorem, jure nostro, consilio, sententiâ, consensu communi Principum, Pontificum, Germaniæ, Italię, efflagitantibus Sacerdotibus, populoque Romano exauguratum, abdicatum, hęreseos condemnatum declaramus, proscribimus, acta ejusdem rescindimus. Universi ergò Christiani eundem in numero impiorum, atque sceleratorum habeant, ab eo omnes decedant, aditum, sermonem defugiant, velut contagionem, ne quid incommodi accipiant, devitent: Eidem nullus honor communicetur, & ab his, quorum interest, opera detur, ut deprehensus more majorem puniatur: Qui adversus hęc fecerit hostis Reipublicę esto. Nos confestim cum Sacerdotum Curiâ, populoque Romano, urbi atque orbi pastorem communi consilio atque veterum instituto, juxta sacrę historię leges allegemus. Hoc edictum ab Imperatore, item in sacerdotum Senatu, populoque Romano signatum est, publicatumque in celeberrimo mystarum populi Romani regulorum, Dynastarum, Tetrarcharum, Flaminum, Pontificum Max. Minorum Antistitum conventu. Datum & factum extra Templum Augustissimum, divis Petro atque Paulo Legatis Christi dedicatum, octavo decimo die Aprilis, in urbe Romanâ, anno 1328. Et ad hoc circiter tempus referenda videtur Responsio ejusdem Cæsaris ad Bullam Iohannis 22. omnibus Principibus proceribusque tum Ecclesiasticis, tum secularibus inscripta, in quâ contra quam ille contendebat, ex jure Canonico, Glossis, Doctorumq; sententiâ probat, Imperium non pendêre à Pontifice, plenitudinem potestatis Papalis in temporalibus & spiritualibus non agnoscere, Imperatorem ritè electum, antequam Romæ consecretur, omnia sua munia posse exequi: Qui contrà sentiant hæreseos & criminis tenéri. Cujus etiam generis est informatio, *de nullitate processus Ioh: 22.* authore Marsilio Patavino, an Ockamo: In quibus & appellat Ludovicus à citatione Avenione indebitè factâ, ad Concilium in loco tuto & securo, modo debito & secundum sacros Canones congregandum, & post appellationem legitimam nulli excommunicationi aut interdicto locum relinqui, contestatur.

Apud Marquardum Frelierum rerum Germanic. Tom. 1. in Appendice Ann. 1328.

Sic igitur in Iohannem vicesimum secundum, qui Platinæ 23. actum: Sed Theologi præterea & Iureconsulti hujus temporis, quæstionem hanc ex Thesi vulgò tractabant, *de potestate Imperiali & Papali, earumque distinctione.* Ut enim omittam Udalricum Ludovici Cancellarium in literis, quas, domini nomine, Iohanni scribebat, cum inter alia, *Bestiam de mari ascendentem,* de quâ in Apocalypsi, appellasse, edita pro Ludovico à Theologis Apologia, in quâ ostendebatur, *Quod nullus Papa potestatis plenitudinem in temporalia sibi arrogare potest*, ne dum in imperium,

Trithemius in Chron. Hirsaugiensi.

ium, ne dum Iohannes Papatu manifeſtè indignus; Et quod Papa devians à fide ſuperiorem in terrâ habet, Eccleſiam univerſalem in Concilio congregatam, quæ pro ſuâ authoritate eum judicare poteſt, & ad quam proinde appellare liceat. Et hæc etiamnum impreſſa legitur; At certè Gulielmus Okkam Franciſcanus, natione Anglus, Doctor acutiſsimus, eum ſtrenuè aggreditur. *Defende me*, inquit, *Cæſar, ab injuriis Papæ enſe tuo, & ego te verbo, ſcripto, rationibus inſolubilibus adverſus eum tuebor.* Quod & præſtitit dum vixit: *Papam aſſerens Hæreticum & ſchiſmaticum eſſe, cujus cenſuræ pro nihilo habendæ eſſent.* Hinc ejus Dialogi, *pro Ludovici defenſione, liber nonaginta trium dierum, pro Michaele Cæſennate*, Franciſcanorum Generali, ob eandem cauſam excommunicato, *Errores Iohannis 22. Dialogus inter Clericum & militem*, & ſimiles: In quibus acrioribus argumentis rem tractat, quàm, ut de ejus ſententiâ dubitari poſsit. Capita hæc ſunt: Quod Papa ex jure divino nullum Primatum habet: Quod Petrus nunquam habuit, nunquam Romæ Epiſcopus ſedit, proinde nec Papa: Quod Papa errare poteſt; quin & Eccleſia Romana tota, inque Concilio judicari debet. Ad Papæ cum Imperatore controverſiam quod attinet, octo quæſtiones ediſſerit. Primò: An munus Pontificium ſimul & Cæſareum adminiſtrari poſsint. 2. An Cæſar à ſolo Deo, non etiam à Pontifice Romano poteſtatem acceperit. 3. An authore Chriſto Pontifex & Eccleſia Romana facultatem habeant, ut Cæſari, cæteriſque Regibus juriſdictionem exercendam committant. 4. An Cæſar electus, plenum habeat hoc ipſo jus adminiſtrandi Rempublicam. 5. An cæteri Reges præter Cæſarem & Romanorum Regem, eò quod à ſacerdotibus inaugurentur, aliquam ab eis accipiant poteſtatem. 6. An ejuſmodi Reges ullo modo ſubjecti ſint inaugurantibus. 7. An ſi novum adhiberent ſacrificium, aut diadema ſibi ſumerent ac imponerent ipſi, titulum atque poteſtatem regalem amittant. 8. An ſeptemviri Principes electores tantum juris conferant electo Cæſari, quantùm cæteris Regibus legitima ſucceſsio; Quas omnes quæſtiones in utramque partem diſceptans, pro magiſtratu Civili, pro Regibus inquam & Principibus maximam partem pronuntiat, Iohannis 22. obiter *Extravagantes* proterens, tanquam hæreticas, falſas, à pleriſque damnatas; Qui ſecus judicent ad tempus illud pertinere, cujus nos Apoſtolus ad Timotheum præmonuit: *Tempus erit, cum ſanæ doctrinæ non auſcultabunt, ſed juxtà concupiſcentias ſuas coacervabunt ſibi ipſis doctores, in pruritu auditus ipſorum, & à veritate avertent aures ſuas, ad fabulas verò inclinabunt. Hic enim eſt præſentis temporis ſtatus, ut plerique omnes non quæ Chriſti, quæ Apoſtolorum, quæ Patrum doctrina fuerit inquirant, ſed quid Pontifex fieri velit atque jubeat, auſcultent.* Dicit Aſcentius in Præfatione, ſex alios eum Tractatus ſcripſiſſe, quos conſultò prætermiſit, quod eſſent aliquantò aſperiores, nempe in Pontificem Romanum.

Apologia Ludov. 4. contra Ioh. 22. publicè propoſita.

2. ad Tim. c. 3. v. 3. & 4.

Ab eadem venâ Marſilius Patavinus aurei illius Tractatus author, cujus titulus: *Defenſor pacis*, de Imperatoris & Papæ poteſtate. Ibique ex ſacris Scripturis, legibus, Canonibus, Hiſtoriâ tum ſacrâ, tum civili, Theſes, quæ ſequuntur aſſerit & ediſſerit. Quòd Chriſtus unicum Eccleſiæ caput & fundamentum, non Petrus. Quòd Apoſtolorum neminem, non Petrum ipſum univerſalem Eccleſiæ Vicarium inſtituit, quodque eum titulum omnes eodem jure uſurpare poſſunt. Quòd Petrus nunquam Chriſti vicarius univerſalis fuit, nec Chriſtus alios Apoſtolos Petro ſubjecit. Quòd veriſimilius eſt Petrum nunquam fuiſſe Romæ, nedum ut ſedem ibi tenuerit, cui, ut nec cæteris, ſedes nulla peculiaris fuit. Quòd

Editus Baſileæ anno 1522.

Papa Primatum ex successione sibi deberi contendens, nullo jure nititur, cum illa exinde nulla sit. Quòd non illi plenior, quam cæteris Episcopis potestas, etiam in eo quod remissionem peccatorum & indulgentias spectat; è contrâ omnes ei jure divino coæquantur, Moguntinus, Coloniensis, Treverensis, non minus Primates quàm ille. Quòd plenitudo illa potestatis mendacium apertum, titulus execrabilis, omnium malorum origo, ejusque usus Pontificibus in bono Concilio sit interdicendus. Ad temporalia verò: Quòd Christus, cujus vicarius credi vult, nullam in terrâ authoritatem temporalem exercuit: Ipse contrà & Apostoli sese Magistratui subjecerunt, eo in cœlum assumpto, & Principibus paruerunt & discipulos parere jusserunt; Quare, ad Papam nullam jurisdictionem temporalem in quemquam pertinere, ne dum in Principes, ne dum in Imperatorem: Quòd si eam usurpet, tenentur illi ex jure divino, ei resistere, verbo, facto, omni ratione, omni conatu: injusti & Deo injurij ni fecerint, ut qui pro eo pugnent Diaboli satellites censendi sint. Quòd ad Papam non pertinet Imperatoris confirmatio, multo minùs electio; Quin & mos ille coronandi, propter abusus, qui inde consequuntur, imperium periculo exponit. E contra Imperatoris est, Principis Christiani, ex Cleri & Populi consensu, Papam nominare, absente se nominatum, confirmare: Si arguatur aut accusetur in viam reducere, in Concilio judicare. Quod Petrus, utpote homo, dum vixit potuit labi, potuit & errare, nec Papa ullo privilegio adversus errorem tutus est. Quod verò Petro dictum fuit. *Oravi pro te*, ad cæteros Apostolos extenditur peræque. Quare, de suâ fide & firmitate, quam cæteros Episcopos certiorem esse non posse. Quòd solus Bibliorum Canon, fons veritatis est, in cujus fraudem non liceat credere Papæ, non Ecclesiæ. Quod de ipso Scripturæ sacræ sensu aut de aliquo fidei capite, Papæ aut Cardinalibus solis minimè credendum, cum non rarò pravis suis dogmatibus, miseros homines in infernum abduxerint. Quod Ecclesia Christiana propriè fidelium universitas, non Papa & Cardinales, non Romana ipsa: Illa verò in legitimo & generali Ecclesiarum Christianarum Concilio repræsentatur: quòd ab Imperatore ex consensu Principum Christianorum convocandum, olim perpetuò convocatum. Et sanè ejus dicta in pauca perstringere mihi religio est, quia, quibus gradibus & technis Pontifices ad hoc tyrannidis fastigium pervenerint, nemo feliciùs tractavit. Et Lectorem rogatum velim, librum ipsum perlegere ne gravetur. Nominatim de Curiâ Romanâ loquens: *Qui Romanæ Curiæ*, inquit, *imò veriùs cum veritate dicam, domus negociationis & ea quæ latronum horribilioris speluncæ limina visitarunt, aut qui ab hac abstinuerunt, numerosæ fide digniorum multitudinis relatione discent, eam pene sceleratorum omnium & nogotiatorum, tam spiritualium quam temporalium receptaculum esse factam. Quid enim aliud ibi, quam Simoniacorum concursus? quid aliud, quam causidicorum strepitus & calumniatorum insultus, & justorum impulsus? Ibi periclitatur innocentum justitia, vel in tantum differtur, si eam pretio redimere nequeant, ut tandem exhausti, innumeris fatigati laboribus, justas & miserabiles ipsorum causas cogantur deserere. Ibi namque altè intonant leges humanæ, silent, aut rariùs resonant divinæ doctrinæ, ibi tractatus & scrutinia invadendi provincias Christianorum, & per armatam & violentam potentiam obtinendi & eripiendi ab his, quorum custodiæ licite sunt commissæ. Acquirendarum animarum nulla solicitudo neque consilia. Et adde quod ibi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Qui verò, vidi & affui, vidêre videor, quam Danielis secundo Nabucodonosor terribilem statuam in somnio recitatur vidisse: caput siquidem habentem aureum, brachia verò & pectus argentea, ventrem autem & fœ-*

fmora ærea, tibias quidem ferreas, pedum partem unam ferream, & reliquam fictilem; ...ntrem & fœmora ænea, sonora promissione, ac peccatorum & pœnarum vocali quamvis ...laci absolutione: propriam verò libertatem defendentium, suis Principibus debitam fidem ...ervare volentium, injusta, quamvis Deo protegente prorsus innocua, condemnatione ...maledictione; Ut non mirum sit, si *Index Romanus* ejus lectione interdixerit ...nctis.

Eadem capita tuebatur Iohannes de Ianduno Gandavensis, eadem etiam Sen...ntiâ involutus, raræ eâ tempestate doctrinæ, uti ex ejus operibus perspicuum, ...æ tum Venetijs tum Florentiæ excusa sunt. Leopoldus etiam Bebemburgen... juris doctor, & Bambergensis Episcopus; Nominatim: Quòd penes Impera...rem Imperij administrandi integra potestas, statim ut electus est, nec ei corona...o Papæ quidquam addit, cujus nec Vasallus sit, nec feudatarius: Ad hæc verò ...onvincebat, Donationem Constantini meram fabulam esse; Tractatus inscribi...r, *de translatione imperij*, impressus Lutetiæ anno 1540. Michael certè Cesennas ...ancíscanorum Generalis fidentiùs: Quòd Papa Antichristus, Ecclesia Roma... Babylon, Sanctorum sanguine inebriata: Quare Antoninus eum inter Fratri...llos seu Pauperes de Lugduno collocat: Qui, uti vidimus, Waldensium propa...o. Asserebat speciatim iste, ejusque sequaces, Iohannem Papam hæreticum esse, ... Prælatos Papasque quotquot post ipsum venturi erant; multique, inquit Anto...nus, in diversis mundi partibus combusti, qui in eâ sententiâ perseverârunt; No...t etiam longo post tempore, Picænum seu Marcam Anconitanam ijs refertam ...isse, Florentiam adeò ipsam, unde expulsi, in Græcorum regiones sese effuderint; ...uin & Ludovicum Bavarum Cæsarem hujus sententiæ asseclam facit; At inter ...ios ejusdem occasione Ioannem Castilloneum & Franciscum de Harcatara Fran...scanos crematos memorat. Hinc Paulus Æmilius noster: *in Carolo Pulchro ...ege, fuere ingenia sublimia, eruditissimique viri: Seculum illud literaturâ floruit: erant ...ijs viri verè sancti, erant qui dum cæteros anteire improvidè contendunt, nec modum ...ciunt, impij evasere: Erant de quorum moribus consilioque anceps sit conjectura, sanctis ...ala temporum dolori erant, taciti mœrebant; Ij vero qui Fraterculi vocabantur, divitias ...cclesiasticas fando scribendoque damnabant, purpuram, opes, dominatum à religione aliena ...se prædicabant, &c.*

Antoninus parte 3. Tit. 21. c. 5. §. 1.

Paulus Æmilius in Carolo Pulchro.

Verùm in vitâ Philippi Valesij, tum ex eo, tum ex alijs Galliæ scriptoribus ...iscimus, Papam Ioannem, nostræ opis licet indigum, non eam nostri rationem ...abuisse, non eam nos sui suorumque, quin amicitia istæc nostra in apertas conten...iones erumperet. Exponunt enim apud Regem, tùm Consistoriani, tum supre...nus ipse Senatus, Pontifices eorumque clientes, quàm multipliciter ejus jura in...adant, *omnem jurisdictionem à Regijs tribunalibus ad sacra delapsam conqueruntur ...ætores Regij, multo plures causas profanas & inter profanos controversias cognosci & ...djudicari ab Episcopis reliquisque Sacerdotijs, quàm à Regijs Prætoribus. Quicumque, ...uacumque de re Sacerdotum Decreto non steterit, continuo templis arcere, piorumque ...ommunicatione moveri, eoque deventum esse, ut qui solvendo non sit, ei aqua & igni ...terdicatur.* Quare jubentur venire Prælati & deputati Cleri, mense Decembri, ...d Saltum Vicenarum, propè Lutetiam: Ibi Magister Petrus de Cugnerijs Re...is Procurator Regiam causam tuetur, & verba illa Domini apud Matthæum ...æfatus: *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris & Deo quæ sunt Dei:* Distinctionem ...nter jurisdictionem temporalem & spiritualem observatu necessariam edisse...it; Quarum illa ad Magistratum Civilem pertineat, hæc ad Ecclesiam, quæ

rebus temporalibus sese immiscere non posit, quin cœlum terræ misceat, orbem confusione involvat. Dicta verò sua multis aptissimis scripturarum locis, sacris etiam canonibus communit, textumque illum Proverbiorum 22. commodissimè inculcans: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui: Quia*, inquit, *consuetudines, si quæ essent ad oppositum introductæ, non valerent, quin imò essent potius corruptelæ, nec præscriptio potest habere locum, nisi jus fisci sit impræscriptibile, nec Rex etiam posset à se tale jus abdicare, sicut probatur per multa capita, quæ sunt decima Distinctione. Quare*, inquit, *cùm Rex in suâ coronatione jurarit jura regni non alienare, & alienata ad se revocare, si per Ecclesiam aut per quemcumque alium erant usurpata, tenetur Rex juramenta ad se illa revocare.* Tumque Scriptum porrigit, 66. Articulis gravamina & usurpationes complexum, quibus Clerum satisfacere oporteret. Bertramus tùm Augustodunensis Episcopus pro Clero verba faciens, Caroli magni, Ludovici pij, D. Ludovici & aliorum opem implorat, qui olim Ecclesias & dotaverant & ditaverant, & eorum gloriam, qui Clerum auxerant ob oculos ponit, eorum qui damno affecerant, ignominiam multis exemplis exaggerat. Causa etiam in Festum Thomæ Cantuariensis, quia rejecta fuerat, Regem captatâ occasione commonefacit, pro libertatibus Ecclesiæ, hac die effudisse sanguinem suum huncce Thomam; Et vidimus nos suprà, Theologos Parisienses disputasse, damnatum potius censeri hunc ipsum Thomam, qui læsæ Majestatis reus pœnas luisset. At Rex simpliciter, *sibi omnia curæ futura respondet*. Urget Bertramus ut clarius sese explicet. Tum Rex: *Iura*, inquit, *Ecclesiarum auxerim potius, quàm imminuta velim*; Iura inquam, non usurpationes: Itaque de ratione Regij juris conservandi cum ijs actum: In cujus rei odium, Petri Cugnerij memoriam, fidelis Regni ministri, commaculare conati sunt: Is enim est, qui in æde B. Virginis Parisiensis in angulo ostenditur: vulgo Magister Petrus de Cugneto. Incidit in hoc propriè tempus Epistola Luciferi ad Papam & Ecclesiam Romanam. Anteriorem sunt qui putant sub Philippo Pulchro: sed, quod in quibusdam exemplaribus data dicitur, anno Palatij sui eversi 1351. ad annum circiter à Christi nativitate 1318. eam revocat. Ibi inducitur Lucifer exponens: Quondam Christi Vicarios sub paupere vitâ ejus verbum predicantes, mundum ita ferè convertisse, ut Erebus ipse in Eremum quasi versus esset. At prudenter curasse se ut in eorum locum subirent, qui Regna mundana, quæ Christus olim oblata repulerat, ambabus ulnis amplecterentur: Itaque non jam doceant, ut ipse ejusque Apostoli: *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris*, &c. *Subjecti estote Principibus*, &c. Sed temporalia pariter & spiritualia, invadant, utrumque gladium ad se rapiant, Principibusque adeò ipsis superbè dominari satagant. Inde quippe, luxum, fastum, lasciviam, malas artes, Simoniam ingruisse, ita invaluisse (& hæc latissimè edisserit) ut quod jam olim Prophetæ promiserant, impletum sit: Ecclesia Romana Synagoga Satanæ facta sit: Meretrix purpurata cum Regibus terræ fornicata: de matre noverca, de sponsâ adultera, primæ charitatis & castimoniæ oblita fidem Christianam potissimùm destruat, quàm olim ædificabat. Quo quidem in officio perseveret, graviter cohortatur, *quia*, inquit, *de missione Antichristi cogitamus, cui omnes illi thesauri reservandi sunt. Et vos interim volumus esse nostros Vicarios*, &c. Amabo Lector, qui de Ecclesiâ Romanâ in universum ita loquebantur, quid de singulis ejus corruptelis sensisse existimes?

Epist. Luciferi ad Papam.

Addamus, quod Ioannes de Mandevilla Anglus scriptor his temporibus propinquus: Papa Ioannes, inquit, misit ad Græcos, qui ad unionem cum Ecclesiâ Ro-

Romanâ eos hortarentur, plenitudinemque illam potestatis sibi in personâ Petri in Universam Ecclesiam concessam proponerent; Respondent ipsi laconicè: *Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus: Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.*

PROGRESSUS.

IOhanni succedit Benedictus 12. Cardinales sedecim dierum spatio de successore convenire non potuerant: Tandem ex altercatione an per contemptum in Iacobum de Furno, Bearnensis, vel, ut alij, Tholosani Pistoris filium, consentiunt, è doctore Theologiæ Cardinalem factum, nomine Blancum, omnium miserrimum & contemptissimum. Concipiebantur verò symbola seu tesseræ his verbis: *Ego. N. nomino illum, qui si esse non poterit, nomino Blancum*: Unde ipse stupefactus dixit: *Scite admodum fecistis, qui Asinum elegeritis.* Quia magnus licet Theologus, ad id muneris sese ignorantissimum arbitrabatur, qui jus Canonicum ignoraret, in quo mysteriorum suorum altitudo consistebat. Memoriâ dignum, quod Episcopo cuidam Romano Avenionem petenti in visione manifestatum: Ei, quâ nocte Iohannes obijt, dictum: *Papam quæris, non est*: Deinde ostensus Papa futurus, quem, ut Avenionem venit, inter Cardinales quæsitum non agnovit: Rogat num adessent omnes: Responsum abesse unum, Cardinalem Blancum, quem illicò accedit, agnitumque ex visione & his verbis affatur, *Pater, vos estis Papa futurus*: Mox addit: *Ille, qui mihi monstravit faciem vestram, introduxit me ad stabulum immundissimum stercoribus plenum, ubi vidi arcam marmoream albissimam, sed vacuam: Vos estis illa arca, quam debetis in officio vestro implêre virtutibus & signis. Et ô pastor & stabularie, Curiam & sedem Apostolatus, jam immundissimum stabulum ab avaritiis & Simoniacis stercoribus expurgare convenit, vobisquè sanctam Romanam Ecclesiam & urbem recommissas habere.* Si tamen Hieronymo Squarzafico in vitâ Petrarchæ fides, qui protestatur, se nihil temerè scripsisse, nihil sine locuplete teste, suas & ipse sordes, senio licet confectus, intulit. *Namque dum Petracha*, inquit, *in curiâ* (Papali) *in pretio esset, & undique à Principibus & à Pontifice pollicerentur honores, erat soror Petrachæ, quæ jam duodeviginti habebat annos, quæ Avinioni, ubi orta, cum Girardo morabatur, eleganti formâ insignis moribus & virtutibus prædita, cujus pulchritudine & formâ perditè deperibat Pontifex. Ut illâ potiretur multa fieri fecit experimenta: Cogitavit præmijs & honoribus Petrarcham in suam trahi opinionem, Cardinalem se facturum promittit, dummodo illa suo concederetur arbitrio; Franciscus* (Petrarcha) *qui in omni re Deum præ oculis habebat, cui nihil est occultum, ut ille, qui nihil comere, nihil fingere, nihil dissimulare didicerat, ut debuit irâ commotus, & id quod linguâ, fronte atque animo habebat, respondit, tam fœtidum galerum capiti non esse ponendum, sed fugiendum, abominandum omnibus, tanquam nefandum, & dedecorosum, etsi reverentia nominis, quando vices Dei in terris gerebat, non teneret, calamo tantæ rei se vendicaturum, & fecit prout Philelpho placet, in unâ suâ morali cantilenâ, quæ incipit: Jo non vo' piu cantare come solea. Nihilominus Pontifex furoris impatiens, alterum fratrem Girardum temperare cœpit, qui paucis muneribus captus, sororem vendidit, quo facinore audito, & Ecclesiam Dei videns, per abrupta vitiorum sic trahi, Avinioni aufugit: Italiam versus ire cœpit, frater pœnitentiâ ductus, nuptâ sorore, sanctæ religionis habitum quæsivit & Cartusiensi ordini, in conventu de Materno, qui est prope Massiliam, rebus mundanis rejectis,*

Albert. Argentinens. in Chron. sed adverte in Indice Hispanico p. 1. multa eradi.

Hieronymus Squarzaficus in vitâ Petrarchæ.

jectis, se devovit. Notat verò Theodoricus Enghelshuen in Chronico ejus dictum; quo Benedictus patefecit, quid de suâ ipse Curiâ sentiret, cum paulò pòst suum adventum sex Cardinales creasset, rogatur, cur non plures: *Fecissem lubenter*, inquit, *si novum eadem operâ mundum creare potuissem: Qui enim jam factus est, iis qui jam sunt non est satis.*

Scopus interim ei, in quem sua tela intenderet, Cæsar Ludovicus, qui ab antecessore licet malè habitus, nihil omittebat, unde contumacem Curiæ Papalis humorem mitigare posset; Et Benedictus quidem erga illum eò propensior, quod Philippus Valesius urgebat, ut Vicarius ipse Papæ generalis in Italiâ totoque orbe Christiano constitueretur, decimaque illi omnium decimarum per decem annos penderetur, inque Palestinæ subsidium, universus Ecclesiæ thesaurus traderetur; Thesaurus ille utique immensus, à Iohanne XXII. relictus, unde vehementer omnes angebantur. Occasione igitur arreptâ, Ludovicus Robertum Palatinum Rheni fratris filium & Gulielmum Ducem Iuliacensem Avinionem mittit Benedictum salutatum, quibus in aurem dicitur, si Ludovicus sub *quibusdam articulis*, qui scripto traduntur, *absolutionem & gratiam petiverit*, eam impetraturum. Iis igitur reversis, alij Legati mittuntur insignes viri, cum amplissimo mandato, quod ab eo desiderabatur, maximam partem impleturi: inter quos verba faciebat Marquardus de Randeck Canonicus Augustanus, exinde Episcopus Bambergensis, magnæ tum existimationis; Et Benedictus quidem benignè respondet: *se & fratres suos de hoc, quòd nobilis ramus Ecclesiæ Alemaniæ, eidem arbori cum tam magno honore sedis redintegraretur, plurimùm gratulari: Multùm commendans Alemanniam & Dominum Ludovicum, quem nobiliorem mundi dicebat, conquerens, regi Italiam per tyrannos, ac regnum Armeniæ capi â Paganis, cujus Principes tempore Johannis Papæ & suo, Christianorum implorabant auxilium, ac terram sanctam propter Imperatoris carentiam occupari: unde meritò dixit, absolutionem eidem impertiri se debere, quæ & dari crastino sperabatur.* Sed Cardinales partim à Iohanne creati, partim veriti, ne sui redditus in Galliâ interciperentur, adde, magnâ Legatione Philippi Regis Franciæ & Roberti Siciliæ commoti, tantum hæresiarcham absque errore non posse recipi protestantium, Papamque cavere debere, *ne fautor hæreticorum diceretur*, submissiones Ludovici rejiciendas esse tandem statuerunt, Papamque ab ejus absolutione retraxerunt. Ipse licet obfirmato animo contenderet, Ludovicum non esse in culpâ; Et objicientibus *Ludovicum multa contra Ecclesiam fecisse*, regereret: *Imò nos fecimus contra eum, ipse enim cum baculo venisset ad pedes prædecessoris nostri si voluisset: sed ipse noluit eum recipere, & quicquid ille fecit, quasi provocatus fecit.* Quibus verbis antecessorem suum, ejusque Acta apertè condemnabat. Reversi igitur in Germaniam Legati, quid ex hac parte sperandum, referunt; in summa Curiam Romanam, supra omnia concordiam reformidare: frequens illis esse proverbium, *quod maximè utile sit, Germanos esse quàm stolidissimos.* Sicque anno 1338. Imperij conventus habetur, in Oppido Reinesey ad ripam Rheni, cui omnes imperij Electores aderant, & complures Principes, tùm Ecclesiastici, tum Laici: ubi jurejurando ritè præstito, omnibusque solennibus peractis, Decretum ediderunt: Quod imperium à Deo solo pendet, cui Imperator rationem reddere tenetur: Quod ex quo ab Electoribus electus est, absolute est Imperator: Quòd bonâ conscientiâ non potest contra majestatem imperij, Papam per legatos adire, ei Sacramentum dicere, ab eo administrandi imperij veniam petere: qui nihil in Imperium

[Margin: Albertus Argent. in Chronic.]

[Margin: Avent. l. 7. Ann. 1328.]

perium

erium juris habeat, ovium servus sit, gregi inservire teneatur: Sic se ex sacris Scripturis edoceri: Quod qui contra sentiant, Imperatorem esse Vasallum Papæ, & onnisi ab eo approbatum, Imperatorem agnosci debere, scripturis evidenter abuntur, eas & contaminant, & suis interpretationibus contortas violant, quas ad uas nundinationes contra earum mentem accommodent; Satanæ haud dubiè instinctu, Principis mundi, uti ex malis, quæ inde exoriuntur manifestum, bellis civilibus, seditionibus intestinis, Gentium devastationibus, urbium direptionibus, ragibus, stupris, incendijs; *Perpetuo ergo* (ajunt) *sancimus edicto, nimirum, ex solo electionis beneficio, omnem potestatem, imperiumque proficisci, nec ullo pacto Pontificis Romani in hac re sanctimoniâ, flaminio, authoritate, consensu opus esse. Quicumque aliter docuerit, senserit, factitarit, crimine læsæ Majestatis reus, hostis Reipublicæ atque proscriptus esto, capite pœnas solvito, bona ejus publica sunto, prædia infiscentor.* Peroratque conventus universus in hæc verba. Aliquo post tempore trajicit Edwardus Rex Angliæ in Germaniam, Ludovici videndi causâ, (etenim Augustæ soror ei uxor) amboque Francofurti conveniunt, quò & proceres, & Episcopi multi, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, confluxerant. Ibi ex amborum Regum, totiusque conventus consilio idem decretum promulgatur: Qui Iohannis 22. Papæ Bullis aliquid deferret, (in defunctum enim agebant, ut vivo parcerent) læsæ Majestatis reum futurum: Capita verò hujus Decreti sectioni sequenti commodius reservantur. Nono post die, Principes imperij Lenstenij, in Moguntinâ Diœcesi, rursum conveniunt, seseque mutuo ad Decreti illius defensionem Sacramento devinciunt, & execrabilem *schelem*, qui secus fecerit, pronuntiant; Extat hoc Decretum apud Albericum de Rosate in Legem 3. Cod. de quadrienni præscriptione, & apud Hieronymum Balbum Episcopum Curcensem, in lib. de Coronatione ad Carolum V. Imperatorem: his omnibus adstipulante Gulielmo Ockam, percelebri Theologo, cum sodalibus suis; Dominicani ipsi ut Benedictum Papam, ad se quod attineret, Ludovico minus adversari intelligunt, ad partes ejus transire, quam urbibus excedere malunt; alicubi etiam, ut levitatis culpam refugiant obtemperare parati, ad sacra celebranda cogi volunt. Et hactenus sedem tenuit Benedictus ad annum usque 1342. his versibus pro tempore descriptus.

Albertus Argentin. in Chron. Avent. l. 7.

Iste fuit vero Laicis mors, vipera Clero;
Devius à vero, turba repleta mero.

Succedit Petrus Rogerius Lemovix, ordine Benedictinus, Clemens nomine sextus. Narrat Albertus, ut primum electus fuit, *sermonem facientem dixisse, se primo in divitem Abbatem, postea in meliorem Episcopatum, tertio in optimum Archiepiscopatum Franciæ*, (nempe Rhotomagensem) *promotum fuisse*; Et has dignitates omnes gravibus reliquisse sarcinis debitorum gravatas, & postea ad Cardinalatium, tandemque ad Papatum pervenisse, *nutu divino*, ajebat, *eo quod priora eum nutrire nequiverant.* En, ut muneris sui onus reformidaret. Notatur etiam contra morem antecessorum stemma familiæ suæ Bullis insculpsisse, quod quinque rosis erat insigne. Lutetiæ etiam Archiepiscopum adhuc Rothomagensem, coram Regibus Franciæ & Bohemiæ concionantem, in Ludovicum indignè & ineptè invectum esse: At Papam factum, omnes orbis Ecclesias petitionibus suis obruisse, mulierosum, gloriæ & potentiæ avidum, in suis promovendis nullum modum tenentem, unde & se & Curiam Romanam Simoniâ infamem reddiderit. Sciscitantibus, an pauperes Clerici ritè essent

Albertus Argent. in Chronic.

exa-

Idem ibidem. examinati, respondisse, *Montes & colles*, (qui illis transeundi sint) *illos examinasse*, nempe crumenas exhausisse; Et notat inter alia Historicus Anglus Cardinales cum expostularent, quod Regis Angliæ secretarium Laicum & ignarum Devoniensem Episcopum ordinasset, dixisse, *quod propter ipsum asinum Episcopum creasset.*

Thomas Walsing in Hypo deigm. Neustriæ. anno 1345.

Iam, etsi malevolentia ejus Ludovico satis erat perspecta, nihilominus tamen bellis civilibus defessus, eximiam ad eum legationem decernit, Henricum Delphinum Viennensem, Ludovicum Comitem de Oettinghen & Ulricum Hanghenhor regni secretarium, jussos perdurare dum aliquam pacis spem viderent: In eam rem etiam incumbebat Philippus Rex Franciæ, ut Ludovicum in Anglum minus propensum redderet; Verùm, inquit Author, *Cardinales genus hominum pervicacissimum*, diem de die ducebant, & varijs congregationibus per triennium eum eludebant, eoque tandem redeunt ut statuant: *Impietatem in Pontifices maximos terrarum Deos*, impunitam esse non debere. Summa itaque responsionis hæc fuit, se in eo statu Ludovicus sisteret, in quo Ecclesiæ satisfacturus esset, tumque de ejus absolutione Papam deliberaturum. Sicque monitorium suum Avenione, omnium Ecclesiarum valvis appendi mandat, quo, imperio abstinere & Ecclesiæ sese subjicere, intra dictam diem anathematis pœnâ, jubebatur. Admonent Legati sibi sufficientissimum mandatum in promptu esse, quo Papæ fiat satis, tantùm Articulis propositis mentem suam explicet; Tum ille: *ut in solidum omnes errores & hæreses confiteatur; Item, resignet imperium, nec resumat nisi hoc fiat de gratiâ Papæ & se ac filios suos ac bona ac statum suum in manus & voluntatem Papæ ponat, & multa insolita faciat.* Et has conditiones quidem accepturum Ludovicum nemo cogitabat, qui tamen non modo eas sigillo obsignat, sed & præsente Tabellione à Pontifice misso, observaturum nec unquam revocaturum jurat: Ut Pontifex & Cardinales omnes ad hæc attoniti hæreant. Legati igitur sacramento ejus nomine præstito, articulos pœnitentiæ sibi tradi rogant, qui omnes jam obices remotos putabant. At verò Pontifex tum maximè ejus humilitate quasi per lasciviam abutitur, aliosque articulos, *qui non tangebant personam ejus, sed statum imperij eis assignat. Decreta adversus Johannem vicesimum secundum vicarium Christi, retractet, acta rescindat, opprobria recantet, edicto perpetuo publicè sanciat, Imperium beneficium esse primarij sacerdotis, nec ante Cæsarem esse, aut vocari, quàm ille author fiat;* Ockamum porrò, sodales, Collegasque in manus ejus tradat: Qui articuli cum electoribus Principibus & civitatibus imperij, exemplaribus undique missis, communicati fuissent, de his deliberaturi Francofurtum anno 1344. mense Septembri conveniunt. Ibi, uno consensu omnes, solennibus ritè observatis, decernunt: *Hos articulos iniquos esse & ad imperij eversionem spectare:* Imperatorem ex sacramento imperio præstito his nullatenus assentiri posse, Legatos se ad Pontificem decreturos, qui de his conquerantur: Si perseveret, nihil reliqui facturos, ut jus, decus & incolumitas imperij salva maneat. Et quidem miserunt ad Pontificem Principes & Ordines, qui re intellectâ eo acrius in exitium Ludovici incenditur: Indeque cœpta ejus cum Rege Bohemiæ, Carolo filio, & Episcopo Treverensi patruo, conspiratio, ut alius Imperator Ludovico opponendus, deligeretur, quod biennio post in lucem erupit. Notat Aventinus Theologos Parisienses Regi de hoc negotio consulenti respondisse, *responsa Clementis non solùm iniqua, superba, sed contraria æquitati Christianæ esse.*

Avent. l. 7.

Albertus Argent. in Chronic.

Clemens igitur anno 1346. in Cœnâ Domini, Ludovicum, immanissimè detesta-

..testatus, hæreticum & schismaticum pronuntiat, & Principes monet, intra di..m diem alium Imperatorem eligant, *ne Ecclesia diu advocato careat*, *alioqui circa h.. sedes Apostolica cogitaret*. Archiepiscopum inde Moguntinum der Wirnberg de..nit, quod jura Imperij semper tutatus esset, & Gerlacum Nassavium in ejus ..co constituit: Episcopum Argentinensem absolvit, juramento adactum, se non ..nplius Ludovico prestò affuturum, Bernardi Lutzemburgensis, Treverensis ..ectoris operâ & interventu, nonnullos Principes, partim pecuniâ, partim ..omissis corrumpit: denique procurante novo Electore Moguntino, conven..m apud Rainesey ad Rhenum indicit, In quo Carolus Lutzemburgius, Ioannis ..egis Boemiæ filius, Imperator nominatur, ejus nominis quartus: Eum ve.., cum adhuc in Galliâ hæreret, Philippo Regi contra Anglos militans, Cle..ens fide Ludovico datâ liberat, adque capessendum imperium, & verbis & ..latis ultro auxilijs, cohortatur. Ludovicus ex alterâ parte ordines Spiræ ..git, de tantâ, tamque multiplici perfidiâ conqueritur: Principes tum Ec..clesiasticos, tum seculares injuriam sibi factam ulciscantur, rogat & obtestatur: ..ui omnes & tuendum eum suscipiunt, & Pontificis Carolique acta detestantur. ..ùm verò Ockam & plures alij eo fortius in Clementem, quod deinceps videbi..mus, intonare, bellum in Germaniâ crudelius, quam unquam incrudescere: in quo ..men nihil morante Pontificis favore, Carolus perpetuo adversum martem exper..ts, Aquisgranum coronam accepturus cùm accessisset, januis clausis excluditur; ..uin cum eum Leodiensis Episcopus suscepisset, Cives Episcopum ipsum pellunt .. obsidione urbem liberant. Probatus nihilominus à Pontifice coronam Coloniæ ..scipere meditatur, Episcopo præsertim ejus sequace, at repulsam à Civibus ..ssus Bonnæ consecrari cogitur. Donec tandem Ludovicus qui prudentiam ..am Caroli adolescentiæ opponebat, seculo ereptus anno 1347. locum vacuum ..liquit; Sunt qui veneno, sunt qui apoplexiâ extinctum dicunt. At hunc sanè ..rincipem clariores quique hujus ætatis viri summè collaudant, cui ad omnium ..rtutum magno Principe dignarum cumulum, unum hoc defuisse attestantur, ..uod lenius cum Pontificibus egisset. Clemens interim in Caroli gratiam Bullam ..dens, quâ Principes Germaniæ, illum ut Ecclesiæ fidelem recipere jubet, hoc ..peræ pretium suæ extorquet: *Ne ullus deinceps Imperator habeatur, quem Papa Vi..arius Christi non approbârit, aliter credere perniciosissimam hæresim esse*; Utque eos ..d horum capitum observationem obstringat, sacramento ipse adigit, pars Prin..ipum tergiversabatur, pars apertè refragabatur: *Etenim usque adeone*, inquiunt, *..ervus ille servorum fastu, libidineq; dominandi furit, insanit, atque in præceps abit, ut om..ium sævissimorum tyrannorum, quos unquam fuisse legimus, crimina, superbiam vincere, ..opalam perfricatâ fronte contendat?* Itaque à verbis ad verbera ventum. Carolus ..nim, Ludovicum ut vitâ functum intelligit, Reginoburgum venit: Consules ipsi ..um in urbem inducunt: Populus, ut Pontificis, ut loquuntur, prætensiones au..ivit, ad arma concurrit: ejus furori vix ipse eripitur, ut urbe excedere ei necesse ..sset. Inde Norimbergam digressum honorificeque à Senatu exceptum, populus ..rsum expellit, & Ludovici filium accersit; Hæc omnia exhorrescente ad con..itiones, quas Clemens Carolo imposuerat, populo ad formulam etiam mandati, ..uod Episcopo Bambergensi dederat, ut eos qui Ludovicum secuti erant, Eccle..iæ reconciliaret: *Jurabunt deinceps fidem Catholicam habere*; (En vero in quibus ..am collocant) *fideles fore sedi Apostolicæ, & nulli deinceps hæretico vel schismatico ..avêre & credere quod non spectat ad Imperatorem, Papam deponere & alium creare, sed*

Ann. 1346.

Ann. 1347. Paulus Langius in Chronico Citicens. ad Annum 1347.

Avent. l. 7.

sed hoc hæresim esse damnatam, & quod nullum pro Imperatore habebunt, nisi per sedem Apostolicam probatum, nec relictæ & liberis ipsius Ludovici favebunt, nisi cum Ecclesiâ reformentur; Et Carolo Romanorum Regi per sedem approbato parebunt, Alias, ab ejusmodi sententijs & pœnis minimè absolvendi. Et hanc quidem formulam admonebatur Carolus, in lucem non proferre, si â populo bono animo excipi cuperet: Sed Episcopus, Pontificis iram veritus, interdicto liberare non audebat, nisi quæ hanc abjurationis formulam subiissent: Cui pleræque, reluctabantur. Basileæ nominatim Conradus de Berneveld Burgomagister, Carolo urbem ingresso, apud Tabellionem, urbis nomine protestatur: *Domine Bambergensis, sciatis, quod nec fatêri, nec credere volumus, quod quondam Dominus noster Ludovicus Romanorum Imperator unquam fuerit hæreticus. Quemcumque etiam nobis dederint Electores Principes, vel major pars ex eis, pro Romanorum Rege vel Imperatore, illum pro tali habebimus: etiamsi nunquam Papam requireret, nec aliud quicquam faciemus, quod sit contra jura Imperij, quovis modo.* Episcopo tamen ut interdictum tolleret, consilium datum: recedit Carolus furtim Basileâ, & secundo flumine Argentinam devectus: Eadem hic & asperiora experitur; Mox & Spiræ & in alijs civitatibus, ubi perpetuum de formulâ illâ certamen, quam passim emollire cogebatur: Wormatiæ absque conditione & jurejurando, Episcopus interdictum purè solvere necesse habet. Moguntiæ Carolum excipiunt, sed hac exceptione, ne Gerlacum Archiepiscopum à Papa ordinatum inducat; ne etiam ulla ab eo diplomata, legenda proferat. *Nonnullis in locis recedere volens expectante omni gente suâ armatâ, ante hospitium suum, non pagatis hospitibus Curiæ & Coquinæ suæ, retinetur, Wormatiæ nominatim ad querelam unius Carnificis.* In alijs ut habeat, unde hospitibus solvat, Telonea seu vectigalia oppignerare cogitur: Hæc haud dubiè non in Caroli propriè odium, sed Pontificis, sed Pontificiarum usurpationum.

Audent ulterius Principes, Rainesey ad Rhenum, prope Lonstenienſem arcem congregati, de Carolo deponendo conveniunt, deque Cæsare eligendo Edwardo Angliæ Rege, Ludovici affine: Cui per Legatos imperium solenniter offerunt, quod ipse gratijs prolixè actis deprecatur, bellum cum Rege Galliæ causatus. Oculos inde in Henricum, Marchionem Misniæ, Ludovici generum conjiciunt, sed ipse acceptâ à Carolo pecuniâ, suum jus cedit, Tandem in Guntherum Comitem Schwartzemburgium, quo nemo eo tempore bellicâ laude clarior, qui eâ lege accipit, ut in conventu Principum Francofurti indicendo, imperium vacare à majori parte decernatur: quod anno 1349. perficitur; adeò Imperatorem
An. 1349. à Pontifice non accipere illis ratum. Verùm, cum ipse ægrotaret, author Albertus, *Magistrum quendam Fridanckum, famosum medicum, ei potionem dedisse, quam mandato Gontheri, ipso præsente, licet invitus primò tentavit, & probavit:* Mox verò prægustatum Gontherus ipse sumpsit: Et medicus quidem, qui statim *in facie cœperat decolorari*, intra triduum moritur, *Guntherus verò inflatus, quo ad valentiam corporis statim inutilis efficitur, & creditum, famulum medici potioni injecesse venenum.* Ex hac igitur invaletudine Gontherus ad paciscendum proclivior fuit, incitantibus etiam amicis Principibus, qui incommodum hoc conspicati, Carolum demerendo, res proprias affinitatibus, aut beneficijs augere voluerunt. Itaque conventum, ut *Electionis suæ juri, acceptis 22000. marcarum argenti & duobus oppidis Turingiæ Imperialibus pro tempore vitæ suæ, renuntiaret.* Obijt verò intra mensem Gontherus, sicque Carolus imperij compos; sed, & sinistris artibus, & irreparabili im-

nperij damno. Quare, & in eo & ejus ignavia, dirempta Pontificum cum Impera-
oribus antiqualis, olim à Gregorio 7. ſeu Hildebrando mota, de ſedis Romanæ
i imperium authoritate, quod præterea, opibus planè exhauſtum, coacto Carolo,
t urbium & ordinum animos in ſe irritatos ſedaret, ab iiſque faciliùs reciperetur,
ra imperij, teloneaque publica illis concedere, ut exinde Imperij Majeſtas nun-
uam convaleſcere potuerit.

Eadem via in Italiâ, Germaniæ Imperatores omni potentiâ excidunt, dum
udovicus quartus cum Pontificibus digladiatur; partim, quia Pontifices, in ur-
bus Imperialibus Magiſtratus conſtituebant, & ex Vicariatu, quem ſibi, vacan-
Imperio, arrogabant, Guelforum primarios, illis, vicariorum titulo, præficie-
ant; partim etiam, quod Imperator in Germaniâ occupatus, ut authoritatem
tineret, clientum ſuorum illuſtriores quoſque (Gibellinos vocabant) urbibus,
uæ in fide ſuâ remanſerant, vicarios ſuos crearet. Unde evenit, ut plerique ex Vi-
rijs proprietarij & Domini evaderent: Urbes verò multæ, excuſſo jugo, liber-
tem ſibi aſſererent; & in hac porrò rerum perturbatione, potentes vicini infir-
iores abſorbêrent. Ita Clemens authoritate Apoſtolicâ Lucinum Vicecomitem
Ioannem ejus fratrem Mediolani Vicarios inſtituit, quibus in omnia quæ poſsi-
ebant loca imperium tribuit. Ita & Maſtinum Scaligerum Veronæ Vicarium,
uilielmum Gonzagam Mantuæ & Rhegij, Albertum Carrarium Patavij, Opi-
onem Ateſtinum Ferrariæ, Mutinæ & Argentæ præfecit: Quas omnes imperij
artem feciſſe dubium nemini. Et id ante cœperat Benedictus 12. ſed morte
æventus perficere non potuerat. Ut & viciſsim Ludovicus Imperiali autho- Blondus
tate, Ioannem de Vico vicarium ſuum Viterbij conſtituebat, Galeotum Mala- Decad. 2. l.
ſtam ejuſque fratres Arimini, Piſauri, Fani: Antonium de Montefeltro Urbini, 10.
aranum Camerini, Guidonem Poletanum Ravennæ, Sinibaldum Ordelaffum
orolivij & Ceſenæ, Iohannem Mamfredi Faventiæ, Ludovicum Alidoſium
molæ: Quæ loca Pontifices ad ſe pertinere contendebant. Veneti verò inter hæc
ccaſionibus invigilantes, ex imperij ruinis creſcebant; Auſus imò inter has tur-
as Nicolaus quidam Laurentius, Capitolij ſcriba, Senatores Româ expellere,
apitolium invadere, populum ad libertatem vocare, in quem tantus factus con-
urſus, ut univerſa Italia oculos jam in eum verteret: Exteri ipſi per Legatos
um inviſerent; Inſcribebat ille ſe, *Nicolaum Severum & Clementem Tribunum liber-* Machia-
atis, pacis, & juſtitiæ & Reipublicæ Romanæ liberatorem illuſtrem. Et Petrarcha vel. l. 1.
uidem de ejus initijs cum admiratione locutus, mox & eum redarguit, quod pe- Hiſt. Flo-
ori populi parti aduletur: *Ubi nunc*, inquit, *ille tuus ſalutaris genius, ubi ille bonorum* rent.
perum conſultor ſpiritus eſt, cum quo aſsiduo colloqui putabaris: nec enim talia fieri poſſe
er hominem videbantur: mirumque eſt, quomodo hic vir deſtiterit à bono principio, intel-
igere. At verò rebus ſuis diffiſus, ſeptimo poſt menſe, furtim Româ ſe proripit,
& ad Carolum 4. in Germaniam, cum eo tractaturus, proficiſcitur, qui ut erat
bjecti animi, vinctum ad Pontificem, perpetuo carceri addicturum, Avenio-
em mittit, ubi hactenus Pontifices precariò & quaſi commodato domicilio ſede-
bant; At mortuo Roberto Rege Siciliæ, relicta Ioanna è fratre nepte hærede, cui
naritum Teſtamento conſtituebat Andream agnatum, Ioanna, ut ei nupſit,
um faſtidit, indeque in Averſa urbe necari jubet, Ludovicumque Tarentinum
gnatum alterum ſibi virum deligit; Venit Ludovicus Rex Hungariæ Andream
ratrem ulturus; Ioanna ejus conſpectum ſuſtinere non auſa, una cum viro fu-
gâ ſibi conſulens, in Provinciam ſe recipit, ſeſeque Pontificis fidei committit;

 qui

qui Guidonis Portuensis Cardinalis propinqui sui interventu, eâ conditione, Ioannem Ludovico conciliat, ut regnum ei restituatur, Ludovicus Tarentinus Regis nomine, omisso Principis titulo contentus sit, Rex Hungariæ post Ioannæ mortem ei ex asse succedat: Ne verò frustrà laborasse Pontificem existimes, en tibi judicij pretium: *Avenio civitas cum Venesino Comitatu, paternæ hæreditatis pars, Pontifici conceditur, venditionis tamen specie, acsi urbis pretium compensaret tributum, quod Ioanna ex regno non persolverat, ex quo regios fasces fuisset consecuta*; Blondus ex Petrarcha disertè: *Nec gratis id Pontifex fecisse videtur: urbem enim Avenionensem à Ioannâ Reginâ, cujus patrimonij juris erat, in venditionem accepit, pretiique dissolutio permutata est in pecuniam feudi, quam Ioanna, pridem coronata, pro regno promiserat.* Matthæus sanè Villanus trecentis florenorum millibus emptam; nempe, imputata in solutum pensione illa scribit. Qui verò videre voluerit, hæc acquisitio quanti apud Curiam Romanam æstimetur, legat Iacobi Cardinalis Papiensis Epistolam, cum de ea Andegavensibus Principibus restituenda ageretur. *Curandum*, inquit, *omni ope est ne id Patrimonium trans Alpes Sedes Romana perdat. Est refugium pulsis Pontificibus, est & durum Italis frænum, ne ad vexandam Ecclesiam licenter currant. Ubi hic quieti esse non sinimur, comminantes ad eam nostram civitatem commigrationem, salutem nobis operamur, &c.*

Pandolf. Colenuncius l.5.

Blondus Decad.2. l.10.

Matt. Villani libr. Annal.1.

Iacobi Card. Papiensis in Epistolis.

Henricus Rebdorff in Annalib.

Iubileum, uti vidimus, Bonifacius centesimo quoque anno, magnas indulgentias pollicitus, celebrandum instituerat; Clemens gnarus quantum inde lucrum consecutus esset, Iubileum & ipse suo tempore celebrari vult. Itaque primo Pontificatus sui anno (zelum notet lector) ad quinquagesimum quemque annum reducit, ita tamen ut Romæ, etiam se absente, habeatur, ut Romanos, utilitatem inde magnam accepturos, sibi conciliet: At ne sibi ipse deesse videatur, quatuor Cardinales Legatos suos, cum omni potestate, eo mittit, Urbis ipsius statum, si e re videatur, eâ occasione reformaturos. Et scopus illi quidem Senatores tollere, sed à Romanis lucri licet ex Iubileo sitientibus nihil aliud obtinere potuit, nisi ut in Senatoribus eligendis præter morem adderetur: *A Papa declarabuntur.* Extat adhuc in Archivis multarum celebrium Civitatum Bulla, quam Iubileum suum commendaturus edidit: In hac disertè habentur hæ clausulæ: *Quicumque peregrinandi causâ ad hanc civitatem* (Romam intelligit) *accedere proposuerit, illâ die, quâ de hospitio suo viam arripere voluerit, eligere possit Confessorem seu Confessores, & in viâ & in locis quibuscumque: Quibus quidem Confessoribus authoritate nostrâ concedimus plenam potestatem absolvendi omnes casus Papales, ac si persona nostra ibi esset; Item concedimus, si verè confessus in viâ moriatur, quod ab omnibus peccatis suis sit immunis penitus & absolutus. Et nihilominus prorsus mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam à Purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant, &c.* Hanc tamen facultas Theologica Parisiensis erroris & temeritatis intolerabilis damnavit. Sunt qui parem aliam, uti vidimus, Clementi quinto tribuant. Sanè insignem ejus tempore Simoniam omnes authores notant, & insolitas beneficiorum quorumlibet per universam Ecclesiam reservationes: quarum etiam aliquas propter scandalum revocarit. Sed tu Lector, dum Angelis imperitantem vides, quidni prædictionem Apostoli 2. ad Thessal. 2. attendis: ubi de homine peccati, sese pro Deo gerente, Deo coæquante, supra id omne quod dicitur Deus extollente, quod tot retro seculis cuinam competat magis?

Legitur, hæc Bulla in Tractatu de materijs Indulgentialibus Ioan. Pheffer Professoris, Friburgensis. anno 1472.

O P-

OPPOSITIO.

QUas toto hoc Progressu vidimus Oppositiones, contra Papalem tyrannidem sufficere videantur, ut alijs additis non sit opus: cum subinde eum intertur-bari viderimus, ab insignioribus eâ ætate viris, à laudatissimis etiam Principibus: Demus tamen aliquid Lectori, ut pleniùs ei satisfiat. Decretum ordinum impe-rij anno 1338. in Acta Ioannis 22. promulgatum, audivimus ab Edwardo Angliæ Rege comprobatum, qui & ipse huic negotio postmodùm interfuit; In ejus vim Imperator Ludovicus Edictum Decreto consonum evulgat, cujus præcipua ca-pita hic inserere non pigebit. *Imperator Ludovicus 4. divino duntaxat munere Cæsar Augustus, universis Christianis salutem. D.Petrus atque Paulus nuncij æternæ majestatis primarij, longo antè tempore prædixere, cecinere, seduloque nobis denuntiavere, post fata sua vafros, versutos, audaces, falsos Prophetas, Sacerdotes, Legatos mendaces futuros: & facta jam pridem illorum depinxere nobis: In Templo Dei,* inquiunt, *hoc est, in Ecclesiâ, quasi sint Deus, sedebunt, & supra omne id quod usquam gentium aut colitur aut cultum est, extollentur, &c. Quæ itaque vates illi veridici, arcanorum Dei interpre-tes, nobis ante cantarunt, verissima esse, experimentis animadvertimus, & planè, nisi asini ad lyram simus, sentimus. Non imus inficias, est genus hominum superstitiosius, quàm ut temporum infœlicitas refragetur: ad fraudes & commenta superstitiosa, quibus vulgus imperitum facilè lactari atque capi solet, ingeniosissimum existit: ad tutandos mo-res impudentissimum & credulitate stultorum, quorum infinitus est numerus, abutitur. Meum est hujuscemodi argutias atque vaframenta, ne hisce simplicitati Christianæ impo-natur, veritati divinæ illudatur, detegere atque confutâre. A spinis non colliguntur uvæ, Propheta Dei non accipit munera. Qui vult maximus esse, sit infimus omnium, nunciis Christus præcipit, & Reges quidem dominantur populo, vos autem servi gregis mei, nempe pastores, non Domini estis. Nihilominus tamen, quamquam illa clarissima sint, tamen pessimi Pharisæi, perditissimi Antichristi Comitiis Cæsareis, suffragiis Principum, rebus impositum, ajunt, non esse Imperatorem, nisi primarius Sacerdos, qui Dominus rerum, & utriusque potestatis manceps sit, author fiat, &c.* Et hîc illam Thesim refellit, quip-pe S. Scripturis, legibus & Canonibus antiquis, omnium ætatum consuetudini planè adversam: Deinde addit: *Hasce ob causas, benè, rectè, atque sapienter, ab hoste Reipublicæ Christianæ ad futurum totius Christianismi, cujus ille membrum, non caput est, senatum provocamus; Orbis, inquit D. Hieronymus, major est, quàm urbis Eccle-sia, &c.*

Clemente etiam in rabie illâ perseverante, Gulielmus Ockam Ludovici causam indefessè tuetur, ex quo præsertim, ejus conspiratione, Carolus Imperator nomi-natus; Et in libro, quem in eam rem emittit: *Clementem hæreseos notâ inurit, ipsum Antichristum, paupertatis Christianæ osorem, hostem Reipublicæ conjuratum, Germano-rum gentis Christianissimæ inimicum, sectatorem Clementis quinti, Iohannis vicesimi secundi, falsorum Pontificum, & sævissimorum luporum appellat.* Carolum etiam, Avent.l.7. *perjurij, læsæ Majestatis, parricidij, impietatis in avum, & parentem postulat, quòd fi-dem jurisiurandi, quâ Ludovico astrictus sit, frangat, quod legibus Confluentiæ, Franco-fordiæ in Lonstain, ex Concilij Decreto perlatis, perfidè fraudem faciat, objectat. Man-cipium Avinionensium sacrificulorum, à quibus imperium emerit, appellat.* Quod & Leopoldus Episcopus Bambergensis, & Ockami ipse collega in Tractatu, cui titulus, *vindex pacis Christianæ*, ubi docent: *Pontificem, nisi Antichristi fastum, quàm*

Christi, & ejus comitum paupertatem æmulari malit, infimi cujusque Christiani, nedum supremæ potestatis servum esse, tantum abesse, ut cum maximâ Reipublicæ Christianæ jacturâ, dominari, quicquid libitum fuerit, factitare, Deus non solum dici, sed credi postulet. Et his quidem conatur respondere Conradus Magdeburgensis, sed anno demùm post obitum Ockami septimo, qui anno 1347. vitâ functus, Francofurti apud Franciscanos, cum duobus Collegis, Bona gratia Bergomate, & Michaele Cæsennate, honorificè sepelitur; Decesserat porrò aliquot ante annis Ulricus Hangerohr Ludovici Cancellarius, an regni secretarius, qui *Antichristorum Avenioniensium* (ita enim eos vocabat) ultionem veritus, extra Templum, ne in sua ossa sævirent, Testamento humâri voluit.

At nemo Petrarcha meliùs nos doceat, eximiorum eâ tempestate virorum de Papa, Curiaque Romanâ, quod fuerit judicium; Petrarcha inquam natione Florentino, Parmensi Archidiacono, seculi sui lumine, apud Pontifices, si ablandiri voluisset, nihil non consecuturo. Et eò magis quod extra contentionum æstum positus, plerumque scripserit. Omitto, Curiam Romanam in suis poëmatis quàm graphicè depingat, quam Babylonicam meretricem, erroris scholam, imposturæ officinam, hæreseos Templum passim vocitat. Regeratur enim forte, hæc à poëticâ libertate esse: sed Lectorem rogatum velim, latinas ejus Epistolas legat, gravitatis, zeli, doctrinæ plenas, in quibus sententiam suam candidè expressam voluit. In Epistolâ octavâ inter eas quæ vocantur *sine tutulo* Curiam Romanam sub nomine Babylonis Occidentalis describens: *In summa*, inquit, *scito, non modò hunc, sed ne Ciceronianum quidem calamum rebus parem. Quicquid de Assyriâ vel Ægyptiâ Babylone, quicquid de quatuor labyrinthis, quicquid denique de Averni limine, deque tartareis sylvis, sulphureisque paludibus legisti, huic Tartaro admotum, fabula est. Hîc turrificus simul atque terribilis Nemrod, hîc pharetra Semiramis, hîc inexorabilis Minos, hîc Radamantus, hîc Cerberus universa consumens, hîc Tauro supposita Pasiphae, mixtumque genus, prolesque biformis Minotaurus inest, Veneris monimenta nephandæ, hîc postremò quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile usquam est, aut fingitur, aspicias. O semper virtutibus tuis fœlix, nunc absentiâ etiam fœlicior tuâ: putasne civitatem hanc esse quam vidisti? Longè alia est, longe dissimilis. Fuit illa equidem omnium pessima, eaque tempestate fœdissima: hæc verò non jam civitas sed larvarum ac lemurum domus est, & ut breviter dicam, scelerum atque dedecorum omnium sentina, atque ille viventium infernus tanto ante Davidico ore notatus, quàm fundatus aut cognitus. Ah quoties redit ad memoriam illa tua penitus paterna vox, & salutaris admonitio, dum digressum paranti diceres: Quo abis? Quid moliris? quæ te tui immemorem trahit ambitio? &c.* Et is ad quem scribit, quem *Patrem* appellat, haud dubiè aliquis eâ ætate insignis. In nonâ ad eundem, *Hierosolymitanum exulem* sese subscribit, inter & super flumina Babylonis, ad Psalmum 137. alludens, ubi Psaltes Ecclesiæ conditionem, & suam in captivitate Babylonicâ deplorat: Et in Epistolâ decimâ ejus rationem exponit: *Subscriptiones*, inquit, *Epistolarum mearum miraris, nec immeritò, non nisi geminam enim Babylona cum legeris, alteram apud Assyrios olim, ubi clarum Semiramis nomen habet, alteram apud Ægyptios nostrâ ætate florentem: Desine jam mirari: & sua Babylon huic terrarum tractui est,* (Avenio) *ubi enim quæso dignius, quàm in Occidentali plagâ Civitas confusionis existeret? A quibus quidem condita incertum, sed à quibus habitata notissimum, certe ab iis, à quibus jure optimo nomen hoc possidet, & si vis, mihi crede. Hic Nemroth potens in terrâ, & robustus venator contra Dominum ac superbè turribus cœlum petens, &c. Hic Orientali quoque vesanior Cambyses,*

Petrarcha Epist. 8.

Epist. 9.

& ipso

& ipso adeò Turca, &c. *Consule Catholicos tractatores, sed præcipuè Augustinum, invenies, quid sibi velit Babylonicum nomen, quod cum legeris, dices non minus Rhodano quàm Euphrati debitum, quàm Nilo, &c. De quinque Labyrinthis potes etiam mirâri, cum apud cæteros scriptores, nonnisi de quatuor mentionem inveneris, omnium inextricabilissimum ac pessimum, sive quia nondum erat, sive quia nondum noscebatur, &c. Quâm justè autem qui noscere cupit, huc properet, non hic carcer horrendus, non tenebrosæ domus error, non fatalis urna humani generis fata permiscens, denique non imperiosus Minos, non Minotaurus vorax, non damnatæ Veneris monimenta defuerint, &c. Una salutis spes in auro est, auro placatur Rex ferus, auro immane monstrum vincitur, auro salutare lorum texitur, auro durum limen ostenditur, auro vectes & saxa franguntur, auro tristis janitor mollitur, auro cœlum panditur, quid multa? auro Christus venditur.* In Epistolâ undecimâ præfatus, quantum veritatem dicenti immineat periculum: Epist. 11. *Siquidem*, inquit, *extra virtutis regnum, imbecillis semper & nuda veritas, atquè omnis præsidij inops fuit: Quid eventurum censes, ubi extincta prorsus & sepulta pridem virtus? ubi profectò summum crimen est veritas, & sola sufficiens ad quærenda multorum odia, cum unius hominis amor multis obsequiis sit quærendus, &c. ubi nulla pietas, nulla charitas, nulla fides habitat, ubi tumor, livor, luxus, avaritia, cum artibus suis regnant, ubi pessimus quisque provehitur, & munificus prædo ad cœlum tollitur, justus pauper opprimitur: ubi simplicitas amentiæ, malitia sapientiæ nomen habet: ubi Deus spernitur, adoratur nummus, calcantur leges, irridentur boni, usque adeò, ut jam fere nullus, qui irridere possit, appareat, &c. Unum ego libenter huic scelerum universali diluvio eximerem, & mereretur fateor, sed ridiculum visum est, tam solidam & tam latam regulam unius nominis exceptione convellere. Nullus hinc igitur Noe, nullus Deucalion enatabit, ac ne Pyrrham putes fœlicius navigasse, prorsus scito, nullam emergere: civitatem simul obscœnissimarum voluptatum fluctus involvit, atque incredibilis quædam muliebrium criminum procella, pudicitiæque fœdissimum sine exceptione naufragium, hæc pauca de multis ausa veritas, &c.* Concludit verò: *Huic Epistolæ neque manum meam, neque annulum, neque locum, neque tempus apposui, scis ubi sim & vocem loquentis agnoscis.* In duodecimâ ardenti animo apud Deum de temporis miseriâ conquestus eam in decimâ tertiâ Epist. 12. & 13. edisserit. *Insignis illa*, inquit, *Christi aula, illa olim arx divini cultus eximia, nunc tandem peccatis nostris id agentibus, cœlesti auxilio destituta, immanium spelunca latronum facta est, & uno quidem fonte descendit origo mali, accedunt fontes alij minores, ex quibus ingens omnimodæ miseriæ flumen exæstuat, quo necesse est propediem pereamus, supremisque malorum obruamur fluctibus, ac nisi humanæ perfidiæ divina pietas occurrerit, triste naufragium patiatur Ecclesia. Quàm verò diversi mores, quam diversa ædificantium & evertentium mens: Provideat domui suæ Deus omnipotens. Video quidem eminus, sed prohibere non valeo, quo minus videre renuo, artificium hoc sævum & infame, quo Ecclesiasticus iste Dionysius nostras vexat ac spoliat Syracusas.* Immani illi Tyranno, Ecclesiæ intuitu Pontificem componens; *Video quâ tiarâ, virum mentita Semiramis frontem tegit, ingenioque oculos perstringit astantium, & incestis polluta complexibus viros conculcat;* ad meretricem illam in Apocalypsi alludens. *Video quibus artibus, noster* Epist. 14. *hic Pericles se tuêtur, ut quæ reddi nequit, non cogatur reddere rationem, & hic suum Alcibiadem, quo nemo velocius iniquis consilijs acquiescit. Turbat igitur omnia, miscetque de industriâ: quam putas ob causam, nisi ut circulatorum more, vel perplexo loro, vel confuso vulnere, licentius fallat, & fraus propria sub umbraculo turbatæ Reipublicæ delitescat? Et ille quidem pro qualitate propositi, artibus utitur non novis, nam & in fruticoso gaudet auceps, piscator in turbido, fur in tenebris, nobis autem pro inertiâ nostrâ, quid possim* opta-

optare miserius, quam ut nostri similes semper simus, coram adultero vigili, nare stertentes ad calicem, nescio fateor, an illius impudentia, an patientia nostra sit turpior. In decimâ quartâ: *Quid viro optimo cum pessimis locis, quid tibi cum Babylone? fortissimos Romanorum legimus vitare solitos Campaniæ Baias, apricum, licet salubrem locum, ubi ut exiguum honestatis, sic saltem voluptatis & lætitiæ multum erat, adeò rebus omnibus neglectis, uni studio virtutis intenti erant: si hoc ita est, quis non Rhodanum vitet? quis, oro, non fugiat Babylonem, & vitiorum simul omnium & laboris ac totius miseriæ mœstam domum? de quo quidem aliquid nosse debes. Visa loquor non audita, &c. Ibi nulla pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil sancti, nihil justi, nihil æqui, nihil pensi, nihil denique vel humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant: de veritate quidem sileo, nam quis usquam vero locus, ubi omnia mendaciis plena sunt, aer, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, vestibula aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diversoria ædium, penetralia Templorum, judicum subsellia, Pontificum sedes? ad postremum ora hominum, nutus, gestus, voces, frontes, animi? &c.* Et hic illorum hypocrisim ad vivum depingit, ejusque nonnulla exempla proponit. *Ad te verò, Pater optime, stilum vertens, oro, obsecro, obtestor, adjuro te per temetipsum, si tibi charus es, si solitam animæ curam geris, ne quando tibi posthac in cor veniat illuc ire, unde nemo exemplo melior unquam factus, pessimi autem innumerabiles rediere.* In decimâ quintâ concludit, *utrisque non aliter quam Ægypto & Pharaoni iratum Deum, & mittentem in eos iram indignationis suæ, iram, indignationem & tribulationem, immissionem per Angelos malos, denique nulli omnino gentium magis incubuisse Davidis eam precationem: Fiat tanquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini coartans eos, fiant viæ eorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos, hinc ergo nisi Deus eripiat, quis emerget?* In decimâ sextâ congratulatur ex intimo

Epist. 16. corde amico, quod Curiam Papalem deseruerit: *Si quid veri præsagij usquam est, prope est Deus ultionum, Dominus liberè agat & retribuat, abundanter facientibus superbiam, sua est enim ultio &c. Redit in animum, quod illi olim nostro, qui ex eo numero, si dici posset, pessimorum optimus fuit, & cui tu sanguine, ego autem familiaritate, obsequio junctus eram, ante multos annos occurrit, ut dicerem, instare illi ordini fati diem, quo superbia eorum, fatigata jam Dei patientia atque hominum deponeretur ac rueret; Cumque ille, proterviæ mixto risu, potius mihi Tiresiæ cęcitatem, quàm vaticinium optasset, objecissetque illud Euangelicum: Simon ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & ego non fidei defectu, sed eversorum fidei ruina, quæ utique fidei esset augmentum, loqui me, joco liberiore subjungerem, ille jam seriò in me versus: Tace,* inquit, *& si verum est, non simus authores.* Tandem concludit: *Omnia etsi nolint, suum locum repetunt, & illusionum & longævi ludibrij finis adest, quem cum videro, satis vixero.* Et sic pij quique eo tempore ad restaurationem Ecclesiæ & Babylonis ruinam gemebundi anhelabant. In decimâ septimâ amicus ille præter ejus monita, in rem præsentem venire voluerat, ibique idem judicium fecerat, fluvios inferorum illac transire, quicquid unquam in mundo sceleris, eo tanquam ad centrum confluxisse: Ergo ne ibi pereat: *Si*, inquit, *Christum colis, quod semper religiosissimè fecisti, conspecta hostium ejus impietas, manum pietati, & fidei tuæ calcar adjiceret: Vides enim populum non modo Christi adversarium, sed quod est gravius, sub Christi vexillo rebellantem Christo, militantem Satanæ, & Christi sanguine tumidum atque lascivientem & dicentem, Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Populum duricordem & impium, superbum, famelicum, sitientem, hianti rostro, acutis dentibus, procurvis unguibus, lubricis pedibus, pectore saxeo, corde chalybeo, plumbeâ voluntate, voce mellifluâ; populum cui non modò propriè con-*

venire

venire dixeris Euangelicum illud atque propheticum: *Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longè est à me*, sed illud etiam *Iudæ Iscariotis, qui Dominum suum prodens & exosculans ajebat: Ave Rabbi: & Iudæorum, qui indutum purpurâ, coronatum spinis percutientes, & conspuentes illusione amarissimâ, flexis poplitibus adorabant & salutabant: Ave Rex Iudæorum, quem neque ut Regem divinis aut humanis honoribus, sed ut reum mortis ac blasphemum, contumelijs dignum atque supplicijs, in humano judicio destinârant. Quid enim, quid oro aliud aßiduè geritur, hos inter Christi hostes & nostri temporis Pharisæos? nonne etenim Christum ipsum, cujus nomen die ac nocte altißimis laudibus attollunt, quem purpurâ, atque auro vestiunt, quem gemmis onerant, quem salutant & adorant cernui, eundem in terrâ emunt, vendunt, nundinantur: eundem quasi velatis oculis non visurum, & impiarum opum vepribus coronant, & impurißimi oris sputis inquinant? &c. Et, quantum in eis est, illusum, nudum, inopem, flagellatum iterum atque iterum in Calvariam trahunt, ac nefandis assensibus Cruci rursus affigunt? Certè*, inquit in eadem Epistolâ, *si Iudas triginta illos suos argenteos pretium sanguinis attulerit, admittetur, & pauper à limine Christus arcebitur, quod ita esse nemo est Christianus qui nesciat, nemo qui non doleat, nemo qui vindicet. Ita, dum alius alium expectat, malorum impunitas, quantum vides crevit, & quod à principio medicabile malum fuerat, jam tempore putruit. Cœperat enim, fateor, ante etiam ætatem nostram, ut ab avis accepimus, fœdum hoc ulcus inflari, sed quod molestum diceres, intemperans morbum auxit exiguum: Itaque jam hæc pestis ad interitum spectat, &c.* Addit viri eâ ætate magni testimonium, qui cum gemitu dicere solitus: *Duo Clementes nostri plus attriverunt Ecclesiam paucis annis, quam septem Gregorij vestri multis seculis restaurare possent, nec de eo dubito, nec dubitare aliquem existimo.* In decimâ octavâ, *Babylonem Gallicam describens* (sic Avinionem vocabat, Curiam Romanam eò translatum) *futuræ tibi*, inquit, *vitæ spes, inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur fabulosa omnia, & resurrectio carnis & mundi finis, & Christus ad judicium venturus, inter nænias habentur, &c. Habes quantum in tam paucis licuit, illius sacræ urbis expressum statum, quem non tam legis in his literis hodie, quam in illorum frontibus hominum quotidie prælegis, quorum vitâ nullus stilus, nullius æquet ingenium, &c. Tu es*, inquit, eam compellans, *famosa dicam, an infamis meretrix, fornicata cum Regibus terræ, illa equidem ipsa es, quam in spiritu sacer vidit Euangelista, illa eadem inquam es, non alia, sedens super aquas multas, &c. Populi & Gentes linguæ aquæ sunt, super quas meretrix sedes: recognosce habitum, mulier circumdata purpurâ & coccino & inaurata auro & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu suâ, plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ejus. Noscis ne teipsam Babylon? nisi illud forsan errorem facit, quod in illius fronte scriptū erat, Babylon magna, tu verò Babylon parva es; Parva utique murorum ambitu, sed vitiis & ambitu animorum & infinitâ cupidine, cumuloque malorum omnium, non magna modo, sed maxima, sed immensa es; & certè quod sequitur tibi uni convenit, non alij: Babylon mater fornicationum & abominationū terræ, mater impia partuum peßimorum, quando quicquid usquam terrarum abominabile, quicquid fornicatorium ex te prodit, & cum semper parias, semper tumens, & talium plenus & gravidus uterus tuus est. Si nunc quoque dissimulas, audi reliqua: Et vidi, inquit, mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu: Quid siles? aut aliam hoc sanguine ebriam ostendi, aut omninò, si potes, te hanc ebriam nega: Vera enim Euangelistæ & Apostoli visio sit oportet, qui si te in spiritu videns, miratus est admiratione magnâ, quantâ nos admiratione perfundimur, qui apertis oculis te videmus? Ex omnibus quidem fornicationibus tuis, de quibus biberunt omnes gentes & Reges terræ & ex omnibus abominationibus quid expectes, nisi quod Johannes eidem ait: Cecidit, cecidit*

Babylon magna, & facta est habitatio Dæmoniorum; Nota sunt quæ sequuntur. *Verè jam talis facta es, quanto enim homo perditus & desperatæ nequitiæ, Dæmone melior? Verè habitatio, imò regnum Dæmonum facta es, qui suis artibus humanâ licet effigie in te regnant. Tu verò amice, cum eodem Apostolo, audi vocem aliam de cœlo dicentem, exite de illâ populus meus, & ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis: quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus, &c.* Et inde in effusas libidines, etiam seniorum in Curiâ Romanâ sese extendit: *incendia, stupra, raptus, incestus, adulteria, qui jam, inquit, Pontificalis lasciviæ ludi sunt. Mitto raptarum viros, ne mutire audeant, non tantum avitis laribus, sed finibus patriis exturbatos, quæque contumeliarum gravissima est, & violatas conjuges, & externo semine gravidas rursus accipere, & post partum reddere, ad alternam satietatem abutentium coactos;* Et horum ipse immania exempla proponit. *Nunc mirâre*, inquit, *ducibus his & propitium populo suo Christum & Rempublicam prosperari.* In decimâ nonâ, amico congratulatur, quod eum è Curiâ Romanâ salvum excessisse videat: *Ille mihi*, inquit, *hortator est fidus quidem, sed improvidus, ut Babylone vivere eligam, ac mori. Cur autem sive ad quid? ut videam bonos mergi, malos erigi, reptare aquilas, asinos volare, vulpes in curribus, corvos in turribus, columbos in sterquilinio, liberos lupos, agnos in vinculis, Christum denique exulem, Antichristum Dominum, Beelzebub judicem: hæc ad spectacula revocor, non audiam: male mihi cum illis, male illis mecum convenit: ô crudelis & impia secta hominum, nihil nisi se ipsos amantium, idque ipsum perversè prorsus ac nefariè. Quis relevabit oppressum orbem? quis vindicabit afflictam urbem? quis eversos mores reformabit? quis colliget sparsas oves? quis pastores erroneos arguet? quis reducet aut retrahet in sedem suam? nullusne licentiæ scelerum modus erit? an frustra per Prophetam Spiritus Sanctus intonuit? Hæc fecisti & tacui, existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra te faciem meam, &c.*

Epist. 19.

Et hec igitur ad familiares Petrarcha, unde argumentari liceat, multos in eadem sententiâ fuisse, monstrorum illorum formidine deterritos: Nec desunt tamen, quos zelus pervincat. Albertus Argentinensis in Chronico, anno 1351. *Quidam Carmelita lector, faciens sermonem in Missâ Papæ, eum & Cardinales de eorum vitiis adeo reprehendit, quod omnes qui aderant terrebantur, qui extitit propter hoc à statu honoris rotatus;* Addit: *affixa quoque fuit quædam clausa littera ostio Cardinalis, Papæ & Cardinalibus directa, quâ apertâ reperitur, quod Leviathan Princeps tenebrarum salutat Vicarium suum Papam & Cardinales servitores suos, quorum ope jam vincat Christum nitentem exaltare pauperes, & humiles contra Rempublicam mundi, & introductis Prophetis, eos de omnibus commendat vitiis, & salutant eos mater eorum superbia, & sorores eorum avaritia & luxuria, &c. quæ se jactant eorum adjutorio benè stare & multa alia; Et scribitur: Datum in centro inferni præsente catervâ Dæmonum. Et commotus Papa perquirere nititur, & postea statim in infirmitate gravissimâ detinêtur, de quâ tamen convaluit: sed scriptor literæ prædictæ certificari non valuit.* Et videtur Albertus ad Epistolam Luciferi respicere, de quâ paulò antè: Scripta verò videtur illa Lutetiæ, & ex doctiorum meliorumque consensu, cum eam excusam legamus, cum Tractatu Gulielmi Parisiensis *de Beneficiorum Collatione.* Et multa ejus generis scripta eo tempore prodibant. Paulo verò ante, nempe anno 1345. Haiabalus Franciscanus repetitis vicibus publicè Avenioni concionatus, sibi à Deo mandatum dixerat, ut declararet Ecclesiam Romanam esse meretricem Babylonicam, Papam cum suis Cardinalibus verum Antichristum, Benedictum & Iohannem ejus prædecessores damnatos esse, & plura alia eodem pertinentia. Adductus verò

An. 1351. Albertus Argent. in Chronic.

An. 1345.

Henric. Erford. in Chronico.

ad

ad Pontificem id sibi à Deo in visione mandatum constanter asseveravit, seque id ex officio prædicare teneri; Nec clarè explicat author, quid de eo statutum sit.

Ad doctrinam quod attinet, licet alibi fusius, obiter hîc notemus, caput de justificatione gratuitâ per fidem in Christo præcipuum religionis Christianæ fundamentum, hoc tempore, ex tenebris quasi emersisse. Thomas enim Brandewardinus, qui vulgò *Doctor profundus*, eam publicè in prælectionibus docuit, non in Angliâ tantùm sed in Parisiensi Academiâ; Et etiamnum extat volumen ab eo, multorum piorum hortatu, de hac materiâ conscriptum, in tres partes distinctum: Ibi conqueritur, sibi contigisse quod Eliæ prophetæ, contra quem unicum 850. Baalis Prophetæ, in hac causâ, insurrexerint. *Quot, Domine*, inquit, *hodie cum Pelagio pro arbitrio libero, contra gratuitam gratiam pugnant, contra Paulum pugilem gratiæ spiritualem? Quot etiam hodie gratiam gratuitam fastidiunt, solumque liberum arbitrium ad salutem sufficere debacchantur? aut si gratiâ utantur, vel perfunctoriè necessariam simulant ipsam?* Et in hujus doctrinæ explicatione expatiatur, Augustino Hieronymo, Fulgentio, Prospero, Bernardo, & alijs veteribus consonans: *Tali luctâ*, inquit, *non mediocriter anxius, diutius protundebar, sed ad summum confugi auxilium toto corde, statim spiritu fortitudinis confortatus, spem hausi, non enim mea est causa, nec meum est bellum, sed Dei Domini scientiarum, exercituum & virtutum: Ego autem sub ipso sustineo partem ejus. A quorum ergo vultibus & insultibus, à quorum furoribus aut terroribus trepidabo, tanti patroni protectione tutissimâ communitus? Quamobrem, qui est Domini, jungatur mihi, imò non mihi, sed ambo jungamur Domino, stemus simul, quis contra nos? Scio enim quod unus, cum quo est Dominus, mille adversarios perferet, & duodecim millia effugabit.* Et hæc propriè in Scholasticos ejus temporis, prædicens nihilominus Discipulis suis, fore tempus nec procul abesse, quo eorum doctrina ita detegetur, ut apud omnes pios contemnerentur. Sed extra Historiæ fines excurrere non animus nobis. Raphaël Volaterranus, & Iohannes Picus Mirandula, qui libros viderant, ejus cum eximiâ laude meminerunt, Gregorius etiam Ariminensis, ex Eremitarum ordine inter Scholasticos magni nominis, qui hac ætate Lutetiæ florebat, in suis in Sententias commentarijs, qui aliter docerent semipelagianos appellat, Thomam, Scotum & alios: Ejus verò in hoc Dogmate adstipulatores, Iohannes Buridanus, & Andreas de Castello tunc celebres. Et porrò ab hac primum parte, Ecclesia reconvalescere debuit. Sed Conradus Hager Wirtzburgensis, ulteriùs progressus, docebat Missam nullo modo esse Sacrificium, non vivis, non mortuis prodesse, ideoque nequaquam celebrandam; Pecuniam, quæ à moribundis in Missis relinquatur, absque sacrilegio non accipi. Is verò multos in illâ Diœcesi, eâ doctrinâ per viginti quatuor annos imbuerat. Quare, in carcerem ab Episcopo conjectus, hæc liberè profitetur, nec se authorem multis fuisse negat, ut à Missâ abhorrerent.

PROGRESSUS.

CLementi Avinione vitâ functo, sublegitur Stephanus Alberti Lemovix, qui Innocentius sextus. Is illicò Episcopos in suâ quemque Diœcesi residere jubet: Sed ipse cum suam minimè repeteret, Legatum in Italiam Ægidium de Carilla Hispanum, cum omni facultate, authoritatem & potentiam ad se contracturum mittit; Erant tum Romæ Senatores Iohannes de Ursinis, & Petrus

Columna à populo, adhibito Pontificis consensu, constituti, ad annum usque Pontificatus sui sextum, quo Franciscus Baroncelli, apertâ vi Tribunal invadens, *scribam se Senatus, per gratiam Dei secundum urbis Tribunum & Consulem Romanum*, profitetur; ad Nicolaum Laurentium respiciens, qui illi primus. Innocentius itaque, ut hoc intelligit, Nicolaum ipsum ex carcere emittit, deque Baroncello exturbando mandatum dat, quod nobilitate adstipulante, & populi nonnullâ parte, facilè exequitur. Verùm, cum postea intra fines mandati non consisteret, clanculum excedere cogitur, & in fugâ agnitus, trucidatur. Et is tùm Urbis Romanæ status, sedis, quam dicunt Petri, ab Episcopis derelictæ. Ex aliâ parte Imperatori Carolo, non aliud studium, quàm ut diadema Augustale susciperet; quare in Italiam profectus coronam jàm ferream Mediolani acceperat, indeque Romam pergebat, ubi jussi ab Innocentio Cardinales duo illam ei imponere: sed hac diserte conditione, ne nihil prædecessorum ausis addere videatur: *Ne ullum in Roma Placitum ordinationemve faceret, de omnibus quæ ad Romanos pertinent, sine Papæ consilio.* Item, *Ut nec Romæ nec in Italiâ moraretur.* Et verò actutum discessit, itinereque per Hetruriam & Lombardiam instituto, Germaniam repetijt. Hinc Petrarchæ ad Nerium Foroliviensem amicum suum querela: *Illud non siluerim*, inquit, *agnoscere me Cæsarum fatum, quod & in occasu Solis & sub Austro, denique ubi libet fœliciùs fuerit, quam sub Arcto, ita ibi gelida omnia: nullus ardor nobilis, nullus vitalis calor imperij: redde nobis fortuna, si Romuleos Cæsares Parcæ vetant, at saltem ab Hispaniâ Theodosios, Severos ab Africâ. Heu, quid diceret nunc Architector ille magnus Monarchiæ, successorem suum cum Sacerdote humili, de humilitate certare, dum meminisset superbissimum olim Galliarum Regem, dum supplex, ut ait Florus, in castra venisset, phaleras & sua arma ante Cæsaris genua projecisse, ac dixisse: Habe hæc, virum fortem vir fortissimè vicisti. Multa se offerunt id generis, &c. Ex præteritis futura conjicio: Itaque non tam tangor, quod Legati sonipes in Cæsarem calcitrarit, quàm, quod calcitrare animos novi, & scio quod omnis potestas est consortis impatiens;* Addit: *cujus rei si quæ antiqua non sufficerent, vereor ne recens nobis exemplum attulerit casus, neu jam Pontifex Romanus Principem Romanum Romæ esse vetuerit, quod fama loquitur: Is nunc diademate contentum ac imperij titulo Romano non solùm patitur, sed jubet, & quem dici Imperatorem sinit, imperare nullo modo siturus est.* Ad Carolum ipsum scribens: *Nescio quid Romano Pontifici pollicitus jurejurando interposito, quasi muro valido, seu monte invio, eo mane urbis aditu prohiberis: quænam ista superbia est, Principem Romanum publicæ libertatis authorem libertate privare, ut cujus esse debent omnia, ipse non sit suus.* In libro verò de vitâ solitariâ, sibi temperare non potest: *Cæsar hic noster*, inquit, *rapto diademate, in Germaniam abiit, patriis latebris, & nomine contentus imperij, cujus extrema membra complectitur, caput spernens, quem recuperaturum sperabamus perdit, suum servare non audet, nulloque fugiens persequente, sponsæ sacros amplexus & pulchræ faciem horret Italiæ, tanquam sub cœlo aliquid pulchrius. Arguit eum, fateor, illa callens & temeraria fides, in ea, quæ summa etiam perflare non metuit, excusat se, & Ecclesiæ jurasse se jurat, ne amplius quam unum diem Romæ ageret: O infamem diem, ô pudendum fœdus, ô superi, en jusjurandum, en religio, en pietas, Romanus Pontifex ita Romam suam deseruit, ut eam nolit ab alio frequentari, & de hoc cum Romano Imperatore paciscitur. Quid hìc loquar, nescio, & si scirem tacere consilium est. Unum est, quod, me tacito, res loquatur: Quoniam qui habitatorem urbi eripit, aratorem, si posset, induceret, quod quàm justè velit, viderit.* Interim Cardinalis Carilla Legatus Romandiolam reducebat, messemque auream ibi colligebat, cujus

Blondus Decad.2.l.10. Albertus Argent. in Chronic.

Petrarcha apud Blondum Decad.2 l. 10.

Petrarcha de vitâ solitariâ l.2. sect.4.c.2.

cujus acervus Forolivij prostabat, indeque Avinionem deferebatur, messem dico, quia hæc ipsissima authoris verba: *Forolivij ærarium habuit, quod potius pecuniarum horreum dici potest. Agasones, pecuniæ in sarcinis haud secus, quàm frumenta consuêre, Forumlivium deportabant.* Quo factum ut Gulielmus Grisanus Lemovix, Urbanus quintus dictus sub annum 1362. Innocentij sexti successor, cui non tam sedulam operam Cardinalis Adrianus Abbas Cistertiensis navaverat, Carillam sibi denuò in Italiam mittendum cogitaret, qui ei ita viam stravit, ut de revisendâ Româ, anno 1366. consilium caperet, quo & Carolus Cæsar cum Augustâ eum salutatum venit, rursumque, ne ei suspicionem moveret, tertio post mense ex Italiâ discessit. Unum hoc Carolus hac profectione sategit, ut Pontifex Petri & Pauli capita in ruderibus conquiri juberet, *quæ*, inquit Author, *Dei favore inventa, locello condidit eminente, in Lateranensi Ecclesiâ extante, multo argento, auro undique gemmato plurimum exornata.* De hac imposturâ judicet Lector, quo signo aut argumento mille trecentis post annis ab alijs dignoscerentur. At Pontifex interim non otiabatur: præterquam quod enim Carilla arces omnibus Romandiolæ civitatibus imposuerat, Urbanus speciatim Urbeveti, & in Montefaliscorum Palatia summo studio construxerat, in quibus Cardinales Transalpini adversus nimium æstum sibi consulerent, ne intemperiem causati, longius ab urbe discederent, in quam ratum illi sedem revocare, nisi reversum in Franciam mors Massiliæ oppressisset. Hæc anno 1371. quo Petrus de belloforti Lemovix Clementis sexti nepos Papa creatur, Gregorius nomine undecimus. Quo tempore Romam Senator administrabat, sexto quoque mense ex consensu Pontificis mutandus: Urbis verò custodia penes Banderesios, regionum utique Tribunos, à *Baneriis* seu vexillis, quæ quisque habebat, denominatos: Qui ordo obtinuit, ex quo sub Urbano quinto nobiles exteri ad Senatoriam dignitatem semestres assumpti: Rubeus Tissius Florentinus Guelfus, ex Prato Bolsenorum, & Bonifacius, Richardus Pistoriensis, quod eo dictum sit, quod Banderesij ad annum usque 1400. status Romani potissimam partem faciunt. Et porrò Italia factionibus undique ardebat, sed Florentini præsertim libertatis signum dederant, ad quod multæ urbes hinc inde confluebant, & sese tueri non satis habentes, in ditiones, quæ dicuntur Ecclesiæ, etiam grassabantur. Imperatorem verò Pontifices nec in Italiâ, nec Romæ præsertim ferre poterant: Itaque Gregorio tandem sedem Romam reducere placuit. Narrat Blondus, Episcopum admonenti, ut Diœcesim suam adiret, responsum: *Et tu, Pater sancte, cur non ad tuam ipse accedis Ecclesiam?* Addunt alij, revelationibus sanctæ Brigidæ & Catharinæ Senensis persuasum. Verùm, ut Cardinalibus Gallis, propinquis etiam suis id displicere sensit, triremes clanculùm instrui in Rhodano jubet, & cum ijs quo sui consilij capaces fecerat, Genuam primùm, inde Cornetum mari advehitur: pedestrique itinere Romam anno 1376. Januario mense advenit. Et hic Avenionensis quidem sedis post 70. annos finis. At Gregorio paulo post mortuo, schismatis initium, quo nullum in Ecclesiâ Romanâ atrocius; Et primo quidem appulsu Gregorius à Romanis summo plausu excipitur, quippe cum ipso opes affatim in Urbem ingruere meditantibus. Sed ut Gregorius fulminibus cominus vibrandis mundum sibi perterriturus videbatur. Florentini contra ab eo excommunicati, interventu Bernabonis Vicecomitis, Iohannem Haucutum, Ducem Anglum, belli laude tùm celebrem, cum copijs in suas partes pertrahunt: Interdictumque nihil morati, neglectis censuris, Sacerdotes sacra celebrare cogunt; Genuenses imò ipsi, Florentinis, qui in urbem suam con-

An. 1362.

An. 1366.

confugerant, ſacrorum ſuorum uſum permittunt, licet illis, quocumque loco degerent, interdictis. Quare & interdictum etiam Pontificis ſibi accerſunt; Bernaboni etiam ipſi, quem remotior amicum habuerat, propior factus ſuſpicionem Gregorius movet, ut negotium ipſi ex negotio ſerat non invitus. Adeò, ut reditus jàm pœnitens, moribundus anno 1378. Cardinalibus conſilium det, ne revelationibus amplius adjungant fidem, quandoquidem à Brigidâ & Catharinâ Senenſi deceptus, in Italiam tam infauſto omine remeaſſet. Notat hoc inter alios Doctor Gerſon in Tractatu *de examine doctrinarum.* Author Machiavellus Gregorium iſtum, dum Avinione eſſet, *Italiam per Legatos rexiſſe, qui per ſuam ſummam avaritiam & ſuperbiam multas civitates evertiſſent, quorum unus Bononiæ ſedem habebat, qui annonæ caritate abuſus, totius Hetruriæ & Florentiæ ipſius ſuis artibus ad famem redigendæ, dominatum adfectârat:* Inde belli originem, de quo ſupra, qui tamen conatus illi in irritum cecidit. Ceterùm, boni iſti Pontifices ſingulare aliquod myſterium ſubinde comminiſcebantur: Feſtum namque inſtituit Innocentius ſextus, in honorem Lanceæ & clavorum quibus Dominus transfixus; ab eadem Theologiâ quidni Caipham & Pilatum in ſanctorum Canonem relaturus? Et Urbanus quintus, Dominica, quæ dicitur *lætare*, Roſam conſecrat, quæ primò Iohannæ Siciliæ Reginæ famigeratæ meretrici donatur, quæ virum necârat: Inde verò ſucceſſores ſinguli, recurrente quadrageſimâ, Principem aliquem ejus dono devincire ſolent, Aurea illa roſa, quam in Miſſâ, magnâ pompâ, certis orationibus, Balſamo inunctam, muſco contrito conſperſam, aquâ benedictâ perfuſam, thure demum fumigatam: in ſignum, aiunt, Hieruſalem tum triumphantis, tum militantis, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, conſecrant; Etenim Antichriſto Chriſti ſimiæ, ſua etiam ſacramenta conſtent, quod Hieronymus prævideràt, neceſſe eſt. Emergunt & eodem tempore Sigillaria, formulæ illæ, quas *Agnos Dei* vocant, à Pontificibus primo Pontificatus anno benedici ſolitæ, ſeptimo etiam quoque anno renovandæ. Oratio quâ conſecrantur execrabilis planè: *Ipſorum veneratione, & honore nobis famulis tuis crimina diluantur, abſtergantur maculæ peccatorum, impetrentur veniæ, gratiæ conferantur, & tandem una cum ſanctis & electis tuis vitam accipere mereantur æternam.* De Chriſto, vero Dei Agno, quid magnificentius dici potuit? Legitur verò Urbanus quintus, tres Græcorum Imperatori miſiſſe cum his verſibus, quibus eorum & formam & virtutem, quam volunt, edoceretur.

Ceremoniale Romanum l. 1. p. 32. 33. 37. 38. 39. Impreſ. Venetiis Ann. 1516.

Balſamus & munda cera cum Chriſmatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum,
Fulgura de ſurſum depellit, omne malignum
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.
Prægnans ſervatur, ſimul & partus liberatur,
Dona defert dignis, virtutem deſtruet ignis
Portatus mundè, de fluctibus eripit undæ.

Ubi notet Lector blaſphemiam, quæ nonniſi ex puteo Abyſſi prodire potuit, puſillum hoc Idolum à Papa formatum & excantatum, *peccatum frangere inſtar ſanguinis Chriſti, immaculati Dei Agni:* Hoc ſi ita eſt, Agno ipſo quid amplius opus? Et tamen Liber Pontificiarum ceremoniarum hìc loquitur, Leoni decimo Pontifici dicatus, quem, Lectorem rogo, abominationes illas plenè inſpecturus, conſulat.

OPPOSITIO.

NEc verò defuerunt hoc tempore, qui sese Pontificibus & multifariam quidem opponerent: *Sub Innocentio sexto*, inquit Froissardus, *Avenione fuit quidam frater Franciscanus, præditus ingenio & eruditione summâ, vocatus Iohannes à Rupescissa, quem Papa tenebat vinctum in Castello Baignosi, propter res miras, quas eventuras ille dicebat, præsertim super Prælatos & Præsidentes in Ecclesiâ, scilicet ob immensum luxum, & ambitionem, quibus dediti erant: atque itidem super regnum Franciæ & potentiores Christianitatis Principes, quoniam plebem tenuem tam miserabiliter opprimerent. Probaturum autem se ajebat Iohannes ille, omnia sua dicta per Apocalypsim, & veteres libros sanctorum Prophetarum, qui ipsi per gratiam Spiritus S. essent retecti, sic ut diceret multa creditu difficilia. Conspiciebantur sane quædam evenientia, eo ipso tempore, quo pronunciaverat, neque dicebat quicquam uti Propheta, sed per Scripturas veteres & Spiritus S. gratiam, qui ipsi largitus erat scientiam declarandi omnes illas veteres Prophetias, ad annunciandum omnibus Christianis annum & tempus, quibus debebant impleri: & confecit complures libros magnâ doctrinâ benè fundatos. Eorundem in uno quodam, scripto salutis anno 1346. res complexus erat tam mirabiles, ut eas ægrè quisquam esset crediturus, sed earum complurium eventus jam est visus.* Alio loco, postquam Ecclesiæ miseriam sub schismate Urbani 6. & Clementis 7. conditionem deploravit, cui Principes Christiani nullâ ratione providebant, ejusdem fratris Iohannis meminit his verbis: *In meâ juventute Papa Innocentius Avinione regnans, in carcere adservabat Franciscanum quendam, hominem benè eruditum, nomine Fratrem Iohannem à Rupescissa. Iste frater, (uti Papa ajebat, & ipse referri audivi) pluribus in locis, privatim tamen non publice proposuerat ac proponebat complures authoritates, & notabiles collectiones, & præcipuè de adversis casibus, qui ipsius tempore, atque etiam post evenerunt in regno Franciæ. De captivitate Iohannis Regis Franciæ loquebatur valdè plane, & exponebat quædam rationi consentanea, scilicet, quod Ecclesia adhuc multum haberet sufferre, propter enormem luxum, quem videbat inter eos, qui baculum regiminis tenebant. Atque eo ipso tempore, quo eum vidi carcere contineri, recitabatur mihi aliquando in palatio Papæ quoddam exemplum, quod ipse recensuerat Cardinali Hostiensi, qui dicebatur ab Artesia & Cardinali Auxerrensi, qui eum accesserunt visum, & de iis quæ dissereret, castigatum.* Summa est, contigisse Ecclesiæ, quod olim pulcherrimæ aviculæ, quæ implumis nata cum volare non posset, de vitâ periclitabatur: Aves alias ejus misertas, eam plumis operuisse, Reges inquam & Principes Ecclesiam effusis in eam suis patrimonijs & ditasse & supra modum honorasse, & Avem quidem illam, ut se auctam vidisset, quasi nullius jam indigam, insuperbijsse, aliasque rostro & unguibus petijsse; Ecclesiam, inquam, cum Imperatoribus inimicitias & bella suscepisse: At Aves inde plumas suas repetiisse, ut & haud dubiè Principes beneficia & dona sua subducturi erant, donec tandem cogeretur Ecclesia veniam implorare, nî id faceret, & ad pristinam superbiam reverteretur, Imperatores & cæteros Principes Christianos omnia ablaturos esse. Hîc verò Froissardus: *Quare non legitis*, inquit, *vitam S. Sylvestri Papæ Romani, &c. Quomodo & quâ lege Constantinus Imperator donaverit bona Ecclesiæ? Profectò non prodeambulabat per mundum S. Sylvester, stipatus ducentis aut trecentis equitibus, sed humiliter se Romæ continebat, & sobriam cum Ecclesiasticis solùm suis vitam degebat.* Nec verò diu dilatum iri hanc mutationem præmonebat, *atque eo sanè modo, ut Cardinales sæpe demirarentur.*

Froissard. Vol. 1. c. 211.
Froissard. Vol. 3. c. 24.

Opta-

Optabant autem ipsum è medio tollere, si ullam necis justam causam invenire potuissent: sed erat planè nulla. Itaque vitam concessere, quamdiu se potuit tolerare, neque audebant è carcere dimittere, quod argumenta proponeret tam profunda, & Scripturas exquireret adeò sublimes, ut mundum fortè in errorem aliquem abducturus fuisset. At certe interim visa sunt evenire multa, (ut quidam asserunt, qui accuratius quàm ego ipsius verba observârunt) quæ prædixerat, & in carcere conscripserat. Volebat autem confirmare quæ dicebat omnia per Apocalypsim; & comprobationes veræ, quibus se armabat, sæpius ipsum servarunt, quo minùs exureretur. Non deerant quoque quidam Cardinales, qui misericordiâ adfecti, non erant in ipsum tam severi, quàm esse poterant. Et sanè Apologus iste de Aviculâ ab eo recitatus in Apocalypsi manifestè fundatur capite 17. ubi dicitur: *Reges vires & potestatem suam bestiæ tradent:* Demùm, *hi odio prosequentur Meretricem, Bestiam illam & desertam reddent illam, & nudam, & carnes ejus commedent, & ipsam igne exurent.* Scripserat hic Franciscanus in carcere Tractatum Phopheticum, cui titulus, *vade mecum in tribulationem*, in quo Antichristum regnâre in Papatu asseverabat, & Ecclesiæ reformationem præsagiebat. Et sunt qui combustum tandem ipsum fuisse affirmant.

Apoc. 17. 13.16.

Petrus Præmonstratens. in Chronic. quod inscribitur Biblia Pauperum. Ann. 1363.

Sub Urbano quinto, prodit Magister Nicolaus Oremus, Theologiæ Doctor, qui anno 1363. in Vigiliâ nativitatis coram Urbano quinto & ejus Cardinalibus concionem habet, quæ adhuc integra legitur: Et nos præcipuas tantùm ejus clausulas huc afferemus. Thema fuit: *Juxta est salus mea, ut veniat, & justitia mea ut reveletur*, Esaiæ 56. Ibi postquàm textum ad adventum Christi in carne pertinere demonstravit, ad adventum ejus in judicium transit, quo Ecclesiæ Christianæ corruptionem puniturus sit, ad quam nominatim locum Ezechielis cap. 16. accommodat: *In die quâ natus es, vidi te conculcari in sanguine tuo*, martyrium hîc intelligens, *& multiplicata es & grandis effecta, & mundavi sanguinem tuum ex te*, persecutione sedata; *Et dedi coronam decoris in capite tuo, &c.* quam ad Ecclesiæ fœliciora tempora, sub Principibus Christianis refert. Tandem, *& habens fiduciam in pulchritudine tuâ, fornicata es in nomine meo*, te omnibus modis commaculasti, Simonia, abusu, sacrilegio, dies adolescentiæ tuæ oblita, primum illum tuum statum: *Ubi*, inquit, *magis videtur historia, quam prophetia de prosperatione Ecclesiæ. Et statim sequitur punitio: Et ecce, inquit Dominus, dabo te in manus odientium te, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulum tuum, scilicet locum, ubi exercebas injusta & denudabunt te vestimentis tuis & auferent vasa gloriæ tuæ, & derelinquent nudam plenam ignominiâ. Ecce*, inquit, *potestis videre, quid Ecclesiæ sit venturum, & subdit capitulum dicens: Soror tua Samaria, id est, Synagoga*, (Ecclesia Israëlitica) *dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus tuis: Ergo & tu porta confusionem tuam.* Eodem pacto eidem accommodat 23. caput ejusdem Prophetæ, 2. Oseæ, 3. Nahum & plura alia Esaiæ, Ieremiæ & cæterorum. Concludit vero, *Quia Prælati non vererentur Ecclesiæ primitivæ venerandam pudicitiam pretio & precibus & pravis actibus infamare, quòd super hanc Ecclesiam aliquando revelanda sit Dei justitia primitiva.* Supererat ut exponeret, num tempus prope esset, quia Thema ejus fuerat: *Iuxta est. &c.* Et *quamvis*, inquit, *non sit nostrum nosse tempora, forsitan tamen ex quibusdam signis, quæ dicam, potuerunt suspicari aliqua de proposito. Unde* primum, *recipio ex Apostolo ad Thessalonicenses. 2. cap. 2. ubi ait: Nisi venerit discessio, non reveletur homo peccati, filius perditionis*, Antichristus scilicet, *quod Hieronymus in ultimâ quæstione ad inquisitiones Ianuarij allegoricè exponit de Romani imperij desolatione, inter quam & persecutionem Ecclesiæ præsentia Antichristi, nullum ponit medium.* Nunc autem *qualis ejusdem imperij*

præsens

præsens sit status, & præcipuè ad ejus pristinam majestatem, vos judicate. Secundum signum: *Quod Ecclesia erit pejor moribus, quàm fuerat Synagoga: Pharisæos,* inquit, *Salvator noster redarguit de avaritiâ, quia permittebant vendi columbas in Templo Dei, & de hoc quod solis labiis honorabant Deum, & quòd dicebant non faciebant, & erant hypocritæ. Videatis igitur, si pejus est sacramenta & beneficia vendere, quàm permittere vendi columbas in Templo. Hic sunt aliqui, qui nec labiis Deum honorant, qui non solùm non faciunt bona, sed nec dicunt, nec prædicant, canes muti, non valentes latrare, canes impudicissimi, nescientes saturitatem: Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinavêrunt, unusquisque ad avaritiam suam à summo usque ad novissimum, ubi thema. Sic etiam sunt nonnulli, quorum insolentia & malitia ad modum ignis in tantum succensa est, quod hypocrisis pallio nequit operiri, sed facti sunt inverecundi, quorum Ecclesiæ improperando dicitur: frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Tertium: *sumitur ex proportione inæqualitatis nimiæ, quia alius esurit, alius verò ebrius est, contra omnem bonam harmoniam, &c. Sacerdotes majores sunt, quàm Principes seculi, cæteri dejectiores vulgo. In corpore si nutrimentum fluat ad unum membrum, ita ut enormiter ingrassetur, & alia nimium macerentur, non potest diu vivere.* Eoque aliquos Prophetarũ locos adducit. Quartum: *fastus Prælatorum, &c. Nam de jure naturali propriè est, quòd Sacerdotes habuerunt, & debent habere, unde possent vivere honestius, quàm populares, & Prælati quàm subditi, sed ex hoc non conceduntur equitaturæ, seu familiæ superflua pompa, quæ rarò potest absque superbiâ duci, & salvâ justitiâ sustineri. Talis fastus in Ecclesiâ Dei, potissimum temporibus istis, non tantùm movet paucos ad reverentiam, quantum multos ad indignationem & plures invitat ad prædicta, qui se reputarent Deo sacrificare, si possent quosdam crassos Presbyteros spoliare, istos præcipuè quibus nec nobilitas generis, nec scientia suffragatur, sed sunt viri mendaces, serviles & fraudulenti, quibus Dominus dicit Amos 4. Vaccæ pingues Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes; Ecce dies veniet, &c.* Quintum: *Tyrannis præsidentium, quæ cum sit res violenta, durare diu non potest, Sapientiæ 6. Proprietas tyranni est quærere, non bonum subditorum, sed utile proprium. Tales sunt pastores, qui non pascunt gregem Domini, sed semetipsos, quibus dicitur Ezech. 24. Mich. 3. Vos odio habetis bonum & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eos, & carnem eorum desuper ossibus eorum; & ita comederunt carnes populi mei & pellem eorum desuper excoriaverunt. Idem dicit Ezech. 34. Cessare eos faciam, ut non pascant ultrà gregem meum, liberabo eum de ore eorum & non erit eis ultra in escam.* Sextum: *Promotio indignorum, & vilipensio meliorum. Hæc, secundum Aristotelem, est maxima causa dissolutionis politiæ, & sæpe contigit in militiâ seculari, quod inhonoratio illustrium & exaltatio inferiorum, seditionem parit. Nam propter hoc in parte, & propter quædam præmissa, non solùm in codicibus legimus, sed oculis nostris vidimus, quædam regna penè destructa, &c. Hæc est semper humanæ duritiæ incredulitas, ut non solùm audiendo, sed etiam videndo non credat alios interjisse, nisi & seipsos videant interire.* Septimum: *Tribulatio politiæ secularium, & commotio populorum, quę in multis jam partibus experta est; Et quoniam, ait Seneca, mala indignantur sola venire, timendum, ne postmodum Ecclesiastica politia non solum incidenter, sed etiam intrinsecus patiatur, & impleatur, quod dicitur Hieremiæ 3. Contritio super contritionem vocata est repentè, vastata sunt tabernacula mea. Ezech. 7. conturbatio super conturbationem, auditus super auditum, & lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus.* Octavum: *recusatio correctionis, si forsitan de Principibus Ecclesiæ evenit, quod scriptum Hier. 7. Noluerunt attendere & cor suum posuerunt adamantem, ne audirent verba quæ misit Dominus in spiritu suo, per manus Prophetarum suorum; Et Esaiæ: Filij mendaces,*

filij nolentes audire legem, qui dicunt, nolite accipere verba, quæ vera ſunt: loquimini nobis placentia. Hoc autem implebitur, quando Prælati veridicos & ſcientificos habebunt inviſos, ſicut de ipſis ſcriptum Amos 5. Odio habuerunt in portâ corripientem & loquentem perfectè abominati ſunt, & ideò Eccleſiæ Hieruſalem dicit Dominus Oſeæ 4. Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, gloriam filiorum tuorum in ignominiam commutabo, & erit ſicut populus ſic ſacerdos, &c. Et ſic attentis prædictis ſignis judicare poteritis, utrum præſentia tempora ſecura, & utrum habeant locum hæc, quæ Dominus in themate dicit: Iuxta eſt juſtitia mea ut reveletur. Et verò cœtum, qui Antichriſtum ſuſcepturus erat, non à melioribus notis nobis deſcribere potuit. Reſtabat, ut ad objectiones reſponderet, quod non omittit: *Sunt quidam*, inquit, *nimis confidentes atque dicentes, quòd Prælati ſunt Eccleſia, quam Dominus ſemper cuſtodiet, nec deſeret eam, ſicut promiſerat eis in perſonis Apoſtolorum, dicens Matthæi 28. Ego autem vobiscum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. Sed hoc intelligendum eſt, quantum ad fidem, quæ in ſeculum ſtabit, & dum refrigeſcet caritas fides manebit in paucis, inter mundi preſſuras, quas idem Salvator frequenter prædixit eſſe venturas. Et ne forte aliqui ſe putent à tribulatione ſecuros, quia ſunt de Eccleſiâ, huic opinioni obviat Dominus, cum dicit Hieremiæ 7. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes Templum Domini, Templum Domini eſt, &c. quæ non proderunt vobis. Alia opinio eſt prorogantium: Benè enim concedunt quod Eccleſia turbabitur, ſed non tam cito, quia jam multæ cauſæ prætactæ, & ſigna alia extiterunt: Nam dudum per ſanctos Doctores Gregorium & Bernardum fuerunt reprehenſi Prælati, de receptione muneris, de pompis, de promotione indignorum, & aliis vitiis; quæ quidem regnaverunt in Eccleſiâ etiam plus quàm nunc, & tamen Dei gratiâ uſque adhuc proſperè ſtetit. Iuſte huic cogitationi occurit Dominus in exemplo Ezech. 12. Dicens, fili hominis, ecce Domus Iſrael dicentium: viſio quam hic vidit in dies multos, & in tempora multa ipſe prophetavit: Propterea dices ad eos, dicit Dominus: non prolongabitur ultra verbum, ſed in diebus veſtris faciam illud. Et Eſaiæ 3. Subitò vidimus diebus noſtris quædam, quæ nuper erant incredibilia, & ſimile alias evenit, &c.* Alij dicunt: *Veniat quod poterit, conformemus nos huic ſeculo, temporiſemus ſicut illi, qui dixerunt, Sap. 2. Fruamur bonis, quæ ſunt, & impleamus nos. Tales namque ſunt præjudiciabiles valdè bonis in Eccleſiâ Dei, & ſi Principes Eccleſiæ forent ita viles, ut haberent hanc cogitationem tam peſſimã, non poſſent in tartarum nimis profundè intrudi, &c. Imo etiam vel ipſi hîc incurrent temporale periculum, quod magis timent, dicente eis Domino, Proverbiorum 1. Omne conſilium meum & interpretationes meas neglexiſtis, & ego in interitu veſtro ridebo, cum irruerit ſuper vos tribulatio & anguſtia; Alij diffidunt, & non videtur remedium in hoc poſſe dari, ſed quod, ſicut aliæ res & præterita regna habuerunt periodum ſuam, ſeu periodos ſuas, juxta illud. Matth. Tempus habent, ipſo incurſu ſeculi irrevocabili, neceſſe eſt quod hujuſmodi Eccleſiæ dominatio capiat finem, exigentibus demeritis & obſtinationibus gubernantium, ſicut Hieremiæ 8. nullus eſt qui agat pœnitentiam, omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam & pardus varietates ſuas, & vos poteritis bonum facere, cum vos malum didiciſtis; Et cap. 17. de Juda ſignificante Eccleſiam: peccatum Iudæ eſt ſcriptum ſtilo ferreo in ungue adamantis, quaſi diceretur, quod eſt indelebile, &c. Verùm, hæc omnia non ſignificant impoſſibilitatem, ſed difficultatem, quia perverſi difficile corriguntur. Nam Ion. 3. dicitur. Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus? Item propterea dicitur Hierem. 26. Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant & convertatur unuſquiſque à viâ ſuâ malâ, &c.* Ac tandem in ſeriam exhortationem ad pœnitentiam, converſionem, vitæ emendationem deſinit. Hic eſt Nicolaus Oremus ille, qui ur-

urgente Carolo 5. Rege nostro Sapientis nomen adepto, universa Biblia in linguam Gallicam vertit. Hujus exemplaria in illustrium regni familiarum Bibliothecis adhuc reperiuntur; In Regiâ ipsâ unum in primis, in quo Caroli ipsius manu testatum, hæc Biblia suo jussu translata.

Commodè hîc interseritur, Carolum etiam Sapientem authorem fuisse Alano Charterio Secretario, ut scriberet libellum, cui titulus, *Somnium Viridarij*, ante 100. annos Lutetiæ excusum, in Papatus tyrannidem, tum temporalem, tum spiritualem. Asserit liberè liber ille, proinde & Carolus noster: Ecclesiam Romanam ad tempus usque Constantini obtinuisse licitè prioritatem, ex aliarum Ecclesiarum tacitâ & voluntariâ electione, non quod ei aliqua in illas authoritas esset, & propter virorum honestate pollentium multitudinem, qui pro suâ charitate alios fideles fraternê admonebant; hi verò eorum monita, tanquam virorum doctorum statuta, quæ sibi videbantur utilia, amplectebantur; Exinde eorum etiam censuras subijsse, ut unitatem fidelium conservarent; & voluntariam obedientiam illam electionis vice fuisse: licet neque divino, neque humano jure, ullo pacto, mandatis aut institutis Ecclesiæ Romanæ, Pontificisve obligarentur magis, quàm sibi suisve Ecclesijs Pontifex ipse; Et hæc quidem idcircò ex eo, quòd nondum Principem supremum Christianum haberent, qui eas in ordine & unitate contineret: Quod ex eo perspicuum sit, quod ex nullo sacræ Scripturæ loco colligi posit, Christi alicujusve Apostoli mandato, aut consilio, Ecclesias aut Episcopos, Ecclesiæ aut Episcopo Romano subjici; in ijs adeò ipsis, quæ ad ritus Ecclesiasticos pertinent: Quod sanè à Christo ejusve Apostolis omissum minime fiat verisimile, si ad salutem fidelium spectasset: tantò magis in ijs, quæ ad jura coactiva pertinent, non in Clericos tantùm sed in Principes ipsos seculares, quod Pontifices sibi arrogant, contra Christi Apostolorumque aperta præcepta. A Cónstantino itaque primo Imperatore Christiano, Ecclesiam & Episcopum Romanum, ex illâ laudabili consuetudine, *prioritatem* obtinuisse, quam interim posteà ex lege divinâ sibi deberi, falsò persuadere voluerint; Quin & in Reges & Principes extendere, vacantis etiam imperij regimen ad se contrahere: Quod & recentiores pluribus Decretalibus sancire non veriti sint, quibus ex potestatis suæ plenitudine esse profitentur, ut Reges constituant aut destituant, nî pareant anathemati & interdicto subjiciendos. Quæ quidem Theses illo scripto acriter refutantur, eóque Papa redigitur, ut non aliam aut ipse in alios Episcopos aut Ecclesia Romana in alias Ecclesias authoritatem retinere dicatur, quàm quæ in ipsas ab illis sponte conceditur. Addamus, Edwardum 5. Angliæ Regem, cum frustra apud Pontifices de exactionibus, quas in Ecclesias Angliæ exercebant, pluries conquestus esset, statuisse semel tandem à jurisdictione, quam Papa usurpat, Angliam vindicare. Quare, anno 1374. decrevisse Episcopos deinceps à se creatum iri, & ab Episcopis inferiores quosque: unde evenit, ut non multò post, quas Clero imponere solebat Decimas Pontifex, amitteret, Vetuisse etiam, gravibus pœnis indictis: Ne quis, Angliæ Beneficia impetraturus, Papam, quocumque loco esset, accederet, *Denariumque* illum *Petri*, Romæ quotannis persolvendum, abolevisse: Quod cum Gregorius undecimus intelligeret vehementer tumultuatum *exclamasse, illud aliud esse nihil, quàm Christianam Ecclesiam dividere, quàm religionem exinanire, quàm jus fasque denique rescindere: Quare primo quoque tempore cum Edwardo egisse, ut legem tolleret: At exin orto schismate non fuit*, inquit Polydorus, *pontifex, qui tale quid curaret, donec postremo Martinus quintus super eâ re literas*

An. 1374.

Polydorus l. 19.

teras vehementiores ad Henricum sextum Regem scripsit: sed utique unum datum est responsum, non posse rescindi Decretum Consilij, sine authoritate Concilij, & propterea futurum esse ut tale Concilium quam primum haberetur, quod tamen postea nunquam est actum.

Hoc tempore celebrantur S. Brigida & Catharina Senensis, utraque revelationes cœlitus accipere credita, ideoque in Canonem relata, utraque tamen, Papa quid monstri esset, tandem edocta. Et Brigida quidem in Scotiâ nata, in Suediâ virum sortita, Urbanum 5. Papam, qui tum in Monte faliscorum, non procul à Româ accedit, & in hoc itinere magnas haud dubiè indulgentias sibi lucratura videbatur. In suis tamen revelationibus Pontificem *animarum interfectorem* vocat, *ovium Iesu Christi dispersorem & laceratorem, abominabiliorem Iudæis, inimiciorem Iuda, injustiorem Pilato, pejorem Lucifero, sedem ejus demergendam esse, sicut lapidem ponderosum*, Apocalypsis molam dicit; *Assessores ejus arsuros in igne sulphureo & inextinguibili.* Episcopos inde cæterosque Sacerdotes reprehendit, quòd eorum culpâ, doctrina Christi neglecta & fermè abolita sit, divina sapientia à Clericis in pravam & vanam conversa, leprosos illos esse & mutos, omnia Dei præcepta in unicum verbum commutasse: *Da pecuniam.* Denique *vidisse se asserit Virginem dicentem ad filium, Romam esse feracem agrum: Respondisse vero Christum, est, sed zizaniæ.* Quæ interim sese in visione admonitam dicebat, ut Romam proficisceretur, ergo, ut quam de eâ conceperat opinionem potiùs exueret quàm firmaret. Catharinæ idem etiam de Ecclesiæ Romanæ statu judicium; quin, si Antonino fides, jam tum & extremam Ecclesiæ confusionem, & reformationem propediem subsecuturam prædicebat. Perusinorum rebellionem in Pontificem audiens, *Non incipiatis*, inquit, *fletum vestrum tam cito, quia nimis habebitis flere: Istud enim, quod modo videtis est lac & mel, respectu subsequentium, &c. Hoc modò faciunt laici, & cito videbitis, quod deterius facient Clerici, facient enim scandalum universale toti Ecclesiæ Dei, quod tanquam pestis hæretica ipsam scindet & conturbabit. Non erit propriè hæresis, sed quasi hæresis, & quædam divisio Ecclesiæ & totius Christianitatis.* Et hoc, inquit Raimundus, qui ejus Legendam conscripsit, impletum vidimus in schismate, quod Gregorij obitum consecutum. Inchoato schismate dicebat ei Raimundus, impletum esse quod illa prædixerat; Respondet, *sicut dixi vobis tunc, quod illud erat mel & lac, ita dico vobis, quod istud quod videtis nunc, est ut ludus puerorum, respectu futurorũ, & præcipuè in patriâ circumstante*; Quod vidimus, inquit, per totam Italiam & Siciliam: Addamus nos merito & Galliam, quæ nunquam atrociora bella experta est. Iterùm Raimundus: *Ego curiosus factus*, inquit, *ad investigandum de futuris post illam conquassationem interrogavi eam, ex quo manifestè innotuerat futura sibi divinitus revelari, &c. His tribulationibus & angustiis, modo imperceptibili hominibus, purgabit Deus Ecclesiam suam sanctam, & suscitabit spiritum electorum suorum: sequeturque post hæc tanta reformatio Ecclesiæ Dei & renovatio sanctorum pastorum, quod ex solo cogitatu exultat spiritus meus in Domino. Et sicut alias pluries dixi vobis: sponsa quæ nunc est tota deformis atque pannosa, tunc erit pulcherrimis monilibus pretiosis ornata, cunctique fideles gaudebunt, tam sanctis pastoribus decorati.* Addit Antoninus: *Quod ista sancta virgo prædixit de tempore tribulationis & schismatis videmus evenisse: Quod autem de bonis pastoribus, & reformatione Ecclesiæ, ab illâ prænunciatum est, nondum evenit.* Qui tamen sub annum 1450. scribebat schismate extincto, & Concilijs Constantiensi & Basiliensi absolutis, quibus proinde Ecclesiæ reformationi prospectum minimè existimabat, quam virgo illa prædicebat: Exinde verò seu doctrinam, seu mores intuearis in Ecclesiâ Romanâ, Pontificibusve suis, nihil melius conspi-

ſpicitur, ut ſanè hæc prædictio ad reformationem illã referenda videatur, quæ non multò poſt inchoata, quæ & doctrinam ab erroribus & diſciplinam à corruptelis aſſeruit, piorum illorum miniſtrorum diligentiâ & zelo, quos Deus ineunte proximo ſeculo excitavit, *modo*, quod illa dicebat, *hominibus imperceptibili*, humanæ rationi minimè pervio. Et jam illa ante hujus exitum præparabatur.

In Bohemiâ Militzius memoratur Pragenſis concionator, quem Iacobus Miſnenſis *famoſum & venerabilem* appellat. Narrat ille ſe invitum à Spiritu ſancto impulſum, ut ex ſacris literis quæreret de adventu Antichriſti, comperiſſeque eum jam adveniſſe: eodem ſpiritu duce coactum ſe Romam proficiſci, ibidem publicè concionatum, & poſtea coram Inquiſitore affirmaſſe, magnum ſcilicet illum Antichriſtum, de quo ſcripturæ prophetizant, veniſſe. Dicit idem, in Eccleſiâ Chriſti idola eſſe deſtruentia Hieruſalem, & deſolantia Templum, ſed hypocriſi ea tegi, multos eſſe qui negent Chriſtum, quia tacent, nec audent agnitum ipſum, ejuſque veritatem coram hominibus confiteri; Et porrò multas corruptelas ſigillatim perſtringit, ut in Tractatu Iacobi Miſnenſis videre eſt *de adventu Antichriſti*, quem circa annum 1410. ſcripſit. Verùm, invenitur præterea Bulla Gregorij undecimi ad Iohannem Archiepiſcopum Pragenſem, quâ jubetur Militzium, ejuſque auditores excommunicare & perſequi, quos utique docebat, Papam cum ſuis aſſeclis Antichriſtum eſſe, nullam apud eos veritatem intactam ſupereſſe: unde puriorem Eccleſiam in Bohemiâ jam tum aliquam formam habuiſſe conſtet; & eo magis quod Waldenſes, uti ſupra vidimus, pridem inibi ſedem fixiſſent. An. 1410.

At hoc ipſo tempore ſub annum 1460. caput exerit Iohannes Wiclefus ingentis ingenij vir, in omnibus literis & diſciplinis Oxonij educatus, Philoſophus & Theologus inſignis, eoque nomine omnibus Facultatibus & charus & venerandus: Et hic ſanè Eccleſiam Romanam omni ex parte ſtrenuè adoritur: Non ei ſatis Papam demonſtraſſe, *Hæreſiarcham, Antichriſtum in ſcripturâ deſignatum, abominationem deſolationis in abſtracto, aſtu Satanæ introductam, apoſtema in Eccleſiâ*, ejuſque corpore, eum ex Scripturis, Hiſtoriarum ſerie, validis rationibus, proprijs actibus deviciſſe: doctrinæ ipſius penetralia ingreditur, vanitatem, ſuperſtitionem, idololatriam coarguit, cultum à Creatore ad creaturam, ad mortales, ad ſanctos, ad reliquias, ad imagines tranſlatum reprehendit: Redemptoris ſacrificium in ineptum Miſſæ ſpectaculum converſum: mortis & paſſionis Chriſti, Filij Dei beneficium in diſpenſationes, abſolutiones, peregrinationes, indulgentias, puri vel potius impuriſsimi hominis beneficia, an veneficia commutatum: Populum ab incomparabili Chriſti Servatoris merito, ad propria meritâ, à ſolido crucis Chriſti præſidio, ad caſſam operum arundinem: à Deo denique univerſi creatore, ad hoſtiolam revocatum, pro Deo odorandam, ab hominibus licet & piſtam & confectam. Opus hoc Dei, ut promoveat, univerſa Biblia in linguam vernaculam vertit, omnia illa doctrinæ capita doctis latinè, idiotis linguâ populari proponit. In prælectionibus publicis Oxonij Doctor, in concionibus ordinarijs Eccleſiæ Paſtor, frontem æneam indutus, contra effrontem illam meretricem, pectus adamantinum, contra totius Cleri impetum, in ipſam adeò Regis Edwardi 5. tum in Angliâ regnantis aurem intonat, & magnorum virorum, qui & literis & armis tunc temporis florebant, animos commovet & percellit; idque ſuo labore & divino zelo conſequitur, ut & veritas ex ejus ore audiatur, & à pleriſque ſuſcipiatur, & multos annos fœliciter perſonet; Adeò ſanè, ut lumen Euangelij ejus operâ An. 1460.

reviviscens, nullus exinde ventus, nullus turbo extinguere potuerit: alia subinde tota Europa ad nos usque accenderit. Omitto scriptorum ipsius eruditionem, soliditatem penè incomparabilem. Quæ omnia si quis seriò attenderit, seculo alias caliginoso, inter tot fulmina tam formidanda, quibus magni quique orbis Principes succumbere soliti, dubitare non possit, quin ejus spiritus cœlitus lucem, robur, fiduciam acciperet, quin Deus in eo & per eum ageret, in imbecillitate homuncionis, si mundum spectes, abjectissimi, imperij Satanæ ruinam moliretur, plenitudinem illam potestatis tantopere jactatam, tanto tempore à Pontificibus affectatam jam aggredi occiperet; Ut Lutherus meritissimo jure dixisse videatur: *Sanctorum corpora resurgunt, cum Euangelium Iesu Servatoris nostri resurgit, nec quicquam in eos promovere poterunt, cum suis Herodibus & Pilatis, desperati hi Episcopuli.*

Et verò universum Clerum seriò attonitum reddidit: Thomas enim Waldensis in Epistolâ ad Martinum quintum non dissimulat, *se ad ejus prægrandes Assertiones & authoritates & vehementes quas afferebat rationes* obstupuisse. Et conqueruntur hujus temporis Chronologi Regem Edwardum, & primarios ejus Consiliarios ei aurem præbuisse; Quin & animum Regi fecisse, ut in Parlamento decerneret, Episcopi deinceps, ut olim, à Metropolitanis suis confirmarentur, nec Romam adire tenerentur. Recenset verò Waldensis nominatim, qui in Angliâ ejus doctrinam amplectebantur, Theologos & Magistros Universitatis Oxoniensis, Robertum Rigge Academiæ Cancellarium, Procuratores ejusdem & plures alios, quos sigillatim designat; In aulâ autem Regem & Principem Walliæ filium, Iohannem Lanclastriæ, Ludovicum Clifford, Gulielmum Nevylle, Iohannem Klembow, Richardum Struvy, Thomam Latimerum, Iohannem Montacutum, qui etiam imagines in suis ditionibus delevit, Iohannem de Salisbury, qui sacramenta Papistica, morti proximus, rejecit, & ex primâ nobilitate alios complures. Prætereà Iohannem de Northampton, Londinensis urbis Majorem, & primarios cives innumeros, ut non infrequenter Prælatorum Concilia, qui pro Wiclefo verba faciebant, interturbarent. At non deerant, ex alterâ parte potentes adversarij, Episcopi, Prælati, Monachi, Mendicantes præ cæteris, qui post Edwardi obitum apud Richardum 2. obtinent, ut Angliâ Wiclefus expellatur, unde in Bohemiam sese recipiens, magnam Waldensium doctrinæ lucem attulit: cum Iohannes Hussus adhuc Iuvenis, de rebus sacris cum eo sermones miscuisset: Tandem tamen ab exilio revocatus anno 1387. ultima Decembris in patriâ pacatè animam Deo reddit, inque Ecclesiâ de Luttervoth in Provinciâ Leicestrensi sepelitur: in tanto sanè adversariorum furore, non sine singulari miraculo: anno licet 1428. jussu Martini 5. à Prælatis Angliæ exhumatus comburatur: Sed Deus suo tempore suorum corpora ab elementis omnibus reposcet, quibus gloriam suam gratiosè communicet. Amen.

Thom. Waldensis. in Epist. ad Martin. 5. Thom. Walsingham in Richard. 2. Gulielm. Caxionus. in Chron. Ann. 1371. & 1372. alias fructus temporum.

An. 1387.

Ann. 1428.

Hìc Wicleviana doctrinæ capita adjungere possemus, qualia à Gulielmo de Widford, ejus adversario proponuntur, qui & nonnulla affingit, ut ei invidiam conciliet: Verùm, sat uno verbo dicere, non alia, quoad substantiam fuisse, quàm quæ in nostrarum Ecclesiarum Confessione habentur: ut è compluribus qui Anglicè & Latinè extát Tractatibus videre licet. De Papa, præter ea quæ supra præmisimus, docebat, Apostolorum tempore, duos tantum ordines Clericorum fuisse, *Sacerdotum & Diaconorum* alios gradus, Papatum in primis à superbia esse: Papam qui servum se servorum Dei falsò profiteatur, in opere Euangelico in nullo gradu recen-

recenseri: Procuratorem specialem Satanæ esse, in eo, quod perpetuò proditionem in Christum meditetur & procuret; proinde Antichristum esse in scripturâ designatum: non illius tamen personam simpliciter, sed Papatum ipsum: ex quo, ingruente luxu, confusio Ecclesiam invasit: Cæcam hæresim esse credere omnem in Europâ militantem Ecclesiam ab ejus regimine pendere debere: Talem Vicariũ in Ecclesiam per ostium ingressum esse, nullo S. Scripturæ niti, aliunde ergò, per vias utique seculi, Satanæ astu, irrepsisse: Numquam eam mentem Christo fuisse, ut *Papam Cæsareum* constitueret, eundem Pontificem simul & Imperatorem institueret: Itaque ad Principes pertinere, seriò animum manumque adhibere, ne ejusmodi Satan in Ecclesiâ dominetur. Præcipui ejus in Angliâ discipuli, tum editis libris, tùm martyrio ipso insignes fuere, Gualterus Britte, Iohannes Aston, Iohannes Arschwarly, Nicolaus Herford, Iohannes Purver, Richardus Wits, Iohannes Oldecastel, Petrus Clark, Gulielmus Taylar, Gulielmus With, quorum Balæus opera & certamina ex antiquioribus monumentis describit, quo tanquam semine, quod exinde in Angliâ vidimus, Dei beneficio proseminatum. Notat speciatim Walsinghamus, cum Archiepiscopus Cantuariensis damnationem Wiclefi, Roberto Rugge Oxoniensis universitatis Cancellario promulgandam misisset, curam eum concionandi illis diebus demandasse ijs, quos acriores Wiclefi sectatores cognosceret, in contemptum, inquit, Archiepiscopalis mandati; Præ cæteris verò Philippo Ripindon Canonico Leicestrensi concionem die corporis Christi habendam assignavit, qui in hæc verba perorarit: *In doctrinâ speculativâ*, inquit, *cujusmodi est materia de Sacramento altaris, ponam custodiam ori meo, donec Deus aliter illustraverit, sive instruxerit corda Cleri.* Author idem anno 1378. cum in universitate Oxoniensi Bulla Gregorij undecimi præsentaretur, cujus promulgationem disertissimis ad Regem, Archiepiscopum & primarios literis vehementer commendabat, acriterque eos objurgabat, quod in doctrinam Wiclefi segniores se præstitissent, Oxonienses diu animì suspensos fuisse: *an honorificè Bullam Papæ reciperent, aut turpiter rejicerent.* Ac tandem ejus non magnam rationem habuisse.

Thomas Walsingh. in Richardo 2.

PROGRESSUS.

ECclesia Romana, uti vidimus, multis schismatibus insignis est, quorum & nonnulla plures annos durarunt: Ingredimur verò jam vicesimum sextum, ita enim in ejus Fastis notatur, omnium longissimum; quippe per quinquaginta annos continuatum. In hoc Pontifices invicem oppositi, Europa discissa, omnes orbis Christiani Ecclesiæ divisæ, an potius discerptæ: dum Acta alter alterius rescindit, & ordinationes damnat: dum mutuis sese anathematis proscindunt, Antichristos publicè pronuntiant, & quidem libris in eam rem editis, qui ad hæc tempora supersunt: Quare multis, etiam invitis, oculos aperiunt, unde quales ipsi sint intelligant: quo proinde fit, ut multi hypocrisin aperrè detestati, eorum Synagogis renuntient, alij saltem ex eorum sceleribus inexcusabiliores deinceps reddantur. Anno igitur 1378. Gregorio undecimo defuncto, Cardinales Romæ Conclave ineunt: Et rogabant Romani, Pontificem sibi, si minus Romanum, saltem Italum darent, ne, si Gallum aliquem, sedem ille Avenionem abduceret: Precibus imò non contenti Ædem Petri circumstrepunt, instigante, uti credebatur, Cardinale Ursino, qui sedem affectabat: Galli verò ex aliâ parte;

parte sedem ad se pertrahere cupientes, Lemovicum licet Pontificum pertæsi, qui per plures annos tiaram sibi invicem transmiserant, nihil non tentabánt. Tandem tamen partim metu, partim ambitu Bartholomæus Archiepiscopus Barrensis Neapolitanus, Pontifex designatur, qui Urbanus sextus, quiritantibus interim Gallis sibi in suffragijs vim illatam. Et notant hîc Authores nonnulli, pollicitum Urbanum, etiam juratum, se Papatui renuntiaturum, quotiescunque reposcerent: Cardinales licet Principibus Christianis ejus electionem, tanquam legitimam per literas significarent, eumque ipsi adorarent. Tribus igitur mensibus exactis, incalescente tempestate, (exeunte enim Martio creatus fuerat) mutandi aeris causâ, Ananiæ secessum petendi, copiam sibi fieri Cardinales Galli postulant: Concedit Urbanus, indeque locum Fundis deligunt; Quo & ipsi conveniunt, & tres Italos Cardinales, unde pars sua validior sit, studiosè invitant, eorumque unicuique, si eo veniat, clanculùm Papatum promittunt, sicque Cardinalem Genuensem in Papam eligunt, Clementem illis septimum, quem Urbano opponunt. Notant, Urbano, cum rogaretur ne in Galliam rediret, excidisse, *se perpetuò Romæ mansurum*: Propterea Episcopos publicè increpuisse, quod, qui in Diœcesibus suis residere deberent, in Curiâ desidêrent, quod Cardinalis Pompeiopolitanus duriùs in eum exceperat; Addit & Platina, hos Cardinales Papas Antecessores post obitum expilasse, veritosque ne in se inquireretur; Et hinc judicet Lector, in his Conclavibus, electio quàm bellis & legitimis rationibus regeretur. Ergô laborare uterque, uter orbis Christiani plures ad se Principes statusque ad suam *obedientiam* pertraheret. Et Urbano parebant Itali omnes, Florentini ipsi, idcircò ab antecessoris anathemate absoluti: Ut solus ei deesset Comes Fundanus Franciscus de Vico Viterbij compos, & Iohanna Apuliæ Regina, quam & solâ suâ morositate abalienarat; Ex exteris verò, Germani, Angli, Lusitani. At Clementi Galliarum & Hispaniarum Reges: Nec deerant, qui neutrum agnoscerent, unde *Neutrales* vocabantur.

Theodor. à Nyem. l. 1. de schism. inter Urbã. 6. & Clement. 7. Platina in Urban. 6. Blond. Decad. 2. l. 10.

Urbanum aggrediamur. In eo usu-venit quod in Proverbio: *Nescit quid faciat, qui facit Papam*: Theodoricus enim à Nyem hujus Historiæ scriptor, qui ei à secretis, eum ante Papatum describit, *hominem humilem & devotum, & retrahentem manus suas ab omni munere, inimicum & persecutorem Simoniarum, Zelatorem castitatis, & justitiæ.* Ex ijs quæ sequentur proclive fuerit judicare, hypocrisisne fuerit, an affixa sedi pestilentia habitum ei de repente immutârit. Bona illa Iohanna Apuliæ Regina, *ob ipsius ad Papatum promotionem, gavisa fuerat gaudio magno valdè, ac per multos dies Neapoli luminaria multa in crepusculo verspertino ad honorem ejus incendi fecerat*, eique prę̄ter alia, *grandia donaria* 40000. *ducatorũ, in auro partim & partim in monetâ argenteâ, in illo principio destinâverat:* Ut & Otho Dux Brunsuici ejus vir, & eum ante Papatum in primis dilexerat, & ejus Papatui mirum in modum gratulabatur. At is tamen primus ipsius superbiam experitur, quandoquidem *quadam die potum ei præbens in collatione: in præsentiâ quorundam Cardinalium, ex fastu scyphum de manibus tanti Principis stantis coram eo, diu genibus flexis recipere tardat, donec ad eum quidam ex ijsdem Cardinalibus diceret: Pater sancte, tempus est ut bibatis*; Et consimiles aliquot actus schisma non parum promoverunt. Addit hic Author de suo hero, *non fefellisse in eo illud pro tunc.*

Theodor. à Nyem. l. 1 c. 1.

Asperius nihil est misero cum surgit in altum.

l. 1. c. 8.

Ut nec illud: *Corde stat inflato, pauper honore dato.* Sed illud etiam sapientis expertum illum esse; *Cor durum habebit malè in novissimo.* Otho tamen, antequam schisma erum-

erumperet, nihil omisit, ut eum cum Cardinalibus reconciliaret: Sed nihilo melius ei succesit, quippe Urbanum precatus, ut matrimonium Marchionis Montisferrati consanguinei sui cum Mariâ hærede Siciliæ, cui omnes Regni Barones consentiebant, comprobaret, indignè ab eo repellitur: cui ratum, regnum Siciliæ quoquo modo Francisco Pregnano fratris sui filio mancipare; & hæc illa humilitas, quam Theodoricus ante Papatum in eo commendabat. Cardinales ut à se defecisse videt, hæret attonitus, & ad humilitatem redire vult: Tamen sese recolligens, non defuturos cogitat ambitiosos, qui Galerum ab eo accipiant. Quare uno die viginti sex creat, Romanos tres, Neapolitanos cæteros, concives aut conterraneos suos. De Româ præcipuum certamen & jam ibi præsidebat: Sed infestam illi urbem reddebant, partim Ursini Clementis sequaces, partim, qui arci S. Angeli præerat Gallus, in suos tormenta displodens, quem interim à confœderatorum copijs obsessum, fame ad deditionem cogit. Favorem etiam Caroli 4. Cæsaris, & Ludovici Regis Hungariæ, spem magnarum rerum illis faciens, sibi conciliaverat, eorumque ope Lombardiæ & Siciliæ obedientiam ad se contraxerat: Hinc igitur animū sumens, de nepote promovendo seriò cogitat; itaque Carolum Dyrrachinum ex Hungariâ evocat, & contra quàm juraverat, se, in filiarum Ludovici Regis fraudem, nihil unquam tentaturum, Regem illum Siciliæ coronat; Eâ lege ut Capuæ Ducatum, Amalfim, & plures in Siciliâ nobiles Comitatus nepoti suo *effœminato licet & inutili* dono det. Quia verò Carolus pecuniæ inops, *proprietates & jura* multarum Romæ Ecclesiarum ad summam 80000. florenorum & ampliùs, civibus divendit, *calices etiam aureos & argenteos, cruces, & alia pretiosa jocalia earundem Ecclesiarum & Monasteriorum, in magno numero & valore distrahit: Nec non multas imagines sanctorum argenteas in monetam conflat*, unde exercitui Caroli stipendium assignet. Et hîc rursum *devotionem illam* expendat Lector, quam Author noster *ante Papatum* ei tribuerat. l. 1. c. 12.

Non ejus mores in cæteris meliores. Carolus, pro innatâ superbiâ Neapolim contendit & proditione ab Urbano præparatâ, à suis sequacibus in urbem recipitur; Etenim insigniores familias Galeris illis sibi devinxerat: Sed Regina Iohanna in arcem novam confugerat, urbemque illicò Dux Brunsuicensis ejus vir cum suis obsederat. Sigillo igitur Iohannæ efficto, literas ejus ad Othonem confingit, quibus ad eam acedere, cum sex tantum ex charioribus & fidelioribus, rogabatur, ut quid sibi in tantis angustijs faciendum esset, una statuerent. Otho nihil suspicatus, noctu iter aggreditur cum Marchione Montisferrati consanguineo, Balthasare Duce Brunsuicensi fratre Comitis Fundani genero, & tribus Capitaneis, quibus plurimum confidebat: Verùm in foveam sibi paratam cum suis equis incidunt, in quâ insidiæ quinquaginta virorum latebant, qui occiso Marchione, tribusque illis Capitaneis Othonem Ducem & Balthasarem fratrem captos Carolo adducunt, qui ejus mandato *in publico foro exoculatur, ubi olim innocens juvenis Conradinus Rex & hæres Siciliæ, de mandato Caroli primi, extiterat decollatus.* Otho verò triennium integrum sub custodiâ retinetur. Sperabat Regina Iohanna, ut virum captum intellexit, se arcis deditione, quæ alias penuriâ laborabat, vitam saltem redempturam, sed eam actutum in Brutiorum quandam arcem transmittit: *In cujus capella, quadam die orans sedensque ante altare, genu flexa, de mandato ipsius Caroli, per quatuor satellites Hungaros strangulatur.* Hæc ex Urbani consilio, cujus Legatus à latere ei perpetuò assidebat, Cardinalis de Sangro, qui Deo sacrificare sibi videbatur, cum eos qui Reginæ Iohannæ fideles fuerant, tum Cleri-

cos, tum Laicos, aut bonis ſpoliare, aut dignitatibus Eccleſiaſticis fraudare dabatur, nullâ ætatis, conditionis, meriti ratione habitâ, adeò, ut triginta duos Archiepiſcopos & Epiſcopos, Abbates plurimos, Neapolitanos omnes, Carolique ſequaces illorum diſpendio, uno die creaſſe legatur; Addit, agyrtæ cujuſdam ſibi noti, qui ſe equitem diceret, incantationibus uſos, qui aliquanto poſt Ludovici Andegavenſis juſſu combuſtus, cui etiam imponere voluerat.

Nec intereà otiabatur Clemens, *homo*, inquit Author, *pluribus indigens, ac ſumptuoſus largæ conſcientię:* Quem alias ex prodigalitate indignum Gregorius XI. Piceni & Lombardiæ Legatum conſtituerat, *fortè magis, ut ſic victum ab incolis illarum regionum ſub legationis ſuæ titulo quæreret, quàm ut quieti & ſaluti conſuleret eorundem.* Cujus aliqua nobis exempla adducit. Avarus ille nihilominus vel potius ex luxu rapax. Otho enim Dux Brunſuicenſis, cum Vercellas cepiſſet & quadraginta ejus tractus oppida Bernaboni Vicecomiti, qui tunc Mediolano præerat, ablata Gregorio tradidiſſet, Clemens, qui tum Legatum agebat, ea Bernaboni, numerata pecunia, vendidit, qui præterquàm quod nullam non in eos ſævitiam exercuit, quicquid Clementi erogaverat, ab illis exegit, & porrò Papa factus eundem habitum retinuit, tradens in Emphyteuſim pro levi cenſu abſque ullâ difficultate Eccleſiarum Cathedralium & Monaſteriorum terras & dominia, ut magnates ſibi obſtringeret: *Corrigias*, inquit Author, *corio dans longas ex alieno*, ut quoquo pretio nummos contraheret. Ut igitur videt Urbanum ad libidinem Regem Apuliæ creaviſſe, de rivali opponendo cogitat: Is fuit Ludovicus Dux Andegavenſis, quem impoſita corona cum 60000. armatorum exercitu in Italiam accerſit, ut Urbanus relictâ Româ ſibi Neapolim petendam ſtatuat, cui obviam venit Carolus, non longè ab Averſa, eique ſtratoris officium exhibet. Notat idem oculatus hujus congreſſus teſtis: *Quod multi ruſtici advenientes, pedes dicti Urbani deoſculabantur, ſed antequam hæc facerent, terram ſeu humum tribus vicibus oſculati fuerant.* Verùm, Carolus arcem Averſanam oſtendendi ſpecie eum ſub cuſtodiâ retinet, ſiniſtri aliquid de Urbani in Apuliam profectione ſuſpicatus; eo procliviùs, quod Pregnano nepoti Capuam & Amalfim ipſe pollicitus, pactum non impleſſet. Sed Cardinalium rogatu, certis conditionibus poſtmodum liberatus, Neapolim deducitur. Erat Pregnanus ille omnibus vitijs immerſus, quem nihilominus tàm perditè amabat, ut petulantiam ejus narrantibus, reſpondere ſoleret, *Iuvenis eſt*, annos tamen quadraginta jam natus. Accidit inter alia, ut nobilem quandam Monialem Profeſſam & incluſam Ordinis Sanctæ Claræ, de Monaſterio S. Salvatoris, per vim raptam, & violaret & per dies aliquot retineret: Commovetur Populus eo flagitio, reus verò in Eccleſiam, avunculi tutelâ fretus, ſeſe proripit. Rex juridicè convictum extremo ſuplicio damnat: Conteſtatur Pontifex ſe ſuperiorem dominum eſſe, quo præſente, Rex regni Procerem plectere non poſsit. Inde portas Palatij ſui firmat, ſequaceſque ſuos apud ſe cogit: ſic nulla tanto ſceleri pœna, *quia ſic Pontifici placuit;* Quin quod pejus eſt, ut pax inter Papam & Regem coiret, convenit, procurantibus Cardinalibus: Uti Pregnanus magni juſtitiarij Regni filiam, Regis propinquā uxorem duceret; Rex verò, quamdiu Dux Andegavenſis in regione conſiſteret, in vicem annui reditus illorum Ducatuum, ſeptuaginta florenorum millia quotannis Pregnano perſolveret: Donavit ei etiam ultrò Luceriæ arcem *cum ſuis pertinentijs* inter Neapolim & Salernum, in quam ſeſe cum Pontifice recepit, locum utique & amœnum &, ſi arcem ſpectes, tutum, eorum hoſpitio deſtinatum; oppidum non item, Cardina-

lium

Idem l. 2. c. 21.

Lib. 1. c. 29 30. 31. 32.

l. 1. c. 33. 34.

Idem c. 40.

lium & Curialium domicilium, à quibus turbido rerum statu ardente inter duos Principes bello, non semel trepidatum, cùm interim de discedendo consilium capere integrum minus esset. Quare instante Cardinale Reatino, ex sententiâ multorum Doctorum inter eos tractatum: *Quod si Papa esset nimis negligens, aut inutilis ad regendum, sed adeò inniteretur suo sensui, quòd per ejus factum periclitaretur universalis Ecclesia: vel esset effrænis, ita quod absque consilio Cardinalium pro libito voluntatis agere vellet, numquid liceret idoneum curatorem vel aliquos idoneos curatores per Cardinalium electionem substituere, juxta cujus seu quorum consilium seu rationis dictamine Papa expedire singula Ecclesiæ negotia teneretur:* Quod licere definitum. At Urbanus ejusce rei per Cardinalem de Manupello admonitus, Cardinalibus eum officiosè invisentibus, sex ex illis, à quibus sibi metuendum videbatur, sub custodiâ retinuit, quorum, absque ullâ juris formulâ, bona fisco suo applicat, cæterosque eâ ratione perterrefacit; Quin & post aliquot dies Galeros suos quibusdam indignis, Neapoli oriundis, concedit: ut indignitatis suæ ipsi conscij in publicum cum Galeris prodire erubescerent. Ea verò fuit ejus sævities, ut in ergastulum detrusos, quod vulgo Cisterna vetus, nullo ætatis, infirmitatis, conditionis respectu, de ijs, per tormenta omnis generis quæstionem haberet, adsistente & carnifices urgente, ipso Pregnano nepote, ut hìc Theodoricus omnes ad misericordiam commoveat: Nec tamen, quicquid hi aut testentur aut protestentur, unquam emolliri potuit. Non erga ipsum Cardinalem de Sangro senio confectum, ejusque nuper in regno Legatum, qui in ejus gratiam tantam rabiem exercuerat, cujus jam, eo authore, pœnas se luere non invitus agnoscebat; Sed enim, cum Pregnanus arcem Scifati, Lucerâ tribus leucis distantem, pro sua superbiâ occupare ausus esset, incontinenti verò à Regis ministris circumsessus ad deditionem cogeretur, Carolus ipsum Urbanum sibi intra Luceram obsidendum statuit, qui angustijs pressus, Duce Germano quodam Lotero Suevo, per montium avia Salernum usque se proripit: ubi à quibusdam Genuensium triremibus, quas sibi paraverat, excipitur: Cardinales verò captivi, inter hæc incommoda, latera perpetuò ejus, satellitibus cincti, comitabantur, ut cum Episcopus Aquilanus, tormentis fractus, sequi non posset, à carnificibus necari juberet, corpusque in agris insepultum relinqueret. In Siciliam porrò cursum dirigens, quæ in ejus obedientiâ, Panormum appulit, unde necessarijs rebus instructus Genuam contendit, ubi Cardinales illos in vinculis perpetuò apud se retinet, uno Cardinali Adamo misero Monacho excepto, quem Richardo Angliæ Regi eâ conditione concedit, ut aliquem ex Clericis suæ Cameræ suis actionibus incubantem semper habeat. Genuæ magna donaria à Iohanne Mediolani Duce accipit: *fortè*, inquit Author, *quod ipsum absolveret à reatu, quem commisit in hoc, quia dum Urbanus Neapoli residet, ipse Dux cepit patruum suum, scilicet Dominum Barnabonem, cujus etiam filiam consobrinam ex dispensatione Urbani Dux ipse habebat in uxorem, & quæ in castro prope Mediolanum fuit jugulata.* Et paulò post Bernabonem ipsum veneno interimit: Tandem Genua discessurus, ut se quinque illorum Cardinalium onere liberet, omnes eadem nocte capite truncatos, alij in mare projectos, alij in ejus stabulo combustos dicunt. Collenutius sanè distinctè, quatuor in culeum consutos, tres decollatos scribit, quorum capita in furno exsiccata mulis clitellarijs imposuit, ac ita septem fuisse opportuit. Sed ex Theodorico saltem ejus secretario nunquam amplius conspectos constat; Et hunc tamen ille ante Papatum, *zelatorem* nobis *justitiæ* depingebat. Postremo sui Pontificatus anno, memor, ex

[Margin notes: l.1.c.42. — Idem l.1. c.45. — Idem l.1. c.45.50.51 52.53.54. 55.56. — Collenucius l.5.]

An. 1350. Iubileo anno 1350. quantum lucrum Clementi VI. obveniſſet, præter omnem rationem illud *abbreviat,* ſcilicet ad ſingulos triginta tres annos; ita nempe, *ut anno Domini 1383. in Feſto natali incipiat, & per annum incluſivè duret.* Verùm, morte præventus illum non vidit, ſicque Bonifacio ſucceſſori demetendum feracem hunc agrum reliquit. Genuâ enim digreſſus dum Peruſiam petit, muli ſui caſu multifariam quaſſatus: Nec eo minus tamen Siciliam perpetuò cogitans, Romam uſque advehitur, ubi poſt aliquot dies, ſumpto, quod nonnulli dicebant, veneno, ex hac luce migrat. Dignum hìc notatu, Eliſabetam Hungariæ Reginam, cum, Carolo Dyrrachino Apuliæ Regi ad convivium invitato, inter epulas, Budæ cervicem amputari juſsiſſet, Urbano enſem, ejus ſanguine cruentum, quo truncatus fuerat, gratificaturam tranſmiſiſse, quem Urbanus tantâ cum voluptate acceperit, ut ab ejus conſpectu divelli non poſſet. Carolus ille licet, omnia regni jura Eliſabetæ & ceſſurus venerat & jam ceſſerat. Et hæc de Urbano ſexto contendentium altero, quem Platina, Onuphrius & alij, ut magis legitimum, in Pontificum faſtis collocant. In benefactorum cumulum librum iſte à quodam Iohanne de Therano Cubiculario ſuo conſcribi juſsit, cujus initium; *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo,* in quo hæc Chriſti verba contendit ad tempus tantùm locum habere, nempe ad Aſcenſionem ejus uſque: At ex quo cœlum aſcendit, nullius momenti eſſe, cum ipſe dixerit Iohannis 12. *cum ſublatus fuero à terrâ attraham omnem hominem ad me;* Reges nempe & regna, in Pontificum imperium contraham, quos proinde Reges Regum & dominos dominantiũ eſſe concludit. In re tam ſeriâ, tam gravi, Paſquillis ipſis proterviùs, ſacro Dei verbo abuti non verecundatus, Clemens porrò Gaguino teſte, gratiarum expectativarum & Annatarum author primus: Sed quia pro Antipapa habebatur, cujus idcircò Acta minus rata, Bonifacio Urbani ſucceſſori, id honoris tribuitur, cujus cura, qua ſua obedientia patuit, receptæ fuerunt: At ſanè Nicolaus de Clemangis Bajocenſis Archidiaconus, ſchiſmati coætaneus in libro *de corrupto Eccleſiæ ſtatu,* Clementem nobis paucis hìc verbis deſcribat: *Poſtquam enim importabili ſarcinâ peccatorum exigente furiale malum ſchiſmatis in Eccleſiam irrepſit, ut omittam quæ in pſeudopontificem omni prorſus impuritate maculoſum pertinax ſuorum error commiſerit. Quid Clemente noſtro dum vixit miſerabilius, qui ita ſe ſervum ſervorum Gallicis Principibus addixerat, ut vix minas & contumelias, quæ ſibi quotidie ab aulicis inferebantur, deceret in viliſſimum mancipium dici? Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba, omnibus, quos aut aſſentatoria aut ludicra in curiis acceptos fecerat, ſummopere placere ſtudebat, eoſque beneficiis promereri, quo talium patrocinio dominorum gratiam ac favorem venaretur: his itaque & juvenibus nitidis ac elegantibus, quorum maximè conſortio delectabatur, ſingulos fere vacantes Epiſcopatus, cæteraſque præcipuas dignitates impendebat. Denique ut Principum benevolentiam facilius aſſequeretur, conſecutam foveret, plurima ultro donaria illis dabat, quaſcumque ſuper Clero exactiones petere voluiſſent, annuebat, ultro etiam ſæpius ingerebat. In hac triſtiſſimâ ſervitute tria & ſupra temporum luſtra cum incredibili Eccleſiæ attritione conſumpſit.* Extant denique horribiles Bullæ, quibus ſeſe mutuò iſti Pontifices proſcindebant, in quibus alter alteri *ſchiſmaticus, hæreticus, zizaniorum ſeminator, latro, proditor, tyrannus, Antichriſtus, filius Belial.* Iohannes de Ligniaco utriuſque juris doctor Urbani, Abbas S. Vedaſti Atrebatenſis, Regis Caroli 5. Conſiliarius, Clementis partes tuebatur.

Theodor. Nyem li. 1. c. 68. & 69. An. 1388.

Collenuc. l. 5.

Paulus Æmilius in Carolo Sapiente.

Defuncto Urbano, Cardinales ſuæ obedientiæ Petrum de Thomacellis Neapoli-

politanum in Papam eligunt, qui fuit Bonifacius 9. scribendi, inquit Author, & canendi imperitus, rebusque Curiæ administrandis adeo ineptus, ut quamdiu vixit, *propositiones factas coram eo per advocatos, in ejus consistorio vix intellexerit: unde inscitia ferè venalis facta fuit in ipsâ Curiâ, tempore suo.* Et tamen in omni genere Simoniæ cæteris Antecessoribus tantopere antecelluit, ut nullam seu Cardinalium, seu Episcoporum promotionem faceret, quin pecuniam ab eis grandem emungeret; Et talem eum revera Urbanus 6. agnoverat, qui ob decoram staturam, ex vagabundo Clerico, eum Cardinalem fecerat: post verò tantum tamque apertum Archisimoniacum detexerat, ut de Galero amittendo periclitaretur, nî mors eum prævenisset. Ab ejus igitur inventione, quod Theodoricus à secretis ejus docet, sunt *Annatæ*, quas sibi ex omnibus Ecclesijs Cathedralibus, Abbatijsque vacantibus reservabat, ita ut qui ad eas promovebatur, *ante omnia cogeretur solvere priusquam possessionem ejusdem consequi posset.* Usuræ etiam, unde pecuniam, quoquo pretio, qui Curiam adibant, invenire possent, *non amplius peccatum reputabantur; imò exigebantur, quandoque publicè coram judicibus, & officialibus ejus: Ut verificaretur illud psalmi, & non defecit usura & dolus in plateis eorum*; *Datæ*, quas vocant, *prioritas*, scilicet *temporis, gratiarum, quas quasi in auctione divendebant*; eâ impudentiâ ut hæc tam aperta cauponatio apud Populum ludibrio esset; *Expectativæ* quæ gratias illas proterebant, vulgo *cum clausula Anteferri*, & innumeræ aliæ strophæ, exactiones, expilationes turpes & sordidæ: quæ ab Authore describuntur capite, 7.8.9.10.11. libri secundi, vitando tædio nobis omittendæ. Ex quibus dignosci posit, hoc Pontifice latrocinium Romanum, quam manifestos progressus fecerit. At supereminet cæteris quod ex Iubileo per Urbanum designato exercuit: *Etenim innumerabiles peregrini*, inquit, *ex variis regnis & provinciis, quæ fuerant de obedientiâ, ad urbem venerunt, & maxima offertoria Ecclesiis & Basilicis urbis data fuerunt, quorum major pars ad manus Bonifacij & quorundam aliorum devenit. Ipse verò Bonifacius hujusmodi offertorijs non contentus, licet ad maximas summas ascenderent, (erat enim insatiabilis vorago, & in avaritiâ nullus ei similis) ad diversa regna misit quæstuarios, vendendo dictam indulgentiam offerentibus tantum, quantum essent expensuri in viâ, si propterea ivissent ad urbem: hujusmodi exactores seu quæstuarij etiam maximas summas pecuniarum à simplicibus seu barbaris subtiliter extorserunt; ita aliquando in uno regno, seu in unâ provinciâ hujusmodi venditionibus ultra centum millia florenorum reportarunt: quia omnia peccata etiam sine pœnitentiâ ipsis confitentibus relaxârunt, super quibuslibet irregularitatibus dispensarunt interventu pecuniæ, dicentes se omnem potestatem habere super hoc quam Christus Petro ligandi & solvendi contulisset in terris; Et per hoc ipsi quæstuarij impinguati, dilatati, ingrossati, & cum multis pulchris equis & decenti familiâ redeuntes ad urbem ipsam de recollectis per eos taliter rationē Pontifici fecerunt, &c.* Quam severissime reposcebat & in fraude deprehensos multos neci tradidit. Ita Iubileum annum seminârat Urbanus, quem ejus loco Bonifacius demessuit. Non solus Theodoricus audiatur testis, omni licet exceptione major, ejus quippe Secretarius; Platina ipse: *Indulgentiæ & quidem plenariæ ita passim vendebantur, ut jam vilesceret clavium & literarum Apostolicarum authoritas, &c. Et multa scelera Simoniâ fiebant.* Krantzius ipse: *crebræ sub illius Pontificatu fiebant Episcoporum translationes, crebræ indulgentiarum collationes, usque ad fastidium cordatorum virorum, gratias & indulgentias fecit inauditas, & quàm facilè dedit, tam leviter revocavit, fabulas excitans in orbe Christiano, quod auro expleri non posset.* Romani hactenus præcipuam in urbe authoritatem retinuerant, unde Pontifices ab ejus incolatu deter-

Theod. à Nyem. l. 2. c. 6.

Theod. à Nyem. l. 1. c. 68.

Platina in Bonifacio 9.

Krantzius in Metropoli, l. 11. c. 10 & 12.

rebantur. Hic ex eorum discordijs occasionem captans, ita cum ijs agit, ut intra decimum Pontificatus sui annum, dominationem temporalem, *in alto & basso*, inquit Author, ad se unum contrahat, quam ut retineret, nullis tributis & vectigalibus Clero imponendis pepercit; Arcem S. Angeli & Capitolium instauravit, præsidijsque firmavit; Et verò, notabili prorsus sacrilegio id consequitur. Appetebat
An. 1400. annus 1400. magno Iubileo sacer, Urbanus licet alium interseruerat; Bonifacius paulò ante Assisium quasi ibi moram tractaturus secedit. Exin Populus veritus, ne ex ejus absentiâ qui benedictionem impertiri dicebatur, Iubilei solennitas Romæ frigeret, supplex magna pompa eum accedit, rogatque, ut revertatur: At is quò plus rogatur, eò minus commovetur, & quam malè se erga ipsum gesserint exprobrat, urbemque fastidire videtur: Etenim inde à postremis Urbani annis Senatores forinsecus non recepisse, sed conservatores Cameræ nescio quos, viros parum idoneos, qui Banderesiorum libidini omnia permisissent. Itaque eo redacti Romani lucri ex illis nundinis cupidi, ut benedictionem Iubilei libertate suâ redimerent, Banderesijs authoritatem tolli permitterent, peregrinum Senatorem ab ejus manu, Malatestam Pisaurensem acciperent, præsidium etiam, quo ejus securitati consuleretur, in urbem admitterent, in quâ exinde toto vitæ tempore absolutè dominantur. Ex hoc verò audacior factus, legem *de Annatis* omnibus nationibus sancit, quam in Italiâ tantùm, ubi licuerat, hactenus exercuerat, *ut per ipsam*, inquit Blondus, *Pontifices Romanos successores suos non minus orbis Christiani, quàm Romæ dominos reddiderit: lege enim promulgatâ constituit, non licêre cuiquam sacerdotij, ad quod promoveretur, beneficium adipisci, priusquam primi illius anni æstimationis pecunias Pontificali ærario dissolvißet, solique Anglici cum legi in Cathedralibus paruerint, in minoribus Beneficiis jussa Pontificis contempserunt.* In hoc porrò Iubileo non secus ac in præcedenti, Indulgentias auctioni exponit, & peste licet Romæ grassante neutiquam abscedit; *imò timore dominij temporalis urbis ejusdem, ne illud interim perderet, etiam æstivo tempore remansit, neque advenis illo periculoso tempore decumbentibus aliquam eleemosynam fecit, licet tunc in omnibus abundaret: solitus enim erat rapere, nec rapta indigentibus communicare.*

Theodor. à Nyem. l. 1. c. 28.

Iam inter utrumque Iubileum obierat Avenione Antipapa Clemens, qui in suâ obedientiâ Urbano & Bonifacio nihilo segnior; Ei successor datus Petrus de Luna Hispanus, benedictus 13. Is urgente Rege Galliæ, qui universitatis Parisiensis hortatu, eâ tantùm lege eum receperat, ut unioni Ecclesiæ consuleret, Nuntios suos ad Bonifacium suosque Cardinales miserat, rogaturos, ut in aliquem locum ambabus partibus tutum, de Ecclesiæ concordiâ consilium capturi convenirent: *hoc discretè quidem & solerter, licet ut credebatur subdolè proponebant.* Et in hoc quidem Cardinales etiam Bonifacij inclinâre videbantur: Sed Bonifacius *parùm benigniter respondebat, asserens se esse Papam & eundem Petrum Antipapam, & similia verba, parum vel nihil ad causam facientia. Tunc ipsi nuntij dedignati in ejus præsentiâ dixerunt, quòd Dominus eorum non esset Simoniacus, notantes Bonifacium esse talem.* Unde valde commotus eos urbe exire jubet; Respondentibus verò *salvum conductum habere se ab ipso & Romano Populo, adhuc aliquantulum illic manendi, quo gaudere vellent, irâ immoderatius incalescens, pungente ipsum calculi morbo, ægritudinis lectum subitò intrat, in quo tertiâ post die decedit.* Nihilominus tamen, inquit Krantzius, *ut unionem Ecclesiæ interventu genitricis Dei impetraret, festum Visitationis Mariæ à Prędecessore institutum, ipse literis datis publicavit.* Lector judicet in tam pravo instituto quâ tandem fide. Nec hîc omittendum Franciscum

Krantzius Saxon. l. 19 c. 13.

Pre-

Pregnanum Urbani 6. nepotem, pro cujus incremento tantopere laborârat, choreas cum aliquamdiu expectasset, cubiculum ingressum, sese multis gladij ictibus confodisse, cumque ad ejus ejulatus concurreretur, quod cœperat absolvere non potuisse: Verùm, supplicium non idcirco Deus diu distulit: Venetias enim cum Matre, filio, filiâ, & octodecim famulis utriusque sexus dum petit, prope Brundusium in mari demergitur; *Et sic*, inquit Author, *tota Urbani posteritas extincta fuit fluctibus maris vindictam reposcentibus*, nempe Cardinalium, quos tam miserè in mare conjecerat. Et hîc ad annum usque 1404. pervenimus, quo Bonifacius moritur; schisma quippe hoc longius, quàm ut unà lectione explicâri posit.

OPPOSITIO.

SOla Antipaparum istorum historia à familiaribus suis & intimis descripta, sententiæ etiam, quas alter in alterum ferunt, ex quibus hunc non illo melius, aut Papam creatum, aut Papatu functum constet, ad oppositionem satis esse queant, ut alia à nobis quæsita non sit opus. Quam enim validiorem volumus, quàm cum quicumque apud eos supereminent sibi mutuò tàm infesti, tam aspere invicem colliduntur? Et tamen videre adhuc operæpretium, meliores quique quid sentirent, quod tum ex libris, tum ex Actis hujusce temporis edocere promptum. *Scio*, inquit Froissardus, *fore, qui futuris temporibus mirentur, quo pacto Ecclesia in tales turbas incidere potuerit, in ijsque tam diù hærere: Sed vulnus hoc à Deo inflictum, unde Clerus admoneretur, in quanto luxu & superfluitate versaretur: Verùm, nemo advertebat, excæcatis omnibus superbiâ & arrogantiâ, quâ quisque alteri par esse volebat. Quare ruebant in pejus omnia & nisi fides nostra, manu & gratiâ Spiritus Sancti, qui corda devia illuminat, inque unitate firmat, corroborata fuisset, haud dubie collapsa esset*; Pontificibus igitur parum feliciter subnixa, si Froissardo fides. Subjungit: *namque Principes terreni à quibus initio Ecclesiæ opes, ludis & jocis toti indulgent, dùm hæc Chronica scribo anno 1390. unde innumera plebecula obstupefacta miratur, quod tam magni Principes, Reges præsertim Franciæ & Germaniæ de remedio, consilioque non cogitent.* Quod proinde remedium eo judice à Principibus illis expectandum potiùs, quam à Pontificibus, qui ipsi, Ecclesiæ morbus, humor in ejus corpore potissimùm peccans. Et ibi latè explicat, ut quisque Princeps hujus aut illius partes amplexus, pro ut rebus suis consultius esse visum: Sed eo redit: Eam esse Ecclesiæ superbiam, ut castigari & spoliari eam necesse sit, eoque propriè narrationem illam de fratre Iohanne de Rupescissa adducit. Universitas Parisiensis Clementem approbaverat, Oxoniensis & Pragensis contrà, Urbanum 6. In eò tamen concordes, ut ex scriptis utrimque promulgatis liquet, quod Papa & Cardinales in Ecclesiam Christi tyrannidem exercent: Quod Imperator jus Patronatus habet in Papam & Ecclesiam Romanam: Quod Papa cum suis Cardinalibus & errare potest & sæpius erravit: Quod ad Cardinales jure divino Papæ electio non pertinet, sed ad Populum, ut & ad Imperatorem ejusdem confirmatio. Quodque ante Gregorium Cardinales nulli fuerint. Quin & ex parte Imperatoris Wenceslai imbecilliòris licet, edita in Germaniâ Epistola, quâ Ecclesias, ut se à Pontificis servitute assererent, graviter hortabatur: *Per Principes*, inquit, *illa Sacerdotum Ecclesia prophanatur, sacerdotium temeratur, omnis ordo confunditur, quicquid est religionis corrumpitur, quod legis, quod vitæ, quod morum, quod fidei, quod disci-*

Froissard. Vol 3, c. 24.

Epistol. Universit. Paris. Oxoniens. Pragens. de tollendo schismate editæ per Huttenum. An. 1520.

Epistol. Wenceslai. Imperat. de eodem.

disciplinæ perditur & confunditur in tantum, quod etsi benedictus Dei filius multa & dura passus sit per viros synagogicos, adhuc multò duriora patitur per nostros Sacerdotum Principes. Recitatur etiam ibidem visio sancti cujusdam viri de Ecclesiæ statu. Hanc regali apparatu conspicatus, ille B. Virginem esse putabat, sed ipsa disertè: *Non sum illa, quam existimas, sed illius figura, pro quâ gemis frequenter, & oras, scilicet Ecclesiæ, cujus est dolor mirabilis & corruptela descendens à capite per omnes artus usque ad pedes, & ut mihi magis condoleas vide & argumenta doloris; & amotâ coronâ speciosissimâ capitis, inclinavit caput ei. Ille autem vidit superiorem partem capitis ejus ad modum crucis incisam in quatuor partes, & vermes de cerebro vidit ebullientes, & vulnera scaturientia sanie & ait: Ecce ex his quæ vides in capite, perpendere potes corruptelam & dolorem meum in membris aliis, & eo dicto evanuit ab oculis ejus.* Nec omittendum in hac Epistolâ, Marsilij Patavini & Iohannis de Ianduno honorificam mentionem fieri, qui, quod antea vidimus, Ludovicum Bavarum Imperatorem contra nefarios Paparum ausus defenderant.

Iohannes Petrus Ferrariens. in Practicâ utriusque juris in forma libelli actionis confessoriæ, *si verbo plenam, &c.* Idem in formâ libelli de substitut.

Eadem mente scribebat Iohannes Petrus Ferrrariensis, Iureconsultus Papiæ celebris: Ridiculum esse dictu, auditu abominabile, quod Papa Imperatore superior sit: Nullo jure posse habere Papam dominium temporale, aut provincias & civitates possidere, idque à merâ violentiâ esse: Gladium temporalem ei auferendum esse, alioqui orbem Christianum nunquam quietum fore: Stultitiâ Principum factum, ut Clericorum mancipia facti sint: Et Papam quos sacramento liberat perjuros facere, Clericosque in Capucio conscientiam ferre, quo posito nulla amplius supersit. Alicubi verò exclamans. *Surgat*, inquit, *bonus Imperator adversus illos qui orbem universum olim causa devotionis, nunc avaritiæ & rapinæ causa destruxerunt, & annihilârunt statum Imperij & omnium laicorum*; Non immerito, cum Iohannes Andreas speculator cognomine, magnus ille juris Canonici interpres dicere solitus sit: *Roma primò à latronibus fundata, in pristinum redijt statum.* Sed Patres Tridentini in indicibus suis Hispanico & Antuerpiano hos locos eradi jusserunt. Eodem tempore Dialogus Petri & Pauli, cui titulus, *Aureum speculum*, anno 1404. in Præfatione: *Tota Romana Curia, à plantâ pedis usque ad verticem capitis, patenter excæcata est erroribus, ipsaque errorum suorum veneno inebriavit omnes fermè mundi partes, ac si immensam creatoris potentiam Papa potest limitare.* Deinde materiam suam in tria capita distinguit: *Primò*, inquit, *gravissimos errores Curiæ Romanæ detegam: Secundò, scripta & dicta ejus erronea, minusque Catholica confutabo: Tertio, totam Curiam Romanam erroneam & in statu damnationis laborantem, ex verissimis fundamentis declarabo, &c.* Et singula ordine persequitur. Tandem post multas querelas, quasi reformationem passuram desperans, nedum, ut ab ejus consilio expectanda sit: *Filius Dei unicus*, inquit Paulus, *Ecclesiam suam ipsemet reformare velit.* Ne verò eum in eâ sententiâ solùm fuisse putes, in suâ præfatione apertè: *Omnes quidem intus murmurant, nulli autem clamant.* Quin & ipsi Doctores, qui Bonifacio nono assidebant, tam manifestæ corruptionis conscij, partim eam dissimulare non poterant, partim in ejus medelâ opinionibus scindebantur. Theodoricus à Nyem: *Multi etiam periti in jure, propter continuationes Simoniæ in Curiâ Romanâ, tempore dicti Bonifacij publicè arguere atque tenere volebant, quod Papa Simoniam committere non posset, etiam in beneficijs seu rebus Ecclesiasticis intercedente pecuniario quæstu seu pacto.* Quidni dicturi, quod meretrix illa in Apocalypsi: *Sedeo Regina, nec vidua esse possum*, errare non possum; Et quid ad omne malum proclivius? Subjungit Author: *Quod & mihi videbatur satis injustum, cum saltem incivile sit & contra*

Index Expurgat, Hispan. f. 135. Et Antuerpian. p. 116. An. 1404.

Theodor. à Nyem. l. 2. c. 32.

contra bonos mores, si quod dignis gratis dari debet, ob vilem pecuniarium quæstum concedatur indignis: quodque Papa, qui omnibus præest, à quo cæteri vivendi normam capere debent, sic tali crimine sordidatur, profectò cum alium punire non posset, in eo in quo ipse deliquit, quia turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum. Ex hoc etiam apud vulgares multùm vilescit & vituperatur Papalis authoritas & diffamatur; in eo nominatim inquit, *quòd dispensationes, cum fratrum deliberatione maxima faciendas, in camerâ suâ more mercatorum existens, ipse bullator, scriptor & forsan numerator fecerit;* Sed & superaddit: *Vivente eodem quidam integri Magistri in sacrâ Theologiâ, & alij in scientiis illuminati, dolentes ita communiter & apertè Simoniam committi in Curiâ, & quod sic fieri posset, multis Iuristis & aliis pertinaciter asserentibus, in contrarium arguendo, & conclusiones in quaternas, & codices redigendo determinarunt, licet sub magno timore: Quod Papa vendendo Ecclesiastica beneficia ex pacto intercedente, Simoniacus esset*, id est, successor Simonis Magi, non Simonis Petri, *quia non foret constitutus, ut illa venderet, sed ut dignis gratuitò dispensaret.* Sed enim exorti in omnibus Gentibus, qui ulterius penetrarent: Vincentius, Venetijs sub annum 1400. & concionibus & sanctimoniâ celebris, qui universam Hierarchiam Romanam liberè damnat: *Religiosos* asserit, *qui deberent esse via salutis, factos animabus toto orbe viam perditionis, sacerdotes honores piscari, sed minimè mores;* Episcopos nemine excepto, de animabus sui Episcopatus nullam curam habere, sacramenta pecuniâ vendere; ausus & pronuntiare Papam Antichristum ipsum fore. In quadem etiam Epistolâ Lutetiæ impressâ, Antichristũ jam in mundo esse: Quem igitur ex Iudæis, ex antiquâ illâ Babylone oriturum minimè expectaret, Romæ imò jam regnantem spectâret. In Bohemiâ, Matthias Parisiensis Author magni voluminis *de Antichristo*, ubi ex eo advenisse probat, quod fabulæ & commenta humana in Ecclesiâ regnent, quod imagines adorentur, Sancti Christi locum invaserint, quęque urbs, quæque persona aliquem ex illis sibi salvatorem adorandum deligat, quem proinde in sede Christi collocet: Quod ipse nobis prædixerat: *Ecce hîc Christus, ecce illic:* Quod Monachi ipsi eo relicto alios sibi servatores quæsiverint, quibus glorientur, Franciscum, Dominicum, alios: Verbo Dei neglecto Regulas suas introducunt: Quod hypocritæ ejusmodi in Ecclesiâ regnantes, locustæ illæ sint de quibus in Apocalypsi: Nec porrò dubitandum, quin Antichristus advenerit, qui universitates omnes, omnia Doctorum Collegia ita seduxit, ut nihil jam sani doceant: Doctrinâ suâ Christianis amplius prælucere non possint. At Deum semen adhuc, pios Doctores excitaturum, qui spiritu & zelo Eliæ fervidi, & errores Antichristi refellant, & eum ipsum mundo patefaciant. Inserit verò suo libro, multorum insignium virorum huic ætati propinquorum hac de re consilia, inter quos Theologos Parisienses extollit, qui Mendicantium zizania crescere animadvertentes, libellum Gulielmi de S. Amore, *de periculis novissimorum temporum*, quem olim Alexander 4. extinguere conatus fuerat, in lucem revocassent: *Hi doctores*, inquit ille in præfatione, *fideles in Christo, &c. quorum multitudo tunc erat sanitas orbis terrarum, nequissimum Antichristum & membra ejus ac Meretricem ipsius ex parte agnoscentes, & ex parte in futurum prophetantes, præcavendo sanctæ Ecclesiæ & ejus gubernatoribus* apertè & nudè revelaverunt.

An. 1400. Prophetiæ editæ Parisiis in 8. ex Variis Authorib. collectæ, & ibi Epist. S. Vincentii.

In Angliâ Iohannes Purvey Wiclefi discipulus, præcipua ejus doctrinæ capita multis libris tutatus est, sed inter alios Commentarium in Apocalypsim inscripsit, cui titulus, *Ante centum annos:* Apertè ille ibi: *Septem anni elapsi sunt*, inquit, *quòd primò generaliter Papa Romanus vulgatus sit Antichristus magnus, à præconibus Euangelicis*

gelicis *scilicet ab anno Domini* 1382. Vide verò ut Deus in nostris infirmitatibus gloriam suam operetur: *Nunquam hæc consimilia scripsissem contra Antichristum & suos nisi me incarcerassent, ne in eas agerem.* Tunc verò demum Deus eo amplius spiritum suum ei infudit, ut solutus, eò confidentius loqueretur: quamquam tormentorum vi abjurare ab Archiepiscopo Cantuariensi coactus fuerat. Prodijt hic liber in Germaniâ anno 1528. ubi celebrem illam in Apocalypsi Prophetiam Ecclesiæ Romanæ sigillatim accommodat: exque ejus capite 10. & 11. compedibus in carcere vinctum hæc scripsisse constat. Waldenses denique hoc tempore pro veritatis testimonio flammas ubique subibant: In Saxoniâ enim & Pomeraniâ anno 1490. quadringenti & eo amplius comprehensi examinantur, qui hanc Majorum suorum professionem fuisse testabantur, & Doctores suos ex Bohemiâ venisse, nempe à primis illis, quos multis ante jam seculis ibi sedes fixisse ostendimus. Liquet verò ex Actis ipsis Iudicialibus, bene moratos illos fuisse, graves, modestos, à mendacio & perjurio alijsque vitijs abhorrentes, quod & ipsi adversarij magnâ suâ cum laude testantur: Ut & Historicus Anglus anno 1401. de Lollardorum persecutione agens, eadem quæ Waldensibus illis dogmata tribuit: quicquid malitiosè alij affingant: præsertim verò, eo nomine vocatos Wiclefi discipulos, qui inde ab anno 1389. multos ad se pertraxissent: *Eorum porrò*, inquit, *Presbyteri more Pontificum novos creabant Presbyteros, asserentes quemlibet Sacerdotem tantam consecutum potestatem ligandi & solvendi & cætera Ecclesiastica ministrandi, quantam ipse Papa dat vel dare potest.*

An. 1490.

Walsingham in Hypodeigmate. Neustriæ & in Henrico 2. Idem in Richard 2. An. 1401.

PROGRESSUS.

Innocentius VII

Bonifacio in suâ obedientiâ succedit Cosmarus Cardinalis de S. Cruce, Innocentius 7. dictus: Sed ante quam ad electionem accederetur, solenniter à Cardinalibus adjuratus: Ut quicumque in Papam eligatur, quô ad Ecclesiæ unionem facilius perveniatur, Papatui statim renuntiare requisitus teneretur: eâ lege ut Petrus de Luna, Benedictus aliâs decimus tertius, Avenione creatus, idem juramentum præstâret. Itaque rivales hîc duos habemus, Benedictum decimum tertium & Innocentium 7. & Benedictus quidem Legatum in Hispaniâ agens, apud Reges, Principes, Antistites, Clerum, Populum, Clementem apertè vituperabat, quod unioni Ecclesiæ non prospiceret: Missus etiam à Clemente *ad Regem Galliæ & Universitatem Parisiensem*, in concionibus actisque publicis, protestabatur, si ei succedere daretur, nihil quod eo pertineret, non facturum: unde factum ut multi Principes eâ spe apud Cardinales ejus dignitatem promovêrent: Qui tamen promissa adimplêre admonitus, absolutè detrectat, & teneri se negat, ut tandem jussu Regis Proceres quidam Galliæ Avenione Palatium ejus obsidere cogantur, eumque per triennium sub custodiâ retinere, suæque obedientiæ apertè renuntiare, dum Germaniæ Principes, communicato cum illis consilio, idem apud Bonifacium procurant, de abdicando Papatu nihilo magis cogitantem: Quo fit ut Galli Benedictum libertati restitutum rursus Pontificem agnoscant. Innocentius 7. ex alterâ parte Bonifacij successor, qui ante Papatum dicere solitus, per Papas tantum stetisse, quò minùs schisma orbi Christiano perniciosum extingueretur; ut hoc fastigium attigit, de hoc negotio vel verbulum fieri impatienter fert; Quin & rogatus à Romanis, ut schisma tollat, adstipulatore præsertim Rege Galliæ, nec Benedicto ejus hortatu repugnaturo, Romanos ipse ad Ludovicum nepotem in Hos-

Theodor. à Nyem. l. 2. c. 33.

Platina in Innocentio 7.

Hospitali S. Spiritus hospitantem, *tanquam ad certum carnificem*, inquit Platina, allegat, qui undecim ex ipsis jugulatos per fenestram projicit; Eâ ratione, non ullâ aliâ schisma tolli, seditiones extingui dictitans. Hæc ab illâ bonâ fide, quam ante Papatum præ se uterque tulerat.

Bonifacius, uti vidimus, Romanos Iubilei emolumento inescatos libertate spoliaverat, unde & non multò post sævam ipsius tyrannidem experti erant. Innocentio Papatum ingresso idem institutum: Insigniores quique ex Populo antiquam libertatem repetere gestientes, sibi ab Innocentio restitui veterem Reip. statum postulant; Capitolium nominatim, Pontem Milvium & Arcem S. Angeli sibi committi, & Columnarum quidem studijs subnixi; Disputabant contra Ursini adversarij consultius fore, urbem à Pontifice gubernari: Hinc igitur seditio, in mediâ urbe certamina & strages, & quicquid per intestinos tumultus fieri assolet. Inducunt Columnæ Ladislaum Hungariæ & Apuliæ Regem in Urbem, Papa vicissim Muschardam, magnum Ecclesiæ Capitaneum, utrumque copijs suffultum. At, ut se inferiorem videt, rebus suis diffisus paciscendum ratus, Ladislao Campaniam in aliquot annos dimittit, Populo & Columnensibus Capitolium, urbisque regimen, eâ lege, ut officiarios ipse recipiat, sicque Ladislaus Urbe excedit. Vix verò in regnum reversus erat, per nepotem ad pristinam sævitiem revertitur, quò fit, ut incendio acrius in urbe grassante, Innocentius Viterbium petat: Inde tamen à populo non multo post revocatur, tot tantarumque turbarum, quæ identidem à factionibus excitabantur, pertæso, reformidante in primis, ne ex Innocentij fugâ Ladislaus invadendæ civitatis occasionem caperet: ac ibi demùm rebus firmatis in Ladislaum fulmina sua strenuè experitur. At ad Unionem quod attinet, Benedictus à Gallis sollicitatus, apud Innocentium agitat, ut salvum conductum quibusdam ex suis, secum de unione tractaturis concedat: Innocentius dolum subesse suspicatus, denegat, Benedictus inde excusationem captare, per se jam non stare dictitare, culpam omnem editis Epistolis in Innocentium conjicere; Et hanc ille quàm difficulter amoliri. Notat Theodoricus, in eum licet propensior, Viterbij quæstionem proposuisse: *An dictam unionem facere teneretur*, *ponens tunc in dubio*, inquit, *quod dum de electione ageretur, in conclavi omninò expediri decebat, ex quo contra Innocentium Curialium non modica oriebatur suspicio, murmurantium invicem & dicentium, quod unionem revera facere nollet.* Et ægrè eos compescuit; quin, cum in paralisim quandam incidisset, *id divino judicio* contigisse dicebant. Nec ulterius in hoc negotio, anno 1406. morte præventus, progreditur.

[Margin: Theodor. l.2.c.34. 35.39.41. — l.2.c.38. — l.2.c.41. An. 1406.]

Succedit Angelus Corrarius Venetus Cardinalis de sancto Marco, qui Gregorius duodecimus, Errorium passim Theodoricus vocat, utpote per errorem creatum: *Si quis fraudes, machinationes, dolos, cautelas, hypocrisias & subtilitates, quibus electus fuit per Collegium Cardinalium, quibus postea cum Petro de Luna unionem in universali Ecclesiâ facere distulit, neque fecit, & quare non fecerit illam, se excusavit, in peccatis totam Christianitatem ludificando & decipiendo, necnon & collusiones, versutias & palliationes inter se per medias personas habitas, & circa hæc acta per utrumque ipsorum Errorij & Petri per singula describere vellet, vix chartæ & atramentum huic sufficerent, & laborando circa ea nimium traheretur in longum. Veruntamen clarum est, quod cauteriatas suas habent conscientias, dicentes se esse simplices, cum sint astutiâ Diabolicâ repleti;* quod à se particulariùs in *Nemore unionis* tractatum dicit: *Multi tamen*, inquit, *Reges & Principes ipsis adhuc adhærent, ipsos in eorũ pertinaciâ, schismate ac hæresi dam-*

[Margin: Gregorius XII — Theodor. l.2.c.42.]

nabiliter confovendo, atque illos sibi Idola proponendo eos in errore sustentant, &c. Ac si non sit Deus in cœlo, sed quasi tota salus animarum & corporum mortalium dependeat à duobus senioribus Babylonis, scilicet Errorio & Petro memoratis, de quibus major progressa est iniquitas, & passim progreditur in universam terram, quàm unquam ante nostra tempora ab aliquibus de Papatu contendentibus emanavit, & proh dolor, hæc adeò notoria sunt & manifesta, quod nullâ possunt tergiversatione celari, unde ipsa fides Catholica obnubilatur, omnis religio naufragium patitur, Christiani inter se dissidentes, plerumque se confundant, guerræ & aliæ calamitates pullulant, Dei timor & hominum verecundia & virtutes à plerisque regnantibus & præsidentibus populis, atque aliis inferioribus omnis status præterea in longum abierunt, &c. Multi Archiepiscopi, qui populis præsunt, plerumque religionis & honestatis cultum deserentes, in habitu & moribus atque insaniis laicis se conformant; Et hîc Pontificis secretarius loquitur, qui hanc historiam libro integro edisserit, reliqua in *Nemus* illud suum rejiciens: Nos hæc, ne Lectori graviores simus, in pauciora restringemus.

Gregorius iste igitur, cum de electione ageretur, primus de solenni unionis juramento sermonem injecerat: Nec coronam ante suscipere voluerat, quam frequentissimo cœtu illud ratum habuisset, quin & concionem ipse eâ de re habuerat, cujus Thema, *Parate viam Domini:* Cardinales ut tam necessario operi incumberent hortatus, ita ut vulgo is esse crederetur, *per quem salus fieret in Israele;* Summa juramenti in Conclavi primùm præstiti, demumque in Capellâ coram Deo, Virgine Mariâ, sanctis Apostolis Petro & Paulo confirmati, & factis quidem Sacrosanctis Euangelijs: Qui Papa eligeretur, simul ac requisitus foret: Pontificatu cessurum modo idem Antipapa faceret: Admonituros, tum ipsum, tum Cardinales, omnes Principes statim post Electionem, ut operam suam ad hoc necessarium opus conferant, interea verò nullos Cardinales creaturos, denique bonâ fide, omnibus rationibus procuraturos, ut intra annum schisma terminaretur; Hæc eâ lege, ut eorum nemo ab hoc juramento absolvi posset. Et verò videbimus ex Actis, num aliquo Dei sensu tangerentur, qui Deum tam solenni formulâ testem juramenti sui adhibebant. Scribit Gregorius Benedicto in hanc sententiam, & vicissim Benedictus ipsi, & in his literis seriò rem agi diceres. Verùm, notat Author, qui hasce literas viro alicui notabili, uti decretum fuerat, committere debuerant, *per quendam conversum Ordinis Prædicatorum misisse;* quas etiam Principibus destinabat per *Lollardos* seu *Begardos*, Fraterculos quosdam, quos diligebat. Cum interim protestaretur perpetuò, *hic insignis hypocrita, se illuc iturum, etiamsi eundo pedester baculo arundineo per iter sustentari deberet:* nec ullas gratias beneficiales, præsertim expectativas facere vellet, ut se de solâ unione cogitare omnibus persuaderet. Convenerat, Gregorium missurum Legatos quoquoversus intrà tres menses, nominatim ad Benedictum: penultimam trimestris termini consultò expectat, Legationisque Principem Antonium nepotem suum deligit, cui id negotij committat. Ibi igitur cum Benedicto constitutum, ambos Pontifices ad D. Michaelis Festum proximum, saltem ad omnium sanctorum, Savonæ conventuros, qui locus propter maris commoditatem aptior visus. Probant hoc consilium vehementer omnes Principes: & Genuenses, ut Gregorio omnem scrupulum eximant, ei per Legatos *civitatem suam ejusque districtum, & omne posse suum* offerunt. At sanè eo impensiùs Gregorius strophas suas explicat: Primò: locum sibi intutum esse, cum Genua & Savona in potestate Gallorum, in obedientiâ etiam Benedicti censeantur, qui tamen locus communicato cum ipsius nepote consilio delectus esset,

Theodor. l.3.c.1. & 2.

l.3. c.4. & 5.

l.3. c.5. & 6.

l.3. c.13.

esset, quem haud dubiè receperat, ut avunculo excusationem reservaret. Et hic tamen ejus securitati nullis non rationibus civitates istæ cavere sategerant. Secundò: cum Ladislao Rege Hungariæ consilium init, ut se contra eam, quam parabant unionem tueatur, qui apud se Franciscanum quendam habebat, multorum scelerum reum, *Dæmonium meridianum, negotium perambulans in tenebris, qui ab ipsius Errorij præsentiâ non recessit.* Ladislaus verò in pari causâ erat, qui regnum Siciliæ contra Ludovicum Andegavensem competitorem, non minus quàm Papatum Gregorius contra Benedictum defendere volebat. Tertiò: Munimenta Papatui suo futura, nepotes suos Paulum & Marcum, & alios propinquos dignitatibus auget, quibus provincias arcesque Ecclesiæ præcipuas committit, ut de *Manto*, quod pollicitus erat, deponendo minimè cogitet. Quartò, Palam profitetur, non posse se, nec debere ad diem dictam Savonæ se sistere, quod quantamcumque diligentiam adhibuisset, *triremes Venetas usque tunc habere non potuisset.* Regerentibus verò Genuensium triremes in promptu esse, quas ipsi pridem obtulerint, respondebat: *Venetum se esse, Genuensesque meritò suspectos habere, propter antiquum odium, quod inter Genuenses & Venetos erat;* Et porrò *per terram propter defectum facultatum ad hoc sibi necessariarum, Savonam transire non posse: sieque per terram & mare transitum suum implicitè denegabat.* Quare viginti quatuor Curiæ suæ notabiliores Iureperitos constituit, de quæstione hac consilium daturos: *Utrum ex tractatu præsentis instrumenti Massiliæ celebrati, teneretur ire ad locum Savonæ:* Cumque unusquisque eum teneri scripto suo testaretur, non verecundatur dicere *Pater iste discordiarum*, suspectos sibi esse illos, quippe Cardinalibus suis magis quam sibi faventes. Quinto: Secretò cum Ladislao paciscitur, ut exercitum Columnensibus contra plebem Romanam mittat, qui noctu eum introducunt, eâ nempe mente ut semetipsum in arce S. Angeli obsideant, (in quam ex compacto sese recipit): Cardinales verò rei inscij Viterbium confugiunt, fitque illi hæc simulata obsidio excusationis loco, quæ eum obeundo vadimonio legitimè eximat. Et judicet hic Lector, ut sese ab unione expediat, quâ conscientiâ tantam confusionem in Urbem inducat. Verùm, cum miles in prædam effusus ipsis virginibus non parceret, Ursini præ desperatione arma capiunt, populum ad signa vocant, & in insidias, quæ sibi à Columnensibus structæ erant, impetum faciunt, in quibus *comprehensos ipsos pudefactos circa arcem*, in quâ bonus ille Gregorius latitabat, circumducunt: cujus proinde detestabilis conspiratio evanuit in fumum. Sextò: Fingit nihilominus suam esse hanc Ursinorum victoriam, deque ea Cardinalibus gratulatorias literas Viterbium mittit; Quin & Paulo Ursino Narniensem Comitatum, fortitudinis suæ præmium, in multos annos concedit, & porrò præmissis Viterbium impedimentis suis Savonam se serio cogitare persuadet: Verùm, de longinquo ipse sequitur, & circa mensem demùm Augustum ad eos accedit, urgentibusque ipsis proponit se antequam Pontificium onus deponat, nepotum conditioni consulere velle, & inopiam denique causatur, quâ fiat, ut tantum iter suscipere nequeat. Tum verò ut ei omnis ansa præscindatur, omnes Episcopi & Abbates Italiæ excutiuntur, ad dictam diem eamque brevissimam sub gravissimis pœnis jussi, *suas quisque pecuniarum summas Cameræ mittere:* Excogitantur & aliæ exquisitæ rationes pecunias extorquendi, ut ei satisfieret: *unde in Abyssum Cameræ brevi tempore, magna pecuniæ vis à plerisque extortæ continuè illata.* Ad nepotes autem Marcum, Paulum & Franciscum quod attinet, donantur eis *cum mero & mixto imperio, gladij potestate, & omnimodâ*

lib. 3. c. 15.
Idem ibid. c. 16.
c. 17.
l. 3. c. 18. 19.
Ibid. c. 20.

modâ temporali jurisdictione, primo, Faventia, secundo, Forumlivij, tertio Vobeta, civitates cum suis Comitatibus notabiles; Item Cornetum & oppida arcesque in Ravennati agro in supplementum pari jure, à se suisque in perpetuum possidenda; & Concessionis tenor dignus notatu: Gregorius enim Cardinales inducit apud eum supplicantes, ut nepotum eximios labores & sudores, quos in unionem Ecclesiæ impendebant, remunerari dignetur: Qui ad eorum humillimam & instantissimam supplicationem, in hunc donationis contractum consentit: Quâ si minus hæredes, saltem Legatarij S. Petri instituantur. Septimò: Viterbij
c. 21. cum diutius honestè morari non posset, Septembri tandem mense Senas venit, ibique in Ianuarium usque eos retinet, in Legatis, qui undequaque accedebant, excipiendis tempus terens; sed ut has moras suspectas haud dubiè fieri non ignorat, paratum se Papatum illicò abdicare simulat, ut longiori itinere opus non sit: tantùm dignitati tuendæ Patriarchatus Constantinopolitanus, quem ante obtinuerat, ei asseratur, Episcopatus etiam Carnotensis & Methonensis in Venetorum ditione & Prioratus nonnulli, *quos ante tenebat in commendam, nec non Eboracensis Episcopatus in Angliâ, quem vacare dicebat, quamvis non vacaret*; Et his omnibus Cardinales assentiuntur, *& super his eorum literæ atque processus conficiuntur.* Octavò: Benedictus & sui ad festum Michaelis Savonam appellunt, indebant enim calcaria Galli nostri: Tunc cœpit dicere non aliud sibi esse in votis, verùm Curiæ suæ tutum locum non videri, quam periculo temerè exponere nollebat: Ratum sibi in Lombardiam trajicere, ibique apud Marchionem Montis ferrati commorari, usque dum totum unionis negotium cum Benedicto transigatur. Itaque, ut tempus extrahat, ad Marchionem mittit, qui gratum fore suum adventum scribit; Quin & ad unionem promovendam, nihil reliqui facturum, pollicêtur: sed is erat in Lombardiâ belli ardor, ut illac iter facturum, nemo unquam sibi persuaserit. Prava etiam ejus mens in eo conspecta fuit, quod cum Tudertinus Episcopus & Antonius de Butrio famosi Iurisconsulti, quos, tum ad Benedictum, tùm ad Regem Galliæ nuntios miserat, Senis ei obviam facti essent, qui de eo bene meriti, se saltem gratanter acceptum iri sperabant; quippe fœliciter munere suo in procurandâ unione defuncti, torvis eos oculis aspexit: & pecuniam, quam in itineris sui sumptus mutuam contraxerant, solvere noluit: unde *Antonius ille de Butrio domum repetens, cumulatis taliter doloribus aliquamdiu ægrotando decessit. Interim in corradendis, per vicarios*, quos Romæ reliquerat, undecumque nummis totus erat, *non Ecclesiarum & Monasteriorum Dominiis parcens, non calicibus, crucibus, candelabris & aliis auri & argenti jocalibus*: Quæ in tributorum
l. 3. c. 22. suorum solutionem passim divendebantur. Nonò: Archiepiscopus Burdegalensis Cardinalis de sanctis quatuor, magni nominis Antistes Savonam appulerat, ibique a Benedicto honorificè exceptus fuerat: Gregorium 15. ut abesse videt, Senas persuasurus contendit, vespere, manè, hortatur, sollicitat, nec quicquam promovet. Idem & Cardinalis Quinqueecclesiensis Hungarus, decrepitus licet, eo incassum profectus; Imò cum in gravem ægritudinem incidisset, Papam ejusque nepotes moribundi mobilibus inhiare, *sortem quasi in suos equos, pecunias & jocalia* misisse intelligit: *At ille, verè*, inquit, *nec me nec bona mea habebitis: Nec mora, quoddam ligneum vehiculum in quo portaretur sibi præparat, & in illo Venetias usque, sæviente licet hyeme, portari jubet.* Quia tamen inter tot affectatas moras necesse illi hominibus fucum aliquâ ratione facere, Fratres quosdam Mendicantes pollicitis sibi devincit, qui apud populum concionantur, non posse cum

cum bonâ conſcientiâ unionem fieri, eorumque miniſterio 18. articulos in eam rem promulgat; Inter alios: *Quod ſi ipſe ejus Papatui cederet, ad illum finem ut exinde ipſa unio ſequeretur, in hoc mortaliter peccaret, necnon animam ſuam pœnis infernalibus cruciandam perpetuò condemnaret, propter animarum pericula, & etiam grandia corporum diſpendia, quæ exinde conſequi poſſent*; Simpliciores quoſque ejuſmodi mendacijs ludificati: *Quod ſi Errorius & ſui Cardinales & Curiales iviſſent ſeu irent ad Saonam omnes fuiſſent ac eſſent filij mortis*. Et hæc verò dum ſolennes Senis Litanias pro unione indicit, quibus ipſe intererat, *coopertus hypocriſis pallio*, largas Indulgentias largitus ijs, qui eas ſequerentur, quique pro unione preces funderent, miſsis adeò in diverſas nationes, quas diligebat, Begardis, qui eas in vulgus ſpargerent. Decimò: ex novis conſilijs novæ illi morarum cauſæ. Tractat cum Præfecto Lucenſi de ſe in urbem recipiendo, ut Benedicto proprior, commodiùs cum eo conferat, & denegaturum ſibi pollicetur: unde nova excuſatio naſcatur: Cùm ille contrà petitioni ultrò acquieſcat: Tum Gregorius obſides quinquaginta ex inſignioribus familijs poſcit; Et inhoneſta quidem erat petitio: quam tamen, ne quid tam neceſſarium opus remoretur, rurſus amplectitur. At novam hîc cautelam adinvenit, nolle ſe urbem ingredi ſed Caſtrum de Petra ſancta in poteſtate habere, *quod dicti præfecti Regentis fortiſſimum*; quod & illi, etiam abſque obſidibus, conceditur: Tandem, non habens quod amplius obtenderet, Lucam ingreditur, fruſtra terens tempus, ad principium menſis Auguſti, omnibus anteà præfixis terminis pridem elapſis: Ut verò Principum Legati apud utrumque omni ex parte inſtant: ab utroque idem reſponſum ferunt: per ſe non ſtare quo minùs unio promoveatur: de quo haud dubiè inter utrumque convenerat: Gregorio intereà privatim, cum ſuo Camerario, ſuiſque nepotibus, de omnibus negotijs, numeratâ pecuniâ, ſtatuente, de Epiſcopatibus, Abbatijs, Præfecturis, expeditionibus, publicè licet ignarus eorum quæ ad Papatum ſpectabant, omnium, & in reſpondendo ridiculus, dicere in Conſiſtorio ſolitus, contra ſe Cardinales conſpiraſſe, ut ipſe Papatui ſuo cederet, in præjudicium ſuæ obedientiæ. Undecimo: Acceſſerat Benedictus ad Portum Veneris uſque, ut officio ſatisfacere videretur: Unde & Gregorius à ſuis vehementer premebatur: *Tunc in reprobum ſenſum datus*, contra juramentum toties repetitum, novos Cardinales nepotes utique ſuos creare conſtituit: quicquid ſui Cardinales in contrarium moneant: Eâ ratione Benedicto ſuiſque anſam dari, dicturis, per eum ſtare, quominùs unio fiat: donec tandem victus precibus Oratorum Poloniæ, Pruſsiæ & aliarum nationum apud eum expoſtulantium, in aliquot hebdomadas promotionem illam rejicit. Tum verò circa mediam Quadrageſimam in Dominicâ Lætate, Nicolaus Lucenſis Carmelita auſus adverſus eum etiam præſentem concionari, quem circa veſperam, in conſpectu omnium Oratorum, in carcerem trahi jubet, e quo eorum precibus, vix tandem liberatur eâ tamen lege, ne amplius concionaretur. Nec exinde quiſquam ſuggeſtum conſcendere auſus, niſi, cui auribus ejus placere ratum eſſet. Complures etiam Epiſcopi, ne cum eo Paſchalibus ferijs communicarent, hinc inde ſeſe ſubducebant; Oratores imò multi patriam repetebant, ut ne authoritate omninò excideret, ad Benedicti literas ſibi reſcribendum eſſe tandem aliquando cogitaret. Conquerebatur ille quod Benedictus in Savonæ loco retinendo obfirmatus, tantum tempus extraxiſſet, ut grave ei illatum damnum dixeris: Et Piſis, ſi libet, congredi paratum ſe profitetur: Benedictus contrà, ſe ad Portum Veneris uſque progreſſum exponit, Gregorium itaque ad Petrã ſan-

l.3.c.23.

c.4.& 25.

sanctam usque obedientiæ suæ oppidum, accedere commodè posse, ubi Lucensis Dominus unicum filium, nonnullos ex propinquis, quadraginta prætereà cives obsides se daturum pollicebatur: paratum se fuisse Venetorum concivium Gregorij fidei sese committere, aliaque multa proposuisse, quæ moram omnem resecarent: Iam, cum Pisas novo consilio, absque ullis specificis cautionibus, reponit, non posse se quidquam certi statuere, Legatos interim mittere, mentis suæ probè conscios, qui cum Gregorio Lucensique Domino, de toto negotio decernant. Multa tandem ultro citroque tergiversatus Gregorius, eo redit, ut ambo Florentinos per Legatos rogent, locum tutum & commodum sibi assignent, quod, alterius tantùm rogatu, facere nolebant. At inter has moras Ladislaus Rex Hungariæ, Gregorij consilio, Romæ a Paulo Ursino Urbis præfecto recipitur, urbemque in potestate habet: Quo fit, ut hinc Papatus ei firmior constet, cujus sedem in potestate habet: Inde excusatio ei ad manum fit, cui Romam regredi necesse esse videatur: Quod enim ejus astu id fieret, vel inde constitit, quod sui tanquam de re benè gestâ triumphantes, vel in ejus Palatio, in choreas præ gaudio effunderentur. Duodecimò: Itaque de loco ad unionem promovendam Gregorius non amplius laborat, de abrumpendâ, Ladislao adstipulante, jàm certus, sicque ad naturam reversus, contra juramentum, nequicquam obstante Lucensi Præfecto, quatuor novos Cardinales creat, hisque ejus consanguineum, eo beneficio ipsum devincturus superaddit: Detrectantibus verò Cardinalibus, Episcopos & auditores Rotæ sibi assidere jubet. Fuerunt hi Antonius Cubicularius, & Gabriel Gundelmarus nepotes, Utinensis Protonotarius & Iohannes quidam Dominicus, ex prædicatorum ordine, ex illis unus, qui Senis ejus jussu concionabantur: *Quod eam unionem tenere salvâ conscientiâ non posset, ne animam suam damnaret.* Moliebantur veteres Cardinales eum deserere, quos gravissimâ indictâ pœnâ discedere vetuit; Quin, *ni Lucensis Regens* suâ prudentiâ eis prospexisset, male cum ipsis agebatur. Verùm, Cardinalis Leodiensis ingentis animi vir, mutato vestitu Luca sese subducit, Pisasque contendit: Detectus tamen à Gregorij Satellitibus, non sine vitæ discrimine, tantum non è fugâ retrahitur. Eodem sese paulatim proripiunt cæteri, non ejus pollicitis, non minis permoti, à quibus publicè appellant, appellationemque suam in ipso Consistorio, inter novos suos Cardinales sedenti, solenniter significant: Cardinalis Leodiensis in primis literis suis palàm facit: *Quòd Deo magis sit obediendum: Si enim,* inquit, *Papa illa mandet, vel ad ea cogere velit, quæ animas in præcipitium ducunt, & animæ perditionem includunt, sibi non fore obediendum jure divino & humano notissimum est, imò non obediendo & propter hoc ejus severitates & censuras sustinendo, meretur homo.* Sicque duplex jam nobis schisma, Benedicti contra Gregorium, Gregorij contra suos ipsius Cardinales.

c. 31.

c. 33. & 34.

Iam, in hac Cardinalium à Gregorio secessione, Benedictus occasione usus, sua illi vaframenta objicit, quæ in tam pravum exitum tandem eruperint. Quare in Tarraconensem Provinciam, quasi unione desperatâ, natale solum, sese recepit: Gregorius verò, ut discessisse videt, fraudum nondum pertæsus, Concilium Aquileiæ indicit, eique corroborando, novos iterùm Cardinales creat, dum ex alterâ parte Benedictus Concilium vicissim suum apud Tarracones assignat: Uterque perpetuò unionis prætextu, sed quam neuter desiderat, amolitur uterque sibi soli Papatum asserere ratus: Quod pars Cardinalium Benedicti conspicata, dilabitur & ipsa, seseque Pisas subducit: Ibi coalescentibus ex utraque parte Cardinalibus, assentientibus Florentinis Urbis Dominis, Concilium haberi placuit: Citatur

tur solenni more uterque jussus sese Concilio aut præsentem sistere, aut per Procuratorem cum idoneo mandato. Contestatur uterque, Concilij convocationem ad eos non pertinere, hi contrà, dubio & scisso Papatu, contendentium neutrum indicere Concilium posse: particulare non universale futurum, cui pars tantùm interfutura sit: Quare nihil ambos morati, Imperatorem & Principes Imperij rogant, Reges Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Arragonum, Poloniæ, alios, per Legatos interesse velint: qui quidem maximam partem assentiuntur. Tùm, post multas sessiones cum neque ipsi, neque eorum nomine quisquam comparêret, omnibus ritè expensis, unâ voce pronuntiant: *Benedictum & Gregorium de Papatu damnabiliter contendentes, ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsâ sacrâ & universali Synodo præsentatâ & exhibitâ, vera atque notoria, fuisse & esse ipsos schismaticos & antiquati schismatis nutritores, defensores, fautores, approbatores, & manutentores, pertinaces, necnon hæreticos à fide devios, notorijsque criminibus & enormibus perjurijs & violatione irreticos, universalem Ecclesiam sanctam Dei notoriè scandalisantes, cum incorrigibilitate, contumaciâ & pertinaciâ notoriis, evidentibus & manifestis, & ex his & alijs se reddidisse omni honore & dignitate, etiam Papali, indignos; ipsosque & utrumque ipsorum præter præmissas iniquitates, crimina & excessus, ut regant vel imperent, seu præsint à Deo & sacris Canonibus fore ipso facto abjectos, & privatos, & etiam ab Ecclesiâ præcisos, &c. Insuper omnes & quoscumque Christicolas, etiamsi Imperiali, Regali & aliâ qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab hujusmodi eorum obedientiâ fore perpetuò absolutos, inhibendo eisdem Christi fidelibus, ne prædictis de Papatu contendentibus seu eorum alteri quomodolibet obediant, pareant vel parère intendant, vel consilium, auxilium vel favorem ipsis præstent, aut eos recipiant, vel receptent, sub pœnis excommunicationis, &c. Insuper omnes & singulos processus, & sententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alterius censuræ & pœnæ, privationis quoque ordinum & dignitatum, &c. latas & fulminatas, fuisse & esse nullas, cassas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ vel momenti. Insuper promotiones, imò potius profanationes quorumcumque ad Cardinales per dictos contendentes de Papatu, & eorum utrumque attentatas, per dictum Angelum, à tertiâ die Maij, & Petrum antedictum, à die decimoquinto Iunij anni præteriti millesimi quadringentesimi octavi fuisse & esse nullas, cassas & irritas.* Quod ut Benedictus intelligit, bile eo magis intumescente, duodecim Cardinales in Terraconensi creat, Gregorius totidem in Germaniâ, sed prudentiores Galeros recusavere; Et extremam porrò imposturis suis manum additurus, sanctionem edere non veretur: Paratum se sublatis omnibus difficultatibus, quem Imperatori Roberto, Sigismundo Regi Hungariæ & Ladislao Regi Siciliæ videbitur locum adire: *Cum tot inimicitiæ & rancores*, inquit Author, *manifestè vigeant, ex prædictis causis inter Rupertum, Sigismundum & Ladislaum, qualiter illis ad faciendam unionem in Ecclesiâ simul convenire possent, ullâ ratione aut humanâ sagacitate vidêtur esse impossibile:* Utinam verò parem Benedicti technarum testem nancisci daretur, quamquam & hic ipse eas multis locis satis ad vivum repræsentat, unde eos scelere certasse manifestum sit; Sed Gregorij dolos accuratiùs explicari necesse fuit, quippe quem & approbent magis, & eo nomine Fastis Pontificum inserant. Is porrò tandem, multas ab ipsis Venetis concivibus suis, quibus non æquior fuerat quam alijs, molestias perpessus, in Brutiorum oram advectus Cajetam confugiens, Ladislai Regis sese tutelæ committit, qui in suis ditionibus ei pareri jubet. Interea verò Cardinales utriusque obedientiæ Papam eligunt Petrum Philargum de Candia natione Græcum, Franciscanum, Alexandrum nomine quintum, cujus vulgatur dictum fuisse, *se divi-*

c.36.37.38

c.44.

An. 1408.

c.46.47.48

Theodor. à Nyem. l. 2. c. 33.

c.51.52. *divitem Episcopum, pauperem Cardinalem, & Papam mendicantem, lautè viventem, bibentem frequenter vina fortia*: qui Baltasaris Cossæ Cardinalis Diaconi consilijs se totum permittebat. Is fuit posteà Iohannes 23. quo inter Pontifices sceleratior nemo. Theodoricus igitur hic, statim ubi Papatum attigit, in effrænem licentiam omnia ruisse, ut decem quibus sedit mensibus, plus dedecoris sedi attulerit, quàm alij totidem annis: *Adjecit etiam dictus Papa in signaturâ rotulæ factæ pro eisdem familiaribus, quòd illam signaturam pro eo tam largè fecißet, quia quilibet ipsorum Dominorum Cardinalium in eodem conclavi promisißet, omnia se concessurum, quæ ipsi familiares peterent, si eligeretur in Papam.* Quod accuratè ab ipso descriptum, Lector consulat. Adeo difficile, etiam re tamdiu deliberatâ, post tantam rerum omnium perturbationem, & virum probum inter tot Curiales invenire, & de electione absque manifestâ Simoniâ agere; Is verò moritur mense Majo anno 1410. Et hîc Author Historiæ finem imponit. Narrat Baptista Panætius Ferrariensis Carmelita, Baltasarem Cossam Alexandri Achatem, qui Iohannes 23. Platinæ 24. ei nihilominus ut succederet, venenum propinasse, Marsilio Parmensi ejus Medico pecuniæ vi corrupto: mortique proximum Cardinalibus dixisse, quod Apostolis Christus: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*; Mancipium Satanæ, Principis mundi, illam quomodo pacem daturus, quam dare non potest mundus, qui nempe in tantulo spatio, Wenceslaum Regem Bohemiæ, Regem Romanorum declaratum, cum Imperatore Roberto in Germaniâ commiserat; In Italiâ Ludovicum Andegavensem, in Regem Siciliæ coronatum, nullâ juris formulâ pro imperio, Ladislao opposuerat.

Monstrelet. Vol. I. c.62. Baptista Panætius Ferrariens. serm.56.

Verùm prudentiores illi forte exinde in successore deligendo & circumspectiores. Bononiæ igitur, ubi Baltasar ille Legatus residebat quidem, sed verè dominus præsidebat, Cardinales ipse Papam nominare jubet, qui sibi probatus sit; Et plures illi proponunt, quorum neminem satis idoneum censet, dum tandem sententiam disertè proferre rogatur: *Date mihi*, inquit, *mantum B. Petri, & ego dabo ei, qui Papa futurus est, idque acceptum humeris ipse suis imposuit, dicens, Papa sum ego.* Quam procul à Christo, cujus se Vicarium facit? *Non veni*, inquit, *ex meipso*: Et tamen, Cardinales licet ægrè id ferant, nemo refragari audet. At sane veritus ille, ne temporis tractu aliquod in eum consilium ineant, in Germaniam statim Legatos ad Principes expedit, rogatum, ut Imperatori Roberto vitâ functo, Sigismundum Regem Hungariæ in Regem Romanorum sublegant, quem idcircò ab omni virtutum genere prolixè commendat. Quod ubi obtinuit, Concilium Romæ indicit, specie, ut ei coronam imponat, revera ut ejus, quem sibi devinxerat, præsidio, sedem suam firmet. Memorabile, quod Nicolaus Clemangis Bajocensis Archidiaconus, vir eâ tempestate celebris, in quadam Epistolâ scriptum reliquit: *Convocarat*, inquit, *ante quatuor ferme annos Romæ Concilium Ecclesiæ, maximâ quorundam compulsus instantiâ Balthasar ille perfidissimus, nuper è Petri sede (quam turpissimè fœdabat) ejectus, in quo paucissimis concurrentibus extraneis, ex aliquibus, qui adfuerant, Italicis ac Curialibus, sessiones aliquot tenuit, in rebus supervacuis, nihilque ad utilitatem Ecclesiæ pertinentibus tempus terendo, consumptas. Cumque ante primam Concilij congressionem pro invocatione S. Spiritus, solito fuisset de more Missa celebrata, ubi Concilium aßedit, ipse Balthasar in paratâ sibi cathedrâ sublimior præsedit: Ecce dirus & feralis bubo funeris aut alterius (ut ferunt) calamitatis semper nuntius, è latebris suis erumpens cum suâ illâ horrificâ voce, continuò advolat, super trabemque Templi mediam, oculis in Balthasarem directo intuitu conjectis, aßtitit. Cœperunt uni-*

Iohann. Stella in Pontificib.

universi mirari, quod nocturna avis & lucifuga, diurnâ luce in turbam mediam advenisset, malumque omen ex prodigio non immeritò auspicabantur. En inquiebant, suppressâ voce, alter ad alterum, in specie bubonis Spiritus adest. Cumque cæteri, & se mutuò & Balthasarem spectantes, vix risum tenerent, Balthasar ipse in quem solum ille fixâ acie oculos intenderat, rubore suffusus, sudare, angustiari atque intra semetipsum æstuare cœpit, tandemque non inveniens, quâ aliâ posset ratione suæ tantæ confusioni consulere, soluto Concilio, surgens abscessit. Sequuta est deinde altera Sessio, in quâ rursum more simili, (licet ut credo minimè vocatus) bubo adesse non omisit, verso semper in Balthasarem contuitu; Quem ille rediisse conspiciens, majori quàm prius verecundiâ meritò conturbatus est, nec illius ultrà prævalens ferre conspectum, fustibus illum, terrificisque clamoribus abigi præcepit: Sed ille nec vocum inquietudine, nec aliis tremefactus molestiis effugere voluit, donec fustium crebris ictibus acerrimè pulsatus, in conspectu omnium exanimis decidit. Hæc, inquit, ex *fideli quodam amico dedici, qui illis diebus recto gradu Roma veniebat, super quibus cum propter rei insuetudinem hæsitare cœpissem, per me vehementissimè adjuratus, verissima se retulisse confirmavit. Addebat autem omnes qui aderant, in magnum contemptum atque irrisionem Concilij ex hac re adductos, paulatimque toto dilapso Concilio, nihil hîc prorsus actum esse fructuosum.* Sed abundè sibi cautum putant, postquam hunc locum & consimiles è libris eradi, imò libros integros, pro suâ bonâ fide, curaverunt. Intereà Papalem semper dignitatem Benedictus & Gregorius utrinque retinebant, licet damnati, hic Arimini in Æmiliâ, ille in finibus Hispaniæ Perpiniani; Cardinalibus quibusque suis comitati, Principibusque illis, de quibus suprà, suffulti; Et tam diuturni schismatis orbem Christianum plusquam pertædebat: Cui post tot annos in Concilio Pisano remedium frustrà quæsitum fuerat: Quare Imperator Sigismundus Concilium meditatus, quod ut omnes Christiani Principes amplecterentur, Europam ferè totam obequitans, eosque ipse accedit, ut communicato consilio difficultates, quæ remoram tanto negotio afferre poterant, de medio tollat. Nec videbatur reluctari Pontifex Iohannes, seu confirmatum iri se, alijs exclusis, Sigismundo par pari reddituro, sperans; seu rem tam justam, tantopere desideratam, cum bonâ eorum veniâ, denegari posse diffidens. Leonardus sanè Aretinus ejus Secretarius ingenuè: *Communicaverat*, ait, *mecum Pontifex arcanè mentem & cogitationem suam, dicens, in loco Concilij totum est, nec alicubi esse volo, ubi Imperator plus possit. Legatis igitur istis, qui à me mittuntur, mandata amplissima, potestatemque maximam ad honestatis speciem dabo, quæ palam ostentari possint atque proferri: Secretò autem mandatum restringam ad loca certa, & ipse enumeravit*, id est, designavit. Qui tamen postquam demulsurus, quantum in eorum prudentiâ & fide præsidij collocaret, exposuit, quem consignârat locorum catalogum coram ipsis lacerat: *Decreveram*, inquit, *loca quædam nominâre, à quibus nullo modo discederetis, sed in hoc temporis puncto sententiam muto, ac vestræ prudentiæ totum permitto. Vos quid mihi tutum, quid formidandum cogitetis*; Attonitus vehementer, cum in Constantiæ locum consensisse cum Sigismundo intelligit; Et ab imperio pendentem & trans Alpes situm. Eò igitur anno 1414. conveniunt Imperator, Papa Iohannes, Cardinalis Ragusinus & alij nonnulli ex Gregorij XII. obedientiâ, ejusque nomine Carolus Malatesta cum mandato speciali de abdicando Papatu, & Legati porrò Principum Christianorum plerique; Ex obedientiâ verò Benedicti planè nemo, quamquam Sigismundus Perpinianum usque profectus,

Leonard. Aretin. An. 1413.

Antonin. part. 3. c. 6. §. 1.

fectus, ut eum coram Aragonum Rege hortaretur, compareret, aut Legatum mitteret, aut in omnem eventum Concilij judicium subiret. Ad quæ omnia obsurdescens in Insulam Paniscolam situ inaccessam sese recipit. Persensit non diu post Iohannes XXIII. res suas malo loco esse, Moguntinus licet Episcopus & Federicus Austriæ Dux, omnem ei favorem polliciti essent. Quare, inscijs Cardinalibus, dissimulato vestitu, per-exiguo Comitatu, noctu dilapsus Schafusiam petit, indeque in Burgundiam contendit. Sigismundus deludi impatiens, dolumque Austriaci subesse ratus, omnium bonorum, dignitatumque mulcta receptatoribus indictâ, Iohannem repræsentari jubet, qui ex protectore proditor factus, inquit Antoninus, eum è fugâ retrahit, eumque Imperatori, cum volet, Constantiæ exhibiturus custodit. Restabat ut Lege in eum ageretur; Henricus de Pira, & Iohannes de Scribanis, procuratores Concilij innumera crimina &
Concil. Constant. Session. XI. ante & post Papatum sese probaturos suscipiunt, idque Cardinalium, Archiepiscoporum, aliorumque insignium virorum testimonio, *flagitia, immanes voluptates, tyrannidem, cædes, veneficia, Simoniam, sacrilegium, hæresim, impietatem infidelitatem, notorium Atheismum, seu divini numinis contemptum*, uti in Actis Synodi, Sessione secundâ, quinquaginta quatuor articulis continentur, in quibus etiam *Diabolus incarnatus* appellatur. Notant speciatim, eum non secus ac Ethnicum,
art. 4. 21. 22. Officium nihil curare, Missam cursim dicere, gratias suas & censuras mercatoribus, hominibus Laicis & uxoratis dispensandas certo pretio addicere, qui illas deinde, rationem reddituri, divendebant, eosque in remotissimas provincias cum omnimodâ potestate eum transmittere solitum; Multas terras ex patrimonio Ecclesiæ, ipsas adeò Romanæ urbis Ecclesias distraxisse, mobilia, jocalia, reliquias ipsas dilapidasse, caput Iohannis Baptistæ pro 50000. ducatis vendidisse, quod Romæ in quodam Monasterio Monialium S. Sylvestri asservabatur; traditurum, nî nonnulli cives Romani id detexissent, quos ille in carcerem conjectos gravissimè mulctaverit; Beneficia Curata, aliaque munia Ecclesiastica, infantibus, spurijs, etiam quinquennibus contulisse, incestum cum Monialibus, stuprum cum virginibus, adulterium cum conjugibus commisisse; *Et alia incontinentiæ crimina, propter quæ ira Dei descendit in filios diffidentiæ.* Alexandrum Pontificem per Magistrum Danielem de sancta Sophia ejus medicum, ut sibi ad Papatum viam faceret, veneno interemisse; Ad cumulum verò: *pertinaciter, Diabolo suadente, dixit, asseruit, dogmatisavit, & astruxit vitam æternam non esse, neque*
Session. 11 *aliam post hanc; Quinimò dixit & pertinaciter credidit animam hominis cum corpore humano mori & extingui adinstar animalium brutorum, dixitque mortuum semel, etiam in novissimo die minimè resurrecturum.* Quorum criminum convinci certus, per literas ad Sigismundum confugit, quid in gratiam ejus olim fecerit, in memoriam revocat: *in cordis nostri arcano,* inquit, *cunctis viventibus præeligentes, prædestinavimus te in Regem Romanorum.* Sunt hæc ejus verba, eumque rogat, dignitatis statusque sui rationem habeat. Sed Patres Concilij, *Deputatos* Sellas mittunt, locum in Constantiensi Diœcesi, (ubi à Duce Austriæ custodiebatur) qui audiunt, auditumque & proprio ore convictum frequentissimo consessu condemnant. Extat sententia in eum definitiva, quæ tamen emollita fuit, cum rebus desperatis, sese ipse Concilij voluntati absolutè subjecit; Declaratus nihilominus, schismaticus, scandalosus, universæ Ecclesiæ exitialis, eoque nomine & propter multa alia crimina ante Papatum & in Papatu commissa, Pontificatu deponendus, & de facto depositus. *Quadraginta capitula & eo amplius*, inquit Platina, *contra homi-*

ominem probata sunt, quorum aliqua cum in eo minimè immutare possent, contra idem judicata sunt, aliqua verò Christianis omnibus scandalum paritura. Et ipse sententiam in se prolatam justam pronuntiavit, indeque Heidelbergam, sub Ludovici Bavari Palatini custodiâ retinendus, relegatur, qui in Monheimensi arce, sine ullo Italo famulo eum arctissimè habuit, inservientibus illi Germanis, quibuscum nulla illi, nisi per nutus, communicatio. Ad Gregorium XII. quod attinet, decrepitum jam & Ladislai Regis Siciliæ præsidio destitutum Carolus Malatesta in Concilio procurator, cum indumentis & infulis Pontificalibus comparuit, quæ in abdicationis signum in medio cœtu exuit: Benedictus verò pluries frustrà citatus, Concilij sententiâ pronuntiatur, *Perjurus, scandalisator Ecclesiæ, fautor & intermediator schismatis, schismaticus, hæreticus, à fide devius*; ijsque de causis Papali dignitate privatur, ab Ecclesiâ, *ut membrum siccum & aridum*, amputatus: Idcircò ei ne quis pareat, omnibus pœnâ anathematis interdicitur: qui tamen licet ab omnibus ferè derelictus, in obstinatione, *idolum*, inquit Krantzius, *cum idolis suis Cardinalibus* perseverabat. Morti imò anno 1414. propinquus, Cardinales, qui in Paniscolæ arce secum remanserant, adjurat, successorem sibi incontinenti deligant. Ægidius Munionis is fuit, Canonicus Barchinonensis Clemens VIII. alijs dictus, qui quarto post anno munus abdicavit. De Benedicto illo porrò Gersonis dictum illud in Concilio sæpius repetitum: *Nulla erit pax Ecclesiis donec Luna tollatur*; Adeo Luna illa soli injuria, adeò Ecclesiæ unio bonis illis Pontificibus erat cordi.

Plâtina in Ioan. 24.

Sefsion. 11

Krantzius. in Metrop. l. 9. c. 1. An. 1414.

Conveniebat, ut cum potestatis abusu doctrinæ impietas cresceret: Itaque legimus Benedictum istum, primum instituisse, ut Sacramentum corporis Christi, corpori suo tutando, ante se gestaretur, ut quem nullum in cœlo credebat, contra adversarios in terrâ vindicem habere videretur, quod ille Persarum Regum exemplo haud dubie commentus erat. Alexander 5. etiam, quia Minorita, ut ordini Minorum gratificaretur, qui *de ejus creatione mirabiliter lætificati, discurrebant per vicos & plateas civitatis catervatim valde multi per singulos dies, veluti essent mente capti*, Legem sancit, ut stigmata Francisci omnes Christiani credere teneantur: In quorum etiam venerationem Festum instituit; Hæc uti antè diximus licet in suis ipsorum historiis dubiæ fidei censeantur. Sic & Iohannes 24. quod Wiclefus Scripturas sacras in linguam Anglicam transtulisset, Scripturæ sacræ versionem in linguam vernaculam, hæresim in Angliâ esse voluit. At non ea sanè mens Carolo V. Sapienti Regi nostro, cum non multo antè Biblia sacra in Gallicam, in suum populique usum transferri juberet. Et Lector de his novis inventis ex inventorum pietate & probitate judicet: Interim Concilium Constantiense ipsum dum potestatem suam supra Papam asserit, sese supra Christum Dominum, Paparum æmulatione extollere minimè prætermittit. Quiritantibus enim plerisque nationibus: quod contra disertam institutionem Christi, in participandâ Eucharistiâ, calix Domini ipsis subduceretur, Decretum Patres illi promulgare non verentur, omni severitate executioni mandandum, execrabilibus hisce verbis conceptum: *Etiamsi Christus post Cœnam instituerit & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum Canonum authoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post Cœnam, &c. Et cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesiâ & sanctis Patribus rationabiliter introducta &* diu-

Paulus Æmilius in Carolo 6.

Theodor. l. 3. c. ultimo.

Waldens. in Fasciculo.

Concil. Constant. sefsion. 13

diutissimè observata sit, habenda est pro lege. In quibus hæc clausula *non obstante* seculis anterioribus, uti vidimus, Ecclesiæ tàm odiosa, quod ea Bullis Papalibus additâ, sanctiores quæque leges revocarentur, hujus jam Synodi authoritate non usum tantùm primitivæ Ecclesiæ, sed expressum ipsius Domini mandatum, & in instituendo quidem tanti momenti Sacramento, apertè abrogat; Et hæc ad annum
An. 1417. usque 1417.

OPPOSITIO.

PEnsitemus jam, Ecclesia Christiana, quid mente volveret, à duobus interdum & tribus Pontificibus, inter se manifestè colludentibus, distracta, direpta, discerpta; Et aliquid jam ex Theodorici Historiâ in eam rem notavimus, qui Ur-
Theodor. à Nyem. l. 1. c. 7. & 8. bani, Bonifacij, Innocentij, Gregorij, Alexandri, successivè Secretarius. Nec nos ipse celatos voluit, quantum toto orbe murmur, quanta animorum distractio, dum illi in partes scinduntur, hi Episcoporum suorum ductu contenti, neutri adhærent. Unde interim hoc nobis in tanto damno commodi, quòd ex occasione hujus Schismatis, os veritati multifariam aperiebatur. Quâre, & ipse ingenuè, rationi consentaneum fore, ut Imperator Romanus cum Prælatis & populo Christiano, tanquam filius Ecclesiæ spiritualis, cujus potestas immediatè à Deo, has turbas authoritate suâ compesceret; stultos & adulatores esse, qui dicunt Papam seu Ecclesiam duos gladios habere, temporalem & spiritualem, quo maximo errore in Ecclesiam Christianam inducto, perpetuam æmulationem & discordiam inter Papam & Imperatorem concitant, & Imperialia jura calcando, universam Rempublicam vehemenrer lædunt; Ex Decretis constare, si quando schisma in Ecclesiam oboriatur, veros Imperatores remedium afferre, & teneri & jure posse: Quod & exemplo Regis Theodorici probat, ex Decreto deprompto, & vehementer indignatur, quod Imperator Robertus Gregorium XII. demulcêre conetur, qui ambos ad pacem Ecclesiæ reddendam cogere debuisset: Eò spectare
D. 17. C. Concilia Theud. l. 3. c. 9. & 10. præcipuè Imperatoris potestatem, *ut malũ & incorrigibilem Papam, Ecclesiam scandalisantem* compescat, uti ex gestis Imperatorum & Regum Romanorum liquet, quò Othonis primi exemplum adducit, qui ex Germaniâ Romam usque trajicere non cunctatur, ut Iohannis XIII. protervìam castiget, quem Concilij authoritate, natalibus licet & affinitatibus Romæ suffultum, sede pellit: *Etenim*, inquit, *tunc temporis Papa non habuit tot temporalia, sicut Romana Ecclesia nunc videtur habere, quia ipse magnus Augustus & de ipso descendentes secundus & tertius ejusdem nominis Augusti, ipsam Romanam & alias Ecclesias in Italiâ & Germaniâ secularibus dominiis ditârunt; & ita manifestè apparet in libris, qui super donationibus Ecclesiæ factis, per Imperatores & Reges Romanos confecti sunt, & in Thesauraria seu Camerâ Apostolicâ conservantur;* Ab hac Dominiorum temporalium pompâ spiritualia negligi, tyrannidem invalescere, divisionem in unâ eademque Ecclesiâ sobolescere: Cui sanè Otho gnaviter prospexerit, extinctis Romæ schismatibus duobus, in quibus Rivalium alter Capitolium invaserat, arcem S. Angeli alter, quâ & obsessâ & perruptâ, factionum Proceres capite plectit, & approbato in Concilio contendentium altero, alterum in Saxoniam deportat. Non tum ei objectum: *Papas nonnisi à Deo posse judicari: Utinam verò*, inquit, *talis Imperâtor surgeret nostris temporibus, qui nunc cassaret scripturarum multiplicitatem in hoc labyrintho, quæ adeo creverunt propter multitudinem scri-*

scribentium in hoc passu, quod vix eos centum cameli portarent. Clarum est enim, quod omnium Christianorum maximè interest, quod Papa esse debet mundus, non Simoniacus, sanguinolentus, adulter, vel lubricus, aleator, ebriosus, venator, seu Venereus, vel aliter publicus baratrator, (Paparum sui temporis ulcera tangit.) Quis enim. sciens Papam esse talem, posset sine remorsu conscientiæ, aut adulationis vitio illius pedes vel manus osculari, aut illum patrem sanctum cordialiter nominare? &c. Nec tenetur fortè Imperator, vel Rex Romanorum, fidelitatis juramentum præstitum tali perverso Papæ, vel alteri Ecclesiastico Prælato, notorio peccatori, vel incorrigibili observare: Quia, ubi virtus deficit potestatis, ubi successit abusus, & juramentum iniquitatis vinculum esse non debet; aliàs enim sequeretur quod arctante illo juramento, tales perversos & malos nemo impedire, atque ut ad viam redirent, admonēre posset, quod juri communi & rectæ rationi repugnat, & cederet in Reipublicæ detrimentum: quia non perturbando perversos cum possis, est ipsos in eorum malitiis confovere, & error, cui non resistitur, approbari videtur: Nec credo illud obstare, quod Canonistæ dicunt, quod Papa, nisi à fide sit devius, dejici non possit, & quod nemo judicat primam sedem, quodque nullus potest auferre authoritatem vel potestatem, quam conferre non potest. Ex his volunt inferre, quod nemo, nisi solus Deus Papam potest, seu licet judicare, quia Papatus omnes dignitates excellit, quia Papa est Dei Vicarius, & ipse omnes judicat. Quæ licet ita teneantur, tamen in putativo & contendente de Papatu in schismate variantur, nec subsistunt, nec etiam intelliguntur rationabiliter in uno & indubitato Papa, malefico, & Ecclesiam scandalizante, quia ille revera propriè non potest dici Christi Vicarius, quia Christi mandata & opera non sequitur, nec observat, in detrimentum maximum omnium Christianorum; Et sic non Papa, sed bestia magis propriè appellatur. Qui enim à ratione deviat, non homo, sed animal irrationabile jure censetur. Et talis existens Papa, videtur etiam esse tyrannus potius quàm Dei minister, & ideò propter ejus demerita fit omnibus despectior, & ut indignus à tanto regimine sanctissimo removetur, quia malus sacerdos non dicitur sacerdos, & malus Episcopus, non est Episcopus: Hoc probare videtur authoritas Euangelij, ubi dicitur Petro conditionaliter: Si diligis me pasce oves meas, ex quo infertur, quod qui non diligit Deum, scilicet, si est Simoniacus, adulter, vel aliàs publicus peccator incorrigibilis, non meretur esse, nec est verus pastor ovium, sed mercenarius, sive lupus, quia boni & veri pastoris officium non exercet, & ideò poterit & debet per alios judicâri. Quare, narrat alio loco Cardinalem Leodiensem derelicto ob crebras suas perfidias Gregorio XII. causam suam ita defendisse: Quod Deo magis quàm hominibus est lib.3.c.34. obediendum: Si enim, inquit, illa Papa mandet vel ad ea cogere vellet, quæ animas in præcipitium ducunt, & animæ perditionem includunt, sibi fore non obediendum jure divino & humano notissimum est, secundum Doctores sanctum Augustinum, Ambrosium, Bedam & alios; imò non obediendo, & propter hoc ejus severitates sustinendo & censuras, meretur homo; Tandemque inter tot confusiones perorans: Sed nunquid ista sunt præambula c.41. adventus Antichristi? utique juxta Historiographos: prædicato enim & disseminato Euangelio, juxta sententiam Salvatoris veniet consumatio, quam præcedit discessio & divisio fidei, juxta id quod dicit Apostolus 2.Thess.2. Nisi veniat primùm ἡ ἀποστασία. Ibique ut Imperium à Româ discesserit, ostendit; fidem verò si quæras nusquam inveniri. Unde,

Tu portentorum (inquit) *locus es conformis eorum,*
Cum Nilo portenta paris, nutris Crocodilos,
Idem cum portentis reor exterminia sentis
Si quid in his possem, facerem sterilescere matrem, &c.

Quæ

Quæ ambæ notæ, inquit, *evidentes in Sacerdotio & in regno: & si ista sunt prognostica adventus ipsius Antichristi, discutiant si qui sunt, qui noverunt sensum Dei.* c. 41. 43. Qui igitur, quod alibi sæpe dictum, non ex antiquâ Babylone Antichristum expectabat proditurum, sed ex visceribus Ecclesiæ Romanæ: Suburbia enim Antichristi, qui hîc cogitat, haud procul ab urbe se esse existimabat; Prospectabant nempe miseri ex fenestrâ, qui jam per posticum irrepserat. Authorem se porrò dicit Tractatus alterius, cui *Nemus Unionis* nomen, Basileæ anno 1566. editi, in quo sex libris, omnia Paparum sui temporis stratagemata edisserit. Tituli sunt, primi, *Via*, secundi, *Invia*, tertij, *Semita*, quarti, *Inaquosa*, quinti, *Colles reflexi*, sexti, *Labyrinthus*. Opus lectu dignum eo magis quod præcipua hujus Schismatis Acta ex Archivis ibi proferuntur. In sexto præsertim de Schismate inter Pontifices sententiam suam enuntians: *Ecce*, inquit, *hac Epistolâ* (nempe Cardinalium) *invenitur, quod isti duo senes de Papatu certantes, si fas est verum loqui, mirabiliter illudunt populo Christiano.* Et summatim eorum technas perstringit. *Videntur isti duo Domini invicem colludere, veluti duo Campiones seu ad hastiludium invicem in publico omnino dispositi: tamen intercedente pacto, quod alter alterum non tangat, saltem acriter, seu offendat: sed ostentationem quandam circumstantibus faciant & illudant.* Theodor. à Nyem Tract. 6 c. 12. Ibi etiam producit Iureconsultorum Bononiensium de schismate *Conclusiones*, in quibus declarant: Primo: Hoc schisma perduratione & obstinatione in fine transijsse in hæresim. Tractat. 6. c. 16. Secundò: In schismate antiquato, Papam etiam legitimum, nî extinguendo omnem operam adhibeat, nutritorem schismatis esse, quod consequenter descendit in hæresim, ab eoque Cardinales discedere debere, tanquam incorrigibili & hæretico; nî fecerint, schismatis & hæreseos fautores esse, quod multis Canonibus & legibus Ecclesiasticis comprobant. Tertio: Papam utrumque ab unionis viâ apertè abhorruisse, sicque in culpam incidisse; quare etiam eum, qui verior videtur, ad requisitionem cujuscumque Concilij Provincialis, instantiamque Principum secularium, Papatum abdicare debere, Cardinalibusque permittere, ut ad novam electionem processuri, congregentur; Nî fecerit, eum deserere debere; Quâ utique ratione utrumque peræquè damnat, proinde & eorum Acta & ordinationes. Et hîc attendant adversarij, ubi tum successio, quam tantopere decantant. In capite 19. extat Epistola metrica *ad Gregorium, sibique adhærentes missa*, qui tamen potiori jure censebatur. c. 19. Initium ab his versibus.

Perfide, qui frenesi raptus Plutonis
Tartareis invectus equis, hæresimque secutus,
Ausus es Ecclesiæ tentare pericula sanctæ.

Hîc rogo si à Satana profectus, quid de illo sentias? Cardinales verò sui omnibus sceleribus, Sodomiâ ipsâ scatêre dicuntur. Ab eadem venâ altera. capite 28. cujus Author *F. de Verona fidelem Christi servum* sese inscribit; Gregorij nepotes illa Cardinalesque suis coloribus depingit, perfidiâ, hypocrisi, Simoniâ infames: Mox verò

Jam Nero, jamque Magus, non ulli gratia gratis
Affluxit vestrum, &c.

Et integram legere Lectorem ne pigeat, ut nec Theodorici ipsius Epistolam capite 24. Cap. 29. Epistolam profert eo tempore scriptam in nomine *Sathanæ regnorum Acherontis Imperatoris*, ad Iohannem Dominicum ex ordine Prædicatorum, Professorem Theologiæ, Presbyterum Cardinalem S. Sixti creatum, c. 24. c. 29. Episcopumque Ragusiæ electum, *perditionis*, inquit, *alumnum, nostrorum operum culto-*

ultorem, cui optat salutem & superbiam sempiternam: Ibi gratias agit, quod in [a]brumpendâ unione gnaviter incumbat, Gregorij perjuria solerter excuset, hy[p]ocrisim, luxuriam, Simoniam strenuê exerceat, Papæ, Cardinaliumque ejus tem[p]oris turpitudinem omni ex parte denudans. Sed Author ipse cap. 39. seriò & extra [o]mnem jocum mores Ecclesiasticorum Italiæ graphicè describit: *Semper intenti [s]unt*, inquit, *qualiter fratres, consanguineos & nepotes ditent: Ecclesiasticos titulos possi[d]entes: Rarò etiam vides ad ostia eorundem Episcoporum pro recipiendâ eleemosynâ: Un[d]e si fortè aliquis pauper postulet ab Episcopo aut Abbate sibi dari eleemosynam, statim [a]vertunt oculos ab eodem paupere, ac comminantur eidem, si fortè urgente penuriâ pauper [i]pse secundario postulet. In Cameram Apostolicam quotidie portantur de diversis mundi [p]artibus auri pondo multa: attamen non impletur, iniqua est generatio, quæ pro dentibus [g]ladios commutat, ut comedat inopes de terrâ, & pauperes ex hominibus, & in quâ sunt [m]ultæ sanguisugæ dicentes: Affer, Affer*: Cujus quidem Cameræ Officiales, gentes Ca[m]*eræ nuncupantur, benè quidem: Gentes enim, sunt Barbaræ nationes, habentes ritus & [m]ores extraneos à moribus hominum, legibus & ratione utentium.* Nam *sicut* Turcæ & [T]*artari, qui Christianis magis sunt infesti, infelices hujusmodi Christianos, qui ad eorum [m]anus vivi perveniunt, tractant inhumaniter & flagellant, sic & nostræ gentes prædictæ [n]ovos Ecclesiasticos Prælatos, qui apud nos promoventur, exquisitis viis, rebus, substantia, [r]emota omni pietate prorsus denudant. Unde, si fortè totum solvere nequeant, quod in ipsâ [C]amerâ postulatur ab ipsis & de gratiâ, quæ rarò fit & paucis, tempus ad solvendum ali[q]uod statuitur, extorquentur ab ipsis, qui remanent obligati, tam immania seu horribilia [j]uramenta, quod sapiens quisquam illa etiam pro consequendo magno bono vel effugiendo [m]agno damno in eventum præstare meritò formidaret: Et super tali dilatione dantur ei [l]iteræ in ipsâ Camerâ, non propter Iesum tantùm, sed ut immoderatè nimis aurum, si quod [s]uperest, pro expensis itineris allatum, etiam extorqueatur ab ipsa: sic, ut ab eadem Camera [l]iberatus, ea vice rectè dicere possit.*

Cantabit vacuus coram latrone viator.

[O]*mnis enim ab inde pietas, misericordia, & clementia longissimè avolârunt, & si fortè mille [f]lorenos ibidem solveres, quorum unus tantùm unum dumtaxat obolum minus debito pon[d]eraret, nisi longè illo ponderosiorem illicò exhiberes, aut quod deficeret, in argenteâ mo[n]etâ suppleres, liber tibi recedendi non pateret exitus ab eadem, licet gentes ipsæ nostræ ge[n]eraliter omnes, florenos, quos recipiunt ab aliis, persolvunt cæteris sine pondere & mensurâ. [S]i autem quis pauper aut dives Prælatus, totidem, quot debet ipsi Cameræ, solvere unâ vice [n]on possit, etiamsi esset excellentior Doctor, vel Magister in orbe terrarum, sibi propterea [n]on differtur, quoniam si infra annum, totum non solvat, in quo ipse dictæ Cameræ obliga[t]ur, in ejusdem anni revolutione, de Antistite fit Clericus, nec non de Abbate Monachus, & priore posterior derivatur, nullâ ipsis æquitate vel justitiâ suffragante. O justissimæ gentes nostræ, vel quasi rectè cum infernalibus furiis seu harpiis & Tantalo sortem sitibundo [p]ositturæ, qui nunquam satiantur: Habent etiam dura capita & saxea pectora ex Deucalio[n]is composita lapidibus, & corda ad miserendum compatiendumque omni chalybe duriora [g]entes nostræ prædictæ. Infœlix igitur ille pauper Prælatus, qui retibus dictæ Cameræ illaqueatus, in locum inibi veniret tormentorum.* De Pontificibus autem sui temporis illi [a]pprimè notis ingenuè; De Urbano VI. *Ante tempus suæ electionis in Papam, quamdiu fuit in Curiâ Romanâ conservatus, totus humilis & devotus communiter reputatus, [s]ed in Papatu subitò, postquam electus & coronatus fuerat, mutatus in virum alium, incœpit tyrannizare, ac Dominos Cardinales, qui eum elegerant, malè tractare & alia multa inordinata facere inconsultè: qui habuit quendam nepotem Franciscum Pregnanum nuncu-*

cap. 39.

patum, hominem prorsus inutilem & plus, quàm decet loqui, libidinosum. Huic plures Ducatus, & Comitatus in regno Siciliæ dare voluit, ipsumque de illis intitulavit, & libenter etiam, si potuisset, in Soldanum Babyloniæ erexisset, licet apertißimè idem Franciscus Despota, seu œconomus aptus unius domunculæ non fuisset. Et postremo ipso Urbano nullus in Papatu repertus est hactenus truculentior & sævior; ita etiam, ut multos Episcopos & alios Cardinales faceret immanissime trucidari, secum super hoc, ut æstimo, Diabolo dispensante. De Bonifacio IX. *Pulchræ staturæ, sed vitiosi subjecti. Nemo enim unquam in sede Apostolicâ legitur præsedisse, qui adeò publicè & inverecundè Simoniæ vitium præsumeret exercere, scandalizando indifferenter, propter pecuniæ quæstum, valdè multos Archiepiscopos, Episcopos, & aliorum statuum Ecclesiasticos, Prælatos ordinando, necnon Clericos & Sacerdotes: omnia vitiosè faciendo: qui etiam fratres suos Marchiones & Duces ac Comites fecit.* De Innocentio VII. *In illo virtutes & vitia militabant. Fuit enim magnus simulator & blæsus, & carnali affectione similiter ardens; Suos statim in divitiis temporalibus sublimavit, nec, quam vovit & juravit se facturum unionem in Ecclesiâ generali facere curavit.* De Gregorio XII. *Qualiter ipse cum suis consanguineis, & circa eandem unionem per ipsum faciendam se hactenus habuit, & habet satis clarum est. Et hi quatuor ultimi Eleemosynas non dederunt, quod est signum damnationis, & pessimum in Prælato: quia nemo sine charitate salvatur.* Et hæc scribebat
An. 1408. literarum Apostolicarum Abbreviator, anno 1408. Etenim Gregorio isti inscribitur Epistola, quam delusoriam vocat, officiariorum Curiæ Romanæ, in quâ *Precursor damnabilis Antichristi* cognominatur; Nec non & Benedictus ejus competitor. Ibi protestantur mundum deinceps excommunicationes suas nullo loco habiturum, ludibrio contrà, cum manifestum sit, utrumque illorum, homines in apertum exitium trahere, Papatu æquè indignum; Gregorium præsertim, cui tamen plus deferebatur, ebriosum, hæreticum, Ecclesiæ Dei destructorem, maledictum, ut & intimos quosque suos, Gabrielem nominatim, qui post Eugenius IIII. quem primogenitum, ex ejus renibus prognatum appellat, & Cardinalem Ragusinum, Monachum Dæmoniacum, Legatum Infernalem, & plures alios. Concludit tandem Author, eò, evasisse hoc schisma, ut Principes utriusque obedientiæ, Pontifices istos plane aspernarentur, & in contemptum Bullarum suarum amicitias, fœdera, affinitates invicem contraherent, ut verè dici posset, adeò omnia utrimque in ambiguo: *Nec verum Papam, nec verum Romanorum Regem habemus*; Et en tibi rursum quam ostentant succesionem. Scripsit etiam idem Tractatum *de investitura Episcopatuum & Abbatiarum*, cujus jura ad Imperatorem pertinere contendit. Meminit ejus Henricus Token, Episcopi Magdeburgensis in Concilio Basiliensi delegatus, in Tractatu: *Quòd Concilium suprà Papam.*

Hîc nostra Gallia eo magis consideranda venit, quòd contendentium alter apud nos Avenione residebat. Clementi igitur Cardinales Petrum de Luna, alias Benedictum, substituerant; Frossardus sub conditione electum scribit: *Si Regi Franciæ ejusque Consilio placeret*, alias non recipiendum: Quin cum Regem *de sua Papalitate* certiorem fecisset, neglectim respondisse, dubium, *verumne Papam eum agnosceret, an non*: Accersit itaque doctiores quosque ex Universitate Parisiensi M. Iohannem de Gigencourt, M. Petrum Playons & alios, qui eum admonent, fidem Christianam schismate labefactari, nec posse Ecclesiam eo statu diu consistere: Unde Universitas Parisiensis non fuit ejus sententiæ, ut Clerici gratiam petituri Avinionem rotulos mitterent: Benedictus licet generalem gratiam omnibus aperuisset; Quod & Rex ipse eorum consilio vetuit, usque dùm ali-

aliter ſtatueretur. Idem verò Dux Britanniæ, licet nonnulli Franciæ Principes Benedicto faverent, quòd nihil plane denegaret. Itaque Rex, inconſulto Papa, de Beneficijs vacantibus ſtatuebat, ut vehementer Cardinales trepidarent, ne in ſua ipſe beneficia toto regno manum injiceret: Legatumque ad eum mitterent, fidem daturum, ſi Benedictus minus ei placeret, ſe Conclave denuo ingreſſuros, ut aliquis ei acceptior eligeretur. Audito Legato & Minorita quodam, qui apud Regem Bonifacij Papæ Romani nomine reſidebat, re cum univerſitate communicatâ placuit: *Uti ambo rivales Papatum abdicare, Cardinaleſque Cardinalatum omnes juberentur; Demùm Clerici & ſtrenui viri probatæ conſcientiæ ex Germaniâ, Franciâ, & aliis nationibus aſſumerentur, qui conjunctim re inter ſe deliberatâ, bono conſilio & abſque fraude Eccleſiam in rectum unitatis ſtatum, gradumque reſtituerent.* Quam Univerſitatis ſententiam Rex amplectitur: Probant etiam Duces Aurelianenſis & Burgundus, eorumque conſilia; Quâ & mente Legatos ad Reges Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Angliæ Rex mittit, nomineque Regum Caſtellæ, Navarræ, Aragonum, Siciliæ, Neapolis, & Scotiæ fidejubet, obſecuturos, cui ipſe regnumque ſuum obſequeretur. In his Legationibus tempus extrahebatur, quarum tamen is fructus fuit: Quòd Richardus Angliæ Rex facturum ſe recipit, quicquid Regi Franciæ videretur. Wenceſlaus verò Imperator, anno 1398. cum pluribus magnis Principibus Rhemos uſque, cum Rege de eâ re deliberaturus, venit. Quamquam itineri ſuo matrimonium filiæ Ducis Aurelianenſis cum filio Marchionis Brandeburgenſis prætexebat. Ibi poſt multas ultrò citroque concertationes magni illi Principes adſiſtentibus eximijs quibuſque ditionum ſuarum Senatoribus, decernunt: Uti M. Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracenſis, ſuo nomine Bonifacium Romæ adeat, eumque de abdicando Papatu interpellet, ut de novâ electione conſilium ineatur: In quâ jus illi ſuum ſervetur: Prout autem ipſe reſponderit, Benedicto idem ſolenniter denuntiet: Promittebantque Imperator & Rex, pro Regibus & Principibus ſibi fœderatis, hoc Decretum ab ipſis iri confirmatum. Contendit igitur Romam Cameracenſis, vir illâ ætate primarius & ad aures Bonifacij admittitur: Sed Cardinales, diſſimulatione opus rati, reſpondendum ſuadent: Principum libenter ſe conſilijs pariturum, modò Benedictus Papæ nomen ejuret. Et paratum porrò ſe ſiſtere quocumque loco Conclave fuerit inſtitutum. Et tamen murmurantibus ſub id temporis Romanis, ne quod ſperabant ex Iubileo lucrum ſibi interverteretur, reſpondet ingenuè, *filioli certi eſtote me manſurum Papam, & quicquid iſti Reges agitent, arbitrio eorum non ſtaturum.* Quod interim Cameracenſis non reſcivit: Ad Imperatorem igitur revertitur, qui eum ad Regem dirigit, cum hoc mandato: Hoc cum ita ſit, eſſe quod de Benedicto ad officium cogendo cogitet: Mox ſe apud Bonifacium idem pręſtiturum. Itaque conveniunt Lutetiæ nobiles & Prælati noſtri, in quibus tamen Rex pro ſuâ prudentiâ, Archiepiſcopos Rhemenſem, Rotomagenſem & Senonenſem, quippe nimijs beneficijs Papæ devinctos intereſſe noluit; Ibique ex Univerſitatis Pariſienſis conſilio definitum: *Regem miſſurum Dominum Bucicaldum Mareſchallum in partes Avenionis, qui ſive per tractatum, ſive alio quovis modo curet, ut Benedictus Papatum ſuum Regis Franciæ conſilio abſolutè permittat: Eccleſia verò qua regni fines patent neutras partes ſequatur, uſque dum judicio & Decreto Prælatorum in id delectorum, unio ſancita ſit.* Advenit Avenionem Cameracenſis, Mareſchallo Lugduni relicto, nuntium ab eo expectaturo: At ut mandata ſua exponit,

Froſſard. l.4.c.58.

Benedictus, inquit Frossardus, *totus expallescit, & vocem attollens: volunt*, inquit, *ut renuntiationi me submittam: me vivo nunquam hoc fiet. Et Rex Franciæ, velim intelligat, me quicquid statuat non facturum, sed & nomen & Papalitatem meam ad obitum usque retenturum.* Ad hæc Episcopus: *Vos ego prudentiores existimabam, quàm invenio, petite à fratribus vestris deliberandi rationem.* Igitur cum convenissent, Cardinalis verò Ambianensis exposuisset, velint nolint, sibi Regibus parendum fore, & jam Regem Franciæ suorum beneficiorum fructibus imminere; multique jam nutarent, Benedictus nihilominus eo pervicacior: *Non abdicabo*, inquit, *non submittam Papatum meum ulli tractatui in gratiam cujusquam Regis, Ducis aut Comitis;* Et ijsdem verbis Episcopum dimittit, additque: *dicetis filio nostro Franciæ, quod hactenus eum pro bono Catholico habuimus, quem jam ex informatione sinistrâ errorem induere velle videmus, sed eum tandem pœnitebit.* Quare, confestim Mareschallum Bucicaldum Episcopus accedit, qui ad Andreæ usque portum, Avenione novem leucis distantem jam processerat: Ille verò his auditis, nobilitatem & militem undequaque accersit, aditus aquâ terraque intercludit, perque Fecialem Benedicto in suo Palatio bellum indicit; Suadebant Cardinales ferè omnes, ut Regi satisfaceret, Avenionenses etiam ipsi, sed obfirmato ille animo contrà, urbem firmam ac validam esse, Aragonum se Regem advocaturum, *qui sibi inserviturus* veniat, eum seu propinquitatis, seu obedientiæ Papæ debitæ ratione ad id teneri. Et porrò absque re eos perterrefieri. Sed cum Mareschallus civium vineis & prædijs incendium minaretur, illi inconsulto Papa, cum aliquot Cardinalibus ejusdem consilij, Ambianensi, Pictavensi, Novocastrensi, Vivarensi & pluribus alijs, eum sibi in urbem recipiendum statuunt, Palatiumque obsidendum eâ lege, ne quid detrimenti aut ipse aut sui accipiant: Quod utrinque executioni mandatum. Interim Palatium Benedictus rebus ad victum necessaris instructum tuebâtur, Regem Aragonum venturum prospectans, cui, si ipsum liberaret, Perpiniani sedem collocaturum, instrumento in id consignato, pollicebatur. At ille contrà: *Putatne hic Presbyter, ut argutias ejus defendam, me cum Rege Galliæ bellum suscipere velle? pravo sane me consilio uti, nemo non diceret.* Generosiores quique etiam apud eum dicere, prudentiorem esse Regem Franciæ, quam ut quidquam præter jus faceret: esse quod Clerus Dominis obedire disceret, quorum in ditione sui sunt proventus, recoleretque à quibus dona accepisset: Ratum proinde sibi Regis Franciæ exemplo & rogatu, neutram partem sequi: sic Regni Clerique sui maximam partem suadere, cum non aliâ ratione Ecclesiæ concordia & unio restitui posit. Benedictus igitur, ut se derelictum videt, rerumque necessariarum penuriam ingruere, veniam implorat; Et conditiones hæ fuêre: Non abscessurum ex Palatio Avenionensi, quin Ecclesiæ unio reddita esset: Dati tamen ei custodes, & Cardinales insigniores que cives, jussi eum repræsentâre, *mortuum aut vivum.* Quo facto dimissæ copiæ. Sunt hæc Frossardi verba. Sicque præstiterat Rex Franciæ, quæ cum Imperatore pactus erat, quorum certiorem eum illicò fecit, perhonorificâ legatione missâ, cujus Princeps Hierosolymitanus Patriarcha; Eo instituto, ut parem in hoc negotio fidem & diligentiam ab Imperatore præstari deposceret; Et jam in hanc *neutralitatem* consenserant Reges Hispaniæ, Scotiæ, Aragonum, Navarræ: quibus Imperatoris authoritate & studio accedebant Germani, Hungari, Bohemi, Itali, ut sola restaret Anglia, pro quâ Rex Franciæ fidejusserat. Sed Rex Richardus à Clero suo id obtinere non potuit, dicente, *Richardum hunc Burdegalensem Gallum totum esse*, aliunde sibi quàm ex Galliâ petendum

Frossard. c.97.98. 99.

dum consilium; Et verò, ijs non multò post domesticis negotijs districtus fuit, ut de externis cogitare minus integrum esset. Ipsi adeò Leodienses Bonifacium Papam Romanum, neutralitatem amplexi, excutiunt, quibus in fide retinendis Legatum miserat: Sed ille ulterius progredi non ausus, Coloniæ substitit: Cumque per tabellarium literas misisset, vetatur reverti, nî in Mosam projici vellet; Adeò miserabilis Ecclesiæ status omnibus populis in aperto erat. Et hæc ad annum usque 1399. 1399.

Transacti complures anni in his Pontificum vitilitigationibus, dum quisque unionis studium præ se fert, quam neuter amplectitur, uterque interim in suâ quisque obedientiâ, *exactiones, angarias, tyrannidem in Ecclesias impiger exercet*; Annatas etiam ex Bonifacij inventione primum inductas, quà sua potestas patet, violenter exigit. Decretum inde consequitur Senatus nostri, nec non magni consilij, datum 11. Septembris anno 1406. instante Parisiensi Universitate, quo 1406. prohibitum, ne Papæ suisve Cardinalibus persolvantur; Sin exigere deinceps tentent, *nullæ provisiones* ab eo recipiantur. In ejus narratione Universitas confidenter, scriptum est, *Substrahite vos ab omni fratre inordinatè ambulante.* Mox & illud Apostoli subjungens: *Ego novi, quod postquam abiero, ingredientur vobiscum lupi robusti, qui non parcent gregi*; Illud etiam Prophetæ: *Eo quod est grex meus direptioni & sunt oves gregis mei cibo omnibus bestiis agri destitutæ pastore, & non reposcentibus pastoribus meis gregem meum, pascunt enim pastores seipsos, gregem autem meum non pascunt, idcirco Dominus ait, faciam ut cessent à pascendo grege, ut non pascant amplius ipsi Pastores: eripiam enim gregem meum ex ore ipsorum, ut non sint oves illis in cibo.* Quæ verba ad Benedictum accommodat; Recolit etiam, Romam sedis suæ eminentiam à Constantino habere, non ideò tamen ei in alias Ecclesias quidquam imponendi jus esse; Consequitur inde Edictum Caroli 6. anno 1406. Februario datum, quo & Annatæ & *minuta* quæ vocant *servitia*, & innumera ejusmodi gravamina, rapinarumque genera, quæ ibi sigillatim exprimuntur, ut Ecclesiæ Regnoque exitialia, populum ad paupertatem redigentia, innumerasque miserias ex pabuli, tùm corporalis, tùm spiritualis inopiâ, in extremum exitium detrudentia, sustolluntur; Edicti verò ex eo occasio, quod recentiores Papæ toties admoniti, nullam eorum rationem habuerint, tàm solenniter interpellati, ad querelas & obsurduerint & obduruerint. Item quia Regia potestas Ecclesiæ constituendæ, à Deo instituta sit, ita ut regnum cœleste à terrestri emendetur, cum Ecclesia ab his destruitur, qui primas in eâ sedes obtinent, severitate Principum utique coercendis, quo casu ad eos solos confugiendum sit; quippe qui ex sacramento Deo præstito, Ecclesiæ saluti prospicere debeant, alias rationem reddituri; In hoc præsertim, in quo omnes Doctores unà voce consentiunt, etiam Pontifici ipsi obsequium jure denegari. Et hoc Edictum integrum adhuc legitur; Ab illo suo axiomate quàm abhorrens: Quod Papa supremum in cœlo & in terrâ Imperium obtinet. Hæc sedente Innocentio 7. contendentium altero: Qui ei successit Gregorius nobis ablandiri voluit, Bullamque per Legatos Regi misit, quâ, bonâ fide se unionem procuraturum pollicebatur, illis, quæ suprà, conditionibus, anno 1416. XI. Decembris datam, quæ apud Monstreletum habetur. Consequenter verò Rex & Universitas Parisiensis, re cum Primoribus Cleri & Consilij deliberatâ, Oratores ad Benedictum delegant, Patriarcham Alexandrinum, Cameracensem & Bellovacensem Episcopos, Abbates S. Dionysij & montis S. Michaelis, & Doctores ex Universitate nonnullos. Hi palàm faciunt, nî ad officium redeat, Re-

Arrestum Curiæ an. 1406. impressum cum Nicolao Clemangis.

Regem & Delphinum sese ejus obedientiæ substracturos, Bullisque ipsius minimè parituros. Benedictus propositi tenax, Oratores verbis deludit, inscijsque Cardinalibus constitutionem intereà edit, quam per nuntios ad Regem & Universitatem dirigit: *Si quis ejus se successorumve obedientiâ unquam substrahat, gravissimas pœnas comminatur.* Quo facto Oratores ambiguis & admodum jejunis verbis dimittit. Agnoscunt Rex & Senatus, hos Pontifices mundum ludificari, pariter utrumque, nec quidquam tamen deterrentur. Iohannem de Castromorando & Iohannem de Courseno Equites ad Benedictum anno sequenti mittunt: *Nî unio intra Ascensionis diem Ecclesiæ reddatur, Regem, Clerum, Nobiles & Populum regni, & Delphinatus ei non amplius parituros, ut nec adversario significant.* Ad hæc Benedictus animum compescens, primo quoque die per certum nuntium responsum daturum respondet. Fuit is nescio quis, qui Palatium S. Pauli ubi tunc Regis sedes, Oratoriumque Regium ineunte Missâ ingressus Benedicti ei literas exhibet, & actutum excedit; Leguntur literæ, sed nuntius evanuerat; Quare, Rex ex Principum consilio & Universitatis Parisiensis hortatu, Pontificis se obedientiæ substrahit: Extant apud eundem Monstreletum literæ, quibus conqueritur Papa, *quod regni sui subjecti in Ecclesiam Romanam rebellent, dum contra constitutiones Canonicas à se appellent, quodque Rex præter puritatem legis varios errores in eo seminari patiatur;* his verbis exactionum suarum repressionem circumscribens. Unionem porrò quam cogitat, peccatum propriè, & perseverantiam in Schismate esse, eosq; qui ad eam hortantur, eum ludificari, si in vano hoc errore perstiterit præter pœnas & sententias in jure pronuntiatas, Constitutiones mittere Bullâ suâ comprehensas, ex quarū tenore & ipse & qui deliquerint cæteri sint puniendi; Et intermiscebat quidē adulatoria quædam, sed Bulla præfractè in hæc verba perorabat: *Nos excommunicamus omnes, qui à nobis nostrisve successoribus Episcopis Romanis, relicta via papalitatem ingressuris appellaverint, aut appellantibus interturbantibusve favorem exhibuerint, &c. aut eos nostrâ sententiâ ligatos aut excommunicatos non esse affirmaverint, cujuscumq; gradus, dignitatisve illi fuerint, Cardinales, Patriarchæ, Archiepscopi, Episcopi, Regiâ aut Imperiali majestate insignes, cujuscumq; status seu Ecclesiastici, seu secularis, ab hac verò sententiâ nemo nonnisi à Papa absolvi poterit, excepto tantum articulo mortis. Et hanc à nobis vibratam sententiam, qui duro & obstinato corde viginti dierum spatio sustinuerit, si Princeps ille, eum Interdicto Ecclesiæ cum omnibus suis terris, urbibus, civitatibus, castris, &c. subjicimus; Si Universitates pariter, &c. non obstantibus omnibus libertatibus, gratiis, indulgentiis Apostolicis, à nobis nostrisve Antecessoribus concessis.* Tunc igitur, ineunte scilicet anno 1408. Universitas Parisiensis, verba faciente M. Iohanne Cortehusio Normanno, in magnâ Palatij Parisiensis aulâ, assidentibus Regi, Rege Siciliæ, Ducibus Bituricensi, Barrensi, Brabātino, Comitibus Moretanio, Nivernensi, S. Pauli, Tancredovillano, Rectore Universitatis, ejusq; suppositis & deputatis, in magnâ Nobilitatis, Cleri & Populi frequētiâ; Quin & adsistētibus Comite Warvici Anglo & Scotię, Galecięq; &c. Oratoribus, quę sequūtur, exposuit: Thema suū Magister ille Iohānes ex. VII. Psalmo desumpsit: *Cōvertetur dolor ejus in caput ejus, & super verticē ejus descendet iniquitas ejus;* Indeq; sex conclusiones elicuit: Prima fuit: *Quod Petrus de Luna* (id est Benedictus) *obfirmatus schismaticus, imò hæreticus, pacis & unionis Ecclesiæ perturbator.* Secunda: *Quod Papa non nominandus, non Cardinalis, non alio dignitatis titulo dignandus; iis, qui ei paruerint, pœnas schismaticorum fautoribus indictas, incursuris.* Tertia: *Quòd facta, dicta, collationes, provisiones, &c. ex quo literæ in Bullæ formā editæ, & omnes pœnæ tēporales aut spirituales, apertè aut obscurè illis comprehensæ, pro nullis*

Monstrel. Vol. 1. c. 33.

lis habendæ. Quarta : *Quod literæ ipse pravæ, seditiosæ, fraudis plenæ, pacem turbant, & regiam Majestatem lædunt.* Quinta : *Quòd iis literis aut mandatis non est parendum, qui paruerit schismaticorum fautor censendus.* Sexta : *Quòd contra Petrum ejus fautores literarumque suarum receptatores jure agendum;* Unde & Universitas Parisiensis à Regiâ Majestate consonè postulat. Primò : *Ut in has literas earumque receptatores ritè inquiratur, ut de eis pœnæ sumantur, quas illa tempore & loco designabit.* Secundò : *Ne Rex ullusve ex Regno : ullas amplius à Benedicto literas accipiat.* Tertiò : *Jubeatur mandato Regis, Universitas Parisiensis, veritatem toto regno promulgare.* Quartò : *Episcopus de S.Flore, M.Petrus de Corsellis, Sancienus de Leu Decanus S.Germani Altißiodorensis, comprehensi, pro demeritis suis puniantur; nempe qui cum Papa prava consilia miscuerint.* Quintò : *Bulla illa, quæ dicitur, laceretur, ut Regiæ Majestati injuriosa, protestante Universitate, se majora quæ ad fidem pertinent, aggressuram* (notentur hæc verba) *& explicaturam, eaque omnia apud quos oportuerit, demonstraturam.* Quæ omnia Universitati à Rege de plano concessa, literæ Pontificiæ à Rectore in celeberrimo illo cœtu laceratæ, comprehensi & in Luparam abducti, quos Universitas postularât : qui Bullam Papalem attulerat, Procuratoris Regij diligentiâ non procul à Lugduno è fugâ retractus, Lutetiamque in vinculis abductus : Quod ubi Benedictus intelligit, ita perterresit, ut cum quatuor Cardinalibus furtim ex Portu Veneris dilapsus, Perpinianum sese proripiat.

Sequitur sequenti Augusto celebris alius conventus in eadem causâ, cui præsidebat Galliæ Cancellarius, assidebantque ut supra Principes & proceres omnes. Ibi Theologiæ quidam Doctor, inter Dominicanos insignis, illud Romanorum 14. exponendum sumit : *Quæ ad pacem faciunt sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem.* Ideoque Benedictum sex modis schismaticum esse convincit, Bullas ejus & fraudulentas & injurias; Regem porrò cujus nomine verba faceret, in eo quod neutram partem secutus sese utriusque obedientiæ subduxisset, jure fecisse. Intereà verò, inquit Monstreletus, *Magister Sancienus & Nuntius Petri de Luna* (Benedicti) *qui supra memoratas literas Regi attulerat, Arragonenses ambo, catamidiati, & vestibus induti, in quibus Petri de Luna arma seu stemmata inversa depingebantur, ex Lupara in atrium Palatij trahæ impositi adducuntur, moxque prope marmor, quod gradibus proximum in catafalcum seu pegma omnibus ostendendi ignominiosissime evehuntur; Mitris verò inscriptum erat : Hi sunt infideles Ecclesiæ & Regi.* Postridie rursum in Palatio consilium habetur, ubi M. Ursinus Taluenda Theologiæ Doctor pro Universitate Parisiensi verba facturus, ex Psalmo centesimo Thema delegit; *Fiat pax in virtute tuâ;* Hortatusque Regem & Principes ut schismati prospicerent, Petrum schismaticum & hæreticum declaravit, quique ei parêrent, pœnam hæreseos schismatis fautoribus debitam incurrisse, palàm facit, *multisque Paparum Romanorum exemplis adductis, quæ ad rem præsentem faciebant,* Bullas publicè lacerari impensius postulavit; Alteras etiam ejusdem generis, quæ Tholosam allatæ fuerant, Quod Senatusconsulto in eam rem edito 20 Augusti. 1408. sancitum & executioni de- c.51. mandatum fuit. *Præterea jussi omnes Prælati alijque Ecclesiastici, intra suorùm Beneficiorum metas curare, ut neutralitas altâ & clarâ voce publicaretur, &c. Quare Aragonenses ambo supra nominati denuò totâ urbe circumducti, & ludibrio expositi.* Qui sanè vigor eò magis attendendus, quòd in periculosissima regni nostri tempora, scissis, si unquam anteà Procerum, Populique studijs, incidit. Inde verò evenit, ut Cardinales utriusque obedientiæ animum resumentes, plerique, utroque Papa c.53.54. derelicto, Pisas confluerent, ibique frequenti Concilio, utrumque hæreticum quip-

quippe, & ſchiſmaticum Pontificatu ſpoliarent, quorum Acta in quibuſdam literis Abbatis S. Maxentij ad Epiſcopum Pictavienſem perſcribuntur, qui Concilio illi intererat; ubi & Epiſcopus quidam Tarraconenſis, inſignis Theologiæ Doctor, celebri concione illud Apoſtoli aſſumens: *Repurgate vetus fermentum*, &c. pronunciare auſus, *eos non magis Papas eſſe, quàm ſuæ ſoleæ veteres*, *Anna & Caipha pejores, & ipſis inferni Dæmoniis conferendi*, acproinde de Archiepiſcopis & Prælatis, quos ſubinde ordinârant, deque ijs, quæ ab ordinatis gerebantur, judicium ex his ferat Lector. Idem habetur in literis Oratorum Univerſitatis Pariſienſis ad ſuos nominatim Dominos & Magiſtros. *Quod neutralitas & ſubſtractio obedientiæ ritè facta, & Acta judiciaria, judiciaque Pontificum contendentium contra eos, qui ſe ſubſtraxerant, jure abrogata*; Approbataque omni ex parte Univerſitatis Pariſienſis ſententia; ut & ibidem extat Concilij definitiva ſententia in utrumque contendentium, *propter horribilia eorum peccata*; Revocatio etiam Actorum eorundem anni proximè præcedentis, & Epiſtola Alexandri V. ad Epiſcopum Pariſienſem, qui
c. 67. eos *hoſtes Dei & ſanctæ Eccleſiæ propter enormia & horribilia peccata notaria expreſſè* pronuntiat.

Iohannes 24. aliàs 23. Alexandri ſucceſſor anno 1410. Legatos ſuos Archiepiſcopum in primis Piſanum mittit, *qui vacantem decimam, procurationes, & mortuorum ſpolia petat*. Congregatur apud Bernardinos Univerſitas 23. Novembris, convocatiſque Prælatis, qui tum Lutetiæ, decernit, legem ſuprà memoratam, anno 1406. latam, defendendam eſſe, quâ nempe Eccleſia Gallicana ab omnibus decimis, procurationibus, & alijs quibuſcumque ſubſidijs & vectigalibus immunis ac libera aſſeritur: Sin Papæ Legative ſui per cenſuras Eccleſiaſticas, quemquam ad ſolutionem eorum adigant, ab eo ad Concilium generale appellare ratum: Si & collectores aliqui illa exigere conentur, temporalis ſui amiſsione, ſi quid ij tale poſsident, ſi minus, carcere mulctandos; Rogatuſque Rex & Senatus ita ſtatuere, Procurator Generalis in eum actum Univerſitati ſeſe conjungere. Cæterum, ſi Papa manifeſtam Eccleſiæ neceſsitatem cauſetur, Concilium convocandum fore: Ibique de charitativo ſubſidio deliberandum, quod viri probi à Conſilio delecti colligant, collectum ejuſdem authoritate diſtribuant. Die Lunæ ſequenti habetur conſilium Regium, ubi Archiepiſcopus exponit, rem ſe jure divino, Canonico, Civili & naturali, Cameræ Apoſtolicæ debitam poſtulare, *quam quicumque ſolvere detrectaret, Chriſtianus nequaquam eſſet*; Chriſtiani definitionem notet hîc Lector. Interfatur Rector, hæc verba in dedecus Regis & Univerſitatis, proinde & totius regni prolata eſſe: Quare, ad trigeſimum Novembris congregationem generalem indicit. Decernit Univerſitas Oratores ad Regem, uti Legatus verba illa revocare jubeatur: ni fecerit, Facultates Theologiæ & Decreti in ipſum ſcripturas *ſuper fidei articulis*, ut tum ipſe, tum Collegæ pro rei merito puniantur. Scripturam porrò ſe omnibus alijs Univerſitatibus & Prælatis ut hanc litem ſuam faciant, eodem etiam fine Archiepiſcopo Rhemenſi & alijs magni Conſilij Regij Senatoribus, qui Univerſitati juramento devinciuntur; aliàs eâ dignitate privandis. Quo facto Legati Pontificis, inſalutato hoſpite, Lutetiâ excedunt. Nec tamen deſpondet animum Papa; Legatos imò rurſum decimam Galliæ indictam exacturos ad Regem expedit, qui in ipſo Regis Conſilio præſente Aquitaniæ Duce profatur, non Eccleſiam Gallicanam tantum, ſed quaſcumque alias huic ſubſidio tenêri divino jure non tantum poſitivo. Itaque intercedit denuò Univerſitas, inque Congregatione ſtatuit, modum, quo hoc ſubſidium peteretur,

Ann. 1410.

Bochell l. 2. Decret. Eccleſ. Gallicanæ p. 323. 324. Idem l. 4. p. 51. 52. 53 54. 55, 56. ex iiſdem.

atur, reprobandum esse, iniquum quippe, & legi, anno 1406. latæ, repugnantem, uam sartam tectam tueri decreverint; Si Papa Legative sui ulteriùs progrediantur, appellare se ad Concilium generale Ecclesiæ; sin & novi Regis & Regni gubernatores in legis illius fraudem quidquam moliantur, ad Regem & alios Consilij ptimates provocâre. Si denique ex Universitate ipsâ quidam in exigendâ decimâ, operam suam adhibeant, juribus suis privari debere; si alij, temporali suo, si ullum habent, carcere mulctari. Quod si verò Pontifex *via charitativa* pecuniam olligere velit, rogare Universitatem, majestatem Regiam, uti regni Prælati deberaturi convocentur. Primò: Quod in Concilio generali proximo tractandum, . Quid ad Legatorum Pontificis supplicationem respondendum; ita quidem, ut subsidium concedatur, à viris probis ex regno delectis colligatur: in unionem, Græcorum & Latinorum, regni Angliæ pacem, Palestinæ recuperationem & Euangelij, omni creaturę prædicandi, propagationem distribuendum, præsertim um eo fine Papam hoc subsidium expetere Legati asseverent. Quibus omnibus, acrum Senatum rogat, Regiosque procuratores, ut opem operamque suam sibi ommodent. Archiepiscopus inde Pisanus erga Universitatem humilior factus rimarios demulcere conatur, ut cum eo mitius agant: Sed Universitas constanter perstitit, pleraque pars licet Procerum, Principum adeò ipsorum, de vigore uo remitteret. Monstrelet. Vol. 1. c. 67.

Hîc jam Concilij Constantiensis locus in quo anno 1416. Ecclesiæ Gallicanæ & Universitatis nomine scriptum exhibetur, cui nomen *Apostoli*, ex eo quod Carolus 6. Decreto Senatus, edictoque, inde consequuto Annatas solvi vetuerat; alis de *Annatis non solvendis*. Illud eo magis necessarium, quòd Cardinales, Antipapas illos dejecturi, lucrativas nihilominus eorum artes retinere satagerent; Annatas præsertim, quas promotores etiam Concilij rationibus suis tutabantur. Ibi disputatum à Theologis nostris, Annatas non jure divino, non humano deberi, Johanni 23. in expeditionem transmarinam extra ordinem concessas, nonnullos Pontifices exinde variis coloribus continuare voluisse: sed cessante causâ, cessare & illas debere, nec amplius tolerari posse, hoc maximè tempore quo Italia, Gallia, Germania, Anglia, pacem inter se & amicitiam colunt. Hîc verò in exactionibus, quæ tum vigebant, enucleandis latè expatiantur, Papæ Ecclesiæve Romanæ, ut Ecclesijs personisve Ecclesiasticis quidquam imponant, jus non esse, cum earum Dominus non sit, sed Christus solus. Has exactiones Fundatorum menti repugnare, quorum successores apud Regem conquerantur, quòd bona Ecclesijs donata, ad alios usus transferantur, in ipsum adeo Ecclesiæ, Reipublicæ, omnium ordinum exitium, intervertantur: Et porrò perorat universa natio, se quocumque prætextu nullas unquam persoluturam: Et illorum sanè rationes huc omnes afferre tædiosius esset. Præcipuæ hæ sunt: *Annatæ videntur hominem obligare ad incidendum in hæresim, largè sumpto vocabulo, videlicet quòd sit licitum spiritualia emere, vel pro spiritualibus pecuniam & temporalia dare, &c.* Item, *sic promotus videtur cogi committere Simoniam & perjurium;* Quod ex syngrapha probat quæ à Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, &c. exigi solita: *Vos. &c. de licentiâ & authoritate Apostolicâ, vobis in hac parte concessâ, gratis & sponte offertis, dare promittitis & donatis pro vestro communi servitio, Cameræ sanctissimi in Christo Patris & Domini D. Alexandri Papæ, S. & sacro Collegio reverendissimorum in Christo Patrum, Dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Cardinalium videlicet, &c. florenos auri de Camera boni & legitimi ponderis; &c.* cum pluribus alijs arctissimis clausulis, quibus An. 1416.

bus suam fidem juramento, tactis Euangelijs & anathematis pœnâ obstringunt.

Florebat tunc temporis Zabarella Cardinalis Iureconsultus eximius, qui de schismate scripsit: Non veretur ille dicere, defensores Papæ ita jus Canonicum suis Glossis corrupisse, ut nihil tam illicitum sit, quod sibi licere non credant; quippe quem suprà Deum ipsum extulerint, *Deo ipso superiorem fecerint*: Inde infinitorum errorum fontem, dum Papa omnium inferiorum Ecclesiarum jura ad se trahit, Prælatosque inferiores pro nihilo habet; *Et nisi*, inquit, *Deus succurrat statui Ecclesiæ universalis, Ecclesia periclitatur*. Verùm, in proximo Concilio frænum huic potestati injiciendum esse, eamque ad id quod licet coarctandum: cum Ecclesiæ subjecta sit, ut Actorum 15. liquet: In Ecclesiâ enim non in Papa residere hanc potestatem, inque Concilio generali, quod eam repræsentat: ut eam Ecclesia nec possit nec unquam potuerit ita in unum transferre, quin perpetuò integra sibi supersit, & major quam ipsi Papæ, quem & illa deponere possit. Quare, vanum esse quod vulgò jactatur, ab omnibus judicari non posse, quandoquidem non jam ab hominibus, sed à Deo judicetur, qui ab Ecclesiâ judicatur. Indicendorum Conciliorum jus penes Imperatorem esse, quod Constantini, Iustiniani, Caroli ipsius exemplo clarum: qui & ipsis præsidêre jure possint, & de facto præsederint, ut ex primo Universali Nicæno alijsque constat: Ibi enim, cùm de rebus fidei agitur & Laicos viros eximios interesse posse. Nec verò licere Pontifici Conciliorum convocationem remorari, quorum intermissione Ecclesia in tantum periculum conjecta sit: dum eam Pontifices ad instar Principum secularium, non utique Antistitum, regendam sibi proponunt. Quin imò posse & pro jure suo Imperatorem, si de Papæ fide dubitetur, rationem suæ fidei eum poscere: si manifesti criminis accusetur, adversus eum lege agere, eumque deponendum curare: advocatum nempe Ecclesiæ Catholicæ, & defensorem præcipuum. Ad plenitudinem verò potestatis, hanc Petrum nunquam habuisse, sed ex præcipuis Apostolis & Ministris unum fuisse, eique quatenus Ecclesiæ personam sustinebat, claves traditas fuisse. Etenim tum Antiochiæ, tum Romæ ejus portionem non secus ac cæteros administrandam suscepisse. Papæ igitur nonnisi justa & pia imperanti parendum esse, quem cum legibus solutum dicunt, suis quidem dici posse, divinis minimè, quibus, non secus ac cæteri obligatur. Cavendum ergo in primis, ne is ei honor deferatur, quo Deo æqualis reddatur; nec enim adorationem ei deberi quam Petrus ipse procul rejecerit. Actor. 10. Quod porrò vulgò dicitur Ecclesiam errare non posse ad Papam non referri: nihilo magis ad Ecclesiam Romanam, sed ad Ecclesiam Christi, fidelium congregationem; fideique catholicæ conservationi unumquodque ejus membrum invigilare teneri. Hoc se solo Dei zelo nullius præmij aut spe aut expectatione commotum, in manifesto Ecclesiæ periculo scribere ausum. Et has denique omnes Theses, tùm ex sanctioribus Concilijs & Decretis probat.

Zabarella de schismate circa An. 1406.

Idem Clemangis noster Archidiaconus Bajocensis, in libro *de corrupto Ecclesiæ statu*, qui in Concilio Constantiensi prolatus: In quo, quibus gradibus Ecclesia & ad fastigium hoc temporale pervenerit, & à spirituali diclinarit, simul persequitur; quibus etiam technis Papa omnia ad se contraxerit, & ex aliorum macie impinguatus sit. Inde verò ad particulares corruptelas accedens: *Multo æquanimius*, inquit, *decem millium animarum ferunt jacturam, quàm decem solidorum. Sed me jure reprehendo, qui æquanimius dixi, cùm nullo animi motu, vel turbatione anima-*

Nicolaus Clemangis in lib. de corrupto Ecclesiæ statu.

animarum dispendia: de quibus non modò nulla apud eos cura, sed neque cogitatio est, excipiant: damna verò suæ rei familiaris etiam levia, furiatâ prope mente sustinent. Hinc verò, inquit, *Jam sacrorum eloquiorum studia cum suis professoribus in risum atque ludibrium omnibus sunt versa, & præsertim (quod magis prodigiosum est) Pontificibus, qui suas traditiones divinis longè mandatis anteponunt. Iam illud egregium & præclarissimum prædicandi officium solis quondam Pastoribus attributum, eisque maxime debitum, ita apud eos viluit, ut nihil magis indignum aut magis suæ dignitati erubescendum existiment.* Monachi sub ovium vestitu lupi rapaces, Dæmones in Angelos lucis transformati, scribæ, Pharisæi, hypocritæ, sepulchra dealbata: quibus accommodat prophetiam illam Pauli, in falsos Doctores novissimorum temporum 2. ad Timotheum 3. & similes locos. Monasteria hominum & fœminarum lupanaria, Theologia apud illos, Scholastica videlicet ea propriè, quam Paulus designatam voluit his verbis: *Languent circa quæstiones & pugnas.* Fructus ejus quales ad lacum Sodomorum, extrinsecus pulchri, intrinsecus fumus, fuligo, cinis. Ecclesiastici Simoniaci, ordinatus absque pecuniâ eorum nemo, repulsus nemo modo numeret, ut maximè sceleratus sit. Eò lasciviæ provecti, ut Populi sui, quo uxorum suarum pudicitiæ caveant, Sacerdotes nolint, nisi qui concubinas habeant: Traditiones hominum, ad minimas usque in majori pretio, quàm leges ipsæ Dei, quas qui omittat, inve eas committat, gravioribus pœnis subjiciatur. Sanctorum Legendæ pro Scripturis sacris obstrusæ, sancti proinde in Dei locum inducti; Quia verò omnes hæ corruptelæ & aliæ ejus generis, solo Ecclesiæ nomine defendebantur, fundamentum hoc evertit: *Licet*, inquit, *Ecclesiæ militantis authoritas sit maxima, quia fundata supra firmam Petram, &c. non illi tamen nos oportet triumphantis titulos ascribere, ut infallibilis sit, aut impeccabilis, quæ sæpe & fallit & fallitur, non dico in his quæ fidei sunt, sed in aliis, quæ vel facti sunt vel morum, vel judiciorum, &c.* Quin, inquit ad Scholasticum Parisiensem, de quibusdam Concilij Constantiensis statutis scribens: *Revera non convenientissimum mihi videbatur Acta Concilij apud Concilium per ipsummet probâre Concilium, &c. Si autem omnia illa Acta Concilij, fidei definitiones sunt, cum nonnulli multa ex adverso producant sanctorum Patrum ac Synodorum sanctiorum Decreta; vide quale fuerit, pendente hoc adhuc schismate, in tantarum rerum opinionumque varietate, doctissimorumque hominum controversia, tot fidei Articulos constituere, ubi non solum conveniens, sed necessarium mihi fuisse videtur, alias saltem constitutiones vel determinationes, quæ ab aliis in contrarium adduci dicunt, in partem veritatis & fidei interpretari oportuisse, & non istis esse contrarias ostendi debuisse, ne alias in materiâ fidei ipsa errasse videretur* Ecclesia, *contraria determinando. Quod autem dicis Patrum Decreta ratione non inniti solere; certe cum tuâ bonâ veniâ,* si de fide agitur, de re controversâ, *rationibus maximè ex Scripturâ ductis, vel ex SS. Patrum definitionibus, inniti consueverunt, â quorum vestigiis, nisi gravissimâ ratione adducti, non solent discedere, &c. Ad verbum Augustini quod commemorasti, &c.* Euangelia, inquit, *non crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas compelleret. Mirum sanè primâ specie satis videtur, quod authoritatem peregrinantis Ecclesiæ in terrâ, authoritati videtur Euangelij anteponere, cum in multis illa falli possit, illud nequaquam possit: & cum ipsius Ecclesiæ authoritas, quantum ad ipsius radicem & fundamentum maximè ex Euangelio constet, imò ipsius institutio, potestas, ædificatio, non aliunde tàm expressè & certitudinaliter, quàm ex ipso habeamus Euangelio, &c. Præsertim cum de fide Euangelij Paulus dicat: Si quis etiam Angelus de cœlo aliud vobis evangelisaverit, anathema sit; aliud, inquam, id est, contrarium.* Respondet igitur, Divum Augustinum nihil

Idem in Epist. de Theolog. Studio.

Idem in Tractatu contra Simoniacos.

Idem contra nova Sanctorum Festa.

Idem ad Scolasticum Parisiensem.

nihil unquam tale cogitasse, sed rem ei cum Manichæis fuisse, qui peculiares scripturas habebant, nostrasque non recipiebant: Quasi diceret, *Euangelio tanquam Scripturæ Canonicæ non crederem, nisi Ecclesiæ authoritas ad hoc me compelleret, quæ illud intra corpus Canonis habendum censuit;* nempe de primitivâ & Apostolicâ illâ Ecclesiâ, quæ Scripturarum Canonem constituit, vivis adhuc & superstitibus ex parte, qui eas conscripserant, Apostolis, Euangelistis, Apostolorum discipulis, qui earum veritati testimonium perhibere poterant, hunc aut illum, hujus aut illius libri authorem esse, spiritu utique divino afflatum. Quæ proinde, cœlitus inspiratæ, fidei nostræ Ecclesiæque norma esse debeant: *Denique,* inquit, *non ignotum tibi est, tùm Christum ipsum legiferum nostrum, tùm suos Apostolos in suæ legis ac fidei traditione sæpe tale genus probationis, quale dicebam ex sacris Scripturis veteris Testamenti, dictisque Patrum & Prophetarum, in dictorum suorum confirmationem adhibuisse, quo nullum nobis ad imitationem certius possumus exemplum proponere: cum illius actio & vitæ nostræ & morum nostrorum atque actionum certissima, atque infallibilis sit instructio, &c. Non debent insuper, qui Concilium agunt pro fiduciâ ac libertate agendi quæcumque libuerint, nimis illi inniti æstimationi: Generale Concilium sumus, fidenter agamus, errare non possumus. Sanxerunt ac diffinierunt, qui Pisano interfuerunt Concilio, atque ita promulgari fecerunt, per novam electionem, ad quorundam ambitiosorum instantiam præproperè factam, schisma sese ex Ecclesiâ sustulisse, pacemque reddidisse. Et quis in totâ Ecclesiâ tam cæcus fuit, qui non rerum experientiâ palam viderit, quantum & ipsosmet & universam Ecclesiam illa opinio fefellit?* Namque, inquit: ex quo hominum genere ut plurimùm conflantur Concilia? Num non ex Iuristis (Canonistis) potiùs quàm Theologis; *temporalibus* utique, qui *res seculi tantùm curant*: Spiritualibus neutiquam: ut ab eis reformationem Ecclesiæ procurari, sperare tu possis? *Si igitur*, inquit, *pro temporali tantum pace Ecclesiæ recuperandâ, aliqui in unum congregentur, non continuò secundum prædicta necesse est credere illos in Christi nomine congregatos; Primò, quia ignorant an ad salutem ipsius Ecclesiæ ita expediat, & per hanc sanare divisionem Christus instituit. Quid enim aliud sunt temporales afflictiones, quibus Ecclesia premitur, nisi amaræ potiones & medicinæ, quibus temporalis cupiditas, superbia vel lascivia comprimatur. Et quis illos in nomine Christi dixerit congregatos, qui hac mente unitatem quærunt Ecclesiæ? qui tamen tot sunt, ut non facilè sint numerabiles, hi autem carnales filij Ecclesiæ non solùm spiritualia nec curant, nec sentiunt, sed etiam persequuntur eos, qui sunt secundum Spiritum, sicut à tempore Abel justi, quem Cain carnalis occidit: semper factum est, & usque ad finem mundi semper futurum. Hi sunt, qui pro temporalibus tantùm commodis ad Ecclesiam convolant, qui ad secularium formam in Ecclesiâ vivunt, ambiunt, cupiunt, rapiunt, præesse gaudent, non prodesse, subditos opprimunt, atque spoliant, prælationis honore gloriantur, pompis, fastis, luxu lætantur, qui quæstum pietatem æstimant, pro temporaliumque incremento quomodo libet acquirendo, cuncta & facere & pati sunt parati, qui volentes justè, sanctè, castè, innocenter, spiritualiter vivere, cum cachinnis irrident. Denique non alios literatos in Ecclesiâ utiles arbitrantur, nisi qui quæstuosas scientias sunt assequuti:* Talibus autem hodie Ecclesia *plena est, ut vix in singulis capitulis aut Collegijs alios invenire contingat. Cum igitur non alij in Ecclesiis sapientes hodie existimentur, nisi hi temporales, ad illorumque arbitrium ac dispositionem universa agantur, si qui ad curiam Romanam vel ad secularium Principum Curias, vel ad Concilium mittendi sint, aut spe majoris promotionis ad quam inhiant, per favores & intercessiones maximâ importunitate se mitti laborant. Quid autem hujusmodi temporales, nisi temporalia norunt quærere? nisi temporalem quæstum, fructumque cogitare? An tales putandi*

sunt

sunt pro Ecclesiæ reformatione in moribus & disciplinâ & vitæ honestate operam daturi, qui suam maximam calamitatem hoc esse deputant, qui sibi omne quod libuerit, volunt etiam impunè licere, &c. Et hîc eos latè describit: Ecquid igitur ex his concludit? *Certè, cum Dominus per Prophetam dicat: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos:* minimè sperandum, ut hæc Concilia spiritu Dei regantur, ubi Decreta à suffragijs pendent, ubi pro majori parte carnales, ambitiosi, contentiosi, vanâ scientiâ inflati, subjecta sancto spiritui recipiendo malè præparata, ubi dominantur opera carnis, contentiones, æmulationes, animositates, clamores, cum contra dictum sit: *Oculi Domini super justos.* Cum contrà Patres antiqui Concilium celebraturi, ut Spiritus sancti auxilium invitent, jejunijs sese præparent, orationibus, lachrymis, contritione cordis, humilitate spiritus, intimos animarum recessus scrutentur & excutiant, ne quid in illis offendat, quod ejus præsentiam avertat, quo minus in ipsis loquatur, magis quam ipsi: *Si,* inquit, *exploratum habebant se non posse falli aut deficere in his propter quæ fuerant congregati, Quid necessaria erat tanta diligentia, &c. Cum itaque ex unius voce ac sententiâ tota sæpe congregata pendeat multitudo, cur non sicut ille in judicio falli potest, ita ipsam totam fallere multitudinem? maximè si ex humanâ præsumptione, aut aliâ iniquitate falli digna sit? Nonne per omnia rectè agere & nunquam falli vel deficere solius Dei est?* Regeris, inquit, quòd Concilium errare non possit; non esse ab infirmitate humanâ, sed à virtute Spiritus sancti; dic tu rursus: *Unde agnoscis Spiritum sanctum pluribus suffragijs adstipulari, &c. Quis potest certam habere notitiam, quod majori parti concilij, quam præponderare oportet, Spiritus adsit, &c. Nonne in Concilio Achab, sanctus Propheta Domini Michæas adfuit, qui ea quæ suggerebat Spiritus Sanctus intrepidè dixit, nec tamen Regi aut cæteris malis Prophetis ex sensu ac Spiritu proprio loquentibus aliquid persuasit, &c. Lege apud Hieremiam Prophetam, quid de Templo suo Dominus loquatur, contrà illos, qui sibi falsò promittebant, quod propter eorum iniquitates Deus illud non deseret:* Nolite confidere, inquit, *in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini est, &c. Ergo spelunca latronum facta est domus ista, in quâ est invocatum nomen meum in oculis vestris, videte quid fecerim Silo, propter malitiam populi mei: & nunc quia fecistis omnia opera hæc & non audivistis me, faciam domui huic, in quâ vos habetis fiduciam, sicut feci Silo, & projiciam vos à facie meâ, &c. Quid autem est Templum Domini, nisi Dei? Quamvis enim ad Iudæos ista ad literam sint dicta & pro illis scripta, tamen secundum traditionem Apostolicam in figurâ dicta sunt illis, quæ figura Ecclesiam Christi, moresque ejus hodiernos videtur respicere: Sed adhuc forte dices, falli non posse promissa Domini, quibus cum Ecclesia sua usque ad consummationem seculi se futurum spopondit; Fateor sane illa falli non posse, sed ubi & cum quibus per gratiam in Ecclesiâ suâ sit, non nostrum, sed illius est nosse. Novit Deus,* inquit Apostolus, *qui sunt ejus: nos autem quomodo nosse possumus? In sola potest muliercula per gratiam manere Ecclesia, sicut in solâ Virgine tempore passionis mansisse fertur: Nunquid majoris erit authoritatis aut prærogativæ Concilium Episcoporum hujus temporis, & propter illorum justitiam, quorundam cum illis dictorum hominumque congregatio, quam Apostolorum fuit, qui tamen omnes declinaverunt & trepidaverunt? Nunquid præterea majoris erit prærogativæ, quàm universa militans Ecclesia, in qua dixit Augustinus, non impleri posse quod ait Apostolus, ut exhibeant sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed tantùm in cœlesti Hierusalem, ubi verum erit quod scriptum est: Sine maculâ sint ante Thronum Dei: Quid aliud credere possumus causæ esse, quare illa quatuor Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum & Chalcedonense, tàm in singulari sunt* inter

inter alia veneratione, sacrosancta habita, nisi quia ex viris sanctis erant collecta, sanctique in terrâ habebantur, qui illuc convenerant? proptereaque in illis & per illos suas mirificavit Deus voluntates, &c. Tales congregat Spiritus sanctus, talibus adest, in medio talium versatur & volitat. Demùm, ut ostendat ex personis planè contrarijs eundem eventum expectari non debere, Historiam à nobis in progressu superiori relatam de bubone illo, qui in Concilio Romano à Iohanne XXIIII. celebrato, sese post invocationem Spiritus sancti exhibuit, nobis describit. Sic ergo Clemangis ad Scholasticum, qui Concilio Constantiensi intererat. Denique in suis Epistolis Ecclesiam Romanam, *Domum latronum* vocat, non secus ac Templum olim, flagello repurgandam: Quid enim à latrone differt, qui per ruinas & desolatas macerias diripiendi causâ ingressus cæteros eadem viâ introducit? Papam utique innuens, Ecclesia sanè hodie facta est, ambitionis, cauponationis, latrocinii Officina. Venalia Sacramenta, venales Ordines, venalis Ecclesia ipsa, quin & Missæ, & corporis Christi administratio venalia, &c. Nundinatio illa publica, Prostibulum, Lupanar, Synagoga imò Babylone ipsâ detestabilior. *Quid enim*, inquit, *de tuâ Prophetiâ Johannis in Apocalypsi censes? an illam saltem aliquâ ex parte ad te pertinêre putas: Non pudorem ita cum sensu perdidisti, ut hoc neges? Ergò illam intuere: Lege Meretricis magnæ, inquit, damnationem sedentis super aquas multas: illicque tua præclara facta contemplare, &c. Cœpit jam dudum superbia tua nequaquam se ferens ruere, sed lentè quidem & pedetentim & propterea à plurimis ruina illa non est percepta.* (Nempe prout lux Euangelij renascebatur) *nunc verò in modum torrentis tota in præceps ageris.* Et similia pleraque apud eum legere est, quæ hîc perstrinxisse sufficiat. Verùm, Epistolam seu declamationem in eam rem Gerardo Makero Doctori Parisiensi inscripsit, cujus titulus; *Non mentis tantùm affectu à Babylone discedendum, sed etiam pedibus corporis.* Quam quia Thesim data opera tractat, juxta præceptum Domini in Apocalypsi: *Exite de Babylone Populemi, &c.* non tædeat Lectorem, si eam hîc integram inseramus, quippe quam in Bibliothecis adversarij sepultam malint: *Babylone fugiendum esse secundum utriusque Testamenti admonitionem confitêris: Sed fugam illam non corporaliter locum mutando, quin potius malos perversorum mores nequaquam imitando vis spiritualiter intelligi. Rectè id quidem, sed pro plenâ illius quæstionis absolutione parum fortè sufficienter. Videmus Patriarcham Abraham de terrâ suâ & cognatione & paternâ domo jussum egredi, non solùm affectu verùm & effectu; Imò verò primò jubetur inde corpore discedere: Deinde jam corpore egressus, iterum mente & cognatione exire præcipitur. Loth postquam mandatum acceperat, ut Sodomis egrederetur, quia morosè & tergiversanter id agebat, per Angelos apprehensus est, & cum quadam inde violentiâ extractus. Populus Israel non de Ægypto exire jubetur, quia non sui erat arbitrij, propter durissimam oppreßionem, hocfacere: Sed Dei ad Moysem imperio, ipsiusq; Moysi obsequentis ministerio, in manu forti educitur, non solùm affectuum secessit, sed graduum discessit. Quibus autem ex causis hæc ita facta sint, facile est ex circumstantiâ lectionis advertere. Iubetur Abraham egredi de Chaldæâ, in quâ natus erat quod incolæ regionis idololatræ erant; Loth Sodomis exire cogitur, quia homines erant nefandi & pessimi; & ut imminente illi regioni propter peccata gravißima excidio liberaretur. Gens Hæbræa ex Ægypto in manu Mosis & Aaron educitur, non solùm propter intolerabilem corporum servitutem, sed multo magis propter salutem animarum, quia vanis superstitionibus dediti erant Ægyptij, & non licebat Israelitis ibi Domino sacrificare: Unde & in verbis Domini, quæ toties ipsius imperio Moyses ad Pharaonem replicat, causa ista apertißimè exprimitur. Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.* Non ergo

Nicol. Clemangis ad Gersonem.

Idem de ruinâ & reparatione Ecclesiæ.

go puto te negaturum, nisi sacris velis eloquiis patenter adversari, tunc de Babylone non solùm vitâ ac moribus, sed viâ etiam & gressibus exeundum: quando cum sanis illic moribus, cum conscientiæ integritate, cum Dominicorum observatione mandatorum vivere non licet, ne dum Babylonicis moribus corruptissimis ac perditissimis, cunctaque sui torrentis impetu trahentibus, resistere non possumus, Babylonicos mores ipsi induamus. Prona est ex suâ corruptione ad malum humana natura, faciliusque quamtumlibet boni à malis in errorem trahuntur, quàm malos ad recta trahunt: Vitia quævis perniciosissima paulatim in mores mutantur: Dum passim impuneque serpunt, accrescunt. Errores, dum publici fiunt, suum nomen exuunt, virtutisque & sapientiæ laudabilia nomina sortiuntur. Nam, ut omittam illa graviora, quæ non licet homini loqui: sed Deo utique pœnis ultricibus plectere licebit: Ecce rapina & latrocinium, non jam publicâ impunitate pro vitiis habentur, quæ ad hæc usque pene tempora capite in his regionibus solebant plecti. Quis autem ibi cum salute vivat, ubi non solùm iniqua licent, sed ad impia & iniquissima credenda, dicenda, sequenda pro justisque & laudabilibus amplectenda, omnes diris pœnarum modis amplectuntur? Quis sanus, ubi omnes insaniunt, habitare non exhorrescat? Quis tantum debet de suâ virtute confidere, ut in medio se incendio non posse cremari speret, in medio non posse mergi naufragio existimet? At, inquis, fornax Babylonis solos incendit ministros, pueros Dei non tetigit, nec contristavit. Hanc ad se historiam fidenter aptet, qui illis sanctissimis pueris similis, ut possit rationabiliter expectare propter suam incolumitatem, Dominum ignis flagrantissimi, universaque corripientis vim, suspensurum. Non læsit fornax Caldaica, nisi ministros, qui eam incendebant: vide sedulò ne de ministris sint, fornacem incendunt, qui in his, quæ in ejus fiunt incensione consentire, illaque sequi & probare coguntur, nec etiamsi velint obsistere audeant, quæ tamen qui faciunt, ut verbis utar Apostolicis, digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed qui consentiunt facientibus. Timuit Deus fidelissimo Abrahæ ne in Urbe Chaldæorum incenderetur: jam enim illic, ut vides, caminus ardebat. Timuit Loth sancto & hospitali viro, ne à perfidorum fermentaretur consortio, eorumque implicaretur exitio: Et nos in mediâ fornace Babylonis, miris super solitum modis inflammatâ securi erimus, nobisque ex puerorum liberatione blandiemur? qui sicut illos ardor fornacis æstuantis rore cœli tepefactus lædere non potuit, ita nulla nos flamma malæ concupiscentiæ, nulla nequitiæ scintilla, nullus publici erroris æstus, nullus furor violentiæ, nullum malæ consuetudinis aut licentiæ incendium, in mediâ omnium vitiorum conflagratione possit attingere? Revolve totam Canonicam historiam, non invenies in aliquam impiorum hominum Babylonicam congregationem, aliquam Dominum exercuisse ultionem, quin justis, si quos ibi esse contingeret, anteà consulendo, ipsos ab iniquis, non solùm voto, verùm & loco secerneret, ne si communi cum sceleratis tegerentur habitaculo, communi etiam contererentur exterminio. Dum fœdis omni carne corruptâ sceleribus, cataclismi inundatione totus esset delendus orbis, jubetur ante omnia Noe cum paucis suis arcâ fabricatâ, à mergendis peccatoribus segregari, sicque salvari. Loth, ut jam dixi, à Sodomis cœlesti igne ac sulphure concremandis, antequam imber ille igneus erumperet, Angelico ministerio, ne cum impijssimis periret, educitur, cui etiam per Angelum signanter dicitur, festina, & in monte salvâre, quia non potero facere quidquam donec ingrediâris illuc. Ante populus Israeliticus Ægyptiacâ de tyrannide liberatur, siccoque mare transgreditur vestigio, quam persequentes Ægyptij in mediis obruti fluctibus in mediis sunt gurgitibus assumpti. Antequam Dathan & Abiron complicesque seditionis, suâ illâ vastissimâ voragine, terra dehiscens absorberet, Moyses ita ex Domini verbis ad reliquam turbam loquitur innocuam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Cum Saul Domini imperio Amalech antiquum hostem

populi

populi Iſrael uſque ad internecionem expugnare deberet: Cinæuſque amicus ejuſdem populi inter Amalechitas habitaret, dixit Saul ad eundem Cinæum: abite, recedite atque diſcedite ab Amalech, ne forſan involvam te cum eo: Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſrael, cum aſcenderet de Ægypto. Denique Tobias ſenior in Ninive civitate peccatrice, vitâ exceſſurus, Tobia Iuniore filio nepotibuſque ad ſe vocatis, ait ad illos: Prope erit interitus Ninivæ, non enim excidit verbum Dei: Nunc ergo filii audite me, & nolite manere hîc, ſed quacumque die ſepelieritis matrem veſtram circa me, ex eo dirigite greſſus veſtros, ut exeatis hinc: video enim quia iniquitas ejus dabit finem ei. Noli itaque ea, quæ in ſacris voluminibus aut geſta referuntur, aut geri mandantur, ſic ad myſticum traducere intellectum, ut quantum ad hiſtoricam imitationem caſſa velis & inania deputare. Fugam, quâ exire de Babylone Propheta Ieremias & vir Euangelicus Ioannes hortantur, nequaquam pedum eſſe dicis, ſed affectuum. Fateor tecum minimè abſurdè illam poſſe de affectibus intelligi: Sed unde doces quod de loci egreſſione intelligi non poſſit? Quia inquis, nullus patet locus, ubi non ſit Babylon, nulla invenitur civitas, quæ non calice Babylonis inebriata ſit. Omniane tu, obſecro, loca luſtraſti? omnes urbes percurriſti, omnia prorſus habitacula obeundo peragraſti, ut tam certam atque abſolutam de omni poſſis domicilio ferre ſententiam? vide ne minimum ex uno loco cætera quæ non vidiſti, metiaris. Si clamor alicujus loci aut peccatorum ejus in aures Domini Sabbaoth viſitationem efflagitans introivit, propter quæ aliquam velit provinciam aut urbem affligere, idcircòne in cætera loca cæteraſque urbes aut provincias ſimilem deſævituram eſſe vindictam exiſtimas? nec putas vel parvulam aliquam Segor relinquendam, in quâ poſſit Loth dirum fugiens incendium liberari? Iubentur hi, quos ſalvare Deus in aliquâ acerbâ afflictione diſpoſuit, ad hoſtilia etiam nonnunquam loca confugere, ſicut per Eſaiam ad Moab ait: habitabunt apud te profugi mei Moab: Eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris. Denique ipſe Dominus noſter à facie Herodis crudeliſſimi, ſuumque ſanguinem ſitientis, in Ægyptum ſuo populo antiquis inimicitiis infeſtam, transferre voluit, ibique tuto latibulo mortem diri perſecutoris expectare, ſuo ipſe confirmans exemplo, quod poſtmodum erat diſcipulis præcepturus. Si perſecuti vos fuerint in hac civitate fugite in aliam. Et ne fugæ ineundæ minimè occaſionem captando reſponderent, non ſupereſſe civitates ad quas confugerent, audi quomodo hanc occaſionem protinus amputavit: Amen dico vobis, non conſummabitis civitates Iſrael donec veniat filius hominis, apertiſſimè inſinuans ſemper futuras civitates cultui ſui nominis dicatas, ad quas improbis perſequentibus fugere liceat, donec ipſe ad extremum veniat judicium. Quæ autem magis fugienda eſt declinandaque perſecutio, quam quæ ad improba & nefaria divinæ legi, bonis moribus, ſanctorum Patrum traditionibus contraria, homines cogit, Vide utrum iſta Chriſti facta ac dicta ad mortales tantùm velis trahere intelligentias? Quid illud præterea Domini mandatum, nonne eodem referendum eſt? quo prædicatoribus præcipit, ut ſi in aliquam prædicaturi venerint civitatem, quæ eorum nolit ſermonem recipere, illicò inde egrediantur, pulveremque, qui eorum pedibus illic adhæſerit, diligenter extergant atque excutiant, quo puri & incontaminati inde abeant, nullâ in re ex impiorum communione contuberniove fœdati: Nam qui de tali loco hoc præcipit, quid de illo putas fuiſſe dicturum, in quo non modo ſanam doctrinam non recipiunt, ſed acerbiſſimè inſectantur, ſi quis eorum voluntatibus, imò verò inſaniis adverſetur? Quid illic agas, ubi, ſi quid rectè præcipias, nemo obtemperet: ſi quid perperàm agatur, ſequi cogaris? ubi, ſi quid ſanum ſapias, inſanus voceris: ſi furore & amentiâ correptus inſanias, ſanus appelleris: ſi nequitiæ ac perverſitatis impetui irrevo-

cabili obsistas sine ullo fructu implacabile odium, capitaleque periculum tibi concites? Quid calice Babylonis inebriari aliud censes, quàm ex longâ illic conversatione ita Babylonis infici contagio, ut turbam sequutus errantem, falsa pro veris, prava pro rectis, insana pro sanis, tanquam sensu alienato, velit quis amplecti, malitque cum furente turbâ insanire, quam solus cum irrisione periculoque sanus esse? Nam quod illum Prophetæ hortatu fugere ais è Babylone, qui in medio vivens nationis pravæ ac perversæ, vitâ & moribus dispar est, tamdiu illa fuga sufficit, quamdiu hominem vis furoris ad improba ac scelerata non impellit, & quamdiu mores non ad summum corruptionis evectos pietas divina tolerat. Ubi verò perditi omninò atque ad emendationem desperati, non consilium, non remedium, non ullum salutis admittunt auxilium, sed in medêri volentes velut insani debacchantur, Dominumque pro loci eversione assiduo undique clamore infestant. Qui illic ultimam moram facere voluit, nec cœlestem pertimuerit vindictam loco imminentem, quantumlibet moribus dispar, insanus est. Quamquam certè nec moribus jam disparem ibi vivere licet, ubi pestis adeo invaluit corruptionis, ut suâ omnes contagione, nihil omnino medêri valentes, inficiat. An ille moribus dispar est, qui Babylonico calice potatus, veneno corruptus, viciis inquinatus, impetu abductus, torrente raptus, ea quæ à perversis ac pestilentibus aguntur hominibus, laude, assensu, imitatione probare compellitur, nec quacumque spiritus libertate adversus ea obluctari aut mutire ausus est. Quæris, quonam pergere possis, ubi non confusam invenias Babylonem? & sedem quietem nusquam vides, in tranquillâ pacatæ mentis statione, quasi non etiam illic Babylon sit. Quam mihi usque adeo pacatam dabis mentem, aut ita placidâ quiete stabilem, in quâ non dico aliquando, non dico sæpe, sed non quotidie pugna fit, conflictus, concertatio, in quâ non fluctus exurgant perturbationum, quam venti non jactent elationum, diversorum fremitus quatiant passionum, in quâ non cæco confusoque tumultu magna inhorrescens sæpe sæviat tempestas, ut ad Dominum penè assiduè clamare necesse fit: Domine salva, nos perimus: Propterea de mente etiam, non terrena, sed cœlestia meditante, quam idcircò cœlum appellavit, quidam non ineleganter licet cum rithmo dixit,

Confusa sunt hic omnia,
Spes, metus, mæror, gaudium
Vix hora vel dimidia
Fit in cœlo silentium.

Si inconcussam hîc omni ex parte quæris quietem, nodum profectò, ut ait ille, in scirpo quæris, nec intus illam, nec exterius invenies. Omnia bello, confusione, periculis plena sunt, cuncta insidiis laqueisque obsepta, nec tantùm intra temetipsum secedere licebit, quin illa te sequantur: sed licet aliquid Babylonis ubique sit, non tamen ubique illa est Babylon mater fornicationum & abominationum terræ, cujus usque ad cœlum, ut ait Iohannes, pervenit judicium, quæ à vino suæ prostitutionis omnes gentes inebriavit, & quæ omnes suos cogit incolas fornicari, blasphemare, idolotita manducare, Draconem adorare, quibus qui contaminatus est impietatibus, vide quam secum ipse pacem inveniet, nisi magnæ illius meretricis fornicationes oderit, deserat, damnet, detestetur, mente pariter & corpore effugiat, cui qui adhæret, unum cum illâ corpus efficitur, quia quamdiu in eâ versabitur, non ab ejus poterit moribus, vi ad eos atque furore impulsus expiari: si autem urbium habitationem cæteramque populi frequentiam tanquam Babylonicâ contagione infectam refugis, sunt loca ab urbibus secreta, piâ Deo sinceritate servientium, sunt probatæ religiones, sunt devota monasteria plus Hierusalem quam Babylonem redolentia: sunt denique, si omne humanum times consortium, loca solitaria, in quibus tecum habitâre poteris, & intrà cor tuum secedere, tibi vivere, solum tuæ vitæ testem sociumque Deum habere, ubi illam postremò quietem animi ad

Gerson. in Tractatu de potestate Ecclesiasticâ consid. 10. 11. In tractatu de Auferibilitate Papæ consid. 4. 9. 10. 12. 14. 15. 16. 18. Item in propositione factâ coram Anglicis euntibus ad Concil. consid. 4. Item in tractatu, an liceat in causis fidei appellare Papam. Item in Tractatu de examine doctrinarum. Idem in propos. uti lib. ad extirp. Schism. Item in regul. moral. Item de loco Pauli ad Thessal. in Tractatu de signis ruinæ Ecclesiæ. Gerson de vitâ spirituali aïæ. Lect. 2. coroll. 7. To. 3 num. 6 r. Item in Tractatu, an liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare propos. 3. Tom. 1.

ad quam tantopere prædicas fugiendum, multò liceat facilius multoque fœlicius, quam in mediâ Babylone invenire.

Ab eadem mente M. Iohannes Gerson Universitatis Parisiensis Cancellarius, qui eidem Concilio intererat: Omitto enim quæ pluribus locis *in Traditiones humanas invehitur*, quia de his à nobis alibi. In corruptelam etiam disciplinæ Ecclesiasticæ & Simoniam Curiæ Romanæ, in vendendis & cauponandis dignitatibus & gratijs, quas spirituales appellant: quia hæc omnia *infallibilitatis* prætextu, seu Ecclesiæ, seu Papæ ipsius obtegebantur. At sanè hanc quasi per cuniculos subruturus, in Tractatibus pluribus disertè docet. *Quod Papa potest errare, potest potestate sibi commissâ ad Ecclesiæ destructionem abuti: Potest eam prostituere, opprimere: potest ipse in schisma, in hæresim, in idololatriam delabi, quo casu vel à minimo laico Euangelium proferente, corrigi potest; A Concilio etiam Ecclesiam repræsentante, redargui, reprimi, deponi, cum Ecclesia*, inquit, *subsistere possit absque Papa, absque ministeriali hoc capite, nec eò minus ob id regetur à Christo vero Ecclesiæ sponso. Non enim*, inquit, *dictum est, quando congregati in nomine Petri aut Papæ, sed in meo nomine, &c. Et hæc doctrina pluribus displicuit, sed Concilia Constantiense & Basileense ab hac perniciosissimâ hæresi Ecclesiam liberavit, qua Papâ Ecclesia superior constituebatur.* Eò usque progressus propter incommoda, quæ inde persentiebat, ut casus etiam connotet, in quibus propriæ ipsius personæ vim intentare liceat; Et quia hæ Theses suos peculiares Tractatus habent, in margine indicasse satis fuerit. Ad quæstionem etiam illam: Num Papa Concilio Ecclesiave superior, præfractè ille: perinde esse, ac si quis sciscitetur: *An pars sit major toto: Quòd Papa subditus sit Ecclesiæ: Quòd Ecclesiæ propriè traditæ sint claves & non S. Petro, multo minus Papæ.* Quæ interim Ecclesia Scripturæ sacræ alligata & obligata: *Nec enim est*, inquit, *in potestate Papæ aut Concilij immutare Traditiones datas ab Euangelistis & à Paulo, sicut quidam delirant. Quin, aliquis simplex non authorisatus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinali suæ assertioni, quam Papæ declarationi: constat enim plus esse credendum Euangelio quàm Papæ.* Adeò ut *talis eruditus præsens Concilio sese illi opponere debeat, si sentiat majorem partem ad oppositum Euangelij malitiâ vel ignorantiâ declinare.* Ad id verò quod Augustinus: *Non crederem Euangelio, nisi me authoritas Ecclesiæ commovisset: Respicit*, inquit, *primitivam fidelium congregationem, qui Christum viderant & audiverant & sui extiterant testes.* Ut in potestate Papæ aut cujusquam Episcopi non sit, *ex propositione non hæreticâ aut non Catholicâ, hæreticam aut Catholicam facere.* Quæ omnes Theses Papæ Ecclesiæque Romanæ tyrannidem destruunt, adinventiones etiam & usurpationes, quas, ejus authoritatis obtentu, in Ecclesiam invexerunt: Advertat verò Lector eam tum fuisse Parisiensis Universitatis, Sorbonæ imò ipsius doctrinam; Et plures alibi locos excerpsimus, ex quibus appareat, in eâ Paparum, Prælatorumque malignitate, de Ecclesiæ reformatione quàm desperaret. De indulgentijs absolutè: *Solus Papa Christus potest illam tot dierum & annorum millemilium indulgentiam concedere, &c. Et fortè talis enormitas concessionis ab aliquibus quæstuosis, aut aliter malè motis conficta est.* Item: *Iulgentiarum concessio videtur difficulter salvabilis. Constat præterea, quod dum mundus finem habebit, cessabit purgatorium & ex consequenti dies pœnarum suarum.* Item: *fatuæ sunt & superstitiosæ quædam intitulationes de indulgentiis 20. mille annorum vel tali modo: Qui dixerit quinque Pater noster ante talem imaginem, &c. nec continent veritatem, &c.* Et ad has

nu. 14. sub finem. Gerson. de examine doctrinar. Gerson. de examine doctrinar. consid. 5. Tom. 1. Vide Tractatum de Ecclesiâ. Iohann. Gerson. in Tractat. de indulgentiis. Idem de absolutione sacramentali.

interim nænias frontem hodie omnes perfrixerunt.

Verùm in Sermone, cui titulus, *de signis ruinæ Ecclesiæ*, satis ostendit, horrendum Dei judicium in procinctu illi visum esse. Et en tibi, quænam ejus signa nobis consignet. Primum, illi 2. ad Thessalonicenses 2. *imperij Romani dissipatio* inter quam & persecutiones Antichristi, Hieronymum secutus, nullum constituit medium; *Et jam*, inquit, *ad tantam ambiguitatem universalis Ecclesia devenit, quod ignorat apud quam partem vera sedes Romana sit, nisi forsan Deus alicui revelasset, aut Salomonis judicium de puero dividendo, & verâ & falsâ matre hoc persuaderet*. 2. *Impudentia*, in eo quod in moribus deterior est quàm synagoga esset, cum appropinquaret ejus ruina; illa quidem, quæ vendi permittebat columbas in Templo, hæc, quæ munera spiritualia præsente pecuniâ divendit ipsa; Illa quæ Deum labijs honorabat, hæc in Deum factis dictisque contumeliosa est, turpitudinemque suam saltem tegere non curat. 3. *Inæqualitas*: an potius iniquitas, quæ inter ministros Ecclesiæ nunquam extitit talis, dum exaltantur indigni, calcantur digni, alij principibus superiores, alij vilioribus quibusque in populo contemptiores existunt. Et hinc in Ecclesiâ schismata. 4. *Superbia Prælatorum*, quâ plures ad indignationem, quàm ad reverentiam excitentur; Et hinc in Ecclesiâ schismata. 5. *Præsidentium tyrannis*, qui gregem non pascunt, sed seipsos, carnem ejus devorant, & pellem deglubunt. 6. *Conturbatio Principum*, & *commotio populorum*, quam in tot regnis & provincijs experimur. 7. *Recusatio correctionis in Primoribus Cleri*, qui coarguentes abominantur, Scripturam sacram pro fabulâ habent, & pro fantasticis, qui eam meditantur. 8. *Novitas opinionum*: Inde enim exoriuntur hæreses, schismata defenduntur, & defensa radices agunt, &c. Et hanc eis acceptam refert, qui suis studijs, odijsque Scripturas sacras accommodant, *prout spes aut vindicta eos inclinat: Et aliqui eorum leviter nimis alios hæreticos dicunt, quos tamen nondum hæreticare noverunt*. Quæ omnia signa edisserens, cum quibusdam alijs præcedentibus comparat, exemplisque sui seculi & comminationibus veterum Prophetiarum roborata, ad præsentem Ecclesiæ statum accommodat. Gerson de signis ruinæ Ecclesiæ.

Idem sentiebant & plures alij pluribus locis. In Germaniâ Theodoricus Urias Augustinianus, in opere *de consolatione Ecclesiæ*, tertio præsertim libro, ubi in ejus scelera invectus, libidinem, Simoniam, ambitionem, verbi divini contemptum, salutis humanæ neglectum, Papam Antichristi precursorem esse pronuntiat; Quin & habemus ejus versus apud Paulum Langium in Chronico, non indignos, qui integri legantur: octodecim numero, quorum hi primi, Theodoric. Vrias in consolatione Eccles. lib. 3. Idem apud Paulum Langium in Chron. Citizensi.

Papa stupor mundi cecidit secumque ruêre
Cœlica Templa Dei, membra simulque caput, &c.

Quibus describit, ut Pontifex universam Ecclesiam secum in ruinam traxerit, quippe, qui Simonis Magi, non Simonis Petri locum impleat: Ecclesias, sub ipsius regimine cum meræ perfidiæ nundinæ existant, in quibus & Sacramenta & omnia Sacra tanquam auctioni exponantur; Ecclesiam porro Romanorum, inter hæc, in pejus perpetuò profecisse edisserit, ex aureâ argenteam, ex argenteâ ferream, ex ferreâ terream, & cœnosam factam: ut nihil amplius supersit, quàm ut in stercus, in fœditissimum sterquilinium abeat; Et eo interim tempore, quo magnificentissima & splendidissima illa videtur. Alter etiam Theodoricus Minorita Episcopus Croatiæ, in quadam Prophetiâ versibus conscriptâ, Sedem hanc tot sordibus coinquinatam brevi ruituram prædicit: & Pa- Theodor. Minorita in Prophetiâ unâ cū pluribus alijs rithmicis impressâ.

Papam à subditis, ijs nempe, qui eum extulerant, eversum iri; Contrà veram Ecclesiam, veramque in eâ pietatem, pristinum florem, magis quàm anteà recuperaturam. Ut & Petrus Dresdensis & Iacobus Misnensis eandem ob causam patriâ pulsi, veterum Waldensium discipuli, ad Iohannem Hussum hoc tempore se recipiunt, cui, Authore Ænea Silvio, lucem in multis doctrinæ capitibus præferunt. In Italiâ ipsâ Nicolaus Lucensis Carmelita, Theologiæ Doctor, de suggestu in os Gregorij XII. contra tyrannidem Paparum & suam detonare audet: unde in carcerem conjectus, licet præfecti favore suffultus, ægrè liberatur, de cætero à concionibus abstinere jussus. Ut omittamus innumeros omnis conditionis, qui passim exquisitissimis tormentis necabantur, in Galliâ, in Angliâ, alibi; dolijs inclusi, patibulis affixi, ustulati, quorum memoria in ipsorum adversariorum libris superest, Waldensis, Panætij, Walsinghami & cæterorum. In quibus sanè dignus peculiariter recenseri Iohannes Oldencastel ex primariâ in Angliâ nobilitate, hæres domus de Cobham ex parte uxoris: *Regi*, inquit Walsinghamus, *propter probitatem charus & acceptus (Henrico V.)* Et porrò à bellicâ laude in primis commendatus. Is igitur anno **1413.** *Lollardorum Protector & defensor appellatur*, quo nomine tùm censiti, qui contrà Romanæ Ecclesiæ corruptelas protestabantur, ausi absque Ordinariorum veniâ in Londinensem, Roffensem, & Herefordensem Diœceses Concionatôres mittere, qui veritatem Euangelij promulgarent; Præsertim verò & nominatim Transubstantiationem, Pœnitentiæ sacramentum, peregrinationes, imaginum adorationem, Claves ab Ecclesiâ Romanâ usurpatas strenuè aggrederentur; hæc enim capita Author speciatim recenset. Narrat itaque Oldecastellum, cum Regis authoritate in Turrem Londinensem conjectus esset, ad Archiepiscopum Cantuariensem adductum, fidei suæ Confessionem ex sinu prolatam ei legendam tradidisse: & dixisse quidem Cantuariensem *multa bona & Catholica eà contineri, sed in aliis capitibus satisfaciendum illis*; nempe supra memoratis: Huic ante omnia quod Papæ, Cardinalium & Hierarchiæ Romanæ potestatem spectabat: Quod non modo recusarat Oldecastellus, verùm & ingenuè professus erat: *Papam verum esse Antichristum, hoc est, caput ejus: Archiepiscopos & Episcopos, necnon alios Prælatos esse membra, & fratres caudam ejusdem.* Ad alia verò capita: *Determinationes sunt*, ajebat, *factæ contra sacram Scripturam, & postquàm Ecclesia dotata est, & venenum infusum in Ecclesiâ & non ante.* Et locum integrum Lector inspicere ne gravêtur, ut consonam cum nostrâ doctrinam agnoscat, quam nemo cavillari possit: Quare Oldecastellum Archiepiscopus & hæreticum pronuntiat, & ab Ecclesiâ suâ rescindit, brachiumque seculare in eum, extremo utique supplicio, plectendum invocat. Sed cum Rex in hoc negotio lentiùs se gereret, illibenti nimîrum animo, evasit ille ex carcere, eique se magna multitudo adjunxit, ut sese eidem periculo eximeret, quæ ad internecionem fermè deleta fuit. Captivi tùm sacerdotes, tùm laici hæreseos prætextu morte mulctati, quorum constantia vel ex ipsis verbis nota; *Horum plurimi nec quidem pœnitêre curabant.* Walsinghamo si fides ad 100000. tunc fuerunt, qui publicè hanc doctrinam profitebantur; Alius quidam paucioribus verbis: *ausum in ipso Parlamento Oldecastellum profari Angliam nunquam pacatam fore, quin potestas Papalis ultra mare relegaretur:* utque doctus & facundus erat, plures libellos per plateas sparsisse dicitur contrà invocationem Sanctorum, auricularem confessionem, Sacerdotum cœlibatum, Transubstantiationem, & alios Eccle-

Theodor. à Niem. de schismate, l.3.

Thom. Waldens. in Fasciculo zizanior. Baptista Panætius in Chronico & in Sermonib. Thom. Walsinghamus in Chronico. Thom. Walsingham. An. 1413. in Henr. 5.

Idem in Ypodigmate Neustriæ. An. 1413.

Iohannes Capgravius l. 2. de Nobilibus Henricis.

Ecclesiæ Romanæ abusus, quorum causâ Londinum adductus, tandem crematus fuerit.

At prodeunt jam apertâ facie, Iohannes Hussus & Hieronymus Pragensis, viri, adversarijs ipsis testibus, doctrinâ & probitate insignes, qui in Ecclesiâ publicum munus adepti, Ecclesiæ Romanæ abusus oppugnant, eos ipsos, quos nos hodie ejuramus & detestamur; Et tyrannidem in primis Papæ aggrediuntur, quem, uti judices ipsi testantur, Antichristum ipsum profitentur. Æneas Sylvius ipse author, qui postmodum Papa Pius 2. ad eorum clangorem, spiritu Dei afflante, verbo Dei intonante expergefiunt ex altissimo somno populi, ad hanc lucem quasi agmine facto accurrunt, vicinos etiam undequaque invitant: Cumque sub idem temporis punctum, Papa Iohannes 24. *plenariam peccatorum remissionem indulsisset iis, qui ad tuendam Ecclesiam Romanam adversus Ladislaum Regem Neapolitanum arma induerent, quidam sordidæ artis homines*, inquit Pius 2., *hoc audito Iohannem Papam Antichristum esse magnâ voce clamaverunt, qui Crucem contrà Christianos decerneret.* Et boni interim illi Patres Constantienses, Ecclesiæ, uti dicebant, tum in capite, tum in membris reformandæ, congregati, qui ad tantorum præconum tubam excitari debuerant, bonæ fidei prætextu, eos quatenus possunt, & supprimunt & opprimunt. Ad Concilium ergo vocati illi, fiduciâ salvi conductus, ab Imperatore Sigismundo concessi, qui Concilium convocârat, de suâ doctrinâ rationem reddituri, spontè accedunt, Sed illicò in carcerem conjecti, & hæretici declarantur, & vivi tandem comburuntur: Iohannes Hussus primus, post annum circiter Hieronymus. Constantienses verò hanc sententiam posteris exemplum, an legem futuram relinquunt: *Hæreticis non servandam fidem:* quibus Hæretici quotquot suis opinionibus adversantur, etiam in rebus purè civilibus; nempe non alio instituto, quàm ut omnem in posterum, Ecclesiæ in libero & legitimo Concilio reformandæ, spem omnibus præscindant. Narrat Sylvius, admonitos fuisse non plus sapere, quam Ecclesiam, in quâ si suas opiniones ejurare vellent, honorificum locum obtinere possent; Et in hac convertendi ratione, stilum doctoris illius antiqui Dominum in Deserto tentantis agnoscere promptum. At respondent, inquit Pius, *se veraces, se sancti Euangelij æmulatores, se Christi discipulos esse: Romanam Ecclesiam, cæterasque per orbem dispersas longè à traditionibus Apostolorum abijsse: quæ opes ac delicias sectarentur, dominatum in populos, & primos in conviviis accubitus exquirerent, canes, equos alerent, Ecclesiarum bona, quæ Christi pauperibus deberentur, per lasciviam, luxumque consumerent. Aut nescire prorsus divina mandata, aut scientes contemnere.* Quæ ipsissima ejus verba, in quibus quis non veritatis vocem agnoscat? Subjungit: *Primores magnæ Synodi, ubi pertinaciam & immutabiles animos perditorum hominum animadverterunt, membra Ecclesiæ putrida, quæ sanari non poterant, ne reliquum corpus inficerent, resecanda censuerunt. Lata est in consessu Patrum adversus contumaces sententia, cremandos esse, qui doctrinam Ecclesiæ respuerent.* Nempe qui Clericorum non esse, morti quemquam addicere, profitentur, judices in hac causâ ipso Pio teste, & sanguinis & sanguinarios habes. De ipsâ Husi sententiâ disertè etiam idem. *Ab ipsis ad Iesum Christum summum judicem provocavit:* quod criminis non pars minima. At, ad eorum supplicium quod attinet: *Ambo*, inquit Pius, *constanti animo necem pertulerunt, & quasi ad epulas invitati ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indiciū: Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit: Nemo Philosophorum tàm forti animo mortem*

Æneas Sylvius in Histor. Bohem c. 35.

cap. 35.

cap. 36.

Poggius Concilii Conſtantienſ. ſecretar. in Epi. ad Leonard. Aretinum.

tem pertuliſſe traditur, quàm iſti incendium. Poggius Florentinus ætatis noſtræ nobilis ſcriptor, de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicolai concivem ſuum elegantem ſcripſit Epiſtolam, quamvis paululum ſuâ conſuetudine in mores Cleri invectus videatur. Poggius verò quem teſtem ciet, Concilij Secretarius ad Leonardum Aretinum Epiſtolam ſcribit, quæ huc integra afferri digna: Cùm pluribus diebus, inquit, ad Balnea fuiſſem, ſcripſi ad Nicolaum noſtrum ex ipſis Balneis Epiſtolam, quàm exiſtimo te lecturum. Deinde cùm Conſtantiam revertiſſem, paucis poſt diebus cœpta eſt cauſa Hironymi, quem Hæreticum fecerunt, & quidem publicè. Hanc verò tibi recensêre inſtitui, tùm propter rei gravitatem, tum maximè propter eloquentiam hominis & doctrinam. Fateor me neminem vidiſſe unquam, qui in cauſâ dicendi præſertim capitali, magis accederet ad facundiam priſcorum, quos tantopere admiramur. Mirum eſt vidiße, quibus verbis, quâ facundiâ, quibus argumentis, quo vultu, quo ore, quâ fiduciâ responderet adverſarijs, ac demum cauſam perorarit: Ut dolendum ſit tam nobile ingenium tamque excellens ad illa hæreſis divertiſſe ſtudia (ſi tamen vera ſunt quæ illi objiciuntur) Notentur Poggij verba. Non enim mea intereſt tantam cauſam dijudicare. Acquieſco eorum ſententiis, qui ſapientiores habentur: Neque tamen exiſtimato me in Oratorum morem ſingulatim cauſam referre: longum id eſſet & multorum dierum opus. Pertingam quoſdam locos illuſtriores, quibus viri doctrinam poßis perſpicere. Cùm multa in hunc Hieronymum congeſta eſſent, quibus arguebatur hæreſis, atque ea teſtibus firmata: tandem placuit, ut publicè ſingulis, quæ ſibi objiciebantur, reſponderet. Ita in concionem deductus, cum juberetur ad illa reſpondere, diutius recuſavit, aſſerens ſe debere priùs cauſam agere, quam adverſariorum maledictis reſpondere. Ita ſe priùs pro ſe dicentem audiendum eße aßeverabat, tum ad æmulorum ſuorum probra in eum congeſta deveniendum. Sed cùm hæc conditio ſibi denegaretur, tùm ſtans in medio concionis: Quænam eſt hæc iniquitas, inquit, ut cum trecentis ſexaginta diebus, quibus in duriſſimis carceribus fui, in ſordibus, in ſquallore, in ſtercore, in compedibus, in rerum omnium inopiâ, adverſarios atque obtrectatores meos ſemper audieritis, me unam horam audire nolitis? Hinc eſt, ut dum illis ſingulorum aures patuerint, atque in tam longo tempore vobis perſuaſerint me hæreticum, hoſtem fidei, Eccleſiaſticorum perſecutorem: mihi autem me defendendi nulla detur facultas, vos me priùs improbum hominem judicaveritis in mentibus veſtris, quàm, qui forem potueritis cognoſcere. Atqui, inquit, homines, non Dij eſtis, non perpetui, ſed mortales: labi, errare, falli, decipi, ſeduci poteſtis, &c. Tandem decretum eſt, ut priùs ad errores, qui in eum conferebantur, reſponderet, deinde loquendi quæ vellet daretur facultas. Legebantur igitur ex Pulpito ſingula capita accuſationis, deinde teſtimoniis confirmabantur. Tùm rogabatur an quid vellet objicere: Incredibile dictu, quam callidè reſponderit, quibus ſe tueretur argumentis. Nihil unquam protulit indignum bono viro, ut ſi id in fide ſentiebat, quod verbis profitebatur, nulla in eum mortis cauſa inveniri juſta poſſet, ſed ne quidem leviſſimæ offenſionis. Omnia eße falſa dicebat, omnia crimina conficta ab æmulis ſuis: Mox verò: Cum propter multitudinem criminum ac pondus, res eo die tranſigi nequiret, in diem tertium dilata: Quâ die cum ſingulorum criminum argumenta recitata eßent, ac ſubinde pluribus teſtibus affirmarentur, tum ſurgens ille: Quoniam, inquit, adverſarios meos tam diligenter audîſtis, conveniens eſt, ut me quoque dicentem æquis animis audiatis, Data tandem, licet multis perſtrepentibus, facultas dicendi: Hîc primũ à Deo exorſus, deprecatus eſt, eam ſibi mentem dari, eam dicendi facultatem, quæ in commodum ac ſalutem animæ ſuæ verteretur. Deinde, ſcio, inquit, plures excellentiſſimos viros indigna ſuis virtutibus perpeßos, falſis oppreßos teſtibus, iniquißimis judiciis condemnatos, &c. Inde iniquum eße condemnari injuſtè Sacerdotem à Sacerdote, & id factum fuiße docuit iniquißimè à Sacerdotum Collegio, & Concilio, &c. Commotæ erant omnium mentes & ad mi-

misericordiam flectebantur. Addiderat enim se sponte ad Concilium venisse, ad se purgandum, vitam suam & studia exposuerat officiorum plena ac virtutum. Dixerat hunc morem priscis doctissimis viris ac sanctissimis fuisse, ut in rebus fidei invicem sententiis discreparent, non ad pessundandam fidem sed ad veritatem reperiendam; Ita Augustinum & Hieronymum dissensisse, nec solùm diversa sensisse, sed etiam contraria, nullâ hæresis suspicione. Expectabant omnes ut vel se purgaret, retractando objecta, vel erratorum veniam postularet. At ille, nec se errasse asseverans, nec se retractare aliorum falsa crimina velle ostendens: Tandem descendens ad laudationem Iohannis Hussi ad ignem damnati, virum illum bonum, justum & sanctum appellans, & illâ morte indignum: se quoque paratum quodvis supplicium adire forti animo & constanti, seque inimicis suis cedere & testibus impudenter mentientibus, qui tamen aliquando coram Deo, quem fallere non poterant, essent rationem eorum quæ dixissent, reddituri. Illud verò (addit Poggius) *admirabile memoriæ argumentum: Trecentis sexaginta diebus fuerat in fundo turris fœtidæ, atque obscuræ, cujus asperitatem ipsemet quæstus est, asserens se ut bonum & fortem virum decet, non propterea ingemiscere, quod indigna passus esset, sed mirari adversus se inhumanitatem; Quo in loco nedum legendi, sed ne videndi quidem habuit facultatem. Mitto anxietatem mentis, quâ oportuit illum quotidie agitari, quæ omninò memoriam excutere debuisset: Tamen cum tot doctissimos ac sapientissimos viros in testes suarum opinionum allegaret, tot Doctores Ecclesiasticos in medium protulit in sententiam suam, ut satis superque fuisset, si toto hoc tempore summo in otio, summaque in quiete, sapientiæ studiis operam dedisset, &c. Stabat impavidus, intrepidus, mortem non contemnens solùm, sed appetens, ut alterum Catonem dixisses. O virum dignum memoriâ hominum sempiternâ! Non laudo, si quid adversus Ecclesiæ instituta sentiebat,* (& dubitabundus perpetuò) *doctrinam admiror, plurimarum rerum scientiam, eloquentiam, dicendi suavitatem, & argutiam respondendi. Sed vereor ne hæc omnia in pestem suam sibi fuerint à naturâ concessa;* Stilus hîc Poggij an propter invidiam. *Datum deinde spatium pœnitendi biduo. Multi ad illum accessere viri eruditissimi, ut ipsum à suâ sententiâ dimovêrent. Inter quos Cardinalis Florentinus eum adijt, ut illum flecteret ad viam rectam. Sed cum pertinaciùs in erroribus perseveraret, per Concilium hæresis damnatus & igni combustus. Iucundâ fronte, & alacri vultu ad exitium suum accessit, non ignem expavit, non tormenti genus, non mortis. Nullus unquam Stoicorum tàm constanti fuit animo, tam forti mortem perpessus, quàm iste appetijsse videtur. Cum venisset ad locum mortis seipsum exuit vestimentis, tum procumbens flexis genibus, veneratus est palum, ad quem ligatus fuit.* Et hîc in circunstantias extenditur; *Cùm flamma adhibita, canere cœpit Hymnum quendam, quèm fumus & ignis vix interrupit. Hoc maximum constantis animi signum. Cum Lictor ignem post tergum, ne id videret, injicere vellet, huc, inquit, accede & in conspectu accende ignem: si enim illum timuissem, nunquam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, accessissem. Hoc modo vir præter fidem egregius, consumptus. Vidi hunc exitum, singulos actus prospexi: sive perfidia sive pertinacia* (aliter loqui periculosum) *certè ex Philosophiæ Scholâ interitum viri descripsisses, &c. Nam neque Mutius ille tàm fidenti animo passus est membrum uri, quàm iste universum corpus, nec Socrates tàm sponte venenum bibit, quam iste ignem suscepit. Sed hæc satis.* Quare Leonardus Aretinus ad ejus Epistolam respondens, liberiùs locutum non dissimulat. *Etsi judicium tuum, inquit, sæpe purgas, tamen nescio quid majoris affectionis præ te fers. Ego cautius hisce de rebus scribendum puto.* Qui interim Monachos & Clerum sui temporis & describit apprimè & suggillat, hypocritas, pharisæos, avaros, superbos, sanguinarios, sepulchra dealbata, circulatores, somniorum prædicatores, planos,

Leonardi Aretini Oratio contra hypocritas.

Ad-

Adversarios irasci hodie videas, cum objicitur Hussum & Hieronymum Pragensem, contra fidem publicam igni traditos, legemque in Concilio de non servandâ Hæreticis fide sancitam: Hieronymum enim *salvum conductum* habuisse, ut planè negant, ita & Iohannem Hussum ab Imperatore non à Concilio cavillantur; & porrò Decretum illud commentitium affirmant. Certè candidior Archiepiscopus Antoninus, qui illis Sanctus: De Iohanne enim perspicuè: *In ipso Concilio damnatus fuit, & combustus*: De Hieronymo, *combustus fuit publicè*; Deinde addit: *Et quia Imperator non videbatur hoc æquanimiter ferre, propter salvum conductum eis datum, respondet ei sacrosancta Synodus, eum argui non posse de fide mentitâ, quia Concilium ipsum non dederat ei salvum cunductum, & Concilium majus est Imperatore, & ideò non potuisse contra voluntatem Concilij id concedere, præcipuè in factis fidei.* Pius 2. apertè: *Placuit tandem, Sigismundo Imperatore suadente, Iohannem & Hieronymum ad Synodum vocari.* Unde falsum convincatur, quod Hieronymum sponte venisse contestantur. Bonifinius in Historiâ Hungaricâ: *Iohannem Hus, & Hieronymum ad Synodum placuit accersi, acciti veniunt.* Patres igitur Concilij fidem Imperatoris frangunt, frangendumque salvum conductum Imperatori suadent, absque suo nullum. Imperator quamquam & Concilium convocaverat, & in urbem quidem suam, in quâ omnimoda ei authoritas: Wenceslaus verò Rex Bohemiæ, rogatu Concilij, Iohannem Hussum Imperatoris salvo conductu fretum, quod ipsi confitentur, eò miserat. Dolosi proinde Patres, qui & Hussum à suo Rege petiverant, & Imperatoris fide subnixum invitarant, quam irritam facere in mente haberent: Decretum verò ipsum, ne tergiversentur, in Sessione 19. habetur, hoc titulo: *Quod non obstantibus salvis conductibus Imperatoris, Regum, &c. possit per Iudicem competentem de hæreticâ pravitate inquiri.* Sunt autem ejus verba: *Præsens sancta Synodus ex quovis salvo conductu per imperatorem, Reges & alios seculi Principes hæreticis, vel de hæresi diffamatis, putantes eosdem sic à suis erroribus revocare, quocumque vinculo se astrinxerint, concesso, nullum fidei Catholicæ vel jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere declarat, quo minùs, dicto salvo conductu non obstante, liceat judici competenti & Ecclesiastico, de hujusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debitè procedere, eosdemque punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocâre pertinaciter recusaverint: etiam si de salvo conductu confisi ad locum venerint judicij, alias non venturi: nec sic promittentem, cum alias fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* In margine autem notatur: *Hæreticis suas hæreses pertinaciter defendentibus salvum conductum non patrocinâri.* Ut eâ ratione Principes fide datâ solvantur, salvus conductus eorum eo casu nullus habeatur: qui ejus fiduciâ comparuerint, inquisitioni tradantur: Qui verò cum conscientiâ alienâ tam absolutè dispensant, quam fidem ipsi dare possunt? & datam quî præstent, & dandam quinam accipiant? Moritur igitur Iohannes Hussus, Martyr ille Christi anno 1415. erumpente in hæc verba, qui supplicio intererat, populo: *Quid iste homo anteà docuerit aut fecerit, ignoramus, certè ista sunt maxima veræ pietatis indicia*; ad orationem nempe, quam eo puncto ardentissimam ad Deum fudit: Ad Prælatos etiam, qui huic spectaculo aderant, conversus: *Centum revolutis annis Deo respondebitis & mihi.* Et hinc moneta in Bohemia cusa, latinâ hac inscriptione insignis, in anticâ parte: In posticâ verò; *Credo unam esse Ecclesiam Catholicam*; Dixisse demum perhibetur: *Me jam anserem assatis*, id Hus Bohemice sonat) *sed veniet posteà Cygnus, qui aliquanto melius vobis invitis cantet, nec tamen eum assare poteritis.* Centesimo verò post anno prodit Lutherus, quo

Antonin. part. 3. Tit. 23. c. 6.

Æneas Sylvius Hist. Bohem. c. 36.

Bonfinii Decad. 3. l. 2.

Nauclerus Vol. 2. Gener. 48.

Concilium Constantiens. Sess. 19

Ann. 1415.

quo tanquam fulmine Ecclesia Romana perculsa, qui nihil obstante eorum rabie pacatè domi suum diem obit.

PROGRESSUS.

MAgna Iohannis Husi in Bohemiâ authoritas, *quem potentem in verbo vitæ etiam puritas commendabat*: Populus ejus doctrinâ imbutus erat, Pragæ præsertim, quæ gentis caput, ubi ad immanes Iohannis 24. Indulgentias populus Antichristum esse occlamaverat: Magistratus verò nonnullos in carcere, publicè non ausus, necaverat, quorum sanguinem subter portam Palatij fluere conspicatus, corpora quæsiturus accurrerat, clamans: *Isti sunt sancti, qui pro Testamento Dei sua corpora tradiderunt.* Adde abominationum Romanarum Constantiæ Epitomen, cujus propius factæ, graveolentia in Bohemiam usque pertinebat: Suevis conquerentibus, exiguo tantuli temporis spatio, tantam turpitudinis illuviem secum invexisse, ut annis triginta eam eluere non possent. Quandoquidem inter Prælatorum impedimenta 450. meretrices & Agyrtæ trecenti ab Historicis nominantur. Mors itaque Iohannis his superveniens, perfidiâ inter cætera infamis populum vehementer efferavit, apud eum imò eo majorem doctrinæ suæ fidem conciliavit: quam suo sanguine obsignasset; Romanæ contra invidiam, cujus abominanda fides in solâ perfidiâ præsidium inveniret. Tum igitur Regem rogâre, ut in liberum religionis suæ exercitium, Templa sibi concederet. Quo assentiente & propagantur illi, & prout crescunt loca necessaria subinde sibi attribui postulant; Nec Regina Sophia gente Bavara, quæ Regis imbecillitatem regebat, ab illis alienam se ostendebat. Sed, ut eum paralysis sustulit, & Frater Sigismundus in ejus locum succesit, instigante Concilio, mox & Pontifice, vim in eos adhibendam statuit, eoque omnes Imperij vires conversurus, *Principes, Prælatos, Equites, milites, Plebem ipsam, ex Eburonibus, Batavis, Hannonibus, alijsque locis convocat*, nihilque seu bellico impetu, seu suppliciorum acerbitate intentatum relinquit. Exoriri tum Iohannes Trosnovius, Zischa dictus, quia monoculus, domi nobilis quidem, sed mediocris fortunæ, cæterùm vir fortis, qui palabundam gentem omnis ætatis & sexus delecto idoneo loco recolligit; Incredibile, nî adversarij testarentur, undecies prælium cum Sigismundo committit, perpetuò superior, aliquoties ex quo utroque oculo captus, nec minus fœlix, miseri licet populi dux, cujus, rebus sæpè desperatis, murmura compescere, quam impetus hostium sustinêre, non minus difficile erat: Donec tandem Sigismundus ejus succesibus fractus, & res Bohemiæ ab ejus unius nutu pendere expertus, vincendum sibi blanditijs ejus animum ratus, præfecturam Regni cum summâ authoritate, magnaque annuâ pensione ei defert, eâ conditione, ut & Regem ipsum agnoscat, & à cæteris agnoscendum curet. Hîc Epiphonema Pij 2. notatu dignum: *Magna profectò Regiæ majestatis ignominia, & Imperialis gloriæ dedecus, atque infamia Reipublicæ Christianæ sempiterna: Sigismundum pluribus annis provectum, ex Imperatoribus natum & ipsum Imperatorem, cujus nomen Italia, Gallia, Germania & omnis Europa venerata est, quem barbaræ nationes timuerunt, supplicem vidit nostra ætas homini, haud ex parentibus admodum nobilibus nato, seni, cæco, hæretico, sacrilego & in omne scelus audaci, pecuniam & summos honores offerre, ut suarum esse partium dignaretur.* Verùm, Zischæ mors, partim laboribus, partim annis confecti, tractatum interrupit, quem nonnulli peste interemptum scribunt. Sylvius in sar-

Æneas Sylvius in Histor. Bohemic. c. 35. & 36.

Monstrelet Vol. 1. c. 257.

Æneas Sylvius Histor. Bohemic. c. 46.

sarcasmum erumpit: *Quem manus humana conficere non valuit, digitus Dei extinxit;* Quàm meliori jure in eâ quam nobis repræsentat hominis humilitate & imbecillitate brachium Dei agnoscere debuisset. Nec verò etiam miserum hunc popellum sua tutela destituit, per mortem licet Zischæ sese *orphanos* deinceps cognominarent, uti suo loco videbitur. Epitaphium ejus tumulo in urbe Tabor, quam construxerat, inscriptum memoriâ dignum: *Iohannes Zischa, nulli Imperatorum Ducumve rei militaris peritiâ inferior, superbiæ simul & avaritiæ Clericorum severus ultor, patriæque acerrimus propugnator, hîc jaceo. Quod Appius Claudius cæcus benè consulendo, & M. Furius Camillus strenuè agendo suis Romanis præbuere, hoc ipsum Bohemis meis præstiti, fortunæ belli nunquam defui neque illa mihi: omnem opportunitatem rerum bene gerendarum, etiam cæcus prævidi, signis collatis, undecies victor semper depugnavi. Visus mihi sum miserorum & esurientium justissimam causam adversus delicatos, pingues, & saginatos sacerdotes egregiè egisse, & ob hoc Dei auxilium sensisse. Nisi illorum invidia obstaret, inter illustres viros numerari procul dubiò meruissem. Tamen ossa mea hoc sacrato loco cubant, etiam insalutato Papa, invitoque.* Infra verò Græcè adscriptum; Ἰωάννης Σισκὰ ὁ Βοιήμος τῶν αἰσχροκερδῶν ἱερέων ἐχθρὸς, ἀλλ' ἐν θείω ζήλω. *Iohannes Zischa Bohemus Sacerdotum turpis lucri cupidorum hostis, sed divino Zelo.*

Paralipom. Abbatis Urspergẽs.

Nec omittendum: Picardus quidam cum in Bohemiam venisset, qui nonnullam multitudinem in Insulam fluvij Lusmik præstigijs suis pellexisset, in quâ nudos incedere & promiscuos concubitus inire docuerat, unde & Adamitæ vocabantur, ut Satanę familiare est, renascenti Euangelij luci tales nebulas offundere, Zischam & suos ante omnes in eos impetum fecisse, Insulam apertâ vi invasisse, omnesque ad internecionem delevisse, duobus tantùm exceptis à quibus impiæ suæ superstitionis peculiares ritus condiscerent. Cum tamen Ecclesiæ Romanæ Concionatores, doctrinam Iohannis Hussi, varijs calumnijs onerent, Constantienses ipsi Patres propter opiniones Wiclefi quidem damnatum spargentes, at quas Wiclefo ipsi pro libidine affingebant, portentosam præ cæteris unam: *Quod Deus Diabolo obedire debet;* Quamvis & calumnia ipsa per se ruat, & eorum, qui contra Wiclefum scripserunt, dum adhuc in vivis, ejus meminerit nemo; In tot etiam, quæ scripsit, voluminibus, ne vestigium quidem ejus reperiatur. Ad Iohannem verò Hussum quod attinet, Pius 2. Papa capita doctrinę ejus in Historiâ recensęt, nostris Confessionibus consona; Et extant Bohemorum Confessiones Regibus suis exhibitæ, cum permissa illis religionis suæ libertas, in quibus nihil à verâ pietate Christianâ alienum. Intereà Martinus Papa animum non abjicit: contrà morte Zischę unionem hujus populi labefactatam, uti erat, arbitratus, in eum ducendum statuit; Duo huic bello Duces præerant, magnus & parvus Precop, indeque malè sarta concordia videbatur. Igitur Cardinalem Wintoniensem Anglum in Germaniam mittit, qui Imperatoris animum excitet, Germanos in hunc populum crucem assumere jubeat, sicque triplex exercitus affatim conscribitur: ex circulo Saxoniæ & civitatibus maritimis unus, cui Dux Saxoniæ præficitur: alter ex circulo Franconiæ, cui Brandeburgensis Marchio: tertius ex Circulo Rheni, Bavariæ, Sueviæ, cui Ottho Treverensis Archiepiscopus: qui triplici viâ Bohemiam ingressi sese conjungunt, conjunctimque urbem Mizlam, quam postridie hostes noctu interceperant, recuperandam suscipiunt. Tenuis iste manipulus tantam aciem ne tantillum quidem ferre posse videbatur: tumultuariè tamen collecti, rectâ in hostem ducunt. At illi, inquit Pius 2. *Non visum hostem fugerunt, Thacoviamque petentes, instrumenta bellica cum prædâ ibi dimi-*

Æneas Sylvius c.48.

dimiserunt. Accurrit labantibus Cardinalis, *admiratus tot Ducum, tot fortium virorum pavidam fœdamque fugam:* Rogat, obtestatur, hosti faciem obvertant, omni ex parte impari: Sed hoc ut obtinere non potest, fugæ socius fieri cogitur; Vix ausim, nisi præcentore Papa illo, & totidem verbis: *Vix sylvam ingressi erant, cum supervenientes Bohemi postremum agmen lacessere cœperunt: Facta est profusior ac pavidior fuga, nec prius Theutones fugere, quam Bohemi persequi destiterunt.* Itaque impedimenta diripiunt, Thacoviam expugnant, tormenta in potestate habent. Inde Misniam depopulantur, inde Franconiæ, Bambergæ, Norimbergæ, alijs civitatibus, quo se redimant, tributum imponunt. Hîc Sigismundus & Martinus Papa de alio exercitu, & quidem validiori cogitare, ad eum conscribendum collatis auxilijs Principes, Ordines, Civitates cohortari, Dux Pontificis vice, Cardinalis Iulianus de S. Angelo, Imperatoris, Brandeburgicus Elector, pluribus Principibus Comitatus: equitum in exercitu quadraginta millia, peditum minor numerus: Et cum ingentibus istis copijs ingreditur regionem Cardinalis, *ignem & gladium, quà potest circumferens, non sexui, non ætati parcens.* Vix tamen finibus delibatis pedem omnes referunt, *seu proditio in exercitu fidelium fuerit,* (Papalem intelligit) *quod plurimi putavere, sive inanis suâ sponte mentes hominum pavor invaserat, totis castris trepidatum est, & priusquam hostis ullus in conspectu daretur, fœdissima fuga cœpta. Miratur Julianus, unde hic timor, quæ ratio tantum exercitum fugere suaderet, ambire duces, hortari, arma expedirent, aciem instituerent, forti animo hostem expectarent: non de regni gloriâ, aut agrorum possessione certari, de vitâ, de religione, de Christi honore, de animarum salute bellum geri. Turpe Germanis esse, quorum nobilitatem virtutemque totus orbis celebraret, ex prælio fugere, mori satius, quàm hosti nondum viso cedere.* Et hîc sanè oportunius quam de obitu Zischæ dixisse potuerat Pius, *digitus hic Dei:* Quicquid ante oculos reponat, illis Iulianus exprobret, nihil consequitur, *eo quod pudorem metus evicerat. Ablata sunt raptim signa & tanquam nullus esset in exercitu ductor, tumultuosè quisque non expectato imperio, non salutato comite, multi etiam projectis armis, non aliter quam si hostis à tergo instaret, rapido cursu fugam maturavere. Quibus & Cardinalis invitus sese comitem dedit. Hostis paulò post ex metu alieno factus audax affuit, impedimentisque omnibus, & ingenti prædâ potitus est.* Quare rebus desperatis, & exhaustis jam viribus, de alio Concilio Basileæ indicendo sermonem illis injicere visum, quo Cardinalis animum ex fugâ resumpturus concedit. Monstreletus, licet ergà Bohemos malè affectus: *Nulla*, inquit, *illi martyria reformidabant, supplicia nulla, arma sumebant fœminæ ipsæ & pugnabant & multæ in præliis inter cæsa cadavera inventæ.* Ut hîc sanè si hujus belli & causam & rationem spectes, cum Machabeis jure conferri posse videantur; Martinus Papa cum Antiocho, seu consilia, seu eventum, populum Dei bello olim infestante, qui nobis in typum Antichristi propositus.

Æneas Sylvius Histor. Bohemic. c.48. & 49. Monstrelet. Vol. 1. c. 258.

Spem populis fecerat Sigismundus undequaque conquerentibus, curaturum in Concilio Constantiensi, ut de reformandâ Ecclesiâ cogitaretur, eoque tum universitates, tum nationes ipsæ plura capita ad reformationem pertinentia per Legatos suos Concilio exhibuerant; Parisiensis nominatim per M. Iohannem Gersonem Cancellarium suum, & M. Petrum de Alliaco Cardinalem, quæ etiamnum leguntur: illa tamen examinanda, postquàm schismati prospectum fuisset. Ut igitur Sigismundus videt confecta, quæ præire debere videbantur omnia, depositum esse Iohannem XXIIII. abdicasse Gregorium XII. in Benedictum XIII. latam sententiam; & de antevertendis in posterum schismatibus,

Concilium Constantiens. Sess. 12. 14. 17. 39. Sessione 35. & 21.

tibus, uti putabatur, cautum, Iohannem Hussum cæterùm & Hieronymum Pragensem & damnatos & supplicio affectos, tempus advenisse retur, quo Patres ad reformationem ineundam seriò sollicitet; eò impensiùs quod capite nondum constituto, de eo reformando, inque ordinem cogendo Concilium & tutiùs, & majori cum authoritate, & minori cum contradictione, statuere posit. Quod, qui eligendus fuerit, legem Pontifici præscribendam eo libentius sit accepturus, nescius quippe electionis suæ, ipse in reformationem futuri Pontificis consensurus. In

Sessio.40. sessione igitur XL. Præside Hostiense Cardinali, Gulielmus Cardinalis S. Marci quædam Decreta legit, de quibus Concilium sententiam ferre rogatur, ut à Papa futuro ante Concilij solutionem publicarentur; illa tamen ejusmodi, quæ vix summam cutim attingerent; numerum, qualitatem, nationem Cardinalium, reservationes, Annatas, communia & minuta servitia, collationes & gratias expectativas, confirmationes, causas curiæ Romanæ reservandas, aut non reservandas, Appellationes, Regulas Cancellariæ, & Pœnitentiarias, Commendas, alienationes bonorum Ecclesiæ Romanæ, extirpationem Simoniæ, dispensationes, indulgentias, Decimas, speciatim etiam causas propter quas Pontifex corripi & deponi potest; Quæ nihilominus omnia post electionem Papæ terminanda rejiciuntur, ut ex Nationum consilio ejus authoritate, de his in Concilio lex feratur. Haud dubiè quia angebat eos, quod Sigismundo exciderat verbulum: qui dicentibus *reformationem inchoandam à Minoritis*, imò *à Majoritis*, responderat, Papam & Cardinales innuens. Etenim ipse reformationis formulam instituerat, quæ Augustæ anno 1484. edita etiamnum legitur. Quare Cardinali Columna in Pontificem electo, qui fuit Martinus V. anno 1417. die Martino sacro, nil obstantibus acrius Sigismundi monitis, exponit ipse, quod Constantiæ tam diu hæserint, quàm incommodum fuerit omnibus Ecclesijs: Ad tantum negotium maturâ deliberatione opus, suos cuique Provinciæ, quod ait Hieronymus, esse mores, suas & opiniones, quæ absque perturbatione tam citò tolli non possint, tantumque suis artibus perfecit, ut Concilij solutionem obtineret, eâ lege, ut Concilium aliud post quinquennium haberetur; inde post septennium, & decimo deinceps quoque anno: in quibus de rebus ad Fidem, Remque publicam pertinentibus tractaretur. Ut verò rem seriò agi credant, proximum intra quinquennium celebrandum Papiæ incontinenti indicunt; Túmque, XLV. Sessione à Cardinali Winbaldo ex Papæ mandato pronuntiatum: *Domini ite in pace*, quibus verbis *dimittebantur, sublato*, inquit Platina, *omnium consensu, maximè verò Imperatoris*: Quo rogante, ut saltem pauxillum in Germaniâ moræ facerent, necessitatem Romam redeundi obtendit Martinus: *Quod Sanctorum Capellæ per Paparum absentiam collaberentur.* Quare, inquit Volaterranus, illibente & renitente Sigismundo discessit; Quam idonea excusatio, ubi morbi Ecclesiam in intimis visceribus corrodentes, imò exitium propinquum minitantes, proponebantur. Regreditur igitur Martinus in Italiam ovans haud dubiè, quod solertiâ suâ formidabilem hunc reformationis scopulum evasisset; Et jam totus in eo est, ut Papatum suum communiat.

Concilium Constantiens. sess. 45. Platina in Martino 5.

Premebat ei cor Balthazar Cossa, qui Iohannes XXIIII. alijs XXIII. quippe, qui numeratis triginta aureorum millibus, sese ex Palatini custodiâ redemerat, indeque digressus veteres amicos totâ Italiâ lustraverat: quod novum schisma Martino portendere visum: Accedit tamen Florentiam, eumque humiliter salutat, Cosmæ Medicæi amicitiâ & fide fretus, qui in urbe licet liberâ authoritate po-

potiebatur. Itaque Cardinalis Tusculanus à Martino creatus paucis post diebus ibi moritur. Regnabat adhuc Imaginarius Pontifex Petrus de Luna Benedictus XIII. in scopulo illo Aragonico cum aliquot suis Cardinalibus: & infensus erat Martino Alfonsus Aragonum Rex, quod in suum damnum, Ludovicum Andegavensem à Reginâ Iohannâ adoptatum, Regem Siciliæ pronuntiasset. Nec longè aberat Concilio Papiensi dicta dies, quam protelare minus honestum erat. Alfonsus licet Benedictum se ei oppositurum minaretur: Petrum igitur Donatum Cretensem Archiepiscopum cum aliquot Cardinalibus Concilium inchoaturum Papiam mittit: Dein, ex pestis occasione Senas transfert: Quò ex omnibus Nationibus major quàm Papiæ numerus confluit. Nec deerant Alfonsi Legati Concilium extracturi, dum pecuniæ largitione, Benedicti negotium promovebatur. At Martinus antevertendum ratus, Concilium ex abrupto in septennium rejicit: Unde & Antoninus *perfunctoriè habitum* dicit: Donec tandem metu liberatur Martinus: primùm vitâ perfuncto anno 1424. Benedicto & eo quidem, *annos Petri prætergresso ad cumulum suæ damnationis, quippe non in sede Petri;* Cui tamen Cardinales successorem creant Clementem VIII. dictum: Demùm & renuntiante postmodùm eodem Clemente anno 1428. quem à plerisque Cardinalibus suis derelictum, Episcopatu Majoricano donatum, servatâ Cardinalibus, qui apud eum remanserant, dignitate, Martinus ad abdicationem compulit; Adde sedato etiam ante omnia Alfonsi animo, cum res Ludovici Neapoli minus ex voto succedere providus animadverteret. Et verò Martinus Romæ exceptus, de restaurandis jam ædificijs cogitat: nec non Cardinales ejus exemplo, in parochijs seu titulis quique suis, idque *Ecclesiam instaurare* dicebatur; de cogendâ etiam undecumque pecuniâ: Namque, inquit Antoninus: *Hoc in eo communis fama redarguit, nimis cupidè insistere cumulationi pecuniæ, ut nequaquam dicere valeret, id primi Apostolici: Argentum & aurum non est mihi: sed ipsum thesaurum temporalem valdè augmentatum, manus propinquorum præcipuè nepotis Principis Salernitani, ad quem eo moriente devenit, in stipendiarios & hostes Ecclesiæ erogantes, consumpserunt.* Sicque anno 1431. moritur; Eò fœlix, quòd Concilio Basiliensi eâ ratione ereptus, quod in idem tempus incidebat, eo formidabilius, quòd Patres Constantienses legem & dixissent, & effectu jam comprobassent, Quâ Concilium generale Papa superius decernebatur. Is porrò ille est, quem Angelus de Clavasio Minorita, Angelicæ Summæ Author, in dictione Papa scribit: *re cum suis Doctoribus communicatâ, cuidam permisisse, ut germanam sororem uxorem duceret;* Et florebat Angelus ille sub Sixto IIII. coætaneus fermè. An. 1424. Antonin. Tit. 22. c. 7. An. 1428.

Concilium igitur, urgente Sigismundo, jam indixerat, eique Iulianum Cardinalem S. Angeli Legatum præfecerat, qui & illud jam inchoaverat, & adversum Martem in Boemiâ expertus salvum conductum Boemis, Moravisque, additis idoneis cautionibus, Concilij nomine concesserat: sed dubitabatur, num Cardinalis Condelmerius ejus successor, qui Eugenius IIII. id continuare vellet, eò magis, quod in ipsâ II. Sessione Decretum sancitum fuerat his verbis: Quod *Synodus in Spiritu sancto congregata generale Concilium faciens & Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem immediate à Christo habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem; & qui statutis obedire contempserit, nisi resipuerit, debitè puniatur.* Etenim in sesquiannum illud differre jam moliebatur, Bononiamque transferre, ut eo facilius, uti dicebat, Græci accedere possent; Quo factum ut Sigismundus dilationis metuens, acriùs re- Concil. Basileensi sess. 2. Monstrel. Vol. 1. An. 1431.

rescriberet, Græcorum prætextu non esse differendam Ecclesiæ inter Latinos pacem: Salvum conductum Bohemos jam accepisse, de quorum conversione spes aliqua affulgeat: quæ si minus respondeat, de evertendis conjunctim consilium demùm capiendum esset; doctrinam suam cum ex sacrâ Scripturâ probaturos profiteantur: Quod si Concilium aut dimittatur, aut in aliud tempus rejiciatur dicturos, non habere Patres quod respondeant: & Catholicos ipsos quibus reformatio jam diu promissa, Pisis & Constantiæ delusos, ludum esse arbitraturos: Principes etiam Bohemis vicinos, quod jam aliqui fecerint, inducias cum his pacturos, fortè an animos copiasque conjuncturos. Itaque Cardinali Iuliano præsidi de continuando Concilio mandatum daret, sin minus ex dilatione Concilij, *quin Laici ipsi in Ecclesiam debaccharentur*, nullatenus dubitaret. Addebat verò, ne Concilium quidem ullo pacto in dissolutionem consensurum, cui hac in re Regum, Principum, Prælatorum & Universitatum potissima pars adstipularetur, quæ ipsum contrà pro hæreseon & schismatum inter Christianos fautore authoreque jure habitura esset: unde novæ in Ecclesiâ inobedientiæ, novarum turbarum occasio porrò existeret; Quin & præstabilius fore, si ipse coram interesset. Erat Eugenius tener adhuc in Papatu, necdum vires suas satis explorârat. Non ei etiam Romæ cum Columnensibus conveniebat, quos Martini pecuniam, quam intervertisse dicebantur recuperaturus, variè divexârat. Itaque acquiescendum sibi ratus, Basiliensis Concilij convocationem approbat, Iulianique Cardinalis Legationem confirmat, eo procliviùs quod Sigismundus in Italiam adventabat, cujus & affinitatem cum Philippo Mediolanensi Duce, & communia cum Columnensibus consilia reformidabat. Verùm, Princeps alioqui magnus, seu sui negligens seu veriùs inops eo apparatu venit, ut facilè ei omnem metum abstergeret: *Eum per Italiam*, inquit Valla, *paucis stipatoribus septum, in diem vivere vidimus. Romæ etiam fame periturum, nisi eum, sed non gratis (donationem enim extorsit) Eugenius pavisset. Is cùm Romam venisset, ut pro Imperatore Romanorum coronaretur, non aliter à Papa coronari potuit, quàm ut Constantini donationem ratam haberet, eademque omnia de integro donâret.* Addit imò indignabundus. *Quid magis contrarium, quàm pro Romano Imperatore coronari, qui Romæ ipsi renuntiasset? Et coronâri ab illo quem & confiteatur & quantum in se est, dominum Imperij Romani faciat? Ac ratam habere donationem, quæ vera si sit, nihil de imperio Imperatori reliqui faciat? Quod ut arbitror nec pueri fecissent.* Quin & adjurat eum Eugenius, antequàm coronam imponat, ut confestim Româ discedat, in Italiâ nullam moram trahat; sicque Alpes actutum in Germaniam reversurus, trajicit. Hoc voluit Platina: *Initio Pontificatus sui, motus Imperatoris, Principum & Prælatorum verbis, Basiliense Concilium literis etiam Apostolicis confirmavit: adeò enim bellis vexabatur, ut vix ei respirandi facultas daretur: Verùm, animos resumens, omnia constanter & prudenter administravit.* Sic pro suo erga Pontifices studio.

Platina in Eugenio 4.

Exinde Eugenius de Concilio dissolvendo aliove indicendo strenuè cogitat, suaque diplomata edit, quibus & Concilium & Cardinalem Iulianum, Concilio præfuturum, revocat, qui ad eum ocius revertitur. Patres Concilij contrà per Legatos identidem supplicant, ipse veniat, coram adsit, scandalo alias ex Concilij dissolutione occasionem præbiturus; Decernunt imò, revocationi nullum esse locum, eique pœnas in Concilio Constantiensi propositas, nî paruerit gravissimas proponunt; sin & aliud Concilium, quod obtendit, meditâtur, unicum haberi posse palam faciunt; Sin abrumpat, judicium Dei, esse quod ipse

Sess. 10. 11. 12. 16.

cum

cum suis expectet, quale super Core, Dathan & Abiron olim schismaticos; Denique monent, citant, culpant, increpant, adjurant, nullam non formulam observant, adhibent: Cardinales ab eo creatos, alterius Concilij celebrandi consilio, abrogant, ipsum Pontificiâ dignitate suspendunt, deponunt, notorium schismaticum pronuntiant, perjurum, hæreticum, scandalosum, incorrigibilem, pertinacem, privatum, depositum, depulsum, eoque nomine omnem ei obedientiam subtrahunt, deque alio in ejus locum eligendo Decretum faciunt: Quorum omnium series ad annum usque 1439. pertingunt. Et hæc quidem, licet Sigismundus Imperator, qui Concilium præcipuè promoverat, inter has moras decessisset, Eugenius verò, cum suis aliud Concilium anno 1438. Ferrariæ primùm indixisset: inde peste grassante, an. 1439. Florentiam transtulisset, cui Palæologus Græciæ Imperator coram advolârat adversus Turcas Latinorum opem imploraturus, eoque, uti credebatur, ad Ecclesiæ Romanæ vota faciliùs inflectendus. Progrediuntur Patres Basilienses, deque successore deligendo acturi, formulam juramenti, quod prestare teneatur, ante præscribunt: Præsertim, *de executione & observatione Decretorum Constantiensis & Basiliensis Conciliorum: de celebratione etiam Conciliorum generalium ac confirmatione electionum juxta Decreta sacri Basileensis Concilij:* Concilium deinde Ferrariense tanquam illegitimum & nullum proscribunt, Conciliabulumque appellandum statuunt. Mox & tres veritates Catholicas contra quasdam Eugenij *invectivas* denuò sanciunt: Prima illa fuit, *veritas de potestate Concilij generalis, universam Ecclesiam repræsentantis, super Papam & quemlibet alterum, est veritas fidei Catholicæ. 2. Quod Papa Concilium generale sine ejus consensu nullatenus authoritativè potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, 3. Veritatibus prædictis pertinaciter repugnans, est censendus hæreticus;* Easque scripto in eam rem publicato edisserunt. Denique Conclave ingressi, Amadeum Ducem Sabaudiæ absentem, Felicem nomine quartum, in Papam deligunt, qui aliquot ante annis Eremiticam vitam Ripaliæ ad Lacum Lemanum agebat: Interim verò non otiatur in Italiâ Eugenius. Carolus VII. Rex Francorum, qui Concilium Basiliense tuebatur, triremes suas in mare Ionium miserat, quæ Iohanni Palæologo Orientis Imperatori obviam factæ, quo loco legitimum Concilium haberetur, indicarent, & in Franciam appellere persuaderent, indeque Basilæam deducerent. Eugenius, triremium Gallicarum præfecto pecuniâ corrupto, cursum ejus abrumpit, inque suas partes eum pertrahit: Quâ occasione Concilium suum, spe factâ Unionis inter Ecclesiam Romanam & Græcam paciscendæ, non parùm commendat; (quæ tamen, uti videbatur, diu non obtinuit,) sicque dimisso Conciliabulo suo Romam repetit: ubi majori quàm antea plausu excipitur. Ex alterâ parte Basiliense Concilium quod nihilominus perseverabat, eum malè habebat: Induciæ verò inter Reges Franciæ & Angliæ ita convenerant, ut miles utrinque dimittendus esset. Occasionem itaque arripit Eugenius, Delphinumque Franciæ, qui Ludovicus XI. permulcet, qui, ex vago illo milite, exercitu ad 30000. & amplius armatorum conscripto, varia prætexens Basilæam versus contendit, eo consilio reapse, quod Historici Itali testantur, ut Basilienses Patres perterrefactos Concilium abrumpere cogeret. Hi ubi urbis fines attigissent, fœderati Helvetij opem laturi accurrunt: Ibi Helvetij quatuor mille impetum non unquàm anteâ auditum in noctem usque protracto prælio sustinent. Ex Helvetijs, ad extremum usque spiritum pugnantibus, vix centum & quinquaginta evasere; Sed Arminiacorum (ita enim vocabantur) 8000. interem-

Sess. 31. 34. 35.

An. 1439.
An. 1438.

Sess. 37.

Sess. 38.

remptis, inter quos Dux ipſe. Et ſic bonus ille pater Eccleſiæ pacem procurâre dicebatur, inter Felicem & ſe miſerè diſtractæ; Ita tamen, ut non pauci neutrum agnoſcerent: Ut autem Felix ejuſque ſequaces, Concilii Baſilienſis authoritate freti, Eugenium in ſuis Bullis ſuggillabant: ità & Felicem Eugenius in ſuis ad omnes Principes Florentiâ ſcriptis; Quippe, Felicem hunc Sabaudiæ Ducem in regione natum ſortilegijs & veneficijs infamem; hos ab adoleſcentiâ ſciſcitatum, in animum induxiſſe, Papam ſe futurum: Eccleſiæ portentoſum hoc caput ut affigeret, Anachoretæ veſtitum aſſumpſiſſe, hypocritam, utique mendaciſſimum, ut lupinam crudelitatem ovinâ pelle contegeret: ſtatuam verè Nabuchodonoſor illum eſſe, vel potius Idolum Beelzebub in Eccleſiâ Dei erectum: Luciferum, qui dicebat, *collocabo ſedem meam in Aquilone, &c.* Et ſi quid pejus; Dum ſe interim ipſe in ſuis diplomatis *verum Eccleſiæ ſponſum* cognominat: Antichriſtus quid amplius auſurus? Et hinc judicet Lector legitimæ vocationis in Eccleſiâ Romanâ quid ſupereſt, cum Eugenius moritur ſchiſmaticus, hæreticus, exauctoratus, Acta ejus reſciſſa, irrita, nulla, exinde nunquam rata habita: proinde & quæcumque ab illis profluxerunt ordinationes, conſecrationes, &c. & id quidem tanti authoritate Concilij: Cum ex alterâ parte Felix in ſuâ Obedientiâ novem integros annos Pontificatum exercet, à Concilio Florentino Eccleſiâ pulſus, anathemate perculſus, Bullæ ejus evanidæ, nullæ; & quicquid protinus ab ijs pendet, ſi miniſtrorum Eccleſiæ vocatio à Pontificum tanquam capite unicè defluit.

Synodi Florentinæ Acta Græcè conſcripta ex Bibliothecâ Regiâ. Ἔωθεν λύσαντες, inquit Græca Synodus καὶ πρὶν ἐξήκειν πρώτην ὥραν τῆς ἡμέρας ὁρῶμεν τὸν καελσινὸν σταλέντα παρὰ τοῦ βασιλέως καὶ δρόμῳ πρὸς ἡμᾶς θέοντα, ὃς ἐλθὼν εἶπε τῷ πατριάρχῃ, ὅπως ἐκδέχεται ὁ

Iàm, uti diximus, Eugenius ex Imperatoris Græciæ & Patriarchæ Conſtantinopolitani appulſu fucum faciebat: qui cum pluribus Epiſcopis ſuo Concilio intererant, triremibus Venetorum Eugenij contribulium eo adducti: Ibi teſtantur Acta Concilij Græcè conſcripta ad ſummam ſuperbiam ut Papa nihil reliquum fecerit. *Mane cum ſolviſſemus ante primam horam diei videmus Cariſtinum ab Imperatore miſſum ad nos accurrentem, qui nuntiavit Patriarchæ, Papam expectare, ut ſua magna ſanctitas accedens eum adoret, & ejus pedem exoſculetur, & Imperator,* inquit, *jam tertium diem inſtat & dimicat, ne hoc fiat, quod interim tuæ magnæ ſanctitati indicat, ut ſcias quonam pacto ſit tibi accedendum ad eum. Grave viſum eſt hoc valdè Patriarchæ, quippe qui confidebat ſe à Papa aliter omninò ſuſceptum iri, aliumque affectum & certitudinem* πληροφορίαν *ſe reperturum; Etenim cum adhuc eſſet Venetiis dixerat cuidam ex domeſticis & familiaribus Papæ, ego ſtatui apud me, quod ſi Papa ætate me præcedit, ego ipſum habeo pro patre, ſin æquales ſumus annis habeo eum pro fratre, ſin autem me junior eſt, habeo eum pro filio, & meæ mentis eſt, ut ſi aliqua ſit domus propinqua domui ipſius, quæ habeat* διοδὸν μετέωρον *tranſitum ſuſpenſum ſupra viam eam det mihi, ut privatim accedam ad eum & ille viciſſim ad me. At ut audivit exoſculationem pedis obſtupuit, tamen diſceſſit & frequenti jam foro Ferrariam pervenimus & ſtetimus ex adverſo arcis prope pontem, & ante meridiem venerunt ſex Epiſcopi, & Patriarcha ex parte Pontificis adventum congratulati ſunt: Patriarcha verò dixit ſe ad talem ſalutationem non teneri: Sed quandoquidem fratres ſumus,* inquit, *complectamur nos, & oſculemur invicem fraternè, aliter ego non faciam. Habuit autem & alios ſermones Patriarcha eâ de re, ad quos & illi reſponderunt,* & Patriarcha, cum omnes, quos ſecum adduxerat Epiſcopos conſuluiſtet, unâ voce decreverunt: *hoc non fore neque juſtum, neque decorum, neque utile;* Redeunt manè Epiſcopi Pontificis, *& oſculum pedis exigunt: Patriarcha verò indecoram eſſe hanc inſtantiam ediſſerit. Undenam enim Papa hoc juris habeat, aut quænam Synodus ei contulerit, & ubinam ſcriptum ſit,* inquit, *oſtendite, præſertim*

cum

cum Papa dicat se esse successorem B. Petri: Sed responderunt Episcopi morem antiquum esse Papæ, & omnes ipsi talem salutationem deferre, Episcopos, Reges, Imperatorem Germaniæ ipsum, Cardinales adeo Imperatore ipso majores, utpote consecratos: Ad quæ Patriarcha, novum inventum hoc esse, non acquiescam, inquit, non hoc faciam unquam, sed siquidem vult Papa ut ego eum salutem fraternè, secundum nostrum antiquum morem, eo pacto ego eum accedam, sin hoc non recipit, recuso omnia & revertor. Eo ventum, inquit Græca Synodus, ut Pontifex qui pedes suos Patriarchæ frequenti conventu exosculandos porrecturus sibi videbatur, cum id non posset obtinere, eum tandem ἐν ἰδίῳ κελλίῳ. *i. in privatâ cellâ* suscipere cogeretur, idque præsentibus tantùm Cardinalibus, quæ omnia gesta ultrò citroque antequam descendere vellent. Ad ordinem Concilij, contendebat ille Imperatorem Græcum & Patriarcham cum Orientalibus ad Templi sinistram considêre debere, Occidentales ad dextram, in quorum omnium capite inter utrosque medius, caput ipse altè supereminere: Imperator contrà, hunc sibi locum debêri; Convénit tandem, ut Papa cum Occidentalibus dextram, Imperator Græcus cum Orientalibus lævam obtineret, pervincente tamen Eugenio, ut thronus suus ad magnum altare collocaretur, Imperatoris Romani, licet absentis, proximo quidem loco, sed aliquot gradibus inferiori: inque pari gradu Cardinales & Prælati Occidentales sedêrent. At Imperatoris Græci thronus è regione Pontificij poneretur, ad cujus sinistram sedêret quidem Patriarcha Constantinopolitanus, sed inferiori gradu, cui pari etiam gradu aliorum Patriarcharum Orientalium Legati, Archiepiscopi & Prælati, suo quique ordine assidêrent. Et hinc judicet Lector, de Latini Pontificis superbiâ quid Patriarcha sentire posset: Baronio verò quid fiet, qui sinistram in Concilijs perpetuò potiorem fuisse, diversis locis contestatur. Ad rem verò ipsam, definiendis Ecclesiæ Latinæ & Græcæ controversijs, Unionis instrumentum conficitur cujus initium, *Lætentur cœli.* In quo consentiunt utrimque, spiritum sanctum à patre & filio procedere, sacramentum in asymo aut fermentato indiscriminatim confici,

παπας, ἵνα ἡ μεγάλη ἁγιωσύνη σοῦ ἐλθὼν προσκυνήσῃς, καὶ ἀσπάσῃς καλῶς τοὺς πόδας αὐτοῦ. ὁ γοῦν βασιλεὺς ἐνίσταται, καὶ ἀγωνίζεται ἤδη τρεῖς ἡμέρας, ἵνα μὴ γένηται τοῦτο διαμηνυέται δὲ τοῦτο καὶ τῇ μεγάλῃ ἁγιωσύνῃ σου, ἵνα εἰδῇς πῶς ἂν προσέλθῃς αὐτῷ. Δεινὸν οὖν ἔδοξε τοῦτο πάνυ τῷ πατριάρχῃ, ὅτι αὐτὸς ἄλλην ἀναδοχὴν μεγάλην, καὶ διάθεσιν καὶ πληροφορίαν ἐθάῤῥει εὑρήσειν ἀπὸ τοῦ πάπα, διὸ καὶ ἔτι ὢν ἐν τῇ Βενετίᾳ εἶπε πρός τινα τῶν οἰκείων καὶ ὁμιλητῶν τοῦ πάπα· ὅτι ἐγὼ ἔστησα εἰς ἐμαυτὸν, ἵνα εἰ μὲν ὁ πάπας πρωτεύῃ μου κατὰ τοὺς χρόνους, ἔχω αὐτὸν ὡς πατέρα μου, εἰ δὲ ἰσότης ἡμῖν ἔνεστι κατὰ τοὺς χρόνους, ἔχω αὐτὸν ὡς ἀδελφόν μου εἰ δὲ νεώτερος μου τυγχάνει, ἔχω υἱόν μου. Καὶ θέλω ἵνα εἰ ἔστιν οἰκία καλὴ πλησίον τῆς οἰκίας αὐτοῦ, ἔχουσα καὶ δίοδον μετέωρον ὑπεράνω τῆς ὁδοῦ δώσῃ μοί ταύτην. ὡς ἂν καὶ ἰδίως πρὸς αὐτὸν διερχόμενος, ἢ κἀκεῖνος ἂν πρὸς ἐμὲ &c. ὡς δὲ τὸν τοῦ ποδὸς ἀσπασμὸν ἤκουσεν, ἐξεπλάγη. Ὅμως ἀπῆλθε καὶ πληθούσης ἀγορᾶς ἐφθάσαμεν εἰς τὴν Φεῤῥαρίαν καὶ ἔστημεν ἀπέναντι τοῦ Κάστρου, ἐγγὺς τῆς γεφυρᾶς, καὶ πρὸ μεσημβρίας, ἦλθον ἐπίσκοποι ἕξ, καὶ προσειρήκασι τῷ πατριάρχῃ τὸν ἀπὸ τοῦ πάπα χαιρετισμόν; Ὁ δὲ πατριάρχης εἶπεν ὅτι οὐκ ὀφείλω ἐγὼ τοιοῦτον ἀσπασμὸν, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἀδελφοὶ ἐσμὲν δεῖ περιπλέξασθαι καὶ ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἀδελφικῶς. ἄλλως οὖν οὐ ποιήσω, εἶπε δὲ καὶ ἄλλους τινάς λόγους περὶ τούτου ὁ πατριάρχης, πρὸς οὓς ἀπελογήσαντο. Et Patriarcha cum omnes quos secum adduxerat, Episcopos consuluisset, unâ voce decreverunt, ὅτι τοῦτο, οὔτε δίκαιόν ἐστι, οὔτε πρέπει οὔτε συμφέρει γενέσθαι. Redeunt mane Episcopi Pontificis; καὶ τὸν τοῦ ποδὸς ἀσπασμὸν ἀπήτησαν ἀπελογήσατο δὲ ὁ πατριάρχης περὶ τῆς ἀνηκούσης ἐνστάσεως, ὅτι πόθεν ἔχει τοῦτο ὁ πάπας, ἢ ποία τῶν Συνόδων δέδωκεν αὐτῷ τοῦτο δείξατε πόθεν ἔχει αὐτὸ καὶ ποῦ καταγράφεται ὅμως ὁ πάπας λέγει ὅτι ἐστὶ διάδοχος τοῦ ἁγίου Πέτρου, &c. ἀπεκρίθησαν δὲ οἱ ἐπίσκοποι, ὅτι ἀρχαῖον ἔθος ἐστὶ τοῦ πάπα, καὶ πάντες ἀπονέμουσιν αὐτῷ τὸν τοιοῦτον ἀσπασμὸν, καὶ ἐπίσκοποι, καὶ ῥῆγες, καὶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀλαμανῶν, καὶ οἱ καρδηνάλιοι οἱ καὶ μείζους τοῦ βασιλέως εἰσὶν καὶ ἐρωμένοι. Καὶ ὁ πατριάρχης εἶπεν ὅτι τοῦτο ἐν καινοτομία ἐστὶ οὐ στέρξω, οὐδὲ ποιήσω τοῦτο ποτε, ἀλλ᾽ εἰ μὲν θέλει ὁ πάπας, ἵνα ἀσπάσωμαι αὐτὸν ἀδελφικῶς, κατὰ τὸ ἡμέτερον ἔθος τὸ ἀρχαῖον καὶ ἐκκλησιαστικόν; οὕτω καὶ πρὸς αὐτὸν ἀπελεύσομαι εἰ δὲ τοῦτο οὐκ ἀποδέχεται παραιτοῦμαι πάντα καὶ ὑποστρέφω.

 ani-

animas fidelium, quæ peccatis suis nondum satisfecerunt, Purgatorium adire, Papam Romanum universæ Ecclesiæ Christianæ caput esse: Quæ omnia capita Græcus Imperator à plerisque suorum comprobari satagit, opem sibi in Turcas latum iri confisus. At Michael Episcopus Ephesinus, cum nonnullis alijs perpetuò intercedit, posteriora præsertim duo capita repudians; Quin & cum, Iosepho Constantinopolitano Archiepiscopo mortuo, Eugenius de alio coram se eligendo agi vellet, gratis ordinaturum præter indolem pollicitus, pecuniamque eis administraturus, si opus haberent, quin & deponere se paratum diceret, eum qui apud se Patriarchæ locum obtinebat, id minimè facturus, si electionem in patriam usque differrent: Græci quo tenderet gnari, nempe ut supremæ in Ecclesiâ potestatis eâ ratione ipsis consentientibus, possessionem adiret, respondent unanimiter, Patriarcham suum non alibi quàm Constantinopoli ex suis legibus eligi posse: Moris esse, ut in suâ Ecclesiâ & eligatur & consecretur, Imperatorem horum rituum probè conscium non aliter permissurum: Quibus à Pontifice acceptis illibenti licet animo, eos blandis verbis dimisit: verùm, ut in patriam revertuntur, ab omnibus Ecclesijs ejurantur, in eo præsertim, quod supremam Papæ Romani authoritatem admisissent, cujus superbiam propius conspectam scriptis editis demùm proscindunt, doctiores licet quotque sibi devincire conatus esset, Isidorum Ruthenorum Episcopum & Bessarionem Nicææ, & hunc quidem Galero donatum, quem in Italiâ quam in Græciâ gestare præoptavit. Inde verò res Græciæ à Pontificibus neglectæ infidelium furori permittuntur.

Concilium Florent. sess. ultimâ.

Cæterùm omittendum minimè, Eugenium dum Ferrariæ partim, partim & Florentiæ Concilium habuit, varia scripta edidisse, in illud Basiliense Decretum, quo Concilium Papa superius asserebatur, affirmare ausus, *tantùm à se abesse, ut Conciliis generalibus obedire debeat, ut se tunc maximè dicat merêri, cum Concilij Decreta contemnit*; Quin & thesim hanc hæreticam pronuntiare, *Concilium est suprà Papam*: ab omnibus licet orbis Christiani Universitatibus & tunc & perpetuò assertam & affirmatam; sicque fiebat, ut cum Ecclesia Romana cæteris Ecclesijs, Episcopus Romanus cæteris Episcopis superior anteà dici soleret: Episcopus jam Romanus ex Eugeniano Decreto, homuncio unus, universâ Ecclesiâ superior decerneretur: infallibilitas illa proinde Ecclesię, non jam ad Romanam Ecclesiam, sed ad unicum hominem, qui summus Antichristi in Ecclesiâ gradus, devolveretur; nempe juxta illud Augustini in libris de civitate Dei, Antichristum non tantùm in Templo Dei sessurum, sed εἰς ναὸν, ut est apud Paulum, *in Templum*, quasi ipse sit Templum ipsum, ipse Ecclesia solus. Interim de *infallibilitate* illâ Ecclesiæ in Concilio repræsentatæ, ex ijs Concilijs judicium ferat Lector, quæ eodem tempore in eadem re ex adverso pugnantia statuunt.

August. de Civitate Dei l. 18. c. 2.

Ad negotium Bohemorum quod attinet, cujus propriè causâ Sigismundus Concilium tàm enixè flagitârat, pleræque Ecclesiæ, insigni illâ in Iohannem Hussum & Hieronymum Pragensem perfidiâ, deterritæ, eo quemquam mittere detrectabant, sed pervicerunt Nobilitatis Primores, comparere debere se, de ijs quæ in religione novâri dicebantur, rationem reddituros. Ut igitur advenêrunt à Iuliano Cardinali Legato, nondum revocato, benignè satis accipiuntur. Inde verò, in ipso Concilio Ecclesiam Romanam eos verbis suis alloquentem inducit, quæ quicquid de Ecclesiâ Christi sponsâ, in S. Scripturâ occurrit, sibi uni tribuit, &, præsupposito quod in quæstione præcipuum, in perpetuo hoc Elencho sibi adblanditur. Ostendit igitur penes se claves regni cœlorum esse, quę maculæ

Oratio Iulian. Cardinal. Legati in Append. Concilij Basil.

& rugæ expers: Ethnicum & Publicanum, qui ab eâ discedat: sua esse Concilio-
um Decreta, quibus non minus quàm Euangelijs credendum sit, quippe quæ
cripturis ipsis authoritatem concilient; Et ad hæc Bohemi paucis: Ecclesiam
e & Concilia minimè aspernari, suos inauditos Constantiæ damnatos fuisse, nihil
amen se sine Scripturis sacris affirmare: tumque Articulos suos proponunt,
Delectique utrimque in Colloquium veniunt. Quinquaginta dierum spatio
lisputatum; Et post multa ultro citroque verba satius visum, ut Theologicis
quæstionibus omisis Reipublicæ prospiceretur. Idcircò eò mitterentur, qui
erum statu explorato, negotium componere satagerent. Intereâ placuit commu-
nionem sub utraque specie ijs permittere, qui in cæteris Concilio se submitterent,
n cæteros, qui eam conditionem non amplecterentur, omnem severitatem
xercêrent; Veteres hi Waldenses fuere, eorumque discipuli, qui Ecclesiam
eformari in plerisque Capitibus postulabant: quæ in Confessionibus suis nostris-
que comprehenduntur: Qui eâ de causâ gravia passi, partim â Sigismundo bello
petiti, partim à socijs derelicti: Quorum tamen Ecclesias tot ærumnis supersti-
es ad hæc usque tempora & florentissimas & latè propagatas vidimus. Ad Ba-
ilienses Patres quod spectat, visi ipsi Decreti illius Constantiensis de communio-
ne sub utraque specie suppudêre: Et ubi Constantiensis, *licet Christus S. Cœnam
sub utraque specie instituerit, &c. Non obstante, &c.* Basilienses dicunt: exa-
minatis ritè Scripturis divinis Patrumque sanctorum documentis declarare se:
*quod fideles Laici, sive Clerici communicantes non astringuntur & præcepto Domini
ad suscipiendum sub utraque specie, panis scilicet & vini, Eucharistiæ Sacramentum*,
deflexa an detorta suâ decisione; cum sanè non conquererentur Bohemi, quod
ad integram communionem ab Ecclesiâ Romanâ cogerentur, sed quod ab eâ ex-
cluderentur: Necessitas verò aut vis quænam Christiano major, quam ut
Servatoris sui præcepto præscriptoque adhæreat? Et hæ illis perpetuò strophæ.
Denique vetuerant Basilienses ne exigerentur aut solverentur Annatæ, Simoniæ
pœnâ; Eugenius, qui nihil sibi ademptum vult, tanquam de injuriâ Ecclesiæ factâ
quiritatur, se Collegioque Cardinalium inconsultis id fieri nec potuisse nec
debuisse: *Si qui in his prætendebantur abusus, his providendum fuisse sine privatione sub-
stantiæ, aut saltem provisionem debitam simul faciendam, ut sic justitia & pax obvia-
rent sibi*; Scripturis evidenter abutens. Etenim dicebat, *unde sedes Apostolica
impensas faciet, providendo necessitatibus & utilitatibus universalis Ecclesiæ, pro his
quæ pertinent ad pacem & extirpationem hæresewn & errorum.* Quâ eadem ratione
evertit, quæ illi statuerant de indulgentijs, electione, causis, & vacationibus
Scribarum & Abbreviatorum Curiæ Romanæ, & cæteris rapinæ generibus:
Quæ illi non minima causa Concilij dissolvendi. Author coætaneus minimè
suspectus, eum indulgentiarum adeò fuisse prodigum narrat, ut Angli, quibus
res cognita, vulgò dicerent: *Roma ad nostras fores nunc venit. Ecclesia Romana
meretrix magna est, quia jam cuique se exposuit pecuniam offerenti. Et cum omnia
essent Papalibus conditionalibus plena, indulgentias tandem dabant Papæ negotiatores,
pro cœnâ, pro concubitu, pro haustu vini vel cervisiæ, pro pilæ lusu & interdum pro actu
venereo.*

Respons. factæ per Domin. Anton. auditorem, pro parte Eugenii.

Thomas Gascoigne in Dictionario Theologico.

Nec omittendum, Eugenium, qui inde à Martini antecessoris tempore militiæ
assueverat, totoque suo Pontificatu bello implicitus fuerat, vulnus orbi Chri-
stiano inflixisse, quod exinde restingui non potuit. Pacem Vladislaus Rex
Hungariæ cum Turca pepigerat. Eugenius Iulianum Cardinalem mittit,

qui partim auxiliares copias, partim classem, quâ hostem distineret, pollicitus, illam ut abrumpat, persuadet, quippe *cum absque ejus jussu, cum hostibus Christi subsistere non possit.* Inde cruentum prœlium, in quo superiores Turcæ; *ut demonstretur nobis*, inquit Æneas Sylvius, *juramenta non solùm domesticis fidei, sed etiam hostibus servanda.* Occubuit illâ die Vladislaus fortitudinis singularis exemplar, cum insigniori nobilitate; Iulianus saucius, dum pedem refert à Christianis ipsis, ut cladis ex illâ perfidiâ Author interficitur; Et ex hoc infortunio aliorum inexhausta Ilias; Adeo contrà fidem & præter vocationem quidquam audêre periculosum. Memorabile in perfidos, quod in Historiâ Hungaricâ habêtur: *Amurathes cum suos ab Vladislao Rege non sine magnâ cæde fugari conspicaretur, depromptum è sinu codicem initi sanctissimè fœderis explicat, intentisque in cœlum oculis: Hæc sunt, inquit, Iesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecum percussêrunt: per numen tum tuum sanctè jurârunt, datamque sub nomine tuo fidem violârunt, perfidè suum Deum abnegârunt. Nunc Christe, si Deus es, tuas measque hic injurias, te quæso, ulciscere, & his qui sanctum tuum nomen nondum agnovêre, violatæ fidei pœnas ostende.* Vix *hæc dixerat, qui ultimum in se impetum expectabat, quum prœlium, quod ante anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cœpit, &c.* Contigit id anno 1444. ex quo vix unquam Christianus status reconvalescere potuit.

Æneas Sylvius, l. 1. Epi. 81.

Bonfinii Hist. Hungar. Dec. 1. l. 6.

An. 1444.

Concilium porrò Basiliense, saltem qui ejus nomine in Bohemos scribebant, abominationis progressum suâ ex parte promovit. Cum enim Ecclesijs illis ratum esset, nullum dogma extra sacram Scripturam admittere, mandatum Cardinali Cusano ut per literas hoc axioma contunderet, qui apud eos asserere non verecundatur: *Scripturas de bene esse regiminis Ecclesiæ, etiam incœptæ & continuatæ, nequaquam de essentiâ existere posse.* Item, *non Ecclesiam per Euangelium, sed per Ecclesiam dignoscit Euangelium*; Item: *Tanto dignius Dei verbum à Deo tradit, quanto remotius ab omni Scripturâ, imo etiam ab omni vocali verbo*; Ut hac ratione omnia ad Ecclesiam, quam Catholicam dicunt, revocet, à Catholicâ ad Romanam, à Romanâ demum ad Concilium suum contrahat; excipientibus verò illis Ecclesijs: Non eam fuisse veteris Ecclesiæ mentem, non vocem, quæ & S. Eucharistiam aliter celebrârat, & S. Scripturam secus quam hodie interpretata erat: *Hoc te non moveat*, inquit, *quod diversis temporibus alius, & alius sit ritus Sacrificiorum, & inveniatur Scripturas esse ad tempus adaptatas & variè intellectas: ita ut uno tempore secundum currentem universalem ritum exponerentur, mutato ritu, iterum sententia mutaretur. Quare, etiamsi hodie alia fuerit interpretatio Ecclesiæ ejusdem præcepti Euangelici, quàm aliquando, tamen hic sensus nunc in usu currens ad regimen Ecclesiæ inspiratus, uti tempori congruus, ut salutis via debet acceptari*; Ratio sequitur, *quia mutatâ Ecclesiæ sententiâ, mutatur Dei judicium.* Quâ ratione, seu Ecclesia seu Concilium suum, supra S. Scripturam non extollitur tantùm, sed supra Deum ipsum assurgit, qui, si ijs fides, pro eorum libidine consilium mutare teneatur: Cujus sanè doctrinę & Iudæos in Thalmud, & Turcas in Alcorano puderet. Cum autem posteà Pontifices universam & Conciliorum, & Ecclesiæ ipsius authoritatem ad solam Papæ personam reduxerint, Eugenius in Concilio Florentino, Pius 2. Bullâ in eam tem disertâ, & alij deinceps, sequitur protinus, ut Papa supra S. Scripturam, supra Deum adeò ipsum exaltatus sit, proinde pro eo habendus, de quo Apostolus: *se extollit adversus quicquid dicitur Deus aut numen, adeò ut in Templo Dei sedeat tanquam Deus*; qui Deum corrigere audeat, verbi sui sensum pro libidine aut commodo cauponetur. Et en tibi Lector, ut mysteriosum istud negotium perpetuò promoveant.

Cardinal. Cusanus Epist. 2. & 3. ad Bohemos.

2. ad Thess. 2.

O P-

OPPOSITIO.

PRogressum illum tot tantæque oppositiones intersecant, ut alijs adductis non videatur opus, tamen, ut ex dolore suspiria crescunt, plures hoc loco nobis occurrant. Instituerat Sigismundus Imperator reformationis quædam capita, Constantiensi Concilio exhibenda; diversi etiam in diversis nationibus ejus conceperant quædam specimina. M. Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in primis jussus ea conscribere Concilio ostendenda, anno 1415. I. Novembris, An. 1415.
quatuor post mensibus quàm Iohannes XXIIII. Papatum abdicârat, sede vacante, biennio ante Martini electionem, quo maximè intervallo de reformatione cogitandum videbatur. Præfatur ille à Bernardi loco in Canticum, Sermone XXXIII. *Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius eò desperatiùs, eoque periculosius quò interius. Nam si insurgeret apertè inimicus hæreticus, mitteretur foras, & aresceret; si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici, &c. Ministri Christi sunt & serviunt Antichristo, &c. Intestina & insanabilis est Ecclesiæ plaga, & ideò in pace amaritudo ejus amarissima.* Et hunc nos integrum suprâ attulimus, ex eoque hoc axioma elicit: Cum exinde Ecclesia in pejus perpetuò ruerit, nî ei tempestivè prospiciatur, post horrendas tot schismatum tenebras, horridiora multo propediem expectanda fore. Exequitur posteà gradatim, quæ ad reformationem universi Ecclesiæ corporis pertinere existimat. Primò: Necessarium esse, ut identidem habeanter Concilia generalia & Provincialia ad abusuum correctionem; generalia præsertim, quæ omnis generis & personas & res emendare majori authoritate possunt; Nec expectandum ab Ecclesiâ Romanâ remedium, quasi illa omnibus casibus emergentibus satisfacere posset: *Multi suspicantur,* inquit, *quod hæc dissimulaverit, & super hoc Concilia fieri neglexerit, ut posset ad suæ voluntatis libitum pleniùs dominari, & jura aliarum Ecclesiarum liberiùs usurpare.* Ante Constantinum, quia Concilia habere Ecclesiæ liberum non erat, in diversas illam hæreses incidisse: Non mirum itaque si postremis temporibus Conciliorum neglectu in diversa schismata incurrerit, aliaque mala innumera ad hæreses disponentia; Generalia in primis, ad reformationem corporis Ecclesiæ, Romanæ præsertim, necessaria esse: *quæ est de arduis pertinentibus ad fidem;* Quatenus quod Dist. 19.
Glossa dicit: *Papam Concilium requirere debere, cum de fide agitur*, non tantùm ad articulos fidei referendum est, sed ad ea quæ ad Ecclesiæ fidelis statum pertinent, cum aliâs periculosum nimis fuerit, fidem nostram unius hominis arbitrio committi; Denique illa si unquam anteà opportuna jam fore, seu ad unionem Græcorum cum Latinis procurandum, seu ad reprimendos Turcarum conatus, qui imperio discerpto, in ipsam Ecclesiam viam ad Antichristum facturi, toto impetu ruant: *Et jam*, inquit, *multi sunt pijssimi, qui non immeritò utramque ruinam præsentialiter timent*, & Imperij à Turcis imminentem, & Ecclesiæ ab Antichristo.

(Margin: Dist. 19. C. Anastas. & ibi Glossa & Archidiac. dist. 15.)

2. Ad reformationem Curiæ Romanæ, vitandis schismatibus, quæ ex Cardinalium partibus exoriuntur, sufficere, si ex unaquaque Provinciâ unus tantùm Cardinalis nominetur; Providêre etiam debere Pontificem, resecandis gravaminibus quibus Ecclesia Romana alias Ecclesias opprimit, cum Græca Ecclesia propter ejus exactiones, excommunicationes, & statuta abalienata sit; Et exactiones quidem ut tollat, esse quod de Pompâ suâ, de luxu, de numero Cardinalium remit-

mittat: Excommunicationes verò, Primitivæ Ecclesiæ exemplo, ut magis formidini sint, non nisi in gravioribus causis exerat: cum hodie in levioribus & quidem temporalibus fulminentur, anathemata adeo ipsa, unde etiam in contemptum apud omnes abeant; Statutis porrò Canonibus & Decretis modum ponat, quæ ad pœnas mortales obligant, & de quibus illud Domini nostri ad Pharisæos dici possit: *Imponunt humeris hominum onera, quæ summitate digiti contingere nollent.* Et hic Articulus latè porrigebatur. 3. Ad prælatos quod attinet, eligendos doctrinâ idoneos, moribus exemplares, in functionibus suis assiduos: *in victu moderatos, abstinentes se ab armis corporalibus, negotiis secularibus, resecantes omnem Simoniam.* Declarare necesse, plures observationes ejus generis esse, ut consilia potius quàm præcepta sint: In exemplum verò profert *Quadragesimam* ex circunstantijs temperandam, Officium ad brevitatem devotam & integram contrahendum: Imaginum in Ecclesijs varietatem reprimendam, novis Festis, Ecclesijs, Sanctis modum an finem imponendum: Dominicâ die celebrioribusque tantùm festis à labore abstinendum: Ex officio cæterùm sacro eliminandas omnes scripturas Apocriphas, orationes novas, novitates omninò omnes. 4. De Religiosis, multitudinem & diversitatem illam omninò perniciosam, dum in suâ quisque regulâ, alter in alterum gloriatur, & superbit: frænandosque in primis Mendicantes, onerosos populo, *damnosos leprosariis & hospitalibus, ac aliis verè pauperibus & miserabilibus indigentibus, ipsis quoque Curatis parochialibus, & indigentibus; & si bene consideretur, etiam præjudiciales omnibus Ecclesiæ statibus. Quæstuarios præcipuè prædicantes, quoniam suis mendaciis maculant Ecclesiam & ridiculam reddunt, & officium prædicationis contemptibile efficiunt.* Monachos ex Canone Chalcedonensi in Monasterijs suis ad jejunia, & orationes restringendos, negocijs Ecclesiasticis & secularibus excludendos, à studijs etiam omnibus præterquam S. Theologiæ arcendos: Cùm manifestum sit, *Romanam Curiam Theologos contemnendo, in omni Ecclesiastico gradu lucrativarum scientiarum studiosos præposuisse: cum tamen primitivi Theologi Ecclesiam ædificaverint, quam aliqui barritatores destruxerunt, & nunc eam quasi ad extremam ruinam deducere videntur, adeò ut jam horrendum quorundam Proverbium sit, Ad hunc statum venisse Ecclesiam, ut non sit digna regi, nisi per reprobos.* Nec verò Iurisdictioni Ordinariorum contrà sancta Decreta, privilegijs humanis per importunitatem impetratis, sese substrahant: *Nam non est mediocriter dubitandum,* inquit, *an tales sint in statu salvandorum.* Quæ omnia circumstantiam licet religionis Christianæ magis quàm substantiam intueantur, in Concilio illo nullo pacto attinguntur. Hic idem porrò Petrus de Alliaco disseruit in suis Quæstionibus: *utrum Petri Ecclesia lege reguletur,* Romanam intelligens: quod affirmat, Papamque & Ecclesiam Romanam Concilio subjicit. Non deerant tamen eodem tempore in ipsâ Galliâ Papæ Emissarij, qui contrarias Theses tuerentur: quandoquidem inter hæc anno 1429. Frater quidam Iohannes Sarazenus nomine ex Ordine Prædicatorum hasce, quæ sequuntur, tueri & docêre audet; Primò: *Omnes potestates, jurisdictiones Ecclesiæ aliæ à Papali potestate sunt ab ipso Papa quantum ad institutionem & collationem. Secundo: ejusmodi potestates non sunt de jure divino nec immediatè institutæ à Deo. Tertio: non invenitur Christum tales potestates scilicet alias à Papali expresisse, sed tantùm supremam, cui commisit Ecclesiæ fundationem. Quarto: quandocumque in aliquo Concilio aliqua statuuntur, tota authoritas dans vigorem statutis, in solo summo residet Pontifice. Quinto: Ex textu Evangelij non habetur expreßè alicui Apostolorum nisi Petro authoritatem jurisdictionis fuisse collatam. Sexto, dicere inferiorum Prælatorum potestatem juris-*

Petrus de Alliaco in Vesperiis

jurisdictionis, sive sint Episcopi sive Curati, esse immediatè à Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat. Septimo: sicut nullus flos, nulla pullulatio, nec earum omnes flores & pullulationes simul possunt aliquid in arbore, quia hæc omnia sunt propter arborem instituta, & ab arbore derivata: sic omnes aliæ potestates nihil de jure possunt contra summum sacerdotium aut sacerdotem ab ipso institutæ. (Infra dicitur quod Spiritualis potestas est summus Pontifex, ut recitatur Hugonem de Sancto Victore dixisse. 2. De Sacramentis, ex quo potest videri, quòd hîc per summum sacerdotium summus Pontifex intelligatur.) Octavo: summus Pontifex Canonicam Simoniam à jure positivo prohibitam non potest committere. Facultas Theologica Parisiensis octava Martij solenniter congregata, eas ritè expensas publicè damnat, dictumque Iohannem abjurâre compellit, & in contrarias, quæ itidem sequuntur, sacramento adigit; Prima: *Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Christo quantum ad institutionem & collationem primariam, à Papa autem & ab Ecclesiâ quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem. Secunda: ejusmodi potestates sunt de jure divino & immediatè institutæ à Deo. Tertia: invenitur in sacrâ Scripturâ Christum Ecclesiam fundasse & potestates alias à Papali expressè ordinasse. Quarta: veritas quandocumque in aliquo Concilio aliqua statuuntur tota authoritas dans vigorem statutis residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto & Ecclesiâ Catholicâ. Quinta: ex textu Euangelij & doctrinâ Apostolorum habetur expressè Apostolis & discipulis a Christo missis authoritatem jurisdictionis fuisse collatam. Sexta: Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis suæ sive Episcopi, sive sint Curati, esse immediate à Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati. Septima: aliqua potestas scilicet potestas Ecclesiæ de jurè potest aliquid & in certis casibus contra summum Pontificem. Octava veritas, quicumque purus homo habens usum rationis cujuscumque dignitatis, authoritatis aut præeminentiæ etiamsi Papatui existat Simoniam potest committere. Denique si alia protulerim vel scripserim, quæ videantur prædictis contraria, vel quæ aliter scripta sint, nolo in eis stare, sed volo & supplico haberi pro non dictis vel scriptis & alia quæcumque viderentur præbere occasionem scandali vel erroris.* Quorum omnium Acta solenniter in Archivis Sorbonæ asservantur.

Et Concilium quidem Basileense fortiùs forte quàm Constantiense illud, reformationem capessere potuisset: Sed Eugenius ei expugnandus, cui, quod ante vidimus, vel minima quæque propugnâre ratum, ut commonefactionibus, contradictis, oppositionibus nihil intentatum relinquat. Historia tamen Concilij Basiliensis ab Ænea Sylvio Ceremoniarum Clerico, qui interesat, descripta, is postea Pius 2. quo nemo magis idoneus testis, fidem facit, multa ibi secundum veritatem graviter pronuntiata. Quamquam non dissimulat Eugenium eo intrusisse multos ex suis, qui Concilio fidem dederant, nec eo minus tamen in omnibus rebus Eugenij causam amplectebantur, qui vulgo Griseæ sectæ nomine censebantur. Anno igitur 1438. cum Eugenius Concilium suum Ferrariæ, Basiliensi An. 1438. præjudicaturus, indixisset, pacis Mediator Albertus intervenit, eóque instituto Comitia Norimbergam primùm, inde Moguntiam convocat, quibus intersunt à Basiliensibus deputati, ex omnibus Nationibus: Eugenij verò nomine comparet, in speciem nemo, plures licet revera ejus consilium promoverent. Placebat Basiliensibus in Græcorum commodum locum Concilij mutari: volebat Eugenius, retinendæ authoritati, Basiliense Concilium solvi; Medius inter eos Imperator, ita transferri, ut solutum crederetur. Basiliensium tamen rationes æquiores arbitratus, Protectorem Concilij Conradum Windzbergium attribuit:

unde

unde & sibi Concilium probari & Eugenij artes improbari manifestum fieret; nempe quod Author notat: *Petebant Oratores, ut patres in alium se locum reciperent, Conciliumque transferrent: quod unum semper Eugenius visus est quæsivisse, ut sic vel Patres Concilij dissiparet, vel libertatem ejus adimeret.*

Dum Moguntiæ Comitia habentur, de personâ Eugenij in Concilio inter Theologos disputatur; Illis *hæreticum* affirmantibus, his *relapsum*, nonnullis utrumque negantibus: *gravior sententia vicit, hæreticum simul & relapsum esse.* Theologi itaque octo *conclusionibus*, (veritates appellabant,) conscribunt: exemplariaque toto orbe spargunt, quæ ejusmodi fuêre; Prima: *Veritas est Catholicæ fidei, sacrum generale Concilium supra Papam & alium quemvis potestatem habere. 2. Generale Concilium legitimè congregatum, sine ipsius consensu, nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex authoritate suâ potest Romanus Pontifex, idque veritatis ejusdem est. 3. Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus. 4. His veritatibus Eugenius Papa IIII. repugnavit, cum primò ex plenitudine potestatis Apostolicæ Basiliense Concilium dissolvere, sive transferre attentavit. 5. Errores his veritatibus repugnantes, monitus tandem per sacrum Concilium Eugenius revocavit. 6. Dissolutio sive translatio per Eugenium secundò attentata prædictis est obvia veritatibus, inexcusabilemque circa fidem errorem continet. 7. Eugenius iteratò dissolvere, seu transferre Concilium tentans, in revocatos errores prolabitur. 8. Commonitus per Synodum Eugenius, ut dissolutionem seu translationem secundò attentatam revocâret, post declaratam contumaciam in rebellione persistens, Ferrariæque Conciliabulum erigens, seipsum pertinacem declarat.* Has tamen Patres iterùm publicè examinari ab omnibus juris tùm civilis, tùm Canonici doctoribus, sex dierum spatio prçside Ludovico Cardinali & Archiepiscopo Arelatensi, ingentis animi eruditionisque viro, omnesque de ijs sententiam dicere voluerunt. Ibi Panormitanus Abbas Eugenij defensionem suscepit, hæreticum quidem negare non ausus, sed *relapsum* tantùm, quem *prolapsum* dici malebat, quod ex *relapsu* non detur regressus. Contra Iohannes Segoviensis, Theologus Hispanus, famâ percelebris, ex suis ipsius dictis, *infidelem potius, quam fidelem, membrum Satanę potius quam Christi* acriter tuetur; Et ad Glossam illam singularem, quæ à Panormitano proferebatur: *Quod judicium Ecclesiæ Romanæ, universo orbi pręferri debeat*, authoritatem S. Hieronymi regerit, *Orbis major est urbe*: Prosequitur Argensis Episcopus, *Papam Ecclesię tantum ministrum esse*: Panormitanus excandescens *Dominum esse* contendit: Hîc Segovius: *Vide quid ais, Panormitane, honoratior titulus Romani Pontificis ille est, quo servum servorum se Dei appellat. Id enim ex eo sumptum est, quod Christus discipulis ait, cum quærerent, quis eorum major esset futurus: scis enim respondisse illum: Quia Principes Gentium dominantur eorum, &c.* At Archiepiscopus Lugdunensis Francorum Regis Orator præfractè: *Eugenium hæreticum esse pluribus rationibus comprobavit, illorumque ignaviam detestatus est, qui talem hominem Romano Pontificio præfecissent.* Burgensis Episcopus Regis Hispaniæ Orator prioribus tribus conclusionibus insistens, ex universo jure divino, humano concludit, *Concilium esse supra Papam, hæreticum qui neget*: Verùm, ad alias accedens, qua proprium Eugenij factum spectabat: *Visus est*, inquit Author, *aliquantisper à seipso discedere, Burgensemque esse desinere: Nec ille in verbis lepor, nec illa in oratione gravitas, aut in vultu hilaritas apparebat, ac si ipse potuisset cernere, admirationem sui forsitan habuisset: Quis enim*, inquit, *vim quandam ac potestatem veritatis tunc non viderit, quæ homini pro se loquenti sententias & verba suggessit? adversus se autem prædicanti, etiam ipsam, quæ innata erat, surripuit eloquentiam. Illud tamen Panormitanus ac Burgen-*

gen-

gensis modestiæ ostenderunt, quia & si veritatis fidei esse non faterentur, in eo tamen non suæ sententiæ acquiescendum dicebant, qui sacris literis non essent imbuti, sed Theologorum. Quales hi Canonici juris Doctores, quales Paparum & Conciliorum Assessores, an Assertores, qui sacras Scripturas legere negligerent.

Persequitur Author, quod in tribus illis conclusionibus actum sit, edisserere; In primâ nominatim, cujus duo capita: *Num Concilium supra Papam, & num fides Catholica id credere jubeat;* Et pro authoritate Papæ citare solenne: *Tu es Petrus & super hanc Petram, &c.* Item, *oravi pro te Petre, &c.* Ex locorum igitur collatione Patrumque expositione convincunt, hæc Ecclesiæ promitti, non Petro, nedum Papæ: Etenim multos Papas graviter errasse, quorum & exempla producunt: Ecclesiam, quæ per Concilium repræsentatur, omnium fidelium matrem esse, proinde & Papæ: unde ab Anacleto & Calixto *mater* appelletur: Ecclesiam Christi sponsam, Papam Vicarium tantum, Vicarium sanè, qui sponsâ nunquam superior existere possit, quæ unum corpus cum sponso, Eò nihil facere, quod in ore perpetuum: *Quicquid ligaveris in terrâ, &c.* Hanc enim potestatem Ecclesiæ non Petro datam, ad ædificationem non ad destructionem, quæ consequenter Papæ tolli possit, si eâ abutatur, qui Ecclesiæ Vicarius tantùm & Oeconomus sit; Non igitur Ecclesiæ æqualis, cum Christus Petrum ipsum ad Ecclesiam ableget: *Dic*, inquit, *Ecclesiæ*, cui nisi auscultet pro Ethnico & Publicano habendus sit: Hanc itaque Ecclesiam, esse quod Papa loquentem audiat, in generali utique Concilio legitimè congregato; Et omnes istos Canonistas, qui in aurem insusurrent, Papam à solo Deo argui posse, primam sedem à nemine judicari, etiamsi animas catervatim in infernum secum trahat, non licere cuiquam dicere, *quid aut cur facis?* turpissime adulari. *Decreta illa Pontificum ipsorum verba esse*, fimbrias suas dilatare satagentium, locos etiam illos Scripturæ: *Tu vocaberis Cephas, &c. Dabo tibi claves, &c. Oravi pro te, &c. Pasce oves meas, &c. Duc in altum, &c.* Et consimiles præter mentem S. Scripturæ induci, quod & validis rationibus & appositis Patrum locis comprobant, Papã, si Ecclesiæ minus paruerit, ab eâ deponi posse, cum caput ejus naturale non sit, sed insititium, quod non secùs ac cætera membra resecari potest: si perperam officio fungatur, si in ejus destructionem aut damnum, in ignem conjici, si bonum fructum non faciat, in plateâ conculcari, si infatuêtur: Quæ mens Hieronymi, *sal fatuatum Prælatum, stultum & insipidum in prædicando* interpretantis; *maximè in Cathedrâ Petri foras projiciendum, id est, deponendum, ut conculcetur à porcis, id est, à Dæmonibus, qui dominantur malo Prælato tanquam pecori suo.* Nec tantùm propter hæresim, sed propter quodcumque crimen, quo Ecclesiæ scandalum objecerit: Id verò eo veriùs, quòd Papa propriè loquendo, non Christi vicarius sit, sed Ecclesiæ, Dominus verò Vicarium pro suo jure deponere possit, cujus Domino præsente potestas cesset, Pontificis utique potestas Concilio congregato, in quo plenitudo potestatis residet. Hîc occurrebat nodus: *Sed Concilij convocatio ad solum Papam?* Imò ait, si locum habet, Ecclesiæ ruinam propè esse, mox consecuturam quis non videt? Ecquis enim nescit, peccare qui vult, impunè peccare velle: Ecquis verò credat, indicturum Papam Concilium, à quo ipse reprimâtur, reformetur? Quin imò ait, non ex Historijs, non ex ipsis Apostolorum Actis didici, solos Papas Concilia convocasse: *Primum omnium Conciliorum, ubi Matthias substitutus est Iudæ, non jussu Petri, sed jussu Christi congregatum invenio, qui Apostolis præcepit: Ne ab Hierosolymis discederent, sed promissionem Patris expectârent: Secundum de electione Diaconorum, non solus Petrus, sed & duodecim Apostoli*

congregârunt, quia scriptum est : convocantes duodecim multitudinem. Tertium de sublatione circumcisionis, & aliorum legalium, communis inspiratio congregavit, scribitur enim: Convenerunt Apostoli & seniôres. Quartum verò, ubi quædam legalia permissa sunt, videtur per Iacobum fratrem Domini coadunatum. Idem verò in Primitivâ Ecclesiâ, indeque Imperatorum authoritate; ita tamen, ut Papæ consensum accedere rationi consentaneum sit: sed eâ conditione, ut major pars vincat: Multo magis autem semel convocatum Concilium Papa revocare non potest, cum ipse ejus pars sit, quæ majori cedere debeat, à quâ absque Schismatis culpâ discedere non potest: Et hæc ad primam *veritatem*, à quâ secunda pendet: *Quod Papa Concilium solvere non potest*: alioqui ad primum correctionis verbum de hoc remedio cogitaret. Superabat tertia: *Num è fide Catholicâ sit hoc ita credi:* Quod affirmativè demonstrant, quia quicquid in Euangelio habetur, credere tenemur, habetur verò, ajunt, *dic Ecclesiæ*, in quibus verbis Concilium Constantiense Concilij potestatem in & suprà Papam, pœnâ hæreseos, sanxit. Itaque tres illæ priores conclusiones firmissimæ manent, ex quarum consecutione cæteræ approbantur.

Iam hæc decisio in Eugenium distringenda erat; & pars eorum, qui in illas *veritates* consenserant, differri sententiam cupiebat: hi ad meliorem frugem rediturum sperantes, illi complures Episcopos in Comitijs Moguntinis adhuc hærere dictitantes, insignes viros, quorum suffragia expectanda viderentur; & Panormitanus quidem occasione arreptâ, Episcopos opperiendos ingerebat, inferiores quippe in Concilijs suffragium *decisivum* non habere, sed *consultativum* tantùm; Quibus addebat Ludovicus Romanus: *non esse argumentum ex gestis Apostolorum sumendum, quorum exempla miranda essent magis quàm imitanda, nec ibi patêre quod Apostoli vocassent Seniores ex debito, solumque narrari eos interfuisse, ex quo nihil inferretur:* Quod omnes in tanto viro demirati *blasphemiam* locutum vociferabantur. Tùm igitur Ludovicus, Cardinalis Arelatensis, *vir omnium constantissimus, & ad gubernationem Conciliorum generalium natus, Oratorum omnium, qui loquuti fuerant, verba resumens*: Omnibus his dubitationibus nullum omninò locum esse edisserit: Conclusiones illas maturè & deliberatas & constitutas fuisse: de his Oratores omnium Principum sententiam dixisse, viros in Ecclesiâ primarios, per Episcopos illos stare quominus adsint: præsentibus verò majorem reverentiam exhibitam, quam in ullo ante Concilio, majorem etiam reipsâ authoritatem: quandoquidem jura eis sua plenè restituta sint: *quos in statu reposuerint pristino, eosque qui jam non erant Episcopi, sed umbræ quædam, fecerint Episcopos*. Eos ipsos, qui jam magis tergiversentur, & in hoc Concilio, & in suis scriptis easdem *veritates* attestatos esse: Quibus verbis Panormitanum & Ludovicum Romanum designatos volebat. At, inquit, *non sic deprimendi sunt seniôres, qui in Concilio Apostolorum habuerunt vocem decidentem*, ut & in priscis Concilijs: Olim Presbyterum & Episcopum idem fuisse, adeo ut Augustinus dicat in his verbis, *dabo tibi claves, &c.* Dominum nostrum judiciariam potestatem Episcopis & Presbyteris dedisse: *cum præsertim plus officij reddiderint Concilio, quam Episcopi;* Hi, dignitatibus utique & delicijs suis metuentes, illi ob tam justam causam, non ullum damnum, non mortem ipsam veriti; Octo jam annos Concilium sedêre, ut nulla jam præcipitatio, nulla ignorantia prætexi posit; Et porrò quorundam Principum minas ineptè ingeri, qui prudentiores sint, quàm ut in Concilii damnum quidquam tentent; ut & ipsimet, verbo Dei sanè docti, non eos metuere, qui corpus tantum occidere possunt, sed eum qui animam in gehennam mit-

mittere potest. Denique, cum Eugenij legati novam suam doctrinam ubique prædicâre audeant: *Quod Papa supra Ecclesiam sit*, non debere se trium illarum conclusionum promulgationem differre: *Apostolum imò Paulum imitari, qui Petro ad veritatem Evangelij non recto pede ambulanti neque ad horam cessit.* At cæteras certè, quæ ejus personam intuentur, differri posse: *ne Panormitanus plus debito clamet.* Ad hæc verba Panormitanus, Ludovicus Romanus & alij vehementer tumultuâri; & huic vehementer exprobratum, quod Lovanij & Coloniæ easdem conclusiones retulisset, nec ipse negabat; Ut vix silentium fieri Iohannes Segoviensis obtinêret, omnes licet ejus oratione plurimùm delectarentur. Is igitur Præsidis sententiâ strenuè confirmatâ, post multa valida argumenta: *Prædicant ubique terrarum hæreses Eugeniani, nec illis aliquis dicit, ut supersedeant: Vobis autem, qui veritatem publicare intenditis, mille susurrant ut sileatis, &c. Tibi autem, Præsidens, dico, quia oportet te magis Deo, quàm Principibus complacêre: Quare si hinc sine conclusione abeas, rationem te hujus rei in districto Dei judicio redditurum scio;* Ac tandem Cardinalis Arelatensis sententiam pronuntiat, quâ adversæ partis consternati planè animi: Concilium octo *Conclusiones* firmaverat; eâ tamen mente, ut tres tantùm priores retineret: Has, inquit ille, *in nomine Patris & filij & Spiritus S. concludo:* quibus dictis ut alacer consurgit, plerique certatim vestimentorum fimbrias deosculantur, & communis opinio fuit, opus hoc Spiritus sancti fuisse potiùs quam suum. Panormitanus sanè pudefactus in hospitium se recipit, inque cubiculum reclusus, *de suo Rege,* (Aragonum scilicet) *conqueritur, quod eum adversus veritatem pugnâre compelleret, & suam famam suamque animam iret perditum.* Additque Author, quicquid protestatus esset, vidisse sæpe in suâ Bibliothecâ de suo Principe conquerentem, quod alieno consilio abriperetur, & verò Archiepiscopus Arelatensis ei exprobrat, neminem in Eugenij erroribus publicandis fuisse acriorem, ad monitoria & suspensionem promptiorem neminem: qui propterea conscientiam suam examinâre debêret. Ergo legitur tandem & publicatur Decretum, & concinitur de more Hymnus *Te Deum*; assentientibus Principum Oratoribus, Imperatoris etiam & Regis Franciæ, irritis in contrarium partium studijs, protestante eorum verbis Archiepiscopo Turonensi: si quid contra moverint, non ideò fecisse, quod de veritate & sanctitate illarum conclusionum dubitarent, pro quibus etiam martyrium subire non detractarent: Sed & sibi aliquam pacis tranctandæ viam reliquam facerent. Notat idem Author, peste Basileæ incalescente, plures ex Prælatis in diversa loca secessisse, qui morti vicini sacramento participantes, familiaribus dicerent. *Ante tribunal Dei intra paucas horas comparituri sumus: Vos omnes qui adestis, orate Deum ut illos convertat, qui Gabrielem* (Eugenium nempe) *pro summo Pontifice recognoscunt: quia in eo statu salvari non possunt:* sese in fide Basiliensis Concilij mori velle ad extremum usque spiritum testati, nec tamen urgente licet periculo, Cardinalis Arelatensis migrâre voluit, donec & depositioni Eugenij & electioni & coronationi novi Pontificis, Amadei Ducis Sabaudiæ, Felicis inquam quarti, extremam manum admovisset: Ibi, quia conjugatus fuerat, controversum, num eligi posset: Definitum, *non solùm qui uxorem habuit, sed uxorem adhuc qui habeat assumi posse. Cur enim, ajunt, disputant Doctores, an uxoratus electus in Papam, uxori solvere debitum teneatur: nisi quoniam etiam conjugatus recipi posit? fuerunt (ut scitis) etiam in matrimonio Pontifices, nec Petrus Apostolorum Princeps uxore caruit: Quid ista modò objicimus? fortasse non esset pejus sacerdotes quamplures uxorari, quoniam multi salvarentur in sacerdotio, qui sterili in Presbyteratu damnantur.*

Notant nonnulli, Cardinali Arelatensi, cui totius hujusce actionis laus tribuitur, in inferiorem Germaniam delegato, structas in reditu ab Eugenio in Germaniâ insidias, quibus tantumnon involutus fuerit: ut meritò in quadam Concilij sessione dixisse videatur: *Christus vendebatur pro XXX. argenteis, sed ego preciosius multùm, quia pro XL. millibus aureorum per Gabrielem, quondam Eugenium, tradendis & exolvendis, ut captivarer & sibi presentarer, fui venundatus.*

Memoriâ dignum, Eugenium cum Legatum Cardinalem Iulianum S. Angeli Concilio Basiliensi præfuturum misisset, moxque de eo abrumpendo, mandatum daret, per literas exposuisse Iulianum, quantam sibi injuriam facturus esset: pluresque eo rationes attulisse; hanc inter alias, Bohemos, qui eò vocati fuissent, jure dicturos: *Nonne videbitur hîc digitus Dei? Ecce exercitus armatorum toties fugit à facie eorum, & nunc similiter Ecclesia universalis fugit: Ecce nec armis nec literis vinci possunt.* Quod autem bella sua causabatur, etiamsi amissurum se Romam & totum Ecclesiæ patrimonium certissimè prævideret, abdicare se illa potius debêre, quam Concilium solvere, cum unius animæ salus, pro quâ Christus mortem suscepit, ei charior sit, quam universum Ecclesiæ temporale dominium, quàm orbis, quam cœlum ipsum; Sin minus, *jam securis*, inquit, *ad radicem posita est. Inclinata est arbor ut cadat, nec potest diutius persistere.* Ad metum autem qui ei ingerebatur, ne Concilium temporalia auferret Ecclesiæ: *Mira res, si hoc Concilium non fieret per viros Ecclesiasticos, forsitan dubitandum foret: Sed quis erit iste Ecclesiasticus, qui huic determinationi consentiat? Non solùm, quia esset contra fidem, sed quia redundaret in detrimentũ eorum &c. Sed vereor ne contingat nobis, sicut contigit Iudæis, qui dixerunt, si dimittimus hunc, venient Romani & tollent locum nostrum & gentem: Ita & nos si nos dicimus: si dimittimus fieri Concilium, venient Laici, & tollent temporalitatem nostram. Sed sicut justo Dei judicio factum fuit, quod Iudæi perdiderunt locum suum, qui noluerunt dimittere Christum, ita & justo Dei judicio fiet, quod quia nolumus dimittere Concilium fieri, perdemus temporalitatem nostram, & utinam non corpora & animas.* Ad id denique quod regerebat, Concilium Basileense non esse legitimum; Imò excipit: *ex Concilio Constantiensi dependet: si illud verùm fuit, & istud. Nemo autem dubitare visus est, an illud legitimum fuerit, similiter & quicquid ibi decretum est: nam si quis dixerit, Decreta illius Concilij non esse valida, fateri necesse habet, privationem olim Iohannis factam, vigore illorum Decretorum non valuisse: Si illa non valuit, nec etiam Papæ Martini tenuit electio, facta illo adhuc superstite: Si Martinus non fuit Papa, nec sanctitas vestra est, quę per Cardinales ab ipso factos electa est, nullius ergo magis interest defendere Decreta illius Concilij, quàm sanctitatis vestræ.* Et notet Lector Cardinalis in Pontificios argumentum, qui horum duorum Conciliorum authoritatem in dubium revocant proinde & universam vocationem & successionem Romanam: cum Iulianus contra tueatur, vix ullum inveniri tam multiplici authoritate suffultum. Et porrò Decretum, quo Concilium supra Papam esse asseritur, ijsdem cum Concilij Patribus, rationibus & exemplis defendit.

Epist. Iulian. Cardinal. Legati in German. ad Eugen. Papam.

Trita erat eo tempore in primis illa quæstio, in quâ præter Basiliensium Patrum decisionem, doctissimi quique Concilij sententiam propugnabant. Et Æneas Sylvius quidem antequàm ad Pontificatus apicem pervenisset, in Concilij Basiliensis Historiâ, quam suprà perstrinximus, suam satis mentem exprompserat. In Epistolâ etiam ad Gasparem Schlick Imperatoris Cancellarium, quâ Regis Caroli VII. consilium ad Ecclesiæ unionem probat: *Principibus secularibus*, inquit, *convenire licet invito Clero, & tamen illic unio fieri posset: nam ille Papa indu-*

Æneas Sylvius Epist. 54. & 55.

dubitatus esset, cui omnes Principes obedirent. Non video Clericos, qui velint pro istâ vel illâ martyrium ferre: Omnes hanc fidem habemus quam nostri Principes, qui si colerent idola & nos etiam coleremus. Et non solum Papam, sed Christum etiam negaremus, seculari potestate urgente: Quia refriguit charitas & omnis interijt fides, utcumque sit, pacem desideraremus, quæ sive per aliud Concilium vel per conventum Principum detur, nihil pendo, non enim de nomine, sed de re contendendum est: voca panem, si placeat, lapidem, & da mihi dum famesco: Non vocetur Concilium, vocetur Conciliabulum, congregatio, Synagoga, nihil interest, dum schisma depellat. Ideò mihi admodum placet, quod Rex Franciæ scribit, ejusque sententiæ inhærerem, nam videtur Regi nostro, (Romanorum scilicet) *permittere hujus congregationis vocationem.* Quam procul ab eis, qui nullum nisi Authore Pontifice Concilium agnoscunt: nec abs re sanè, si attendimus quod idem ipse de suæ ætatis Concilijs ad Lupum Portugalensem scribit: *Lusus jam Ecclesia est, qualem de pilâ fieri videmus, dum huc atque illuc impellitur lusorum ictibus percussa. Sed aspicit illa ex alto Deus & quamvis rarò in terris expendere homines digna supplicia cogat, nullum tamen in supremo ejus judicio malum impunitum relinquit:* At verò, ut illam pestilentiæ Cathedram insedit, palinodiam canit, imò, ut galerus caput tetigit, mentem mutat, & ad sinistram deflectit, ut ex posterioribus Epistolis claret. Laurentij Vallæ Senatoris Romani eadem vox, cujus liber consultò editus contra Donationem Constantini, quo tempore Papa Eugenius Imperatorem Sigismundum juramento in eam adigebat, alias non coronaturus: Ecclesiæ verò statum si roges: *Dico & exclamo,* inquit, *neminem meâ ætate in summo Pontificatu aut fidelem fuisse dispensatorem, aut prudentem, tantum abest, ut familiæ Dei dederit cibum & escam panis. Papa & ipse bella pacatis populis infert, & inter civitatum Principes discordias alit: Papa & alienas sitit opes, & suas exsorbet. Papa non modò rempublicam, quam non Verres, non Catilina, non quispiam peculator auderent, sed etiam rem Ecclesiasticam & Spiritum sanctum quæstui habet: Quod Simon ille Magus detestatur. Et cum horum admonetur, & à quibusdam viris reprehenditur, non negat, sed palam fatêtur atque gloriâtur licêre, & quâvis ratione patrimonium Ecclesiæ à Constantino donatum ab occupatoribus extorquere: quasi recuperato, religio Christiana futura sit beata, non magis omnibus flagitiis, luxuriis, libidinibusque oppressa: si modo opprimi magis potest, & ullus est sceleri ulterior locus, &c. Cum Christus in tot millibus pauperum, fame moriatur ac nuditate, &c. Nulla itaque religio unquam, nulla sanctitas, nullus Dei timor: & quod referens quoque horresco, omnium scelerum impij homines à Papa sumunt excusationem: In illo enim comitibusque ejus est omnis facinoris exemplum, ut cum Esaia & Paulo in Papam & Papæ proximos dicere possimus: Nomen Dei per vos blasphemâtur inter gentes. Qui alios docetis, vos ipsos non docetis: Qui prædicatis non furandum, latrocinanimi: Qui abominamini sacrilegium, facitis: Qui in lege & in Pontificatu gloriâmini, per prævaricationem legis Deum verum Pontificem inhonoratis. Quod si Populus Romanus ob nimias opes veram illam Romanitatem perdidit: Si Salomonem ob eandem causam in idololatriam amore fœminarum lapsus est, nonne idem putamus fieri in summo Pontifice ac reliquis Clericis?* Eo usque provehitur, ut dicat, non esse quod suum illud: *Tibi dabo claves, &c. plenitudinem potestatis inde probaturus, oggerat, quin, vin' tu scire,* ait, quodnam sit illud, *Tibi dabo,* in cujus vim tuum illud summum imperium tibi vindicare potes, *lege in Euangelio, quod Christo Satan: Tibi dabo hæc omnia regna, si prostratus me adoraveris, &c.* At doctrinam sanè fabulis omni ex parte conspersam conqueritur: *O miram hominum dementiam, qui his anilibus deliramentis fidem habent: Iam verò quamdiu hoc factitatum est? Quando fuit cœptum? Ante adventum Salvatoris? an postea? nihil horum scitur. Pudeat*

Idem Epi. 14.

Laurentius Valla de Donatione Constant.

deat earum næniarum & levitatis plusquã mimicæ: Erubescat Christianus homo, qui veritatis se ac lucis filium nominat, proloqui, quæ non modò vera non sunt, sed nec verisimilia, &c. Non desiderat synceritas Christiana patrocinium falsitatis: satis per se, superque suâ ipsius luce ac veritate defenditur, sine istis commentitiis ac præstigiosis fabellis, in Deum, in Christum, in spiritum sanctum contumeliosissimis, &c. At verò nostri fabulatores passim inducunt idola loquentia, &c. Nec persuaderi possum hos scriptores alios fuisse quàm infideles, qui hos agerent in derisum Christianorum, &c. Nummos reprobos discernimus, separamus, abjicimus, dominum reprobum non discernemus, sed retinebimus? Sed cum bonis miscebimus, sed pro bono defendemus? Sed integrum librum hîc apponere necesse haberemus.

Nicolaus Cusanus, natione Germanus, Theologiæ doctor, & posteà Cardinalis hoc seculo doctissimus, in libris *de concordantiâ Catholicâ*, Basiliensi Concilio applaudit, Æneas Sylvius licet Eugenij Herculem illum nominet, deploretque, *tam nobile ingenium ad illa schismatis studia divertisse.* In primo libro has Theses & defendit & probat: Quòd omnes promissiones Christi Petrum alloquentis: *Dabo tibi Claves, &c. Portæ inferorum, &c. Oravi pro te, &c.* ad Ecclesiam uuiversalem, non speciatim ad Petrum, ejusve successorem sunt referendæ. Maximè cum nonnulli Papæ Schismatici & Hæretici fuerint. Quod unusquisque Episcopus sedem suam in Ecclesiâ sortitur, pro privilegio loci, cui præsidet; Quâ & ratione Romanus Episcopus eum gradum præsidentiæ obtinet, quem olim Roma inter gentes; Et addit quidem cumulativè Apostolos Petrum caput sibi delegisse, sed unde hoc constet? Quod alioqui si locum obtinerent ex sanctitate ejus, qui primus ei præfuerit, vel ex reverentiâ loci ipsius: non dubitandum, quin Hierosolymis Primatus deberetur, ubi summus noster Pontifex Ecclesiam suam proprio sanguine abluerit; Quin etiam Ephesus S. Iohannis sedes, Alexandrinæ præferenda non fuerit, ubi Marcus, & sic de cæteris. Quod ad officium Episcopi Romani pertinet, Concilium generale omnium Ecclesiarum convocâre, á quibus agnoscitur, quod si minus præstiterit supplêre ejus vices Imperator tenetur, ne Ecclesia detrimentum patiatur. In secundo: Quod Concilium illud non pendet ab ejus capite, sed ab omnium qui assident consensu, qui, quod in se est, in Decretorum confectionem conferre debent, ita ut nullæ præscriptioni in contrarium locus detur: Cum Episcopi Romani, etiam præsidentis, non major sit ibi authoritas, quam Metropolitani cujusque in Provinciali. Quòd de facto Petrus ipse nullatenus majorem potestatem à Christo accepit, quam cæteri Apostoli, nec ei quidquam dictum, quod peræquè alijs dictum non sit; Quippe qui non minus *Petræ* sint quam Petrus ipse: Ut quod dicitur *super hanc Petram, &c.* ad confessionem ejus non ad personam sit referendum. Proinde, cum potestas ligandi & solvendi omnis jurisdictionis divinæ sit fundamentum, manifestum est, quòd omnes Episcopi fortasse & omnes Presbyteri, quoad jurisdictionem, parem potestatem habeant. Restringit postmodùm, *non quoad executionem, quæ sub certis positivis terminis clauditur*, ex jure scilicet humano; sed & addit: Quòd cessante ejus causâ, cessant etiam omnes majoritatis & minoritatis gradus, ita ut ad jus naturale redeundum sit, ad primigeniam utique illam æqualitatem: Quòd Concilium universale, extra controversiam, est supra Episcopum Romanum, cujus si potestas quibusdam locis dicitur esse à Christo, ex pluribus tamen alijs habetur, *quod ejus primatus est ab hominibus & ex Canonibus pendet*: Quare, ut à Concilio & judicari & deponi potest, ita Conciliorum Canones abrogare, mutare, contrarijs evertere non potest. Argumento sit, quòd Legati Pontificum in Concilijs Uni-

[Margin notes: Æneas Sylvius l. 1 de Gestis Basiliens. Concilii. — Nicol. Cusanus de concord. Catholic. lib. 1. c. 11. — Idem c. 14. 15. — Ibid. cap. 15. 16. — l. 2. c. 2. — Ibid. c. 8. — Ibid. c. 12. — Idem l. 2. c. 13. — Idem ibid. c. 17. 18. 19.]

Universalibus stantes loquuti leguntur, literæ eorundem examinari solitæ: Suntque ejus Decretales Canonibus inferiores, quibus si Papa contradicat, non auditur. Quas quidem omnes Theses latissimè probat tùm ex Decretis, tùm ex ipsorum Patrum scriptis. In tertio, pluribus argumentis ex antiquitate Ecclesiasticâ desumptis, falsum convincit, quòd Constantinus imperium Occidentis Papæ aut donârit, aut donâre potuerit, nihilo verius quod Papæ Carolo Magno aut successorum cuiquam contulerint, aut à Græcis ad Germanos, uti volunt, transtulerint. Falsissimum: quod Electores Imperij à Papa instituti sint, ejusque nomine, eligendi munere defungantur; Asserit contrà: Quod Imperator à Deo solo ita pendet, ut à Papa confirmari necesse non habeat, à Papa etiam deponi neutiquam possit: Quòd in suo munere Imperator Christi minister & vicarius, supremus fidei custos ab eo constitutus, quâ ratione & ipse Concilio interesse, & Princeps quisque in suâ ditione pari jure uti potest. Quod Imperatores omni tempore universalia Concilia convocarunt, eorumque ordinem tutati sunt, ut Nationalium & Provincialium curam Reges & Principes susceperunt, concurrente nihilominus Imperatore cum Pontifice, dum hic Episcopos Concilio adesse jubet, ille & ad officium hortatur & laicis vicissim ut adsint, præcipit. Nec verò Papam eorum convocationem sibi soli vindicare, sed absque suâ authoritate, non habenda, asserere; Ita tamen, ut Imperator, si Papa negligentior sit, Concilium indicere possit, & debeat & quidem præceptivè: Quòd Imperator illis perpetuò præsedit, assidentibus quindecim aut viginti ex aulæ Proceribus, quibus locum concedi jubebat: Quin ipse ejusque vicarij, quæ ad tranquillitatem & utilitatem Ecclesiæ facere videantur, proposuit. Quòd quicquid Ecclesia in temporalibus possidet, Imperatorum, Regum & Principum beneficijs debet: qui ut eam vestirent, sese ipsi spoliarunt: hîcque exclamat: *Temporalia Ecclesiarum quid prosunt Reipublicæ, quid Imperio, quid subditis? certè parum aut nihil. Mandabatur Othoni absque pecuniâ investituras Episcoporum dare. An ab ipso Imperatore sola investitura sublata sit per Papam vidimus, quoniam non solùm pura absque pecuniæ acceptione attracta est investitura per Romanum Pontificem, sed etiam tantum de pecuniâ, ut per Alemaniam omnes se non gravatos tantùm, sed destructos conquerantur. Rabidus appetitus ad ipsa terrena Ecclesiis annexa dominia Episcopis ambitiosis hodie inest: ut ea videamus expressè agere dum promoti sunt, quæ ante ambiebant: de temporalibus omnis cura, de spiritualibus nulla. Non fuit ista Imperatorum intentio, non volebant spiritualia à temporalibus absorbêri, quæ pro eorum augmento Ecclesiis dedere.*

Ibib. c. 20. 21.
Idem l. 3. c. 3. 4.
Idem ibid. c. 6. & 7.
Ibid. c. 8. & 9.
Ibid. c. 15.
ibid. c. 21. 28. 30. Dist. 63. c. in Synodo.

De Cardinale Alliacensi vidimus, quæ reformationis capita in Constantiensi Concilio exhibuerit: Et in præfatione in hac materiâ se plura scripsisse profitêtur. Certè *in Encomio Theologico*, hæc verba exponens: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: super Christum & super verbum ejus*, inquit: Ut & in conclusionibus, Ecclesiam sacræ scripturæ alligat, & Romanam errare posse asserit, & Monarchiam temporalem Papæ adimit. Idem Panormitanus Eugenij licet Armiger in Concilio Basiliensi: *fideli potius homini privato rationem aut authoritatem ex scripturâ proferenti credendum, quàm toti Concilio, aut Papæ ipsi: quia Concilium errare potêst, sicut & aliâs erravit, &c.* Nec verò Papas suâ ætate ita vixisse dissimulat, ut post hanc vitam non aliam se credere, non resurrectionem, aut judicium, satis testarentur; In luxum etiam, fastum, tyrannidem Pontificis & Cleri extat Alani Carterij Caroli VII. secretarij liber ejusmodi, ut Ecclesiam Romanam cœlitus fulmine tangendam propediem expectet. Verùm Thomas Redonensis Car-

Petrus de Alliaco. in Encomio Theolog. idē in conclusionib. Panormitan. de electionib. c. significasti.

Carmelita, concionator celebris plus adhuc audet, abominationes ille Romanas perpetuò in ore habebat, quæ magnâ reformatione opus habêrent: Is, inquit Antoninus, *cum pluribus annis per Franciam prædicâßet cum maximo populorum concursu magnas faciens commotiones in bonum, & si non secundum scientiam*, Romam cum Oratoribus Venetis venit, à quibus Pontifici commendatur: Sed Gulielmo Estoutevillano Cardinale Rotomagensi, tum Vicecancellario, instigante procuratoréque ordinis Carmelitarum instante, jussu Pontificis comprehensus tanquam *relapsus* solenniter exauguratus, concrematur: Monstreletus pietatem eius & sanctitatem laudat: Mantuanus in libro *de vitâ beatâ*, ut verum Christi martyrem inducit, in cujus corde antiquus fidei ardor residêret, quem livor scelerato igni, manifestâ injustitiâ tradiderit: *Hujus flammas, inquit, non Scevolæ rogo, sed Laurentij poße comparari non dubito.* Leguntur etiam versus in ejus laudem, quibus sanctimonia, miracula, martyrium etiam ipsius celebrantur, inter quos qui sequuntur.

Antonin. part. 3. Tit. 22. cap. 10.

Monstrelet. Volu. 1.

Baptista Mantuan. lib. de vitâ beatâ. cap. ultimo.

Lippis lux oculis nocuit, non sustinuere
Vivere tam sanctum fœda Romana cohors,

Nicolaus Harlemens. in Collectaneis. Antonin. part. 3. Tit. 22. c. 7. parag. 8.

Simile quid etiam paulò ante Manfredo Vercellensi acciderat: *Manfredus*, inquit Antoninus, *venerabilis vitâ, religiosus, ordinis Prædicatorum, erat peritus, & timens Deum; hic prædicans in partibus Longobardiæ, nescio quo ductus spiritu, populis nuntiabat propinquum Antichristi adventum, & quasi tempore suo esset futurus inducebat, ad hoc suas rationes ex Scripturis, præcipuè Apocalypsis, &c.* Collegit igitur circiter quadringentos omnis ætatis & sexus, & voluit Papa Martinus hunc conventum dissolvere, sed incassum, quia eorum conversatio boni odoris erat erga omnes, licet, ut per inopiam cogerentur domum redire, dari illis quidquam prohibêret. Veniunt itaque Bononiam, Florentiam, ac tandem Romam, ubi plerique vitam finiunt, *expectando manifestationem Antichristi*: Sed inquit Antoninus, *non vidêrunt*; quid ni potius *non cognoverunt?* Moriturque Manfredus aliquantò post Romæ sub Eugenio, qui fratri Bernardino superstitionis verè monstro mandavit, ut contra eum scriberet, qui nempe superstitiosam ejus doctrinam in multis coarguebat.

In nostrâ Galliâ Carolus VII. anno 1438. Concilium Ecclesiæ Gallicanæ Avarici Biturigum haberi jussit, in quo sub titulo *Pragmaticæ sanctionis* lecta & approbata Concilij Basiliensis Acta; Et hâc in primis beneficiorum regni collationes & appellationes ad Romanam Curiam resecabantur. Quò pertinet Epistola, quæ in Concilijs extat, ad Episcopum Lauzanensem directa, ab eo, quem Bituricenses Patres Romam delegabant, adjunctis ejusdem Concilij decisionibus; Significat ille Lauzanensi sibi ab Ecclesiâ Gallicanâ unanimi consensu mandatum, quicquid Pontifex in contrarium moliatur, ne ullatenus Basiliensis Concilij dissolutioni consentiat: Sin quis ideò commovetur, respondêre paratos, *actum est ne agas.* Quod sibi à Cancellario Franciæ promissum: Resciviſſe illos, Regis Oratores, qui Romæ fuerunt, quibusdam promotionibus delinitos, præ se ferre, Regem Concilij dimissioni assensurum, sed ratum esse illis ei in faciem resistere; Habetur & ibi Tractatus in eam rem anno 1434. à Iohanne Patriarcha Antiocheno conscriptus, quem Basileæ in magnâ Franciscanorum aulâ publicè recitavit: *Quod Concilium generale supra Papam*; Ejus initium, *Ad ostendendum*: Ubi ex Patribus & Decretis ipsis Papam eò redigit, ut Ecclesiæ servus sit, ab eo castigandus si officio perperam fungitur, & quicquid contrà profertur latissimè refellit. Lector librum

Paulus Æmilius in Carol. 7. Epist. ad Episcop. Lauzanens. in Volum. Concil. in Appendice, Concil. Basiliens.

Ann. 1434. In 3. Vol. Concil. in Append. Concil. Basiliēs. ad ostendend.

brum ipsum in Concilijs consulat.

Eodem tempore, dum Pontifices, Græcos sibi parêre jactitant, prodeunt Nili Archiepiscopi Thessalonicensis contra Episcopi Romani primatum libri duo; In primo, quæ præcipuè inter Ecclesiam Latinam & Græcam controvertuntur inde manare ostendit, quod Papa à Concilio Universali judicari nolit: Contrà, ut inter discipulos Magister, in propriâ causâ judex sedere velit, Concilio præscripta subîre debeat, intraque patrum Decreta sese continêre; Episcopum Romanum non eam in cæteros Episcopos potestatem habêre, quam in Diœcesanos Episcopus: sed solâ primæ sedis prærogativâ alijs eminere; Et hîc in Conciliorum utilitatem & authoritatem excurrit. In secundo, Episcopum Romanum docet Primatus jus à Christo non habere, nihilo magis à Petro aut ab Apostolis, sed Patres certis de causis primam sedem ei detulisse: successorem Petri non esse, nisi quatenus Episcopus: Quâ ratione successores etiam ejus omnes Episcopi: Apostolum etiam minimè esse, nedum Apostolorum Principem. In ijs, quæ ad rectitudinem fidei pertinent, & errare posse & sæpius errasse: Nec esse quod suum illud: *Tu es Petrus:* oggerat, quia Ecclesiam Christi intuetur hæc promissio, non Petrum, non Petri, quem volunt successorem: Ut primum ordine esse detur, non idcircò in alios dominari: Nec enim ex hoc primatu ordinem supra cæteros inferri, sed cum cæteris coordinationem. Et porrò præsumptiones Episcopi Romani longè facessit: Quòd omnium sit judex, judicandus ipse à nemine: Quòd non certi loci Episcopus, sed Episcopus absolutè: Quòd pro jure suo Concilium universale indicere debeat solus, & consimiles; Cùm Primatus vel potius prima sedes ei tantum concessa fuerit: *propter urbis principatum*, quia Roma prior ordine inter urbes. Nilus Archiepisc. Thessalon. de Primatu.

Hîc repetere non opus, quàm apertè & ut loquuntur *formaliter*, potior regni Bohemici pars, Ecclesiæ reformationem ad sacram Scripturarum amussim exigendam flagitarit; exhibitâ idcircò Regi, Imperatori, Concilio fidei suæ Confessione, publiceque in Templis expositâ, quæ illis publicâ authoritate tunc concessa; Post etiam fidem Iohanni Husso ruptam, quam strenuè justis & necessarijs armis eam defenderint, cœlitus pugnante Deo ad miseri popelli tutelam, irritis omnibus Imperatoris & Pontificum conatibus: Quod Ænea Sylvio authore supra didicimus, & illi enim ad nostra usque tempora absque interruptione & hiatu perseverant. Verùm, addere operæ pretium, Waldenses illos, qui hanc Evangelij lucem aliquot ante seculis in Bohemiâ circumtulerant, in montibus adhuc Galliæ Narbonensis & Provinciæ, inque pluribus alijs locis intrà Alpes perstitisse, ibique à Pontificum, Pontificiorumque persecutione tutos sese continuisse. In Lombardiâ etiam, Antonino teste, Fratricellorum nomine, ad Eugenium usque notos fuisse. At in Angliâ præsertim Wiclefi semen latè propagatum, ubi, ut de Iohanne Oldencastello nihil repetamus, plurimi pro eadem doctrinâ martyrium passi leguntur: Gulielmus Tailour, alias Sartor Presbyter & artium Professor in Universitatè Oxoniensi, anno 1422. & anno 1428. Gulielmus Withe alias Albus complurium Tractatuum de capitibus controversis Author; ob triginta articulos, quos ore, scriptoque defenderat, igni traditus. Docebat verò is inter alia, Ecclesiam Romanam esse ficum fatuam, cui Dominus propter sterilitatem fidei maledixerat: *Caputiatos, unctos & rasos Luciferi infernalis milites: His clausam fore januam, cùm sponsus, extinctis eorum lampadibus, advenerit.* Quâ & mente Alexander Fabritius in tractatu, cui titulus: *Destructorium vitiorum*, multa An. 1422. An. 1428.

 præ-

præclarè contrà corruptelas Ecclesiæ Romanæ, quarum vetustati illud Cypriani opponebat: *Si solus Christus*, inquit, *audiendus est, non debemus attendere, quid homines ante nos faciendum putarint, sed quid ante omnes Christus prius fecit. Si Christus scivisset, quod per leges Iustinianas facilius vitam æternam posset homo acquirere, quàm per legem Dei, illas nos proprio ore docuisset, & dimisisset legem Dei in aliud tempus, quam tamen cum magnâ diligentiâ docuit, & in quâ continetur omnis doctrina ad salutem requisita.* Idem: *Proditor est veritatis, qui palam pro veritate mendacium loquitur; necnon qui non liberè veritatem pronuntiat, Pastores Ecclesiæ qui veritatem Euangelicam pronuntiare contemnunt, subditosque pernicioso exemplo occidunt, proditores sunt & Antichristi manifestissimi. Pastores & Prælati Ecclesiæ multum fatigantur his diebus pro dignitatibus obtinendis, unus in coquinâ Regis, alius in curiâ Episcopi, alius in servitio sui Domini, sed nullus in Curiâ legis divinæ. Superbi Sacerdotes & Prælati contrà doctrinam & exemplum Iesu Christi, quasi Reges gentium dominantur. Traditionibus superfluis & constitutionibus iniquis suos opprimunt iniqui: Sacerdotes moderni faciunt, quæcumque caro & sanguis ei revelat, igitur à Deo sunt maledicti. Hypocritæ bonos opprimunt, humiles Christi servos persequuntur, incarcerant & comburunt, quod eorum voluptates reprehendunt. Tales occiderunt Christum, Apostolos & martyres, reputantes eos hæreticos, quod eorum peccata taxarent.* Et porrò in omnium tunc Gentium Historijs sævitiâ nihil crebrius, quæ hoc seculo in veritatis hujus professores exercebatur.

PROGRESSUS.

EUgenio vitâ functo anno 1447. successor creatur Thomas de Sarzana Nicolaus V. dictus, vivo adhuc & regente Felice IIII. unde multæ nationes neutri adhærebant, Germania nominatim, Imperatore Friderico III. cui Æneas Sylvius à Secretis, de quo supra, Concilij Basiliensis, si quis alius propugnator: Hunc Eugenius, ingenium hominis probè cognoscens, magnis promissis sibi devinxerat, quo morte prævento, Nicolaus eo magis eum demereri conabatur, quod Fridericum coronam Romæ suscepturum Italiam cogitare intelligebat. Fridericus igitur ab Ænea, cujus in gratiam obrepserat, persuasus institutum negotium & suscipit & perficit. Consentit verò Nicolaus Germanis satisfacturus, in quædam *Concordata*, quæ in Bullâ comprehenduntur, cujus initium: *Ad sacram Petri sedem*, Aprile data anno 1447. In quâ Annatis præsertim modum imponit, ratas habet & comprobat generatim *omnes provisiones & expeditiones*, cujuscumque generis, tum Concilij Basiliensis Basileæ adhuc continuati, tùm Felicis IIII. alias etiam censuras, excommunicationes, Anathemata, eorumque relaxamenta, &c. per Bullam cujus initium: *Ut pacis* Iulio datam 1449. Quo facto manet Nicolaus Papa solus, dignitatem ultrò exuente Felice, quem Legatum in Germaniâ suum constituit, sicque Concilium dissolvit. Et id quidem Regum Franciæ & Angliæ interventu, Renati Regis Siciliæ & Ludovici Dolphini. Huic Bullæ in Voluminibus Conciliorum Titulus: *super approbatione Actorum Concilij Basiliensis.* Quia tamen eam ægrè approbant, alium præfigunt: *Concilium Basiliense invalidum est, &c.* Ut nempe quæcumque in eâ non exprimuntur, ipsâ licet tacente, improbata censeantur, videlicet sententia, quâ Concilium suprà Papam constituitur, ejusdem generis alia plura. Manet nihilominus perpetuò nostræ argumentationi suum robur, Martinum V. in vim similis sententiæ, Constantiæ latæ, Papam creatum fuisse, alias non futurum: Eugenium à Cardinalibus, quos Martinus fecerat, electum. Nicolaum exin-

Monstrel. Vol. 3.

Summa Constitut.

inde ab illis, quos Martinus & Eugenius promoverant, & omnes deinceps successores: Non igitur aut veros Pontifices ipsos aut legitimos Pastores, qui ab eis constituti, ni hæc Concilia legitima maneant, ni his sententijs sua constet authoritas.

Acceleravit hoc cum Cæsare pactum Nicolaus, quia Iubileus appetebat, cujus alioqui nundinæ incommodiores: ad quem tantus undequaque factus est concursus, ut Platina scriptum reliquerit: *Cum semel è Vaticano visâ Salvatoris imagine ad urbem redirent, facta obviam mula quædam Petri Barbi Cardinalis, S. Marci, cum neque venientes neque redeuntes ob insequentem multitudinem cedere possent, cadente uno atque altero super mulam illam jam à multitudine oppressam, ad ducenta hominum corpora, & duos tres obtrita & suffocata in ponte Hadriani fuisse. Multos etiam à lateribus Pontis in flumen cadentes, in undis periisse.* Trajicit in Italiam anno sequenti 1451. Fridericus, partim ut coronam susciperet, partim ut Leonoram Regis Portugalliæ filiam uxorem sibi jungeret; Nicolao interim vehementer anxio, ne pristinæ Imperatorum authoritatis memor, urbis regimen capesceret: Quare portas & turres Urbis communit, Capitolium etiam & arcem S. Angeli, utque Populum aliquâ administrationis imagine pascat, tredecim Marescallos, totidem urbis regionibus imperaturos constituit, quorum unumquemque purpurâ donat: Verùm, Federicus novos in Germaniâ motus reformidans, nihil tale prodidit. Parabat tum Mahumet Turcarum Imperator Constantinopolim obsidione cingere, imperij Christiani in Oriente caput: & auxilia Constantino Palæologo prolixè pollicebatur Nicolaus, modò *fidei Catholicæ se adjungeret*, id est, supremũ Pontificem ipsum à Græcis agnosci satageret: Eo instituto delegatus ad Constantinum Isidorus Russiæ Episcopus, qui in Italiâ, finito Concilio Florentino, manserat, Galero in eum finem donatus: sed res tot jam seculis incassum tentata, gravior & majoris cognitionis erat, quam ut sub id temporis punctum per tumultum definiretur. Itaque, redactus in summas angustias Imperator, hoc ipso anno 1453. mense Majo, urbe per vim occupatâ, et ipse miserè perit, & innumeros secum magno totius orbis Christiani & dedecore & damno eadem clade involvit. Antoninus, qui tùm florebat: *Civitas Constantinopolitana cum esset obsessa à Turcis, Oratores miserunt Græci ad Nicolaum Papam, implorantes auxilium gentium & pecuniarum: Quos non exaudivit Nicolaus indignum ducens Italiam exhaustam pecuniis propter expensas guerrarum gravare impositionibus, maximè cum eos sciret se suis pecunijs posse juvare, si exponere vellent, conducendo gentes.* Digna sanè consideratio, quasi verò decessores sui & levioribus de causis & in ipsos Imperatores Principesque Christianos non sæpe *Crucem* assumi jusserint: Verùm, id eo consilio faciebat, ut ex extremo ejus periculo lucrum faceret, summum sibi apud Græcos imperium pararet, quod Antoninus dicere non ausus. Interim ut Græcæ Ecclesiæ excidium in suum commodum vertat, Bessarionem Cardinalem Græcum Nicææ Episcopum, quem Eugenius galero donârat, Græciæ Patriarcham eâ lege instituit, ut à se pendeat, Græci licet Gennadium Scholarium elegissent, qui in mediâ illâ calamitate munus illud exequebatur. Refert Bodinus ex libro Iacobi Sprengeri maleficorum inquisitoris miram Nicolai hujus dispensationem: Ægrotabat quidam Germanus Episcopus quem Nicolaus in primis diligebat: Ex maleficâ rescit morbum ex sortilegio provenire, à quo nonnisi contrario liberari possit, quo maleficam quæ malum inflixerat, interimi sit necesse. Celeribus igitur equis ad Nicolaum mittit, rogat à maleficâ illâ sibi curari liceat, quod Nicolaus cum hac clausulâ indulget,

Platina in Nicolao 5.

Antonin. part. 3. Tit. 22. c. 13.

Bodin. in Dæmonom.

Iacob. Sprenger. in malleo maleficor.

ut ex duobus malis, quod majus evitetur. Acceptâ Bullâ, authore Pontifice, obsecrante Episcopo, malefica manum operi admovet: sub mediam noctem Episcopus valetudini restituitur, eodemque temporis puncto morbum in illam, quæ eum inflixerat, transfundit: ex quo mors consequitur. Et mœrore quidem ex clade Constantinopolitanâ concepto confectum, vitam finijsse credi volunt; Sed denegatum Græcis auxilium contrâ suadet. Ex hoc naufragio sanè, doctos quosdam Græcos apud se collegit, quod propriè, Prophetis, quorum exitio occasionem obtulerat, monumenta extruere fuit. Sed qui ei successit Alfonsus Borgia Calixtus nomine III. quasi damnum sarciendi animo, bellum Turcis illicò indicit; Voti quippe se pridem reum esse, professus, quod cum se (quo tandem vate) Papam fore præscivisset conceperat: Ostendit manu propriâ, scripta subsignataque in quodam suo libro, quæ sequuntur verba: *Ego Calixtus Pontifex Deo omnipotenti voveo & sanctæ individuæ Trinitati me bello, maledictis, interdictis, execrationibus & demùm quibuscumque rebus potero Turcas Christiani nominis hostes sævissimos persecuturum*; Et is tamen jam decrepitus. Decimam igitur universo Clero imponit & totâ Europâ Crucem pro more promulgat: plenam remissionem peccatorum, quibuscumque contribuentibus, indulgens, modo semel in vitâ, semelque in obitu confiterentur; quin & cuicumq; quinq; ducatos donaturo authoritatem absolvendi & dispensandi in multis casibus attribuens. Immissæ verò sexdecim tantùm in mare triremes, quibus præfectus Aquileiensis Patriarcha; Admoniti etiam Alfonsus Apuliȩ Rex, & Philippus Burgundiæ Dux, Crucem assumere, quod parare videbantur: *sed ut res solo impetu mota est, ita etiam facilè resedit*, tumque inquit Platina, *ad Pontificia negotia animū adjiciens*, Sanctos ei canonizare visum, Edmundum in Angliâ, Vincentium in Hispaniâ & alios: Quod Bessarion videns, præsertim, quàm temerè & parùm ritè id fieret: *Novi hi sancti*, inquit, *de veteribus mihi dubium movent*: Sed Ethnicorum Pontifices Maximos etiam in hoc illos imitari oportebat. In supplementum porrò auxilij Græcis præstandi, nolam quotidie inter Nonam & Vesperam, in omnibus Ecclesijs pulsari jussit, ut qui genibus flexis, *Ave Maria & Pater noster* ter murmuraret, tres annos & tres quadragesimas indulgentiarū consequeretur; Processionem etiam seu Litaniam generalem primâ quaque mensis dominicâ instituit, cui qui adstiterit septem annos & septem quadragesimas indulgentiarum obtineat. Adde orationem in Missâ pro victoriâ contrà infideles, quā qui dixerit Indulgentiarū etiam tres annos mereatur. Interim, si de Christiani orbis salute seriò cogitasset, idonea in primis sese offerebat occasio, quandoquidem hoc ipso tempore Iohannes Vaivoda Mahometem præclaro illo prælio prope Belgradum superârat, quem, rebus attritis à nostris derelictus persequi non potuit: Calixtus iste quamquam sibi minimè deerat, quippe qui Alphonso mortuo & Ferdinando notho, ejus locum adepto, de insignioribus regni Episcopatibus statuit, quod illo vivo nunquam ausus: *Quin*, inquit Antoninus, *quod plus est, per Bullas patentes regnum Apuliæ vacans, ut feudum Ecclesiæ ad se solum pertinere, ut de ipso disponeret, asserebat, mandans Ferdinando, ut illud dimitteret, nec ipse vel alius quicumque sub pœnâ anathematis, se illius regni Regem vocâret. Sed si quis jus aliquod ibi prætenderet, priùs per eum discuteretur negotium, omniaque juramenta dissolvit in illis, qui fidelitatem seu homagium ipsi præstitissent*; Ordinibus etiam regni per literas admonitis, Ferdinandum Alfonsi filium non esse, sed suppofititium nempe, ut ad Lignium Borgiam nepotem, an filium suum regnum transferre posset, à quâ sententiâ Ferdinandus irâ percitus appellat; Exasperatur quoque vehementer socer ipsius Franciscus Sfortia, Mediolani Dux, nihil intentatum relicturus, quo Ge-

Platina in Calixto 3.

Gulielm. Langæus in Præfat. suæ Hist.

Antonin. part. 3. Tit. 22. c. 14.

Antonin. part. 3. Tit. 22. c. 16.

Generi statum tueri posit. In his verò moritur Calixtus, qui paulo ante paribus, cum Festo corporis Christi, indulgentijs, officium transfigurationis cohonestarat: nempe religionem Papalem purè humanam, ex humanis commentis in dies cresćere convenit. Pandolf Colenuc. lib. 5. Donatus Bosius.

Calixto, anno 1458. noster Æneas Sylvius Pius 2. succedit, scientiâ sanè insignis, pari utinam & conscientiâ. Sed Papalis Cathedræ vis in eo statim enituit: Scriba ille fuerat Concilij Basiliensis: Abbreviator literarum Apostolicarum, ex duodecim illis unus, qui Concilij censores instituti; Quin & in *deputatione* de fide, multoties præsederat, & bis inter eos, qui beneficia conferebant, electus fuerat, & si quid per nationes alicujus momenti actum, perpetuò deligebatur, qui Italicæ præesset: Legatus porrò Concilij nomine destinatus, ter Argentinam, Tridentum semel, bis Constantiam, Francofurtum semel, in Sabaudiam bis: Particeps, an Princeps omnium agnoscebatur, quæ in Concilio gesta, cujus & Acta duobus libris describit, ex quibus de ejus sententiâ satis constet; Adeò, ut Eugenio deposito & constituto in ejus locum Felice, Legatus ad Fredericum Imperatorem justas electionis suæ causas expositurus, à Felice mitteretur: Quâ occasione Fridericus ingenij dexteritatem miratus eum in familiam suam allexerat. Is interim, à Federico, de suâ coronatione apud Pontificem acturus, Romam missus, Curiæ Romanæ delicijs inescatur, inque Nicolai gratiam, Felicis abdicationem cauponatur: Unde à Nicolao primum Episcopus Trigestinus creatur, inde à Calixto Cardinalis, & pro dignitatum incremento stilum gradatim immutat, quod ex ejus Epistolis palàm fiat cuique, quas & ipse gradibus illis distinxit: Donec tandem Papa factus nihil antiquius habuit, quàm ut Bullâ in eam rem editâ, quæ *Retractationis* titulum præfert, laudabiliôra quæque Acta sua revocaret, quæque anteà in alijs Pontificibus detestari visus erat, ipse jam laudâret & promoveret: Manifestum hoc ex Bullâ, cui initium: *Execrabilis*, secundo Pontificatus sui anno datâ, quâ à sententijs Pontificis ad futurum Concilium appellari vetat, omnes ejusmodi appellationes Imperatorum, Regum, Episcoporum, &c. vanas, execrabiles, pestiferas, irritas pronuntiat: Qui appellaverint, nonnisi in articulo mortis absolvendos, excommunicat. Universitates etiam, Collegia, & cætera corpora interdicto subjicit, omnesque omninò pœnâ, læsæ majestatis reis & hæreticis debitâ, damnat: Nec non Tabelliones, testes & cæteros, qui his actibus intervenerint, &c. In aliâ etiam Bullâ, cujus initium *in minoribus agentes*, universitati Coloniensi anno 1463. inscriptâ, pœnitere se profitetur, quod Dialogum & alios libros scripserit, pro authoritate Concilij, *Ecclesiam Dei se ignoranter, sicut Paulus fecit, persecutum fuisse* dicens; Contrà, authoritatem Pontificis suprà Ecclesiam ex ijsdem locis asserens, quos in alium planè sensum ante exposuerat. Quare, declarat Papam supremum esse Ecclesiæ Monarcham, cujus peccata judicio Dei relinquantur, ita ut nemo de his cognoscere possit. Et tamen sub finem, *veneratus est*, inquit, *Concilium Constantiense* quod contrarium planè statuerat: Sed egregiam hic Bellarminus distinctionem comminiscitur, probari posteriores sessiones, non priores, quia in prioribus illis Concilium suprà Papam collocabatur; & tamen quod Martinus V. electus fuerat, quod in posterioribus ordinari curârat, à prioribus illis tantum robur sumebat, quibus judicatum, Concilium in Papam jure agere posse, reum eum peragere, damnare, deponere, punire, alium sublegere. Quorum omnium in Iohanne XXIIII. Benedicto XIII. & Martino V. exempla ediderant, depositis illis duobus, electo tertio; Et sessiones sanè utræque ab eadem

An. 1438.

Platina in Pio 2.

An. 1463.

dem authoritate, ab eodem spiritu. Sed angit illos, quod rogati de Martini, Eugenij & aliorum vocatione, quo se vertant nesciunt, quæ solâ hujus Concilij & Basiliensis decisione niti possit. Et hîc Sylvio ante oculos reponere possemus, quæ de hoc Concilio deque Basiliensi protulit; non adolescens quidem, ut ait, sed adultus, sed perfectâ ætate, sed dignitatibus præcipuis ornatus: *Ubinam gentium talis Patrum est chorus, ubi tantum scientiæ lumen? ubi prudentia? ubi bonitas est, quæ horum Patrum æquari virtutibus queat? O integerrimam fraternitatem, ô verū orbis terræ Senatum, &c.* Ut hæc honestè jam diffiteri non liceat, sed ut alius est rationis, alius affectus oculus, ita sanè aliud integræ mentis, aliud cupiditate corruptæ judicium, aliud inquam Sylvij in illo, quem nobis describit, amplissimo cœtu sedentis, aliud Pij 2. ex illâ contagiosâ cathedrâ jura dantis. Et ille quidem de expeditione Asiæ contrà Turcas in Mantuano congressu sermonem injecerat, quo undequaq; Principum Legati confluxerant, eoq; prætextu decimam universo Clero imposuerat, ex ipsis etiam Curiæ Romanæ emolumentis percipiendam: Sed effectu frustratur, fortè quod apud Principes, qui plus poterant, plus æquo sibi arrogabat: Stella enim, *pro augmento majestatis Pontificiæ*, inquit, *neque Reges aut Duces, populos aut tyrannos ullos formidavit, imò si quos delinquentes vidisset*, id est, non usquequaq; suo desiderio obtemperantes, *& bello & censuris tam diu persequebatur, quousque ad sanitatem redisse agnovisset. Et propterea Ludovico Francorum Regi adversarius extitit, qui libertatem Ecclesiæ in suo regno imminuere tentâret, Borsio Estensi cognominato, eò quod Sigismundo Malatestæ & rebus Gallicis contrà Ferdinandum faveret. Sigismundum Austriæ Ducem, quòd in Cardinalem ad vincula Petri animadvertisset, diris execrationibus persequutus est. Moguntinum etiam Antistitem malè de Ecclesiâ Romanâ sentientem, sede dejecit, & alterum ejus loco suffecit; Beneventanum quoq; Archiepiscopum contrà ejus voluntatem res novas molientem & Beneventum Gallis prodere volentem Archiepiscopatu summovit, multasque Campaniæ urbes in potestatem Ecclesiæ redegit.* Nec reticet Historia, Neapolitanum regnum Ferdinando confirmasse, revocatâ Calixti III. Bullâ, idque in favorem conjugij Antonij Picolvominij nepotis, cum sorore uxoris Ferdinandi, cui pro dote Comitatus Maldeburgensis & Celanus: Quâ occasione Gallorum nostrorum jura oppugnare cœpit. Addit Monstreletus vulgò creditum: *Ferdinandum maximam auri vim Pio dedisse, partim ut absolveretur à suis sceleribus, partim ut pacatè regno potiretur.* Sed non alibi ejus ambitio sese prodat magis quam in Epistolâ 396. in quâ imperium Græcorum Mahumecti Regi Turcorum offert & pollicetur, modo Christianus fiat, & laboranti Ecclesiæ succurrat, nempe factionis suæ adstipuletur, quò Christianum orbem faciliùs discerpat, quem perpetuis bellis distinebat, ausus ei persuadere, imperium illud à se pendere, ejus beneficium & donum esse, sicque Germanicum antecessores suos Carolo Magno donâsse. Videtur etiam ei adscribenda pompa illa extrà ordinem, *Festo*, quod vocant *corporis Christi*, exhibêri solita: Quod enim vulgo jactatur de æde D. Petri, superstitioni Romanæ apprimè quadrat, quæ nunquam ad fastigium perducitur. Antoninus Campanus certè Aretinus Episcopus, in Pij vitâ: *Viterbij Festum Eucharistiæ peregit insolito apparatu; stratâ undique sagis purpureis urbe, velataque linteis, quibus aureæ stellæ veluti cœlesti globo interlucebant, ut excluso cœlo inter flores ad digiti crassitudinem, & diversi generis cantus, supplicatio procederet. Silvestres etiam homines hæderâ vestiti cum leonibus atque ursis congredi videbantur artificio mirabili, &c. Stravitque omnem Templi ambitum purpura.* Is ipse quoque Catharinam Senensem in sanctas retulit. Notat inter ejus Apophtegmata

Bulla quæ incipit. Quoniam ut proximè in summâ Constitution. Iohannes Stella in Pio 2.

Monstrelet. Vol. 3.

mata Platina: *Sacerdotibus magnâ ratione sublatas nuptias, majori restituendas vidêri.* Quod Onuphrius pro suâ bonâ fide erasit, & post eum alij: sed in primâ Platinæ editione Iohannis Coloniensis anno 1479. habetur, & in pluribus alijs: Ut à multis collaudetur. Volaterranus sanè immodicâ ambitione omnes ejus virtutes contaminatas scribit: Epitaphium ejus Kliberius,

Frigida membra Pij retinet lapis iste loquacis
Qui pacem moriens attulit Italiæ, &c.
Vendiderat pretio Gentes & crimina multa
Virtutis specie gesserat ille Pius &c.

Mox verò rationem subjungit: *nam scelus orbis erat.*

Iam successor ei creatur anno 1494. Petrus Barbo Venetus, Eugenij ex sorore nepos, qui Paulus II. Is Pontificatum vix ingressus, beneficiorum scilicet à Pio II. acceptorum memor Abbreviatores omnes ab eo creatos ablegat; & inauditos, & ignorantiæ prætextu, quos Pius doctrinæ ergò ex diversis mundi oris acciverat, nulla refusâ pecuniâ munere suo purè privatos. Tentavêre nonnulli per libellum supplicem eum adîre, causam suam auditoribus Rotæ committi postulantes, & Platina quidem, qui in his erat, verba faciente: sed respondet ille: *Ita nos*, inquit, *ad judices revocas, ac si nescires omnia jura in scrinio pectoris nostri collocata esse: Sic stat sententia, loco cedant omnes, eant quo volunt, nihil eos moror, Pontifex sum, mihique licet pro arbitrio animi aliorum acta & rescindere & approbare.* Pius II. qui universam Ecclesiam ad unum hominem revocavit, illi etiam, qui Scripturam sacram ei subjiciunt, in quemcumque placuerit sensum contorquendam, videant in quod periculum nos conjiciant, cum isti homines pro libidine sese mutuò destruunt, ut eos studium aut odium rapit, divina & humana pariter evertunt. Urgent tamen illi, saltem audiantur, interdiu, noctu, repulsique ad Epistolam confugiunt: *Rejecti à te, ac tam insigni contumeliâ affecti, dilabemur passim ad Reges, ad Principes, eosque adhortabimur, ut tibi Concilium indicant, in quo potissimum rationem reddere cogaris, cur nos legitimâ possessione spoliaveris*; Et hanc Platina ipse & scripserat & subsignârat. At is illicò in carcerem conjicitur, in numellas compingitur, læsæ majestatis reus peragitur, ut qui famosum libellum seminarit, & *Concilij mentionem fecerit.* Excipit Platina, libelli famosi id proprium ut anonymus sit, huic se contra nomen suum apposuisse; Quod Concilij meminisse dicebatur, id se crimen non existimasse, cum Concilia ab omni ævo Sancti Patres instituerint, ut olim apud Romanos Censuram, ne injuria alicui fieret: At verò eò arctius & asperius habêtur, donec post quatuor menses Cardinalis Gonsagæ rogatu eâ lege liberatur, ut urbe excedere non liceat: Rivalem Paulus habuerat sub Eugenio, dum in minoribus esset, Cardinalem Aloisium Patavinum, cujus gratia eum urebat. Moritur ille magnis opibus relictis, quas Scarampis fratribus, ipso consentiente testamento donat: Has sibi ipse vindicat & Scarampos retinet, usque dum quę Florentiâ translata fuerant, Romam retulerint; Ex privatis hisce actionibus de hominis conscientiâ feratur judicium, à cujus arbitrio Rempublicam pendêre velint. Iacobus Piccininus insignis belli Dux, Ferdinandum Regem, necnon & Paulum ipsum in officio continebat; Franciscus Sfortia Mediolani Dux Iacobi socer eum Regi mittit, fide datâ, se quoties vellet, incolumem redditurum. Hunc Ferdinandus in carcerem cum filio conjectum paulo post necat: *figmento adhibito, quod in carcere ipso decidens, crus fregisset, dum redeuntes ab Ischia triremes Regis de Gallis victrices, studiosius quam cautius per fenestram inspiceret:* creditum à nonnullus id prius à Paulo sci-

Platina in Paul. 2.

ſcitum, *cum illis diebus Archiepiſcopus Mediolanenſis à Pontifice ad Regem, & à Rege ad Pontificem frequenter commearet; Paulusque ipſe diceret, auditâ hominis captivitate, Appellationum judicem è medio ſublatum eſſe.* Aliquantò poſt in animum induxit, Callimachum quendam Romanum contrà ſe conſpiraſſe; Tunc igitur obvium quemque pro libidine in carcerem rapit, eo ardentius, quod Lucam Tortium nobilem Romanum Neapoli exulantem, cum copijs in vicina conſpectum ferebant; & verò Platina ipſe, quæ ejus felicitas, in mentem ei redit, quem comprehenſum eculeo mox imponi jubet; Licet autem paucis poſt diebus, Lucam illum ne pedem quidem moviſſe intelligat, & conjurationem omnino vanam eſſe non dubitet: *Subeſſe tamen aliquam latentem cauſam videri vult, ne levitatis arguatur.* Quare multi inter ipſa tormenta animum exhalant, melioris notæ viri, quorum Author & nomina & munia deſignat; Intra duos dies ad viginti quæſtioni ſubjecti ad extremum uſque; Platina in his: *dum penderem*, inquit, *miſer in his cruciatibus, ſpoliatus & laceratus tanquam graſſator & latro, Vianenſius, monilia Sangæ Clugienſis attrectans, hominem rogabat, à quâ puellâ donum amoris habuiſſet. Sedet tanquam alter Minos ſtratis tapetibus ac ſi in nuptiis eſſet, vel potius in cœnâ Atrei & Tantali. De amoribus locutus ad me converſus inſtabat, ut ſeriem conjurationis vel fabulæ potius à Calimacho confictæ explicarem.* Adverte hìc in tam ſevero Actu hominis gravitatem, Eccleſiaſtici præſertim: *quem ſacri Canones vetant de Laicis quæſtionem habêre, ne ſi mors ſubſequatur, irregularis & impius habeatur.* Rogat ille ante omnia, an Imperatori ſcripſerit, an Principi alicui, aut Schiſmatis excitandi aut Concilij promovendi causâ, (id enim cor ejus præcipuè rodebat) & identidem tormenta repetit. Tandem pertæſus quod exquiſitis tormentis nihil conſequeretur, per Chriſtophorum Veronenſem Medicum indicari miſeris jubet: bono animo ſint, ſtatim enim liberatum iri: qui tamen ut ingenuus erat, candidè ſignificat præſentibus multis, *non ita cito fieri poſſe, ne levitatis & ſævitiæ argueretur Pontifex, quod illos quos tanto tumultu concitato cepiſſet ac torſiſſet, ſtatim veluti innoxios dimitteret.* Teritur igitur tempus, dum nihil temerè feciſſe videri vult: Interea verò eos ipſe in arce inviſit, & cum cæteræ accuſationes fruſtra eſſent, hæreſim imputat, de immortalitate animæ ex opinione Platonis diſputaſſe, quam Auguſtinus Chriſtianæ ſimillimam dicebat: Academiam verò antiquam, novâ improbatâ, laudantibus *hæreticos pronuntiavit eos, qui nomen Academiæ vel ſerio vel joco deinceps commemorarent.* Quare nì Lælius de Valle civis Romanus & Advocatus Conſiſtorialis cauſam eorum ſuſcepiſſet, hæreſeos pœnâ mulctabantur: Tandem Cardinalium precibus fatigatus liberat eos quidem, ſed ita ut perpetuò eorum veſtigijs immineat, ne ſe verè liberos niſi poſt ejus mortem arbitrentur. Quia quidem per apoplexiam opprimitur, cum Iubileum vigeſimo quinto quoque anno celebrandum ſanxiſſet, quem anno 1475. non ſine ingentis lucri ſpe animo præripiebat. Sunt qui dicant à Diabolo noctu *in ipſo venereo actu ſtrangulatum*: Notat verò Platina: *Humanitatis ſtudia ita oderat, & contemnebat ut ejus ſtudioſos uno nomine hæreticos appellaret: Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in ſtudiis literarum paterentur, ſatis eſſe ſi legere & ſcribere didiciſſent.* Ideo Genebrardus *eum virtutis & literarum inimicum* vocat. Veritus haud dubiè ne reſtitutæ ſemel bonæ literæ abuſus ſub ignorantiæ caligine latitantes detegerent; Et hæc abundè ſufficiunt unde & conſcientiam & ſcientiam ejus cognoſcamus. Cæterum omnia univerſim officia ejus tempore venalia, nec Epiſcopatus conferre ſolitus, niſi ijs, qui alia officia poſſidebant, ex quorum venditione, pecuniam ſibi donandam compararent; Ut & idem ipſe

Gaſpar. Peucerus.

Chronic. Genebr. part. 2.

ipse Bullam *de casibus Pontifici reservandis* latè extendit, ut sibi corradendorum undique nummorum eo ampliorem prætextum reservaret: Quod memoriâ dignum fecisse dicitur ad Ecclesiæ utilitatem, quocumque pretio exquisitissimas gemmas coemit, unde Tiaram Papalem adornaret, *eo apparatu inspici ab omnibus volebat & admirâri, hanc ob rem nonnunquam peregrinos in urbe retinebat intermissâ ostendendi Sudarij consuetudine, quo à pluribus eodem tempore cerneretur. Prætereà publico Decreto mandavit, propositâ pœnâ, ne quisquam birreto coccinea præter Cardinales ferret: quibus etiam primo Pontificatus sui anno, pannum ejusdem coloris dono dedit, quo equos & mulas tegerent, dum equitant*; nempe, ut tandem Ecclesia Romana ad perfectam Meretricis illius similitudinem perducatur, quæ nobis in Apocalypsi describitur: Platina sanè de Paulo in Hadriano primò: *Adeò his muliebribus delinimentis delectatus est, conquisitis undique magno pretio gemmis, & exhausto pane, Ecclesiæ Romanæ ærario, ut quotiescumque in publicum prodiret, Cybeles quædam Phrygia & turrita, non mitrâta videretur. Hinc ego ortam tum sudore præpinguis corporis, tum gemmarum pondere, apoplexiam illam puto, quâ correptus subito morbo interijt.* Quod & Leoni Augusto Constantini Copronymi filio olim accidisse antè notârat. Verùm, Onuphrius hæc omnia erasit, quæ in vetustioribus Editionibus totidem verbis leguntur. Nec dissimilia apud Iacob. Cardinalem Papiensem lib. Commentarior. secundo. Et hîc Platina historiæ Pontificiæ finem facit: Extat de Paulo Iohannis Pannonij Episcopi & Poetæ coætanei Epigramma.

Bulla cujus initium, Ineffabilis providĕtia, in summa Constitut.

Platina in Hadriano primo, in vetustioribus Editionibus. Vide eam quæ prima omnium prodiit. Coloniæ An. 1479. Typis Iohannis de Colonia & Iohannis Martien de Gheretzem.

Pontificis Pauli testes ne Roma requiras,
Filia quam genuit sat docet esse marem.

Et verò Stephanus Orichonius Rusiæ Episcopus Author, cum illam omnes pro ejus filiâ haberent detestatum sæpius cœlibatum, ex quo fiebat ut quam legitimè genuisse potuerat, non sine pudore conspicere posset; At quod pejus, non desunt qui eum & magiæ & præposteræ libidinis accusent: quod lubens hic omitto.

OPPOSITIO.

Pius II. uti vidimus, primus, eversis prioribus suis & melioribus scriptis, Papam suprà Concilium esse definivit, ab eoque ad Concilium appellare fas non esse, contrà Decretum tum Constantiense, tum Basiliense, quæ tam solenniter & deliberata fuerant, & promulgata: Sed enim non illicò ipsi creditum: Contrà Universitates pleræque, Parisiensis, Coloniensis, Pragensis, Cracoviensis, Oxoniensis & celebriores quæque orbis Christiani, Decreta illa mordicus retinuerunt; nec immeritò, quæ Bellarmino teste, mille Patrum suffragijs corroborata erant: inter quos Constantiæ 300. Episcopi: Basileæ, Pio II. teste, in ipsâ Retractatione, omnium Universitatum consilio, omnium qui publicè loquebantur applausu, Nicolai Panormitani inprimis & Ludovici Pontani: Qui, inquit, *duo orbis sydera, seu Pontificij juris, & totius civilis sapientiæ duo præcipua lumina & clarissima censebantur: Nec eo minus tamen dictis scriptisque Concilij gesta probabant, Eugenij facta damnabant, nec erat qui aut vellet, aut audêret dicta eorum refellere*; licet, quod ipse testatur, erga Eugenij personam bene affecti essent; Contra, inquit, *una omnium vox Concilium Eugenio præferebat, & adversus Concilij dignitatem mutîre aliquid hæresis crimen fuit.*

Æneas Sylvius in Bullâ Retractat.

Et sedentibus quidem Nicolao & Calixto, Germaniæ *neutralitate* Sylvij interventu

ventu sublata, cujus præmium Episcopatum primum, inde & Galerum acceperat, indignabantur Germani, quod conditiones, de quibus cum Imperatore convenerat, minus observarentur: Quare Dietheri Archiepiscopi Moguntini authoritate & ductu *Pragmaticam* quandam *sanctionem* instituerant, quâ adversus Ecclesiæ Romanæ gravamina sibi prospecturi, partim de Prælatorum electione, beneficiorum collatione, causarum auditione, indulgentiarum concessione, Decimarum exactione, similibusque decernebant; Partim etiam appellationis viâ, contrâ Papam, si quid in se statueret, sibi consulebant; & porrò hoc consilium arcto Principum fœdere communierant. Hinc est quod Sylvius, in Epistolâ *de moribus Germanorum*, tam vehementer commovêtur, quâ Martino Mayero Archiepiscopi Moguntini Cancellario respondet; Cardinalis quippe Senensis nuper admodum creatus. Erat Mayerus ille, vir eo seculo insignis, vel ipsius Sylvij testimonio; & heri nomine conquestus erat: Quod Decreta Constantiæ & Basileæ edita non custodirentur: Quòd Calixtus, quasi pactionibus prædecessoris non teneretur, Germaniam exhauriret, Prælatorum electionem identidem rejiceret, beneficia & dignitates cujuscumque generis, Cardinalibus & Protonotarijs suis reservaret: Namque, dicebat ille: *Expectativæ gratiæ sine numero conceduntur; Annatæ sive medij fructus, absque ullâ temporis dilatione exiguntur, & plus etiam quàm debeatur extorquêri palam est: Ecclesiarum regimina non magis merenti, sed plus offerenti committuntur, ad corradendas pecunias novæ indulgentiæ in dies conceduntur: Decimarum exactiones inconsultis Prælatis nostris, Turcorum causâ fieri jubentur. Causæ quæ tractandæ terminandæque in partibus fuerant, ad Apostolicum tribunal indistinctè trahuntur, excogitantur mille modi, quibus Romana Sedes aurum ex nobis tanquam ex Barbaris, subtili extrahat ingenio. Et tu quidem ad tres provincias Theutonici nominis, sub eâ formulâ reservationem impetrasti, quæ hactenus insolita est & inaudita.* Quod quidem jugum Principibus ex somno expergefactis excutere ratum dicebat, libertatemque pristinam vindicare, non sine insigni Curiæ Romanæ damno: Quare, novam licet dignitatem ei gratulatus, hæc tamen mala in sua tempora incidere ægrè fert, quibus, ut tempestivè medelam procuret seriò hortatur. *Sed*, inquit, *Dei fortasse alia est cogitatio, & illius profecto sententia obtinebit:* In his pauculis verbis plura, quàm exprimat nobis cogitanda proponens: Quid igitur hic novus Cardinalis? stilum protinus mutasse videas, quandoquidem amico amicè scribenti ab ipso limine stomachabundus *amara*, inquit, *& rancida quædam scriptis admisces tuis*; adeò jam depravatus ejus gustus, inde verò nihil tam injustum, quod non tueatur, nihil tam absurdum quod non effutiat, Papalem tyrannidem ex his ipsis locis stabilîre non veritus, quos ante pravè detortos convicerat: Nihil illi denique Pragmaticâ Sanctione execrabilius, quam sacram ante & Canonicam pronuntiârat; & verò Germanis nimias divitias exprobrat, ingratum in primis erga Ecclesiam Romanam animum, quæ ex Ethnicis Christianos, & Barbaris Latinos eos fecerat; Cum sanè Germani Ecclesias Christianas habêrent, quas Irenæus ab eximiâ constantiâ commendat, antequam Romæ Papæ nomen innotesceret, ubi, qui Ecclesiã regebant, Presbyteri tantùm vocabantur: Verùm, non illi animus altiùs rem repetere, cum in suâ illâ dissertatione reticêre non potuerit, *ante Concilium Nicænum sibi quemque vixisse*, id est, suam quemque Ecclesiam inconsultâ Româ rexisse, *magno*, inquit, *Ecclesiæ incommodo*: qui contrà addidisse debuerat ex illius Concilij statuto, Romanum Episcopum in suburbicarias tantùm Ecclesias, id est, convicinas jus habuisse.

Flo-

Florêbat hoc ipso tempore Gregorius Heimburgensis juris Civilis & Canonici doctor, magni tum nominis, etiam Venetijs, Sylvio teste, *inter Germanos facilè princeps*; & is contra primatum Pontificis stilum exercuit. Papatum ingressus Pius Sigismundum Ducem Austriæ excommunicaverat, quòd Legati sui petulantiam ferre non potuisset, Authore Heimburgensi Concilium appellat, appellationemque Romæ promulgat: cujus, quia authorem Heimburgensem esse Pius intelligit, ipsum continuo eodem anathemate involvit: Quia verò Norimbergæ habitabat, urbis ipsius Syndicum agens, Burgimagistro & Senatui Epistolam scribit, in quâ hanc à Papa ad Concilium appellandi formulam, *novam hæresim & inspirationem Diabolicam* appellat, *cum per ludibria frivolarum appellationum ad futurum Concilium, ceu ad id, quod nusquam est provocant*; quodque constitutum illi & fugere omni ratione & impedire. Significat igitur se Heimburgium tanquam læsæ majestatis & hæreseos reum excommunicasse, mandatque eum, ut urbe expellant, bona mobilia & immobilia fisco addicant, & ei omnes pœnas in hæreticos constitutas infligant; At, ab hac rursum excommunicatione Heimburgius ad Concilium appellat quidem, sed in Bohemiam secedere cogitur, ubi, uxore ductâ, moram trahit; donec Dietherus Archiepiscopus Moguntinus ex familiâ Eisemburgicâ, à Pontifice vexatus, eum ad se vocat: Unde Dietherum illum ab ejus doctrinâ non abhorruisse colligamus. In appellatione sanè Sigismundi postquam causæ suæ æquitatem exposuit, iniquos contrà Pontificis ausus, non jam à Pontifice *malè informato ad melius informandum* appellat, quippe cujus aures sibi obstructas cognoscit, sed aut ad successorem, aut ad generale Concilium ex Decreto Constantiensi, Basiliensive celebrandum, ejusque defectu, ad Iesum Christum ipsum mundi Servatorem: At in suâ etiam ipsius a Pio II. demùm excommunicatus, idem protestatur quidem: sed prætereà Bullam examinans & literas, quas Norimbergensibus scripserat; *Salvator noster*, dicebat Pius, *Petrum Apostolorum Principem ad gubernationem Ecclesiæ substituit. Quis ignorat*, respondet Heimburgius, *omnibus Apostolis à Iesu esse præceptum, ut eant in orbem prædicaturi fidem, baptismum & salutem? Quis nescit passim omnibus esse promissum, ligatum esse in cœlis, quod ipsi ligârent in terris?* Quibus verbis Primatum apertè ademptum vult; In tantùm, inquit, *ut hodie Catholica exoret Ecclesia, sese per Apostolos ipsos continuâ protectione custodîri, quos Salvator ipse vicarios tanti operis constituit præesse pastores.* Et ideò, *quis dubitat Concilia sacra vicem Christi gerere, quæ & cœtui Apostolico successisse comprobantur? Siquidem orbis major est urbe.* Dicebat iterum Pius, *vanum esse ad Concilium provocare, quod non est, & quod supra Papam esse nequit.* Excipit ipse: *cœtus erat supra Petrum & sicut ad sedem Apostolicam vacantem appellari potest, sic ad Concilium, quod nondum est congregatum, ritè appellatur, &c. Hoc est servile servitium, quod à nobis exigit, non filialis reverentia, &c. Hæreticum me audet nuncupare, qui aio, Concilium orbis Christiani fore supra Papam: hæreticus est Papa qui contrariam sectam fovet, &c, Mandat bona mea confiscari, polliceturque eis, qui res meas invaserint, Catholicorum hominum operas impendisse. Maximè periculosum esset hoc verbum, nisi ipsius Papæ ineptia jam antea nobis comprobata esset, dum ipse incestuosos complexus, & vita honestati publicæ inimica, Mantuæ tam copiosè & loquaciter personavit.* Dicebat denique Pius: *Ecclesiam non esse congregatam*; Respondet, *idipsum factionibus suis impeditur & disturbatur. Apud me nulla mora, culpa nusquam, &c.* Respondit Papæ nomine Theodorus quidam Feltrensis Episcopus, accumulatis omnibus locis & rationibus, quibus Canonistæ plenitudinem illam potestatis, quam sibi Pontifices ar-

Æneas Sylvius Commentar. l. 3.

Wimphe in Prostesi ad illustres viros Germ. Trithemii Antilogia excusa Basileæ ann. 1551. ubi appellatio utraque. Krantzius L. 10. Wandal. c. 24. Epist. 400. ad Norimbergens. Trithem. Chronic. Vol. 2. sub annum 1460.

arrogant, propugnare soliti: Et hoc rursum Heimbergensis ejus scriptum sigillatim refutat, Apologiâ expressâ, contra *Detractiones & blasphemias Theodori.* In eâ præsertim exprobrat, Pium postquam Christianum orbem per Iubileum suum exhausit, in Concilio Mantuano ad ultimam usque guttulam expressurum, Turcici belli prætextu, novas exactiones cudere. Quòd verò ita sit, risisse eum cum suis Cardinalibus, cum ipse illis proponeret, ad tantum bellum, quanto apparatu opus esset; quippe qui aliud prorsus in mente haberet; Et hinc Pij in se iram, quam jam evomat; Quare, inquit: *Pecunia vestra sub velamento militaris expeditionis instaurandæ, in damnatum & scelestum usum convertetur, in subsidium Ferdinandi, ex damnato amplexu quondam Alfonsi Aragonum Regis concepti, contrà Renatum Siciliæ regni hæredem legitimum & inclytum Iohannem Calabriæ Ducem, Christianæ nobilitatis, ac militaris gloriæ decus ac ornamentum & exemplar inimitabile; Et idcircò dicit Papa Gregorium Hemburg ex Diabolo natum, quia non ex damnato, sed ex legitimo coitu est progenitus, quorum osor est Papa, fautor bastardorum, pro quibus longissimam ferè trium horarum & prolixam fecit orationem, dum Ferdinandi bastardi laudes Mantuæ personâret.* Ad quæstionem verò de Primatu Lectorem rogo Apologiam ipse consulat. In alio sane tractatu contra ipsum Primatum, Synagogam Romanam *Babylonem & Meretricem* vocat: Et postquam nullum ei in sacrâ Scripturâ fundamentum convicit, non etiam in scriptis Patrum, à merâ imò usurpatione hæc omnia esse, præter institutionem Christi, contrà utilitatem Ecclesiæ, tyrannidem tantam minimè ferendam pronuntiat, & unumquemque, ut in Apocalypsi præcipitur, ab eâ abscedere jubet: Quæ ut facilius dignoscatur, Christum cum Pontifice exquisitissimâ antithesi componit: unde Antichristus palam ostendatur. Accusat etiam Doctores, qui seu spe, seu metu erroribus ejus contradicere non ausi, silentio suo vires ei addunt, tandemque erumpens: *Liberius fuit*, inquit, *à multis annis de potestate Dei quàm Papæ prædicare vel disputare. Homines enim vino dictæ Meretricis inebriati, dulcedine mulieris tacti, adulantes sacram Scripturam exponunt, in confirmationem erroris contorquentes. Quod quia Imperatores, Reges, vel propter ignorantiam ex studij & scientiarum inadsuefactione provenientem, vel propter nimiam lasciviam mundanam eos occupantem videre non potuerunt, ad tantam servitutem deducti sunt, ut credere compellantur, fidem hanc esse de necessitate salutis: Papam scilicet habere tantam sibi à Christo collatam plenitudinem potestatis, ut possit omnia, quæ in terris sunt pro libitu voluntatis suæ disponere, nec quisquam audebit ei dicere, cur ita facis? cum etiam ipse Papa habeat Angelis imperare.* Ut hoc nostro seculo vix aliquid luculentius dici possit.

Gregor. Heimburg. in Tractat. de Primatu excuso Magdeburgi & in Antilogiâ, Basil. 1555. Item Francofurti apud Wolfang. Richesterum ann. 1607.

At ex Dietheri Moguntini controversiâ, in universo imperio turbæ: Canonicè ille à Canonicis electus fuerat, quin & à Pio ipso confirmatus; sed & in pallio emendo & in Annatis persolvendis paulo segnior: quod præcipuum, pecuniarum exactionibus, quas Pius, pij belli prætextu, moliebatur minus æquus videbâtur, unde, à Pio divexatus ad Concilium appellat; quem Germanorum opes, quàm fidei defensionem malle, dicit; Adde Pontifici jurâre detrectâsse, ipso inconsulto se nunquam Comitia electoresve Imperij convocaturum, seu de novo Imperatore eligendo, seu de Concilio impetrando, seu de aliquo graviori negotio agendum foret: Confirmatione igitur ejus revocatâ, Episcopatum in Adolfum Nassoviensem competitorem transfert: Dietherum excommunicat, Palatinumque ejus fautorem eadem pœnâ involvit: Hîc amici utrinque arma capere, Federicus cognomine Victor & Ludovicus Bavariæ Dux pro Diethero; Albertus Brandeburgensis Marchio, Carolus Marchio Badensis, Iohannes frater Episcopus Meten-

tensis, Ulricus Comes Virtemburgensis & Ludovicus Niger Bavarus pro Adolfo; Conseritur itaque prœlium, in quo pars Dietheri superior, capti à Palatino Principes plerique; Ac convenit tandem, ut Aldolfus loca, quæ interceperat, ad obitum usque retineret, Dietherus cætera pacatè possideret, Adolfo, si prædecederet etiam successurus: quod sexto post anno accidit; & hîc ex Pragmaticæ sanctionis eversione jam fructus, quam Ecclesiæ salutarem tantopere dicebat Pius. Krantzius in Saxon. l.12.c.1. Naucler. Vol.2. Gener.49.

Non magis probabatur Galliæ nostræ Pij II. Decretum, quàm Germaniæ; quin & eò minus, quod ipse, Ferdinando Alfonsi notho gratificaturus Francorum jus in regnum Neapolitanum, calcaverat. Mittit igitur Pius in Galliam Legatum abolendę Pragmaticæ Sanctioni, quæ in vim Basiliensis Concilij obtinebat, Regemque per literas his verbis compellat: *Si tu filius obedientiæ, Pragmaticam sanctionem cur tueris, cur defendis? Eugenius te monuit, ut eam abdicâres, quippe non secundum Deum. Idem Nicolaus & Calixtus, ut magni mali & discordiæ in Ecclesiâ causam; Et tamen vocem Ecclesiæ Romanæ nunquam audire voluisti.* Et his plusculum Rex commovebatur. At Senatus Parisiensis eum adit quantique id ad Rempublicam Christianam momenti seriò commonefacit, cum ex eo quatuor in primis incommoda certissimè consequantur. 1. *totius ordinis Ecclesiastici confusio.* 2. *subditorum regni depopulatio.* 3. *pecuniarum regni evacuatio.* 4. *Ecclesiarum ruina & totalis desolatio*: quæ sigillatim ab illis expenduntur. Habetur hæc commonefactio integra anno 1461. per Iohannem Cardinalem Atrebatemsem 89. Articulis comprehensa in operibus P. Pithæi, quam Lector videre ne gravetur. Ibi inter alia ex sacris Scripturis, Primitivæ Ecclesiæ praxi, Conciliorum Canonibus, Patrum decretis, Pontificum ipsorum scitis, Imperatorum Regumque Christianorum, nostrorum præsertim Placitis, electionem Episcoporum Antistitum, aliorumque Ecclesiæ Præsulum à Pontifice Romano neutiquam pendêre, nunquam pependisse edisserunt. Non eam mentem Carolo Magno, Ludovico Pio, Philippo Augusto, D. Ludovico, Carolo Sapienti, cæteris qui Canonicam Electionem perpetuò sanxerint: Ut quæ secus fiant à merâ usurpatione sint. Inde verò in expilationes & Nundinationes Curiæ Romanæ digrediuntur, quæ in solâ Galliâ ad innumeras auri myriadas excurrant, quarum ibi exempla proponunt, catalogum texunt, rationes subducunt: Quid enim ajunt, quod in unicâ Diœcesi, in uno anno sexcentæ numero gratiæ expectativæ repertæ sint? &c. Quare commotus Pius, quod Iacobus Papiensis Cardinalis Ludovico scribit: repulsæ impatiens exclamat: Guerra Guerra usque ad capillos. At, Regem negotijs variè implicitum gnarus, in proposito pergit; utque Principis ingenium exploratum habebat, molles ejus accessus cautè observat; *Sic Magnum Constantinum, sic duos Theodosios, sic Carolum Magnum, & plures alios ex suis progenitoribus immortale nomen, & inextinguibilem consecutos esse gloriam*; Pragmaticæ scilicet sanctionis abolitione: quo quid à vero alienius, quid proinde indignius. Præsertim verò, cum in plerisque, quasi per lasciviam adversa patri vestigia eum insistere intelligeret hac potissimum parte animum sibi placentem titillat. *Illud*, inquit, *inter cætera commendamus, & quod absque conventu & consultatione multorum Pragmaticam auferre constituisti: Sapis certè & Regem te magnum ostendis, qui non regaris sed regas, &c. Facis quæ te decent, qui sciens Pragmaticam esse absque Deo, eam de regno tuo eliminare decrevisti, nec vis in disceptationem ducere an fieri debeant, quæ tu ipse facienda novisti, hoc est, Regem esse & bonum regem, & quem boni ament, mali timeant, &c. Fac tuam sapien-*

Iacob. Cardin. Papiensis in Epistolis.

Æneas Sylvius Epist. 387. data Romæ 26. Octob. 1461.

pientiam sicut nos congnoscimus, ita & mundus omnis quam primùm cognoscat, neque aliquis dicere possit, diu noluit, quia diu deliberavit. Quod si Prælati tui & Universitas aliquid ex nobis desiderent, te mediatore ad nos recurrent; Nimirum si res in deliberationem veniret, non dubitans quin repulsam denuò pateretur. Addit verò, *nec dubitamus quin cum esses exul,* (irato scilicet Patre) *quodammodò à regno, tecum sæpe dixeris: O si paterno in solio aliquando sedeam, quanta faciam tibi Deus grata. Certè non patiar tuam hæreditatem Turcorum insaniâ laniari, &c.* At quid igitur inde colligit? *Nunc ostende te gratum divinæ bonitati, cum te filium Regem creaverit & regnum summâ cum gloriâ restituerit, & pro tantis beneficiis vicem repende, tolle, ut facturum Oratori nostro spopondisti, pragmaticam constitutionem, & hoc facto, quod non est difficile, erige te totum in auxilium Christianæ religionis contra Turcos, &c.* Adeò lex illa, quæ Canonicam Episcoporũ electionem & rapinarum Romanarum coercitionem unicè spectabat, pluris apud eum, quam belli Turcis inferendi aut consilium aut votum. Sic igitur Ludovicus eam abrogandam statuit, quæsito colore quod schismatis tempore publicata fuisset, quamquam, ut beneficium augeat, celatum minimè vult: *magno Prælatorum conventu conclusam fuisse, magnâ temporis deliberatione, & jam callo obducto quietum propè, fixisse statum.* Sed quorsum hoc negotium tam acriter persequeretur confestim apparuit: Cujus specimen nobis in literis Iacobi Cardinalis Papiensis ad Franciscum Spinolam: *Referebat Wilelmus Cardinalis Hostiensis ex consuetudine nostrâ de cœnobio Gallicano insigni opibus & religione. Relationis summa erat, Abbatem grandævum & effœtum viribus, administrationem cedere propter conscientiam, statuisse, eo quod inutilis jam esset: Episcopum porrò nescio quem, cujus Ecclesia longè ab illo esset, petere ut commendaretur sibi. Cœnobium, ut dixi, insigne erat, & multi in Galliâ nominis, nihil habens mali propter quod commendari haberetur opus: apparebat non propter desiderium boni operis, sed propter avaritiam peti. In dicendâ ergo sententiâ, Portuensis qui proximus Hostiensi erat: Vereor, inquit, beatissime Pontifex, ne propediem audiamus omnia Gallorum cænobia commendata esse, & nullum reliquum quod Abbatem suum habeat: ita quicquid ibi à nobis decernitur, commendatio est. Surget, nobis non expectantibus, aliquando regnum illud in nos, ferre non valens inutile ministerium nostrum & grande aliquod negotium sedi tuæ exhibebit. Approbavit judicium Pontifex & adjecit credere se à Pontificatu Calixti in eam diem, amplius quàm quingenta monasteria esse jam commendata;* scilicet nondum exactis novem annis, in cujus tamen Epitaphio inter ejus triumphos memoratur: *Pragmaticæ in Galliâ abrogatio.* Quare Pio mortuo, qui quatuor annorum spatio, quanta damna inde consequerentur satis docuerat, de pragmaticæ sanctionis abrogatione, querelæ ingeminantur, quâ occasione mandat Rex supremo Senatui earum causas scripto sibi explicet: quas ille in 86. capita redactas denuò tradit hoc titulo: *Pro libertate Ecclesiæ Gallicanæ, contra Curiam Romanam.* Capita 14. 15. 16. 17. 18. præcipua sunt his verbis: *Cum in sacrosanctis Synodis Constantiensi & Basiliensi multa Decreta essent, tum veteribus Canonibus, tum iis de quibus jam diximus constitutionibus Regiis, consona: Carolus septimus Rex, præsente Rege, qui tum Delphinus nominabatur, proceribus etiam Regij sanguinis, Antistitibus, Collegiis tum Ecclesiasticis, tũ scholasticis præsentibus, præterea auditis oratoribus tam Pontificis Romani, quàm sacrosanctæ Synodi universalis, tandem ea Decreta accepit, & edicto suo confirmavit, quod vulgo Pragmaticam appellamus. Gestaque hæc sunt in civitate Biturigum anno 1438. Hæc igitur sanctio eo majoris authoritatis semper habita est, quòd à sacrosanctis Conciliis, quibus præerat Pontifex Romanus, aut legatus ejusdem, ortum habuerit. Nulla enim de iis rebus unquam fuerat lex in Franciâ ante id tempus lata, quæ ab*

Platina in Pio 2.

ab Ecclesiâ universali authoritatem & vires haberet. 16. *Ex eo tempore Regnum ipsum prosperiore fortunâ, Dei benignitate usum est, & in majore quam unquam antehac authoritate & gloriâ, ac etiam rerum omnium copiâ & abundantiâ fuit. Quanto autem fuerit hostibus terrori, Aquitania & Normania testantur, ex quibus locis expulsi dejectique sunt.* 17. *Ejus Sanctionis observatio ad tres & viginti annos stetit, agiturque nunc quadriennium ex quo ea in usu esse desiit. Ac interim præfecti sunt Ecclesiis, easque sine molestiâ & interpellatione rexerunt eximiæ probitatis, gravitatisque viri, quorum aliqui ob singularem vitæ sanctimoniam, jam fato functi, miraculis claruerunt, ut Michael Andegavensis Episcopus, Archiepiscopus Arelatensis, & alij quam plurimi.* 18. *Ex eorum Canonum, Decretorum, Constitutionum abrogatione, innumerabilia nascuntur incommoda, quæ ad quatuor genera posse referri videntur.* Illa eadem quæ in præcedente commonefactione recensebantur. Verùm, Rex perpetuis aut bellis, aut suspicionibus distentus, rem in Conventum generalem identidem rejiciebat. At, inquit Monstreletus, anno 1467. Pontifice nimirum Paulo II., cum literas suas mense Septembri Rex Legato ejus concessisset, ad Pragmaticæ abrogationem, quę nemine contradicente aut intercedente in Castelleto Parisiensi exhibitæ & publicatæ fuissent Octobri sequente. *M. Iohannes Balua,* (qui post Cardinalis) *aulam Palatij Regij Lutetiæ adit, ejusdem publicationem in Curiâ procuraturus. Ubi M. Iohannem de S. Romano Generalem Regis Procuratorem offendit, qui ejus executionem non sine magno Baluæ dolore præfractè impedivit. Minatur Balua Regem id æquo animo non laturum, a quo dignitate suâ privari periclitaretur. Sed hic minas aspernatus Posse Regem, respondet, sibi munus suum adimere: Ratum nihilominus sibi esse potiùs illud amittere, quàm ut contrà conscientiam inve Regis Regnique dedecus aut detrimentum, quidquam aut faceret aut pateretur: Erubescere verò illum debêre, qui tale negotium promovendum suscepisset. Accedit mox Rector cum suppositis Universitatis Legatum ipsum, ab eoque & Bullæ suæ effectu ad Concilium & quocumque visum fuerit appellant: Castelletum etiam ingrediuntur, ubi Intercessionem suam in Acta referri postulant.* Quæ ipsa Monstreleti verba; ut non omittamus Baluam illum ex Ebroicensi Episcopo Cardinalem factum non multò post proditionis in Regem Regnumque convictum. Anno verò sequente cum quidam M. Iohannes Lorius certis quibusdam Papæ Bullis subnixus, Officialij Vesuntinij authoritate usus, urbem & diœcesim Nivernensem interdicto subjecisset; Decernit Senatus 12. Decembris petente Procuratore Regio & M. Petro Chartreo Theologiæ Professore in Universitate Parisiensi: Uti nil obstante interdicto officium sacrum continuetur, ad idque Ecclesiastici compellantur, manu Regiâ in temporalia sua injectâ: Uti etiam Lorius & Officialis ille comprehendantur, suisque impensis Bullarum abrogationem procurare teneantur.

Monstrelet és Chronologiques.

Nec verò deerant ubique, qui in mediâ tyrannide gemitus suos etiam coram Pontificibus effunderent; Dominicus Brixiæ in Italiâ Episcopus, Pio 2. Tractatū inscribit, cui Titulus, *Reformatio Curiæ Romanæ*, mollior quidem ut ferebant tempora, nec tamen interdum sine aculeo: *Si consideramus,* inquit, *Pontifices præcedentes & Acta eorum, ut si quod mali in ipsis fuit, non sit imitandum, deinde R. D. Cardinales, deinde Episcopos, Protonotarios, & alios Prælatos, Pœnitentiarios, Subdiaconos, Auditores, Clericos cameræ, acolytos, cubicularios, advocatos, procuratores & alios in diversis gradibus & officijs constitutos, plorabimus certè cum Ierem. Thren. 4. Heu quàm obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarij, id est, Prælati in capitibus platearum, id est, latarum viarum, quæ scilicet ducunt ad perditionem, in quarum capite sunt, ut Gregorius exponit, Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore,*

ebore, antiquo saphiro pulchriores erant Nazaræi ejus, sed nunc facies eorum super carbonem denigrata est, & non sunt cogniti, scilicet per bona, &c. Per hanc deformationem & labem Curialium & Clericorum, & maximè Prælatorum enervata videtur censura Ecclesiastica & diminuta obedientia. Quare hoc? nisi ob contemptam vitam & opera Prælatorum, quia videbantur quærere quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. At, *ista reformatio & correctio pertinet ad Papam, qui sicut caput aliorum eam debet agere, & eidem intendere. Sed qui alios corrigere vult, prius debet aspicere se & suos: Quia vita Pastoris exemplum est aliis: Et languente capite cætera membra inficiuntur: & vulnerato Pastore, quis curandis ovibus adhibet medicinam? Unde languente medico, dicetur ei, cura teipsum, &c.* Et huc plures Canones adducit. De Indulgentijs: *Quotiescumque,* inquit, *Papa exibat aliquo festo in publicum, dabatur indulgentia plenaria contrà consuetudinem antiquorum Pontificum. Cum tamen per indiscretas ac superfluas indulgentias claves Ecclesiæ contemnantur & pœnitentialis satisfactio enervetur. De pœnit. & remiss. c. Cum ex eo §. Ad hæc. Ex hac consideratione sequitur, quod circa dandas gratias expectativas major deberet haberi consideratio & non ita passim & indifferenter: Quia propter tantam multitudinem & confusionem utplurimùm beneficia conceduntur indignis & magna datur litium materia.* Item: *De malo exemplo & scandalo, quod præbent laicis & hujusmodi, videantur, quæ dicit beatus Bernardus in Sermone super Evangelio: Ego sum bonus Pastor.* Et quia prolixior est, Lector consulat librum ipsum, in quo omnes Ecclesiæ Romanæ corruptelas percurrit. Patavij docebat Antonius Rozellus, celebris juris Professor, qui in libro de *Monarchiâ*, Papam asserit non esse dominum mundi, non habere potestatem in Imperatorem, nullum gladium temporalem, authoritatem supra cæteros Episcopos nullam. Extant verò præterea ejusdem Tractatus *de potestate Imperiali & Papali, de utroque gladio, de Conciliorum authoritate* anno 1487. Venetijs excusi: Sed de ijs eradendis indices illi sui expurgatorii prospexere.

De censi. Rom. l. 6. Q. 7. cum Pastoris, 6. q. 1. ex merito 1. q. 1. Fertur ver. Hinc igitur.

Nec verebatur etiam Rodericus Sanchio Hispanus, Zamorensis Episcopus, Pauli II. Referendarius, in *speculo vitæ humanæ* profari: *Papam vacâre non sapientiæ, non laudatis studiis, non paci, non quieti Christiani populi, sed tantùm rebus terrenis, Prælatos nec docere nec posse docere, utpote indoctissimos, deditos ventri, & inguini;* alligare tamen miseris Christianis varia ac importabilia traditionum onera, quæ olim in primitivâ Ecclesiâ partim non fuerint, partim libera fuerint. *In primitivâ enim,* inquit, *Ecclesiâ non arctabantur fideles tot Canonum & Decretorum præceptis, censuris aut pœnis: Nec erant tunc, tot laquei legum & constitutionum, excommunicationum sive censurarum, à quibus fideles etiam diligentissimi & timorati respirare & præcavere non possunt. Non tot jejunia indicta, non vigiliæ, non silentia, non diuturna pariter & nocturna divina officia dietim ex præcepto dicenda. Non tot denique festa colenda, non tam crebra confessio, & corporis Christi communicatio, non tot obedientiarum præstationes, &c. ita ut rectè de Prælatis Ecclesiæ dici possit illud Christi, qui alligant onera importabilia, &c. Unde;* inquit, *si aliqua hujusmodi in illâ primitivâ Ecclesiâ servabantur, erat tantùm voluntatis, quæ pro tunc transgredi peccatum non erat, quia nondum prohibita.* Quamquam impurus ipse Pauli II. adulator eodem libro vomere non veritus: *Papam non ad humanum tantum Principatum institutum esse, sed ad divinum, non ad principandum solùm mortalibus, nec modo hominibus, sed Angelis, non ad judicandum vivos, sed mortuos, non in terrâ solùm, sed in cœlo, non ad præsidendum solis fidelibus, sed infidelibus. Ad eam ipsam dignitatem,* inquit, *ad eandem jurisdictionem & coactionem, & universalem toto orbe principatum.* Adeò ut locos ei Prophetarum & Psalmorum accommodare non verecundetur quos Spiritus Sanctus de unico Dei Filio dictos

Roderic. Zamarens. in speculo vitæ humanæ excuso Argentorati apud Iohann. Pris. Ann. 1507.

Idem cap. 2. l. 2.

dictos voluit, eumque altissimè extollere supra *Balbutientem illum Mosem simul & Aaronem ejus fratrem.* Ut ex eodem ore adulatio & veritas contraria fundant. In Germaniâ Hermanus Ried *de honestate Clericorum* librum tum scripsit, in quo quales Clerici esse debeant, qualesque sint exponens, ex utriusque comparatione suorum temporum labem coarguit: *Multi,* inquit, *reperiuntur Clerici, qui rationibus & sententiis Patrum non vincuntur, sacram Scripturam non recipiunt, & sanctorum Patrum Canones vilipendunt. Hi sunt qui viros intelligentes ac Catholicos gravitatem criminum Clericorum pensantes, ac contra eorum perfidiam vigilanter clamare nitentes, exosos habent & derident, imò fantasticos ac pacis turbatores ac erroneas conscientias habentes, asserunt, &c. Sicque verificatur illud Hieronymi: Nulla in mundo tam crudelis bestia est, quemadmodum Clericus vel Sacerdos malus: nam corrigi non patitur, nec veritatem unquam audire potest, &c. Tales & hujusmodi sic vivere permittuntur publicè ab eorum Praelatis, solùm quod omni anno porrigant certam quotam pecuniarum Officialibus eorum. Caeterùm, quot Simoniaci publici? in tantùm etiam quod ipsam Simoniam celare non potentes, pro subterfugio fingunt alios terminos Simoniam exprimentes, sperantes hoc nomine, Simonia, non audito, ipsam Simoniam considerari non posse: dicentes, Ordinatio Ecclesiae est, aut statutum. Alij subtilius evadere conantes, dicunt, Papam facere de plenitudine potestatis, qui in talibus potest dispensare, admittere & ordinare, cum Simonia sit, quia prohibita & tunc peccatum. Papa autem prohibente, aut alia statuente ac ordinante, cessat tale dictum: quod valdè est erroneum asserere. Nunquam fuit ab initio mundi usque ad nunc in tanto periculo Ecclesiasticus status sicut in praesentiarum cernitur. Fuerunt benè majores persecutiones ac vexationes Ecclesiae, sed tunc semper affuerunt viri sancti & devoti, qui gratiâ spiritus sancti praediti, fideles consolabantur, erudientes & confortantes. Modò autem videtur Ecclesia in securitate posita, sed de talibus sanctis viris nullibi percipitur. Ideo Ecclesia in fidelibus & regnis quotidie decrescit, in personis proprijs tabescit, non obstante quacumque libertate: Prius autem, cum libertas non tanta fuit, sed dictis sanctis viris provisa Ecclesia, quotidie crevit & augmentabatur, ut volens scrutari historias apertè videbit. Ista partim notavit B. Bernardus tempore suo Sermone 24, & in Psalm. 72. Ministri sunt Christi, & serviunt Antichristo.* Qui loci quia supra à nobis adducti, non est quod Lectorem ijs oneremus.

Herman. Ried. de vitâ & honestate Clericorũ.

Hieron. de normâ vivendi c. 5.

In Galliâ Stephanus Brulifer Sorbonae Doctor ex Ordine Franciscanorum, cujus libri Lutetiae excusi, Basileae etiam anno 1500. & 1501. publicè docebat, in lectionibus, disputationibus, scriptionibus: neque Papam, neque Concilium, neque Ecclesiam articulum, statutum, ritum praescribere posse, quo Christiani conscientia ligetur; in eo suam potestatem positam tantum, ut praecepta Dei custodiri curent, verbum ejus praedicent, Sacramenta ab eo instituta ita administrent, nequid praeter ejus mandatum inducatur caveant. De justificatione, meritis quae tribuitur, diabolicam doctrinam esse: cum Agnus immolatus, pro nobis Dei justitiae satisfecerit, de quo Iohannes clamat: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Sorbona verò cùm illum ferre non posset, Dietheri Archiepiscopi Moguntini tutelae sese commisit. At quid nobis hic Platina, famosus ille Pontificum historiographus, non utique, ubi de Paulo II. hero suo agit quod odio fortè tribueretur, sed de Pontificibus alijs, de Ecclesiâ sui temporis, extra aestum planè. In vitâ Marcelini Papae, quo loco de Diocletiani persecutione: *Hanc calamitatem, quam nostri passi sunt, a Deo permissam refert Eusebius, propter corruptos nimiâ libertate & indulgentiâ Christianorum mores, maximè verò Ecclesiasticorum, quorum perversitatem divina justitia fraenare hac persecutione instituit, dum simulationem in vultu, dolum in corde, fallaciam*

Stephan. Brulifer de timore servili de pauperitate Christi cum sermonibus variis apud Andream Bocord. Paris. ann. 1500. Idem in 4. lib. sentent. Bonavent. Basil. per Iacob. de pfortzeim 1501.

Platina in Marcelino.

ciam in eorum verbis cerneret. Hi enim livore, superbiâ, inimicitijs, odijs inter se certantes, tyrannidem potius, quam sacerdotium sapere videbantur, Christianæ pietatis omnino obliti, ac divina mysteria profanantes potius quàm celebrantes. Sed quid futurum nostrâ ætate arbitramur? quia vitia nostra eò crevêre, ut vix apud Deum misericordiæ locum nobis reliquerint. Quanta sit avaritia Sacerdotum & eorum maximè qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia, & desidia, quanta ignoratio tum sui ipsius, tùm doctrinæ Christianæ, quàm parva religio, & simulata potius quàm vera, quàm corrupti mores, vel in profanis etiam hominibus (quos seculares vocant) detestandi, non attinet dicere: cum ipsi ita apertè & palam peccent, ac si inde laudem quærerent. Veniet (credite mihi) veniet Turcus hostis Christiani nominis, Diocletiano & Maximiano violentior: Italiæ claustra jam pulsat: Nos desides & somniculosi interitum communem expectamus, voluptati privatæ potius, quàm communi utilitati consulentes. In vitâ etiam Stephani III. *Nunc, adeò refrixit pietas & religio, non dico nudis pedibus, sed caligati & cothurnati vix supplicâre dignantur;* De quadam processione à Laterano ad Ædem Petri: *Non flent inter eundem, vel dum sacrificatur, ut illi sancti patres, sed rident & quidem impudenter: de his etiam loquor, quos purpura insigniores facit, non hymnos canunt, id enim servile videtur, sed jocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? quo quis dicacior est & petulantior, eo majorem in tàm corruptis moribus laudem meretur. Severos & graves viros reformidat hic noster Clerus. Quid ita? quia in tantâ licentiâ malunt vivere, quàm benè monenti aut cogenti obtemperare, & ob eam rem Christiana religio quotidie in pejus labitur.* Consimiles loci passim occurrunt, quibus, de ætate suâ quid sentiat, consignatum relinquit; id minus ausus, cum vitam Pontificum sui temporis describit, qui *creaturas* suas, ut loquuntur, reliquerant, à quibus injuriam accipere potuisset. Addamus Antonium de Rosellis Hetruscum, celebrem Iuris utriusque Doctorem, qui libris in eam rem disertis, Papę omnem jurisdictionem temporalem adimit: Spiritualem ipsam Concilio subjicit: qui Venetijs anno 1487. excusi: sed de ijs eradendis, Indices illi sui Expurgatorij prospexêre.

Platina in Stephano 3.

Restant qui aperto ore loquebantur, discessione à Pontifice factâ. Author Platina in vitâ Pauli II. in Æquicolis in oppido Pola detectos plures hæreticos, dominumque loci cum octo viris & sex fœminis comprehensum, quos ad se adductos Paulus summâ ignominiâ affecerit. En verò tibi hæresim: *Erant*, inquit, *ejus sectæ, quam à perversâ mentis opinione esse dicimus, quod dicerent nullum merè Christi vicarium esse eorum, qui post Petrum fuêre, nisi qui paupertatem Christi imitati sunt.* Advertat Lector stilum Platinæ, qui ex alieno judicio se loqui ostendit. Ad Bohemos verò quod attinet, ineunte Pontificatum Pio II. prodit eorum Apologia, & fidei confessio contrà calumnias, quibus apud populum traducebantur, quæ prolixiores, quàm ut hîc inserantur: Consonant sanè illæ Ecclesiarum hujus regni doctrinæ, & ijsdem tum S. Scripturarum, tum Patrum locis subnituntur. Sed commodè illis accidit, quod post varias ærumnas in Regem eligitur, unanimi Ordinum consensu, Georgius Prodebraccius bellicâ laude insignis, purioris religionis professor, qui labefactatum illorum statum, Imperatoris & Pontificis minas nihil moratus, restituit, constanterque ipse perseverans à Paulo II. excommunicatur, primoque occupaturo exponitur. Suscepit hanc provinciam Matthias Rex Hungariæ instigante Rodolfo Pontificis Legato, adstipulante Friderico III. Cæsare, nec non faventibus proceribus regni nonnullis: Sed post multa prælia variam fortunam expertus, id perficere non potuit: Interim verò fortissimus ille

ille Dux à bello in Turcas necessario, quod prosperè gerebat, distrahitur, ingrati animi accusatus, quòd Georgium aggressus esset, cui præclaro beneficio devinctus erat; quippe quem nullo pretio redemptum, generosè liberum dimisisset, datâ etiam ei in uxorem filiâ, cum in Regem Hungariæ delectus esset: In cujus facti odium Georgio etiam mortuo, cum Matthias à Pontifice Rex diceretur, Ordines Regni Bohemici nunquam assensum præbere voluerunt, Vladislaumque Casimiri Regis Poloniæ filium prætulerunt: qui, à Papa licet in Georgium sæpius existimulatus, nunquam in eum arma sumere sustinuit, Catholicæ fidei prætextu mutuam inter se fidem lædere, indignum arbitratus. Et hæc ad annuum usque circitur 1470.

PROGRESSUS.

IAm, videantur Pontifices ad eum seu impietatis, seu tyrannidis gradum pervenisse, cui nihil amplius addi possit; Et tamen in his, quę sequentur, rationem illos invenisse animadvertemus, quâ & fastigium & pinnulas ipsas huic ædificio imponerent; Vix credibile, nobis præsertim dicentibus, ni suos ipsorum authores testes haberemus. Imponitur Papali Cathedræ anno 1471. Franciscus de Rovere Savonensis, Franciscanorum Generalis, is Sixtus IIII. Huic perhibet testimoniū Onuphrius, quod propter eximiam doctrinam, dum Cardinalis vixit, omnes de fide quæstiones ei committebantur: Ubi advertat ex sequentibus Lector, à cujus fide fides illa sua Catholica penderet; Et primo quidem impetu, Concilium Laterani indicturus videbatur, cui prætextus duplex; Reformatio Ecclesiæ, bellum Sacrum; plausibilis uterque seu compescendis bonorum gemitibus, seu pavoribus amoliendis: Sed locus minus probabâtur, ex quo nihil unquam profectum, quod Ecclesiæ commodo cessisset; Fridericus Imperator in finibus Germaniæ haberi postulat, jamque instante Archiepiscopo Carniensi, qui seriò reformationē promovebat, Imperator & Principes complures Episcopos Basileā usque compulerant: Sed Sixtus hoc comperto Angelum Episcopum Suessanum ad Senatum urbis mittit, interdictumque minatur, ni Archiepiscopum pedibus manibusque revinctum Romam mittat, omnesque qui cum illo Episcopos pro excommunicatis habeat. Senatus verò Basiliensis cum in urbe liberâ tantam illis injuriam fieri non pateretur, Legatus bile correptus ijs ante anathemati subjectis aliò digreditur. Perstat nihilominus Fridericus, utque faciliorem Sixtum habeat, Utinæ indici in Foro Iulio, flagitat: quod & rursum respuit: Quam difficultatem ut se superasse, sedemque suam mutuis Principum legationibus confirmasse videt, totus jam ad suorum incrementum convertitur. Volaterranus & Onuphrius disertē: *Suorum amantissimus ac indulgentissimus omnium judicio est existimatus: quorum causâ multa præter fas jusque egisse & concessisse, vitio illi datum est.* Itaque duos Cardinales creat contribules, nec absque mysterio, Petrum Riarium, quem ab infantiâ aluerat, cum Hieronymo fratre, & Iulianum ex fratre nepotem; Is fuit Iulius II. Et Petrus sanè affatim amplissimis beneficijs auctus, *ita splendidus ut pecuniæ perdendæ natus esse videretur; quippe qui eo biennio, quo tantum postea supervixit, ducenta aureorum millia in victu absumsisse,* 40. *millia æris alieni, argenti autem celati* 300. *pondo reliquisse tradatur. Obijt verò voluptatibus confectus;* Legati munere nihilo seciùs (quo tandem delectu

Stumfius in Histor; Helvetia.

Volaterran. & Onuphr.

 in

Baptiſta Fulgoſ. dict. & factor memorab. l.9.
Baptiſta Mantuanus in Alfonſo l.4.

in Italiâ, ipſe cujus Baptiſta Fulgoſius prodigioſam prodigalitatem deſcribens, Tireſiæ meretrici ſuæ ſocculos margaritis opertos dare ſolitum dicit. Quem & apud Baptiſtam Mantuanum Iuppiter his verſibus ſalutat.

At tu implume caput, cui tanta licentia quondam
Fœmineos fuit in coitus, tua furta putabas
Hic quoque prætextu mitræ impunita relinqui,
Sic meruit tua fœda Venus, &c.

In opprobrium non minùs Sixti quàm ſuum: De Iuliano ſuo loco videbimus. Illis jam ut proſpexit, quos amor magis quam cognatio commendebat, de agnatis promovendis cogitat. Hieronymum itaque fratrem, apud ſe pariter educatum, Forolivij & Imolæ, quo jure, quaque injuriâ Principem conſtituit, cui Catharinam Ducis Mediolanenſis notham, uxorem dari curat, Galero in Aſcanium Ducis filium ante collato, qui patris animum ipſi conciliaret; Mox & Leonardum ex fratre nepotem evehit, cui notham Regis Ferdinandi uxorem exambit, præfecturamque urbis committit; Iohannem etiam Cardinalis Iuliani filium, Soræ & Senogalliæ Principem facit, qui Iohannam Federici Monteſeltrenſis Ducis Urbini filiam ducit, ex quo matrimonio Franciſcus Maria ortus, qui avunculo ſine prole maſculâ decedente, Urbini Ducatum adipiſcitur, & plures conſimiliter alios; Præpoſterè liberalis adeò, quod authores Coætanei teſtantur, ut rem eandem ſæpe pluribus daret: Unde lites innumeræ; tam mirificus turbarum artifex, ut cum omnibus per fas & nefas bellum ſuſciperet: Contra Vitellium, Florentinos, Columnas, Ferdinandum, alios, ijs licet ſatis improſperè ſeſe expediret: Nec nos celatos voluere, concepto ex pace inter Venetos & Ferrariæ Ducem mœrore, ſibi mortem acceleraſſe, hoc quamquam bellum, ex confœderatorum utrinque concurſu, univerſam Italiam pervaſurum erat. Epitaphium ejus hac mente,

Non potuit ſævum vis ulla extinguere Sixtum.
Audito tandem nomine Pacis obit.

Item.

Dic unde Alecto pax iſta refulſit & unde
Tam ſubito reticent prælia? Sixtus obit.

Item.

Pacis ut hoſtis eras, pace peremptus obis.

At ubi vis deerat, proditionem aſſuere gnarus: Unde & verſus.

——————— *fraudis dolique miniſter.*
Et ſolâ tantum proditione potens.

Etenim, Hieronymum aucturus Florentiam occupare ſatagebat, ſed obſtabant Laurentinus & Iulianus Medicæi, in quos Franciſcum Pazzi adverſæ factionis Principem concitat, qui eorum vitæ inſidiêtur: Quod ut tutiùs fiat Raphaelem Riarium Cardinalem ſancti Georgij, adoleſcentem, Hieronymi nepotem Florentiam mittit, qui conjuratis animos addat, ij verò dictâ die, in Æde ſanctæ Reparatæ Medicæos inter ipſa ſolennia aggreſsi, Iulianum interficiunt, Laurentiumque graviter ſauciant, qui ab Ædituis in ſacrarium receptus ſervatur. Spargitur rumor per Urbem, commovetur Populus, Archiepiſcopus Piſanus e Salviatorum gente, Iacobus Poggius & plerique alij conjurationis conſcij, comprehenſi, illico ad feneſtras ſuſpenduntur, Archiepiſcopus adeò ipſe Pontificali habitu; Pactius, Antonius, Volaterranus, & Stephanus quidam Presbyter plectuntur: Cardinalis ſancti Georgij ſub cuſtodiâ habetur; tota demùm ſceleris ſeries à Monteſicco ejus di-

directore ita detegitur, ut Sixtus ipse Princeps conspirationis convincatur: cui tamen, ne implacabilis fera illa reddatur, Cardinalis ille suus incolumis redditur; Et ipse tamen, quòd Archiepiscopum in flagranti delicto deprehensum necâssent, inque Cardinalem manum injecissent, Florentinos interdicto subjicit, eisque acerrimum bellum indicere non verecundatur. Verùm, prudens Laurentius, placato Ferdinandi Neapolitani Regis animo, eum à Papæ consortio distrahit: qui nî Turcarum Princeps sub id temporis Italiam Hydrunte captâ turbasset, minarum plenus, ultionem meditabatur; Ac tandem Florentiæ potiundæ spe prostratus, cùm Venetis in Herculis Ferrariæ Ducis perniciem paciscitur; eo consilio, ut ejus ruinis Hieronymi potentiam inædificet. Mox tamen, ut oblatâ quaque commodi occasione, huc illuc raptabatur, in Venetos ipsos iram vertit. Magnam is in hæc bella pecuniæ vim effuderat, quam undecumque resarciri volebat. Notant igitur scriptores, eum idcircò nova collegia, soluto pretio, primum instituisse: unde Romanæ rapinæ multiplicantur, Breviatores hi fuerunt minoris præsidentiæ, sollicitatores, adstipulatores, Ianizzeri, Stradiotæ, Mameluchi, quos certæ pecuniȩ addicebat. Novem etiam notarij Fisci Apostolici, &c. *Quâ ratione*, inquit Onuphrius, *Romanæ aulæ libertas, in compedes quasi conjecta omnis industrij & laboriosi ingenij diligentia sublata, cum nonnisi pecuniâ hæc munera parentur, quæ anteà gratuitò doctis & probis viris tribui solebant. Primus etiam vendidit officia procuratoris Cameræ, notariatus Apostolici, protonotariatus Capitolij, notariatus Gymnasij, metiendi salis, & camerariatus urbis. Vectigalia nova invenit, vetera auxit: Plures à sacratis hominibus decimas non sine maximâ avaritiæ notâ exegit.* Hæc omnia ex immodico ardore suos adaugendi; Et Iubileum quidem anno 1475 celebraverat, à Prædecessore ad vigesimum quintum quemque annum reductum, qui hanc indulgentiarum messem ei paraverat: sed scire demùm interest, qualis iste, qui illas concederet: *Inter lenones recentiorum temporum*, inquit Agrippa, *qui lupanaria ædificabant, nobilis erat Sixtus* IIII. *Romanus Pontifex, qui Romæ nobile admodum lupanar extruxit, atque utrique Veneri assignavit, Meretricum cohortes, Heliogabali exemplo, ita aluit, amicisque & servis exhibuit, nonnihil emolumenti ex meretricio quæstu ærario suo accumulans: Romana enim Scorta in singulas hebdomadas Iulium nummum adhuc pendent Pontifici, qui census annuus, nonnunquam viginti millia ducatos excedit; Adeoque Procerum Ecclesiæ id munus est, ut unà cum Ecclesiarum proventibus, etiam lenociniorum numerent mercedem.* Quin & audisse se dicit aliquando, cum rationes suas ita inîrent. *Habet duo beneficia, Curatum unum viginti ducatorum, Prioratum unum ducatorum quadraginta, & tres putanas in burdello.* Quâ magis ratione regnum Meretricis & procedere & promovere poterat? Addamus tamen, quod de eo Wesellus Groningensis Theologiæ Doctor in libro de Indulgentijs Papalibus, vir eo tempore trium linguarum cognitione laudatus, eoque nomine, *Lux mundi*, cognominatus, Sixto ipsi coætaneus testatur: *Ad prædicti Petri, tunc S. Sixti Cardinalis ac Patriarchæ Constantinopolitani, & Hieronymi fratris sui postulationes, domesticæ familiæ toti Cardinalis D. Luciæ, qui Paulo secundo à venationibus fuerat, in tribus mensibus anni calidioribus Iunio, Iulio & Augusto, masculino coitu frui permisit, cum hac clausulâ: Fiat ut petitur.* Ut jure optimo in Epitaphio Iohannes Sapidus.

Onuph. in Sixto 4.

An. 1475.

Agrippa de vanitate scientiarū c.64. de lenoniâ.

Wesellus seu Basilius Groningens. de Indulgentijs Papalibus.

——————— deflent sua busta Cinædi
Scortaque, lenones, alea, vina, Venus.

Item,

Pædico insignis, prædo, fucosus adulter,
Gaude Prisce Nero, &c.

Sequitur verò appositissimè juxta Paulum Rom. 1.

Riserat ut vivens cœlestia numina Sixtus
Sic moriens nullos credidit esse Deos.

Trithem. de scriptorib. Eccles. Fra. Leandro Alberti de viris illustrib. Ordinis Prædicatorii. Alani de de Rupe, Compēd. Psalterii Mariani & de Mirac. Rozarii liber unus, Ann. 1483.

Et hic interim bonus vir libros nobis de conceptione Virginis Mariæ conscribit, Alani de Rupe Germani Dominicani execrabilem librum consecrat, qui, Euangelij loco, novum nobis Rosarium ex Virginis Psalterio concinnatum obtrudit, & novam inde Societatem conflat: Cui exaltandæ Iacobus Sprenger Provincialis Germaniæ miracula affingit: quæ Bullis & indulgentijs Sixtus comprobat & communit. Exuditur imò liber ille, cujus initio legitur Virgo Maria quadam die cellulam Alani istius ingressa, quæ annulum ex suis capillis ei texuerit, ei se per annulum illum desponderit, osculandam se papillasque tractandas & sugendas præbuerit, non minus familiariter quam sponso sponsa: & consimiles blasphemiæ passim occurrunt. Ex hoc specimine videat Lector, in quam impietatis abyssum, ab ejusmodi Atheis superstitiosæ hominum mentes demergantur.

Succedit anno 1483. Innocentius octavus Genuensis Gente Cibo: Eo Prædecessore mirum si execrandus: Nec tamen melioris famæ. Et Romam quidem seditione, Italiam cinere & sanguine implevisse nihil jàm mirum. A Pontificibus etiam omnia mala profluere tritum adeò, ut in rem judicatam transijsse videretur. At hoc illi præcipuum, quod adempta Virginio Ursino Palatij Apostolici præfectura, unde Cardinali Iuliano gratificaretur, urbem in extremum discrimen adduxit (quippe cujus jam sese exerebat violentia); Italiam ipsam dum Comites Aquilæ contrà Ferdinandum Regem & Dominum protegit: *Imperitorum hominum consiliis impulsus*, inquit Onuphrius: Unde rursum illi nihil præter dispendium & dedecus superfuit. Pecuniæ igitur inopiæ remedium quæsiturus, Sixti vestigia relegit: Plumbatores Bullarum LII. instituit, à quibus aureorum XXVI. millia, certis Ecclesiæ proventibus attributis, emungit; Addit Secretarios XXVI. quorum quisque aureos cIↄ cIↄ Iↄ. pendit: Inde ei aurei sexagesies mille; Officium præterea Præsidis de Ripa venum exponit, & XXX. Officiarios creat, quorum quisque aureos ducentos solvit; Et hoc Ecclesiam restaurare dicebatur. Pacem is ex necessitate cum Ferdinando fecerat: eum, tributum non solutum prætexens, excommunicat, regno privat, Carolumque Franciæ Regem propediem cum exercitu venîre pollicitum, legitimum hæredem pronuntiat; Et verò paulo post id præstitit: Renati Regis Siciliæ & Caroli fratris Cœnomanorum Comitis testamento subnixus, qui omnia sua jura in eum transtulerant: At non alia Innocentio mens quam ut omnium decessorum suorum bullis eâ ratione conculcatis, de Ferdinando vindictam sumeret. Ad vitam ejus privatam quod attinet, Volaterranus audiatur, licet honestioribus verbis ejus turpitudinem exprimens. *Iohannes Baptista Cibo Genuensis, post Xisti mortem diebus XX. cathedræ successit, qui pauper olim puer, formâ tamen præstanti inter Alfonsi Regis Siciliæ ministros, inde Romam veniens, in contubernio Philippi Cardinalis Bononiensis fuit: Præsul deinde Savonensis, pasteà Melfitensis, à Sixto Datarius, postremò Cardinalis factus est, cum ei plurimum dilectus esset ob dulces mores & humanitatem, quâ omnes usque ad vitium superavit: Nam & infimæ conditionis homines sæpe exosculabatur, amplectebaturque*; hisne moribus an amoribus Papatus ambitur. At sedecim ante Pontificatum liberos susceperat, mares octo, fœminas totidem, è quibus duo tantum

Onuphr. in Innocentio 8.

tum

um supeterant, cum sedem adeptus est, quos Ecclesiæ dispendio evehere sategit: *opiosum nummum*, inquit Historicus, *veniis atque indulgentiis collectum contra Turcas, liberis & agnatis distribuens*. Addunt alij eum *Pontificum omnium primum fuisse, qui novum & ipse exemplum introduxit, palam liberos nothos jactandi, & soluta omni antiquâ disciplinâ, divitijs omnibus cumulandi*. Onuphrius: *filium Franciscum nomine & Theodorinam filiam, nothos ex scelesto concubitu satis præter rationem multo munere cumulatissimos reddidit: Unde Francisco dilectissimo oppida nonnulla urbi vicina dedit: Laurentijque Medicæi filiam matrimonio ei locavit. Theodorinam Gerardo Usumario Genuensi nuptam opibus perquam magnis ornavit*. Hinc verò Marullus in Epitaphio. Valerius Anselmus in Catal. Volaterr. & Iohann. Stella in Innocēt. 8.

Quid quæris testes, sit mas an fœmina Cibo
Respice natorum pignora certa, gregem,
Octo nocens pueros genuit, totidemque puellas;
Hunc merito poterit dicere Roma Patrem.

Ut hæc Epigrammata ad examen illud perpetuò alludunt, quod post Iohannæ Papissæ fraudem institutum; Concludit verò.

Spurcities, gula, avaritia, atque ignavia deses
Hoc Octave jacent, quo tegeris tumulo.

Ne tamen superstitioni suus locus desit, fingunt hoc tempore, cum Petrus Consalvus Mendoza Templum tituli sanctæ Crucis reparâret, fragmen tituli Dominicæ Crucis tribus linguis exaratum, pariete inclusum, inventum fuisse: Hanc, sola ipsa elementa ejurant, cum pro Ναζωραῖος, Barbarè scribitur Ναζαρενυς, per e & in accusandi quidem plurali; Insignes illi antiquarij Romani num omnes tum cæci? Bajazetem etiam Turcarum Imperatorem magni donarij loco lanceæ cuspidem Innocentio misisse, quâ latus Domini perfossum; ut fratrem suum Gemen, qui in ejus potestatem venerat, arctiùs haberet; Longini illius, quem fecerunt ἐκ λόγχη; quis has ineptias aut non novit, aut notas ferre possit? Hinc verò Indulgentiarum ingens seges sub Alexandro VI. successore istis licet malè credulo. Sed Innocentio magis erat cordi, Bulla in eos edenda, qui Annatas ad dictum diem non solvebant; quam & excommunicationis pœnâ & beneficiorum, quæ possidebant, privatione sancitam voluit. In his enim demùm expeditionibus zelus Ecclesiæ refulgebat; Et tantis jam abominationibus, in cumulum hujus seculi, quid superaddi potuit? Et tamen Roderico Borgiæ, qui Alexander VI. Innocentij successori non hîc subsistere visum: Ut enim de Papatu cum Satana pactus à quibusdam scribitur, ita & Diaboli ingenium operibus suis evidenter prodit; Certè in eo omnes conveniunt, neminem unquam pejoribus artibus ad eam dignitatem evectum; Volaterranus & Onuphrius ipse: *Nonnullorum Cardinalium cæcâ ambitione & avaritiâ corruptorum operâ, tantam dignitatem dicitur esse assecutus: qui postea in ingrato Pontifice perfidiam maximam experti, debitas scelerati studij venalisque suffragij pœnas dedêre. Horum Princeps fuit Ascanius Sfortia, emptus proculdubiò profusissimâ largitione, ut hic omnium ejus ordinis deterrimus pro optimo, Pontifex renunciaretur*. Ibique narrant, ut eos omnes mox fortunis everterit, exilio, carcere violentâ morte sustulerit, necârit, strangulârit, veneno interemerit: Sed Guicciardinus exquisitiùs: Discordia, *quæ tum inter Cardinales, Ascanium Sfortiam & Julianum S. Petri ad vincula Alexandri electioni causam dedit, adde quod novo hactenus exemplo videntibus & scientibus omnibus Papatum emit, partim pecuniam largitus, partim officia & beneficia sua prægrandia pollicitus, quibus Cardinalium suf-*

Summa Constitut. in Bullâ cujus initium admirabile sacrament. Bulla cujus initium Apostolicæ Cameræ in sum. Constitut.

Hieron. Marius in Eusebio captivo. Onuphr. in Alexand. 6. Volaterran. in Anthropologiâ. Guicciard. lib. 1.

ſuffragia ſibi addixit, qui Evangelicum præceptum aſpernati, non erubuerunt, poteſtatem ei vendere, qua in eminentiori Templi divini parte, cœleſtique adeò authoritate, ſacros theſauros cauponari poßet; nempe juxta illud Apoſtoli, *Sedebit in Templo Dei, &c. Author & incentor hujus deteſtandæ nundinationis pleriſque Cardinalis Aſcanius, non tam perſuaſione quam exemplo; quippe qui immani diteſcendi cupiditate corruptus, cum Papa pepigit, præmiumſe tanti ſceleris habiturum Vicecancellariatum, primarium Curiæ Romanæ officium prætioſiſſimâ ſupellectile ditâtum: ſed non potuit Papa neque in præſens neque in futurum judicium Dei vitare, non illa ipſa hora infamiam apud omnes & juſtum odium: quos iſta electio pavore & horrore affatim involvit, quam à malis artibus profectam nemo non noſſet: Adde notum pleriſque hominis ingenium, perſpectos mores; Apuliæ Regi inprimis qui licet publicè dolorem ſuum diſſimularet, Reginæ uxori aperuit & cum lachrymis quidem, à quibus aliàs vel in filiorum luctu abſtinebat, creatum Pontificem, qui tùm Italiæ, tùm univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ exitialis futurus eſſet; Præſagium utique Ferdinandi prudentiâ non indignum, quia inerat Alexandro ingenium ſubtile & vividum, conſilium ſublime, vis perſuadendi efficaciſſima, in omnibus negotiis ſollicitudo & dexteritas incredibilis: ſed has virtutes ingentia vitia ſuperabant, turpiſſimi mores, non ſinceritas, non verecundia, non veritas, non fides, non religio ulla: quin potius avaritia inſatiabilis, ambitio ſine modo, pluſquam ferina crudelitas, & filios ad ſumma quæque per fas & nefas promovendi, qui magno numero erant, inexhauſta cupido, inter quos unus, ſi ſcelera omnis generis ſpectes, patri apprimè coæquandus*; Et hic rurſum comparet Lector hoſce mores cum dotibus Epiſcopo neceſſarijs à Paulo memoratis, 1. Timoth. 3. Unus igitur illi ſcopus, ſuorum filiorum in primis incrementum, quos omnibus oſtentabat; nec verò, quod alij ſolebant, turpitudinem ſuam obtecturi, pro nepotibus ampliùs haberi volebat, ut vel in primo Conſiſtorio Cardinalem Iohannem Borgiam ex ſorore nepotem crearet. At ſanè magna ei trepidatio ſupervenit; Carolus VIII. Rex Franciæ, Regni Neapolitani poſſeſſionem aditurus, cum potenti exercitu à Ludovico Mauro Mediolani Duce & nonnullis alijs Principibus invitatus, in Italiam iter ſuſcipit. In eum itaque Alexander cum Alfonſo Aragonio, Ferdinandi partis hærede fœdus init: conditiones præcipuæ fuère: Uti Alexander Regno Neapolitano Alfonſum inveſtiat, eodem quo patrem cenſu: Legatumque Apoſtolicum coronam impoſiturum mittat: Ludovicum Henrici filium, qui Alfonſi frater nothus, Cardinalem faciat; Viciſſim Alfonſus Pontifici 30000. aureos numeraret; Candiæ Duci, filio Alexandri primogenito, in Regno 12000. aureos annuos *in ſtatibus* daret, & ex ſeptem præcipuis Regni officijs, quod primum vacaret; eundem apud ſe cum 300. catafractis ubique, cum opus militaturis, ſub ſtipendio haberet; Cæſari Borgiæ altero filio Cardinali, beneficij in Regno ad certam uſque ſummam proventus annui tribueret. Notat verò Author, hunc, Cardinalem feciſſe: *cum ante per falſos teſtes probâri curaßet illum eſſe filium neſcio cujus legitimum, quod ſecùs eam dignitatem conſequi non poſſet*; Quâ impudentiâ, qui eos publicè & filios appellaret & oſtentâret?

Interim profectionem parabat Carolus cum valido exercitu, dum Alexander modò eum ab Italiæ itinere, *Brevibus ſuis* dehortatur, modò ni paruerit, Cenſuras Eccleſiaſticas intentat. In his anguſtijs viſum illi ſocioque Fœderis Alfonſo, ad Bajazetem Turcarum Principem confugere, & per Legatos in eam rem miſſos, quod utrique imminebat, periculum exponere. Commodè hic accidebat, quod Gemes Bajazetis frater captivus Romæ detinebatur, fortitudine pariter

Paulus Iovius l. 2.

ter & prudentiâ insignis, quem à fratre in campis Bithyniæ devictum, Rhodi perfugium quærentem, Aubusſonius Magnus Ordinis Magister à se captum Innocentio VIII. persoluto pretio tradiderat, unde Innocentio cum Bajazete ea demùm necessitudo, ut ei Bajazetes annuos 40000. aureos penderet, quos & Alexander successor percipere deinceps solitus, 60000. Cominæus dicit, eo consilio, ut Gemes arctius custodiretur, ne fortè elapsus, suum imperium turbâret. Hac igitur occasione Alexander & Alfonsus Bajazeti indicant, Carolo Francorum Regi consilium esse, compositis Neapoli rebus, in Græciam trajicere, eo facilius credituro, quod quantas Gens Francica olim in Asiâ turbas stragesque dedisset, non ignorabat. Mox incalescente Caroli expeditione idem per Legatos ingeminant, Alfonsus delecto ad id Camillo Pendone, Alexander Gregorio Bucciardo Genuense, utroque linguæ Turcicæ gnaro; Et verò Bucciardo sub Innocentio in similibus negotijs exercitato: qui distenturos se Caroli vires pollicentur, pecuniâ modo idoneam subministret: unde ipse Græciæ statum ab exitio sit redempturus, in alieno solo bellum contenturus; *& porro imperij sui propugnaculum urbem Romanam & regnum Neapolitanum habiturus.* Legatos perhonorificè excipit Bajazetes, eo impensius quod ex alijs partibus eadem nuntiabantur: *Pontificique, Gregorium alloquens, gratias agit, quod qui summum apud Christianos gradum obtinet, tam benignè & amicè de rebus tanti momenti & tempestivè quidem admoneat, alienæ licet fidei quoad Deum, quoad homines moribus diversum.* Author itaque est Gregorio ut in Italiam revertatur, comite Dantio Legato suo, cui & pecuniam & secretiora ad hoc institutum mandata sit commissurus: *Inter alia*, inquit Iovius, *inerant literæ Græcè conscriptæ, quibus Bajazetes artificiosè suadebat Pontifici, ut quocumque pacto Gemem fratrem veneno interimendum curâret; id si faceret, ducenta ducatorum millia bonâ fide pollicitus, auctariumque pretij tunicam Christi inconsutilem donaturus, sicuti paucis ante annis cuspidem lanceæ, quâ Christus à Longino percussus dicebatur, dono miserat.* Hinc judicet Lector, quam arctum sceleris commercium contraxissent, cum ea consilia Papæ proponere auderet, quæ sceleratissimi quique multiplici licet inter se maleficiorum nexu devincti, sibi invicem aperire reformident. Accidit interim, ut naves quibus vehebantur, Iohannnes de Rovere Iuliani Cardinalis frater Alexandri hostis, & Francis obnoxius, prope Anconam deprædaretur, qui pecuniam sibi à Pontifice debitam causatus, hæc intercipit, sicque Dantius Anconam pedestri itinere petere cogitur: Alexander verò irarum plenus novam rationem comminisci, quâ sibi suum cum Bajazete fœdus constet. Quo & Papali zelo, pecuniam, Crucis in Bajazetem assumendæ prætextu, in Hispaniâ collectam intervertit. *Quippe*, inquit Guicciardinus, *cum Ferdinandus Rex, classem suam in regni Neapolitani subsidium, pecuniæ inopiâ, se tam citò instruere non posse nuntiaret, consensit ille, ut nummi sedis Apostolicæ nomine in Hispaniâ collecti, belli infidelibus inferendi colore, in eum usum verterentur.*

Philip. Cominæus in Histor. Caroli 8. c. 19

At Italiam nihilominus universam, nemine obvio, pervadit Carolus, quasi manu ducente Deo, murosque ei quasi dividente, ne dum portas, Romamque propè factus, ubi Papa Alfonsi & aliorum confœderatorum copijs sese munierat, admitti in urbem postulat, abscedereque inimicos jubet, nî Alexander obtemperet, ferro sibi viam facturum non dissimulans. Tum Alexander, inquit Guicciardinus, animo vehementissimè turbâri, *veritus ne Carolus Christianissimi titulo, quo Francorum Reges gloriantur, fretus, cum gente Francicâ, cujus religio in primis commendatur, ad reformationem Ecclesiæ mentem converteret: Quæ cogitatio animum*

ejus non mediocriter percelleret, ſibi utique conſcium quàm turpiter Papatum conſecutus eſſet, quem porrò turpiùs adminiſtraſſet; Ne etiam Cardinalium Columnæ, Sabelli & aliorum hortatu, Concilium convocari poſtularet. *Quâ unâ voce*, inquit Iovius, *pluſquam cæteris humanis caſibus, Pontifices Romani ſummè terreantur.* Verùm, partim datâ ſibi à Carolo fide, ſuæ dignitati cautum arbitratus, partim in his anguſtijs nihil ſibi tutius aut conſultius ratus, in arcem ſancti Angeli ſeſe recipit, urbemque Carolo permittit; Quo & conſilio, Ferdinandum Ducem Calabriæ Alfonſi filium, alias ante oculos ſuos periturum, emittit. Itaque Romam ingreditur Carolus die ultimâ anni 1494. cum univerſo exercitu, explicatis ſignis, lanceâ femori adplicitâ, non ſecus ac Florentiam paucis antè diebus. Nec omittendum eo Oſtiam appropinquante *murorum urbis orgyas circiter viginti cecidiſſe*, quâ parte Rex aditum parabat, eodem imò ferè tempore Arcis ſancti Angeli antemuralium circiter quindecim: ac ſi Regem excipere mœnia ipſa geſtîrent. Hîc non defuerunt, qui graviter apud Regem inſtarent, *ut Alexandrum univerſo orbi abominandum ſolio deturbaret, eique ob oculos reponerent, majorem ſe ex liberatâ, à ſcelerati Pontificis tyrannide, Eccleſiâ laudem conſequuturum, quàm Pipinus olim & Carolus Magnus ex bonorum Pontificum, adverſus injuſtos oppreſſores, defenſione.* Sed cum ex ſanctiori conſilio, *Alexander largitione & promiſſis eos qui plus poterant, corrupiſſet* animum Regis ita emolliêrunt, ut in hæc tandem pacta convenirêtur. Alexander Regi arces Civitatis veteris, Terracinæ & Spoleti traderet, uſque cum Regnum Neapolitanum expugnaſſet, Cardinalibus & Baronibus Eccleſiæ ſubditis, qui Regias partes ſequuti, injuriam, ex vindictâ, nullam faceret: Carolum regno inveſtiret, Gemem Bajazetis fratrem, bello adverſus Turcam ſuſcipiendo uſui futurum, contraderet, Carolum Græciæ Imperatorem pronuntiâret. Cæterùm Cæſarem Borgiam filium per tres menſes apud Regem relinqueret, ſpecie legatum, revera promiſſorum obſidem: Quæ omnia præſtitit ille quidem, quia detrectâre non poterat: Sed ita, ut mala ejus perpetuò fides prominêret. Gemem enim ut ſibi tradendum vidit, Bajazetis fratris petitioni ante omnia ſatisfacit: *qui*, inquit Guicciardinus, *Vicariorum Chriſti avaritiâ diu abuſus, ut imperio ſuo pacatè potiretur*; Ita nempe, ut Neapolim vixdum tranſlatus, vitam finiat: *non ſine perſpicuis veneni propinati notis*. Flagitârat Rex in Pactorum fidem ut Arx ſancti Angeli ſibi daretur, palam teſtantibus Cardinalibus Alexandrum alias datæ fidei nullam rationem habiturum: Quare, tormenta ex Palatio divi Marci, ubi Rex hoſpitabatur, bis educta fuerant, quibus Arx quateretur: Verùm, ijſdem quibus ante artibus hoc conſilium eluditur, ſicque reverſus in Vaticanum Alexander Regem excipit, qui flexo genu, pedes ejus oſculatus ad genæ oſculum, mox admittitur. Aliâ verò die Miſſam celebranti aquam lavandis manibus miniſtrat: *quos ritus Pontifex in pergulâ quadam Arcis ſancti Angeli depingi voluit*; Pro Pontificum utique more, ut quę ſibi ex comitate deferuntur, quaſi ex contractu deberi cenſeantur.

Paul. Iovii l. 2.

Philip. Cominæus in vitâ Caroli 8. c. 16. 17.

Guicciard. l. 2.

Exactis igitur Romæ tribus hebdomadis Carolus Neapolim iter intendit, & univerſo regno facilè potitus, rebus compoſitis de reditu in Gallias cogitat: Verùm, dum in eo eſt Alexander novas illi difficultates molitur, fœdus cum Imperatore Maximiliano, Regibus Hiſpaniæ, Venetis & Ludovico Sfortia pactus, qui proſperis magnanimi Principis ſucceſsibus perterrefacti, eum ſibi in Italiâ opprimendum proponunt, in Galliaſque remeanti, in Fori novi planitie exercitum 40000. armatorum opponunt: Quem ille tamen cum 8000. plus minus quos è præſidijs Neapolitanis ſublegerat, perumpere neceſſe habet; Et verò incredibili

dibili fortitudine viam sibi per medios facit. At enim dum in patriam reversus, secundam expeditionem meditatur, apoplexiâ correptus Aprili mense anno 1497. subitaneâ morte extinguitur. Narrat Cominæus Hieronymum Savanarolam, qui tum Florentiæ Propheta habebatur, roganti sibi, num Rex incolumis transire posset, respondisse: *negotium ei in itinere exhibitum iri, sed quod ei ad gloriam cessurum esset, quando centum tantùm milites secum haberet: Deum enim quo auspice in Italiam venerat eum patriæ & regno salvum redditurum: sed, quia Ecclesiæ reformationem, ut sui muneris erat, non procurarat, &c. à Deo imminere flagellum, qui & in eum alias sententiam jam tulerit.* Addit, publicè sæpiùs in concionibus prædixisse, Regem reversurum, *ut Ecclesiam gladio reformaret, & tyrannos Italiâ expelleret: Ideo munus a Deo impositum ni implêret acerbissimè vindicaturum.* Quod & pluries ei scripserit, etiam paulo ante Regis obitum; Et *Flagellum*, interpretatur Cominæus Delphini obitum, quod Caroli animum vehementer sauciavit; sententiam à Deo latam, inopinam Caroli mortem, quam miserabilem ipse describit; eoque hanc narrationem adducit.

Ann. 1497.

Philipp. Cominæus in vitâ Caroli 8. c. 26. & 51.

Philippus Cominæus in vitâ Caroli 8.

Itaque tanto jam metu liberatus Alexander, in liberorum augmentum totus effunditur; sed inquit Guicciardinus, *non sine domesticis infortuniis & Tragicis exemplis luxuriæ & truculentiæ, etiam apud Barbaros abominandæ.* Ab eo ipso Pontificatus limine temporalem omnem potentiam in Ducem Candiæ natu maximum conferre apud se statuerat: Cæsar Borgia natu minor Cardinalis Valentinus à sacerdotio plane alienus locum hunc sibi à fratre præripi impatienter ferebat: *nec minus quòd in Lucretiæ communis sororis amore postponeretur.* Noctu igitur, cum unà apud Zanocciam matrem cœnassent, urbem obambulantem solum immissis sicarijs trucidat, & in Tiberim clanculùm projici jubet. Fama imò erat, *in amorem Lucretiæ non germanos tantùm, sed patrem ipsum cum liberis concurrere:* Qui, Papa factus, eam marito primò ademerat, ex ejus sublimatione jàm humiliori, quam ut ejus conjugio dignus esset: Mox ademptam Iohanni Sfortiæ Pisauri Domino desponderat: demùm maritum rivalem non ferens, secundum conjugium etiam consummatum, delegatorum à se judicum sententiâ subornatis in id testibus, quasi nuptijs inhabili Iohanne, dissolverat an disruperat. Author Guicciardinus ipse, ut his Pontani versibus minùs sit opus,

Guicciard. l. 3.

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais Alexandri filia, sponsa, nurus.

Item.

Humana jura nec minus cœlestia
Ipsosque sustulit Deos
Scilicet liceret (heu scelus) patri
Natæ sinum permingere.

Et Alexander quidem, dum author cædis filij in dubio, vehementer animo commoveri, ut & vitæ institutum mutasse viderêtur: sed, de eo certior factus ad pristinos mores revertitur, sibique rem dissimulandam arbitratur. Onuphrius significantiùs, *connivens prorsus ad immane parricidij scelus*, quoquo pretio aut periculo sibi evehendum (Borgiam parricidam) proponit. Gesta hujus monstri referre & prolixius forte, & extra rem fuerit: Manè ingressus Consistorium galerum Cardinalitium deponit, & militiam se amplecti palam facit: In Galliam inde profectus, Carlottam Labretensem, favente Ludovico XII. qui Alexandri gratiâ ad Mediolanensem expeditionem opus habebat, uxorem ducit, Duxque

Valentiæ constituitur: Quâ ratione vicissim Ludovicus Alexandrum, admittendo quod meditabatur divortio, procliviorem habet: In Italiam demùm reversus, patris authoritate fretus, omnes Vicarios civitatum Romandiolæ evertendos suscipit, quod ut perficiat, non crudelitati, non perfidiæ, non proditioni parcit, gladio, veneno, laqueo; Et Pater, quasi certatim in nobiliores Urbis Barones idem patrat; ut Volaterranus & Guicciardinus in ejus sceleribus describendis deficiant. Machiavellus ipse specimen Tyranni editurus, Borgiæ exemplum cæteris anteferat, non secus ac legitimum Principem Xenophon in Cyro expressum volebat. Et *hæc interim omnimoda impietas*, inquit inter alios Guicciardinus, *â religionis Christianæ Principe profecta*, quam ut pecunijs opibusque foveat, præter rapinas, totâ ditione exerceri solitas, novas Alexander Romæ quotidiè comminiscitur, novum LXXX. Abbreviatorum Collegium, quorum quisque 750. aureos persolvebat, promotionem XXXVI. Cardinalium, quorum plerique pretio addicti, ingens tributum Marranis impositum, quos à Rege Catholico Hispaniâ pulsos Alexander Romæ, solius lucri causâ recipiebat; Adde complures Cardinales & Prælatos veneno interemptos, quorum bona sibi vindicabat *haud dubiè*, inquit Onuphrius, *in reliquos sacerdotiis atque divitijs insignes hæreditatis spe sæviturus, nisi mirabili Dei providentiâ, fatali pincernæ errore sibi mortem peperisset*; homo siquidem supremo Italiæ excidio natus. Cæterùm, *delatorum ingens numerus, brevissimo maledicto mortis pœna erat. Roma gentium perfugium & asylum*, inquit Volaterranus, *omnibusque seculis populorum omnium tutissima arx, nobilis jam carnificina facta erat: quæ quidem omnia suorum causâ quibus omnia indulserat, permittebat: nec noctu tutum per urbem iter, nec interdiu extrà urbem: omnia enim grassatorum plena. Inter hæc*, addit ille, *Alexander Iubileum celebravit, iis qui venire neglexerant seu minimè poterant, per diplomata licitatus:* Dicentibusque Cæsarem Borgiam aleâ ludentem centum aureorum millia perdidisse, respondebat, *Germanorum tantùm hæc peccata sunt*: quæ ejus de proprijs mercibus opinio. Finis tandem coronidem imposuit: *In summo*, inquit Guicciardinus, *rerum suarum fastigio, Alexander, cum in Vineam Vaticano proximam frigidiorem auram capturus, cœnatum ijsset, derepente in Palatium suum moribundus defertur, & sequenti die animam exhalat, ater, tumefactus, luridus & supra quam credi potest deformis: quòd à veneno manasse creditum hoc modo. Cæsar Borgia filius Dux Valentinus Hadriano Cardinali Cornetano venenum moliebatur, cujus in vineâ cœnam sumpturi erant: præmittit igitur venenati vini lagenas aliquot, quas famulo cuidam tradi jubet, doli nescio; eas à quovis illibatas custodire jusso: Inter hæc fortè accidit, ut ante cœnæ horam Alexander accederet, qui urgente siti simul & æstu potum petivit, & quià nondum ex Palatio ejus cœna allata erat, is cui lagenæ commendatæ fuerant, in ipsius usum, excellentissimi utique vini, reservatas arbitratus, ex his Pontifici propinavit, quas Valentinus filius alio consilio miserat; Advenit bibente patre Valentinus, ipseque ex eodem vino potatur: sed*, inquit, *filius, partim quia in ætatis flore, partim quia remediis incontinenti usus, evasit, diutino tamen & gravissimo morbo tantum non oppressus.* Subjungit verò: *Certum etenim patrem & filium veneno uti solitos, non tantùm ut ab inimicis vindictam sumerent, aut adversus suspiciones sibi prospicerent: sed etiam ut cupiditatem suam expleturi, ditissimos quosque bonis spoliarent, Cardinales & Curiales etiam complures, à quibus nullam unquam injuriam accepissent: Sic sublatum ab illis Cardinalem sancti Angeli locupletissimum: sic amicos bono numero conjunctissimos & fidelissimos Clientes, quales Capuanus & Mutinensis Cardinales:* Denique, *factus ex universâ Urbe cum incredibili lætitiâ ad ædem*

Pe-

Guicciard. l. 5.

Onuphr. in Alexand. 6

Volaterran. in Antropol. l. 22.

Guicciard. l. 6.

Petri concursus, circumfuso Alexandri cadaveri populo, ut extincti hujus Serpentis conspectu oculos satiâre non possent; Quippe qui effreni ambitione, pestiferâ perfidiâ, atroci crudelitate, portentosâ luxuriâ, immani avaritiâ, sacra & profana peræque cauponatus, universum orbem infecerat. Et in eundem sensum Onuphrius ipse Paparum Historicus: Cui *Perfidia plusquam Punica insignis dicitur, sævitiâ immani, avaritiâ immensâ ac rapacitate, inexhaustâ parandi filio imperij per fas & nefas libidine. Mulieribus cæterùm maximè addictus, ex quibus quatuor filios & duas filias tulerat: quarum præcipua fuit Vannocia Romana, quàm à formæ venustate & morum illecebris, miraque demum fœcunditate, in minori fortunâ, legitimæ prope uxoris loco habuerat,* Quod sanè multis Epitaphijs fidem conciliat, poeseos libertati alias imputandis, quorum nonnullos versus tantùm attingemus.

Vendit Alexander Cruces, Altaria, Christum,
Emerat ille prius, vendere jure potest.

Et,

Tot regna vertit, tot Duces letho dedit
Natos ut implêret suos, &c. Et
I nunc Nerones vel Caligulas nomina

Cætera alibi legi possunt. In Epigrammatis sanè Sannazari excellentissimi Poëtæ leguntur, quæ de ipso Lucretiaque filiâ composuit, in quibus flagitiorum compendium, tum publicorum tum privatorum: Sed Index Expurgatorius Hispanus pro suâ prudentiâ illa eradi jussit. Certè narrat Marius eum Satanæ ope Papatum adeptum, eo inconsulto nihil fecisse: notatque Petro Mendosio Hispano Cardinali de Valentiâ indulsisse, ut Marchione de Zaneta notho suo ad libidinem abuteretur. Diabolus ipse huic sceleri quid addere possit? Et hic tamen ille est *quem* Wicelius, *in lectione aut officio assiduum scribit, unum id perpetuò meditantem, ut Principes à bellis civilibus retractos Turcis objiceret.* Qui egregias illas indulgentias Crucis Dominicæ titulum visitaturis concedit, Romę in Ecclesiâ sanctæ Crucis; illum nempe quem sub Innocentio VIII. inventum fingunt; Et hunc interim ipsam Christi crucem risisse quis dubitat? Qui anno 1494. inter illos furores ore proprio 30. mille annos veræ indulgentiæ publicè pollicitus omnibus certam quandam oratiunculam coram imagine D. Annæ dicturis, quæ B. Virginis mater, his utique verbis, *benedicta sit sancta Anna mater tua, ex quâ sine peccato & maculâ processisti, &c.* Dominicani quo jam loco sint, qui contrariam sententiam propugnabant. Qui orbem inter Principes partitur, Ferdinando Aragonio & Isabellæ Castellanę Indiam Occidentalem à Colombo circa id temporis detectam, donat; Quo jure, nisi quo sese ipse ante Principi mundi mancipavit, ei qui Christum Dominum compellans: *Tibi dabo hæc omnia si procidens adoraveris me.*

Iacob. Sanazar. l. 1. & 2. Epigram Lugd. 1560

Hieron. Marius in Eusebio captivo.

Summa constit. in Bullâ cujus initium inter cætera divina.

OPPOSITIO.

ET quidem in horum trium Pontificum Historiâ qualis à suis familiaribus describitur, prostat nobis contrà suam tyrannidem tacita, imò publica oppositio: Annon enim viva Antichristi hîc effigies, cujus quod præclari pictores solent, unum reticuerint nomen? ut nobis non tam divinandum, quam pronuntiandum relinquant, hunc esse *Hominem peccati*, ipsummet Antichristum. Videamus tamen apud alios authores ejus ætatis, numnon manifestius aliquid occurrat. Albericus certè de Rozate Iureconsultus eximius tuêtur, ut retro plerique, Im-

Alberic. de Rozate in

l. bene à Zenone col. 6. num. 18. C. de Quadrienni præscriptis. Idem in verbo Romæ.

Imperium à Papa non pendere, Imperatorem ejus confirmatione non indigere qui contrà sentiant læsæ majestatis reos esse, bona sua committere: Papas verò pro rerum suarum statu imperium modo extulisse, modò depressisse, ut tandem spiritualia simul & temporalia ad se contraherent; Et leguntur etiam hi ejus versus.

Curia Romana non petit ovem sine lanâ,
Dantes exaudit non dantibus ostia claudit.

Ut & illud de Donatione Constantini: *Audivi à magnis viris, quod tunc vox fuit audita de cœlo dicens: HODIE, seminatum est venenum aspidum in Ecclesiâ Dei; & dicunt hoc reperîri in antiquis authenticis Scripturis & ita etiam narrat dictus Magister Iohann. Parisiensis in lib. de potestate Papali & Imperiali, c. 21.* Hieronymus Paulus Catalanus Canonicus Barcinonensis utriusque juris doctor Alexandri 6. cubicularius, in Practicâ Cancellariæ Apostolicæ candidè & intrepidè: *Quod donatio Constantini etiam de facto non fuerit, lege Laurentium Vallam & Papam Pium in dialogo, nec de tali donatione quicquam legi, apud probatum historicum, præsertim apud eos, qui scripserint illâ ætate vel illi proximâ. Nam nec Eusebius, qui fuit diligentissimus scrutator & narrator rerum Christianarum meminit, &c. nec Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Iohannes Chrysostomus, nec Amianus, nec Beda, nec Orosius meminerunt. Et constat per plures quam 300. annos post Constantinum Imperatores tenuisse gubernacula urbis & Italiæ per Duces, Præsides, & Exarchos & urbis Romanæ usque ad tempora Innocentij, 2. ut patet apertè in Chronicis & Historiis.* Quò plures locos ex Digestis, Codice & Novellis adducit; *Et in vitâ Phocæ Imperatoris legitur impetrasse Pantheum Bonifacium Papam ab eo: Unde ergò habuerit terras Ecclesiæ, vide gesta Caroli Magni & Pipini, & Pium in dicto dialogo & collecta novissimè per D. Bartholomæum de Platina Bibliothecarium, qui omnia instrumenta pertinentia ad statum Ecclesiæ in temporalibus, præsertim circa acquisitionem terrarum & aliorum jurium & censuum collegit, in valde magno volumine, ad cujus collectionem etiam operam nostram præbuimus in revidendo. Et de dictâ donatione & curatione lepræ Constantini, lege quæ latè scribit Remus Episcopus Paduanus in historiâ suâ de vitis Pontificum.* Utrumque nempe ab eadem vanitate. Audentior adhuc Mancinellus:

Hieron. Marius in Eusebio Captivo.

Die quodam solenni sub horam processionis equo albo pro more insidens, concionem Romæ coram universo Populo in Alexandrum VI. habet, abusus, scandala, abominanda ejus facta apertè reprehendit, absolutaque Concione ejus exemplaria in Populum spargit, quem Alexander comprehensum ambabus manibus truncari jubet. Ut, utcumque convaluit ad officium reversus, solenni alio festo aliam pari fiduciâ ordîtur; sed execta ei protinus jussu Alexandri lingua, unde paulo post emoritur. At sanè apertè Machiavellus Reipublicæ Florentinæ Secretarius in Historiâ ad Theodoricum usque Lombardorum Regem, edisserit nullam habuisse Pontificem temporalem jurisdictionem; vix ac ne vix quidem à Ravennati Ecclesiâ in spiritualibus superiorem agnitum, quam demùm varijs artibus arripuerit, Græcorum modò, modò Lombardorum partes sequutus, quos invicem commissos everterit; Eo potentiæ provectus præcipuê, dum Anathematis, Indulgentijs, Crucis publicatione, ad suam libidinem flagitiosè suo quisque tempore abutitur; Ita tamen, ut, quo maximè tempore, in exteras & remotissimas gentes anathematum suorum fulmine Pontifices bacchabantur, Romæ in summo contemptu essent, ne sedem quidem in urbe tenêre possent, parati licet & polliciti sese, abdicatâ rerum civilium curâ, solis Ecclesiasticis vacaturos; Authores

Machiavellus Historiæ Florēt. lib. 1.

res porro illos esse omnium in Italiâ bellorum, inde à Theodorico, Gotthorum Rege, suo præsertim tempore, eorum, quibus Italia laborabat; Cardinales Parochos, seu Plebanos tantùm fuisse; regionum inquam in urbe, opibus, dignitatibus, fastu, titulis, vestimentis gradatim auctos, ut Papatus, ut ad Papatum ambitus crevit, inque his primum Florentinæ Historiæ librum absolvit, quem Lector consulere ne dedignetur. Tractabat idem Guicciardinus Ecclesiæ Romanæ vexillarius Historiarum lib.4. sed locum studiosè erasum nemo nescit: Excusum posteâ sepatim Basileæ in 8. Italice, Latine, Gallice, Titulus libello, *Ludovici Guicciardini loci duo, &c.* quem etiam legisse non pœniteat. Baptista Mantuanus Carmelita raræ eruditionis vir, pluribus locis: Eclogâ inprimis nonâ statum Ecclesiæ Romanæ sui temporis liberè describit, degenerem adeò, ut Pastores, inquit, & canes in rabidos lupos mutati, quem pascere & custodire debuerant, gregem discerpant; sed quod tertio Calamitatum libro habetur, cæterorum nobis instar esto.

——— Petrique domus polluta, fluente
Marcessit luxu, nulla hîc arcana revelo,
Non ignota loquor, licet vulgata referre,
Sic Urbes populique ferunt, sic fama per omnem.
Iam vetus Europam, mores extirpat honestos
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynædis
Servit, honorandæ Divum Ganimedibus Ædes
Quid miramur opes, recidivaque surgere tecta?
Thuris odorati globulos & cinnama vendit
Mollis Arabs, Tirij vestes; venalia nobis
Templa, Sacerdotes, Altaria sacra, coronæ,
Ignis, Thura, preces, cælum est venale Deusque.

Et hæc quidem in Italiâ.

Nec inter hæc Germaniam tacuisse putes. Notatur inolevisse tum proverbia: *Quo Romam propiorem eo pejorem Christianum: In nomine Dei incipere omne malum;* nempe Bullarum hoc exordium: *Qui semel it Romam, vidêre scelestum, qui secundò, cognoscere, qui tertiò, in patriam referre,* id est, apud *Hominem peccati* peccatum condiscere. Verùm, inter doctos, complures conscientiæ suæ sensum testati. Iohannes de Vesalia Doctor & Concionator Wormatiensis accusatur apud Inquisitores: quod has Theses asseruisset: Quòd Prælati non possunt novas leges condere in Ecclesiâ, sed fideles ad Euangelij observationem inducere debent: Quòd boni ejus interpretes locum unum ex alio exponunt, quia homines spiritum Christi non assequuntur, nisi per spiritum Christi: Quod Doctoribus etiam sanctissimis propter se non credendum, nihilo magis Glossæ: Quòd statuta Ecclesiæ non obligant ad peccatum: Quòd Electi Dei solâ ejus misericordiâ salvi: vanæ Papæ indulgentiæ: Ejusdem generis Chrisma, Quadragesima, Ciborum discrimen, Festi dies, Confessio auricularis, Romivagia &c. At verò, quòd opiniones Thomæ impugnasset, exacerbantur in eum Fratres Prædicatores, penes quos inquisitio; Et Dietherus Archiepiscopus Moguntinensis, detergendæ hæreseωs suspicioni, quâ apud Papam laborabat, eis adstipulari coactus: sicque nullo ætatis, aut diuturni morbi respectu, reus in eo æstu peractus, sententiam revocâre compellitur. Narrat qui ejus examen nobis scriptum reliquit 1479. datum, Deumque testem advocat, ad Palinodiam illam librorumque suorum combustio-

nem

Examen Magistrale Iohannis de Vesalia Moguntio 1479.

nem adactum, Magistro Engelino de Brunsuico summo Theologo vehementissimè repugnante & magistro Iohanni Keisersbergio; *duobus utique viris, cum doctis, tum integris; Præcipuè verò Magistro Engelino visum, nimis præcipitanter cum tanto viro actum esse; Immò non verebatur asserere multos articulos ejus & majorem partem posse sustineri.* Inveniuntur multi ejus libri, Tractatus inter alios *de Indulgentiis* ubi præfractè, Primatum Papæ hominum inventum esse: Ecclesiam, dum in mundo peregrinatur, errare posse: omnia ad salutem necessaria S. Scripturâ comprehendi. Vivebat eodem tempore, sed paulo junior Doctor Wesellus Groeninghensis, *lux mundi* dictus, qui in quadam Epistolâ Inquisitores, damnato Vesalio, seipsum aggressuros quasi præstolatur; quippe qui ejus sententiam & Lutetiæ & Romæ contrà multa Ecclesiæ Romanæ dogmata, asseruerat, & eam nonnullos etiam ex Curiâ approbasse non tacet, à Confessione licet Waldensium non longè abeuntem, ut ex ejus scriptis colligi potest. In tractatu sanè *de subditis & superioribus* edisserit: Papam errare posse, erranti obsistendum esse, in tantâ Simoniâ tamque pravo regimine, cum palam cuique faciat, se salutem Ecclesiæ non curare; statuta porrò ejus eatenus tantùm obligare, quatenus verbo Dei conformantur; Excommunicationes etiam minus reformidandas esse, quam cujusquam viri pij & docti: Quare Concilium Constantiense Iohanni Gersoni potius quàm Iohanni XXIIII. auscultasse; Ut & olim pios quosque plus Bernardo, quàm Eugenio III. Papæ detulisse. Leguntur verò ejus opera Lipsiæ, Antuerpiæ, Basileæ sparsim excusa. Nec non eadem in regione fama tum celebris, familiaris ejus Rodolfus Agricola in luminibus tenebrosi hujus seculi jure censendus, qui in eadem prorsus sententiâ; Et testatur Iosquinus Groenighensis tum adolescens, eos se sæpè vidisse, ob doctrinam Ecclesiæ tantopere deformatam gemitus & suspiria sua commiscentes. Ut & in Brabantiâ docebat Gocchius Pupperus Presbyter, Mechlinensis Decurio, quæ hodie in purioribus Ecclesijs, præsertim de gratuitâ peccatoris justificatione in sanguine Christi, omnibusque Sophistarum & Scholasticorum Glossis explosis, soli S. Scripturæ, Paulo nominatim, inhærendum esse: Quas vulgo interpretationes assuunt, à verbo Dei alienas planè, & Pelagium sapere: ex Christianismo denique Iudaismum & Pharisaismum fecisse; Extantque ejus libri in Germaniâ excusi, *de gratiâ*, *de fide*, *de S. Scripturæ dignitate*, alij; In Universitate Tubingensi Paulus Scriptoris Theologiæ Doctor, quartum librum Sententiarum exponens, ausus Transubstantiationem apertè damnare, tanquam in Scripturâ sacrâ minimè fundatam: quem sequuti Augustiniani, discipuli Iohannis Stauffich Provincialis, & complures alij, inter quos Conradus Pellicanus proximè sequenti seculo omnium linguarum disciplinarumque cognitione clarus, Stauffcho authore corruptelas Ecclesiæ Romanæ fugere edoctus, qui exinde reformationi Ecclesiæ præclaram operam navâvit: Sed, tantum suâ diligentiâ præfecerunt Franciscani, ut ille exulare cogeretur. In Carpania Andreas Archiepiscopus, de quo supra, apud Fredericum III. Cæsarem Concilium pro reformatione Ecclesiæ urgebat, jamque aliquot Episcopos Basileæ coegerat, ulteriùs progressurus, nî Sixtus IIII. Papa idcircò graviter commotus Fridericum conventum illum abrumpere coegisset, qui & in ejus gratiam Andream sub custodiâ retinuit. Ibi, in loco privato, denegantibus carcerem publicum Basiliensibus, à satellitibus quibusdam aliquamdiu servatus, *moritur tandem laqueo strangulatus*, *Pontifice*, inquit Stumpfius, *procul dubio id procurante*; Henricus institor, qui tum Inquisitor, in eum scripsit, accusatque, quod Pa-

Iohannes Wesellus de subditis & superioribus.

Philipp. Melethо. in vita Rodolfi Agricolæ.

Iohann. Stumpf. in Histor. Helveticâ.

Papam, in his, quæ tum fidem, tum mores spectant, reprehenderit, Prælatosque & Universitates per literas ad Concilium pro reformatione Ecclesiæ, crimen ingens, cohortatus sit. Rostochij, quæ inferioris Saxoniæ civitas primaria, prædicabat, tum voce, tum scripto, Nicolaus Rus Presbyter & Theologiæ Baccalaureus: Non esse eam, quæ vulgo jactabatur, Pontificis potestatem: extra verbum Dei evaganti non obsequendum; Indulgentias ejus, meras imposturas; veras illas tantùm, quæ à Deo ejusque misericordiâ gratuitâ propter Christum promanant; Non esse invocandos sanctos, multo minus adoranda eorum ossa; Spirituales, qui se dictitant, Clerum scilicet Romanum, universam Christi religionem in Traditionibus humanis & vanis superstitionibus collocasse, officij sui cæterùm negligentes, & Antichristi ministros: Leguntur hæc in ejus Tractatu, *de triplici funiculo*, ubi Symbolum, Decalogum & Orationem Dominicam exponit, quemque eo consilio Saxonicâ linguâ conscripserat, ut vulgus puriore doctrinâ imbueret. Ibi verò Auditores suos & conventus habebat, & à Waldensium in Bohemiâ Pastoribus interdum visitabatur, à quorum consuetudine novos spiritus sumebat: Donec tandem satellitibus Papæ insectantibus Livoniam petere coactus, diem ibi postremum obijt. Liquet ex ijs quæ ad nos pervenerunt virum doctum fuisse & sacrarum Sripturarum scrutatorem accuratum. Pietatis & justitiæ laude in eadem regione fulgebat Ernestus Archiepiscopus Magdeburgensis: Testatur enim Clemens Schaw ejus Capellanus, qui animam agenti adsistebat, Minorita cum ei insusurraret: *Esto bono animo, inclyte Princeps, nos omnia non tantùm nostra, sed & totius Minoritarum ordinis bona opera tuæ celsitudini communicabimus: Non est dubium, quin illis acceptis, coram Dei consistas tribunali justus & beatus.* Respondisse: *Nullo modo nec meis nec vestris operibus ego confidam, sed solius mihi Christi opera sufficiunt.* Et quam multos ubique terrarum ejusdem fuisse fidei verisimile, cum invitis adversarijs tot testes supersunt? Mirum & divino impulsui haud dubiè tribuendum, quod frequenter hoc seculo, in Historiâ ferè omnium gentium testatum occurrit, multos mente sanâ & alioqui nullius vitij notatos, post hostiæ consecrationem, præ Idololatriæ horrore, extrà se raptos, in eam involasse, solennioribus festis, confertissimâ turbâ, certo vitæ periculo, eamque in frusta concidisse. Ut cæteros omittamus, leguntur Lutetiæ nominatim id fecisse M. Iohannes Anglus postridie Festi corporis Christi, in Capellâ sancti Crispini anno 1491. Alius quidam Picardus Hemon nomine, in sacrâ, quæ vocatur, Capellâ anno 1493. alius rursum studiosus anno 1502. die S. Ludovico sacro, in quadam Capellâ ad dextram sitâ: Qui omnes constanter mortem perpessi, tantam idolomaniam ad extremum usque spiritum detestantes; Ultimus præsertim, neglectis Sorbonæ admonitionibus, parentumque lachrymis, & ejulatibus, quos idcircò acciverant, ipso adeo spreto supplicij horrore, quod exquisitissimum proponebatur.

Nicol. Rus in lib. de tripl. funiculo, German. conscripto.

An. 1491. An. 1493. An. 1502. Christoph. Massæus in Chron. Monstrelet in Additionib.

At in Italiâ prodit hoc tempore Hieronymus Savanaruola Ferrariensis, sectâ Dominicanus, concionator percelebris, pietate, sanctimoniâ, doctrinâ adeo clarus, ut à plerisque Propheta haberetur; Certè Philippus Cominæus à Carolo VIII. Rege nostro in Italiam missus, vidisse se eum Florentiæ narrat, sanctis moribus plurimùm commendatum, qui venturum in Italiam Carolum, quicquid contra scriberetur, perpetuò asseveraret, cujus conatui nihil resistere, nihil opponi posset. Item: quantæcumque moles eidem in Galliam remeanti objicerentur, frustra fore: perfracturum illum & gloriam inde reportaturum; quippe quem in aditu ha-

Philipp. Cominæus in vitâ Caroli 8. c. 25 & 52.

habuerat, Deum Opt. Max. in reditu ducem & protectorem experturum; Denique de Caroli morte, nî Ecclesiam reformâret, pro munere sibi à Deo imposito, latam in cœlo sententiam disertè pronuntiabat, cujus executio miseri Principis reditum mox consecuta sit. Ibi verò, laudatissimæ vitæ eximiam concionum utilitatem Cominæus consociat, quibus potissimum à vitijs ad virtutem homines revocabat. Iohannes sanè Picus Mirandulanus Comes, verè mirandus, seu profundam doctrinam, seu raram pietatem spectes, Prophetam appellat, & adversus Papam Apologiâ in eam rem expressâ tuêtur; Marsilius etiam Fiscinus, insignis ille Philosophus, in quadam Epistolâ in ejus laudes se effundit, coætanei ambo: Sed qui Florentiæ degebat Guicciardinus, hîc præ cæteris, testis quippe oculatus, nobis audiendus. Testatur ergo à majori Populi parte Prophetam habitum: *Quia, quo tempore Italia in profundo otio esse videbatur, in concionibus sæpius prædixerat, Italiam ab externis copijs invasum iri, cùm tantâ trepidatione, ut non consilia, non mœnia, non arma ulla eas aut arcere, aut repellere possent.* Hæc, per quindecim annos, quibus Florentiæ conversatus: *At*, inquit, *cum Carolus in Galliam redijsset & Papa ab eo pavore jam liber esset*, Hieronymus ei facile in mentem redit. *Quia igitur pridem apud eum accusatus fuerat, quod non sine scandalo in mores Cleri & Curiæ Romanæ inveheretur, Florentiæ discordias aleret, & dogmata minus Catholica sereret, per Brevia Apostolica sæpius citâtus, Romam venîre recusavit: Quare anno 1479. ab Ecclesiæ communione amputatus fuit.* Cumque nihilominus in officio concionandi pergeret, adversarij Pontificis authoritate superiores facti, ex Monasterio S. Marci, ubi habitabat, protractum in publicum carcerem conjiciunt: in quo tumultu, propinqui eorum, qui superiori anno capite plexi fuerant, Franciscum Valorem *eximium civem & præcipuum ejus patronum* trucidant; *Ibi*, inquit Guicciardinus, *quæstio de Savanarola, per tormenta habetur, indeque, Processus publicatur, qui dilutis omnibus calumniis, quibus ante petitus fuerat, avaritiæ, morum minus honestorum, aut arcanorum cum Principibus conciliorum eò se referebat: Quæ ab eo prædicta fuerant, non à revelatione divinâ, sed à propriâ opinione esse, quam in sacræ Scripturæ doctrinâ, & observatione fundaret: nec eum in his malum finem sibi proposuisse, forte dignitatem aliquam Ecclesiasticam eâ ratione consequuturum, sed id unum spectasse, ut ejus impulsu Concilium generale convocaretur, in quo tum corrupta Cleri disciplina, tum degener Ecclesiæ Dei status, quoad fieri posset, ad priscorum & Apostolicorum temporum similitudinem revocaretur. Tantum opus, tam salutare si perficere posset, laudem & gloriam longè majorem arbitrari, quam si Papatum ipsum obtineret: illud cum nonnisi ab excellentissimâ doctrinâ & virtute proficisci possit, quam singularis apud homines reverentia subsequatur, Papatus contrà aut malis artibus, aut fortunæ beneficio aut obtineatur, aut contingat.* Et hîc judicet Lector, reformationem Ecclesiæ in Concilio generali, quâ ad seculum Apostolicum exigatur, desiderare aut provehere, quam immane apud eos crimen: *Processum hunc ubi confirmavit coram compluribus Religiosis ejusdem Ordinis, Dominicanorum generale & Episcopo Romolino judicibus, à Papa delegatis, sententiam in eam ferentibus: quorum hic postmodum Cardinalis Surrentinus, ipse cum duobus sodalibus, sacris ordinibus exaugura- tur: quo facto brachio seculari traduntur, cujus judicio, laqueo ante strangulati, concremantur. Hanc mortem quia constanter pertulit, non protinus extincta varia hominum tum studia, tum judicia, Creditum enim à nonnullis Planum illum fuisse & impostorem: At à pluribus Confessionem illam, quæ vulgabatur, confictam fuisse, aut ut debilioris naturæ erat, per tormenta contra veritatem extortam, quam fragilitatem Principis Apostolorum exemplo excusabant, qui nec vinctus, nec cruciatus, nec per vim adactus, meris ancillæ & fa-*

Guicciard. l. 2.

Guicciard. l. 3.

æmulorum verbis territus, discipulum se magistri sui negasset, cujus tam sancta præcepta, tanta miracula ipse percepisset. Et hinc revincuntur satis, quæ illi impinguntur apud Nauclerum calumniæ, cum non aliud ei crimen imputet Guicciardinus, quam quod prædictiones suas, quas ante à revelatione divinâ asseruerat, morti propinquus ex Scripturæ sacræ observatione & interpretatione profectas agnoscit; Apocalypsis haud dubiè, quæ revelationem propriè sonat, quamque à Deo esse nemo diffitêri ausit. Flaminius sanè illustris Poeta Italus in ejus Epitaphio longè aliter sensit. Naucler. Gener. 50.

Dum fera flamma tuos, Hieronyme, pascitur artus,
Religio flevit, dilaniata comas,
Flevit, & ô dixit, crudeles parcite flammæ
Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.

Iam si quæras in hoc Concilio, quod tam ardentibus votis expetebat, quænam religionis capita reformari desiderasset, ex ejus libris respondere facile, in quibus Traditiones humanas, quantum potest, evertit; In gratuitâ justificatione, per fidem in Christo spem omnem suam collocat: Passioni Christi affixus hæret: Unum Christi meritum agnoscit, Communionem sub utraque specie tuêtur, in Indulgentias detonat; & porrò seu vitam sed doctrinam intueâris, Antichristum in Curiâ Romanâ regnantem, quasi indigitat. Caput inprimis de gratuitâ justificatione in Meditationibus in Psalm. 30. & 35. synceriſſimè tractatur, quas Possevinus ipse ab eo compositas nocte, quæ supplicium præcesit, agnoscit: Et verò cæteros Sermones aliosque libros Index Romanus pro suâ licentiâ interpolavit.

Verùm, si ad reformationem anhelasse, sub eo jugo, hæresis fuit, ultricibus flammis digna, certè non ille in culpâ, non in periculo solus; Plena tum Europa egregijs viris, quorum vota idem contendebant: Nec deerant, qui imminêre reformationem prædicerent, clarè adeo, ut ab afflatu divino id esse nemo non vidêret. De Wesalo Groeninghensi nobis supra fuit sermo, *cui lux mundi* cognomen; Iohanni Ostendorpio Ecclesiæ Daventriensis Canonico, venerabilem senem invisenti: *studiosè adolescens*, inquit, *ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum & contentiosorum istorum Theologorum Thomæ & Bonaventuræ, & aliorum ejusdem farinæ ab omnibus ferè Christianis Theologis explodetur.* Tilemanus Spengerberg filios & vicinos compellans: *brevi eam religionem, quæ tum vigebat, in summum venturam contemptum, tum eos visuros Sacerdotes & Monachos ob maliciam, avaritiam, odia, & fœditates ejectos ex Templis & Monasterijs discurrere, & aliam veram tùm religionem fore instaurandam: Non enim patietur Deus corruptiſſimos horum hominum mores, præsertim, cum vix unicum verbum Euangelij doceant, & præterea vitam, quolibet etiam Ethnico indignam ducant.* Et Paulus Scriptoris Theologiæ Doctor in Academiâ Tubingensi in eadem verba; Iohannes Keiserbergius Argentinensis concionator & librorum aliquot Theologicorum Author: *venturus*, inquit, *quidam divinitus excitatus, qui eam instauret*; Et discipulus ejus fieri ardenter optabat. Ecclesiasticus quidam apud Curiam Rhetorum sodales alloquens: *Vos jam Paulum sub scamnum abjecistis: veniet aliquando tempus, cum ipse inde prorepens viciſſim vos sub scamnum protrudet.* Andreas Proles Augustinianorum Prior Lipsiæ in lectionibus dicere solitus: *Auditis, fratres, testimonium Scripturæ sacræ, quod gratiâ sumus quicquid sumus, & gratiâ habemus, quicquid habemus: Unde igitur tantæ tenebræ, & horrendæ superstitiones? O fratres res Christiana opus habet forti & magnâ reformatione, quam quidem jam prope instare video,*

Gerard. Noviomagus in Historiâ.

deo. Quærentibus verò fratribus: Quare ipse non inciperet reformationem, ac erroribus sese non opponeret? respondebat: Videtis fratres, me esse ætate grandævum, corpore & viribus debilem, & agnosco me non esse præditum tantâ doctrinâ, industriâ, & eloquentiâ, quantam hæc res postulat. Sed excitabit Dominus heroem ætate, viribus, industriâ, doctrinâ, ingenio & eloquentiâ præstantem, qui reformationem incipiet, erroribusque sese opponet: ei Deus animum dabit, ut Magnatibus contradicere ausit, & ipsius ministerium salutâre Dei beneficio comperietis. Hæc ex relatu Heningi Augustiniani Monachi in cœnobio cui nomen *Portacœli*, prope Weringherad, cujus Proles ille Prior, quem postmodum Papa excommunicavit, quòd in Concilio Lateranensi adversus novum aliquod Festum intercessisset, obtestatus Populum Christianum sanguine Christi liberatum, nimijs traditionibus premi, à quâ sententiâ nunquam retrahi potuit: Iohannes Hilten Monachus in Henac Turingiæ, in carcerem conjectus, quod Monasticos quosdam abusus coarguisset, ingravescente morbo Guardianum appellat, *dicitque se quidem nihil admodum contrà Monachatum docuisse: Sed venturum anno* 1516. *qui sit Monachos eversurus, ac cui repugnare plane non queant.* Et hoc ipso anno Lutherus prædicationem inchoat, quod sanè humanam divinationem longè superat; Et similes ubique colligi possent, qui ex profundis hisce tenebris, tanquã aurorâ appetente renascentem Euangelij lucem præsentiebant. Ad quam sanè ab omnibus pijs ita tandem anhelatum: ut Paulus Langius Citicensis Monachus Trithemij Abbatis discipulus Luthero suo tempore prodeunte (Cœnobium suum licet non deseruerit) incredibile ei testimonium perhibeat. *Martinus*, inquit, *Theologus consummatus, profundus, incomparabilis, sacram Theologiam ad fontalem dignitatem, primævamque puritatem, necnon Euangelicam, sinceram, simplicemque suam illam innocentiam, omni prorsus seculari Philosophiâ explosâ, revocâre conatur,* Item: *Simonem de Cassia Christianissimum* olim *Theologum imitatus, omni prorsus posthabitâ & contemptâ Philosophiâ purissimè sacras tractat docetque literas, assiduè veneranda & penè inaudita divinorum eloquiorum arcana producens in lucem: ob magnitudinem ingenij & dexteritatem toto resonatus in orbe, quamquam, nec ipse instar Divi Hieronymi, æmulorum careat invidentiâ, Scholasticorum videlicet Theologistârum, qui in sacris philosophantur literis, persecutione.* Alibi rursum sub annum 1503. Carolostadium & Melanthonem ei adjungens: *Theologiæ studium, ac divini Verbi triticum absque omni palearum, id est, secularis Philosophiæ Syllogismorumque mixturâ, purissimè tractant & edocent, sacram Scripturam, & potissimum Christi Euangelium, & Paulum Apostolum habentes pro Archetypo & fundamento, cum ipso literarum studio timorem Dei & cunctarum virtutum semina, verbo, exemplo & calamo in discipulorum pectore spargentes.* Quæ, ne fortè ab eo dicta regeras, antequam Lutherus Pontifici Romano bellum indixisset: En tibi rursum quæ sub annum 1520. multa de Indulgentiarum abusu excessuque præfatus: Is, inquit, *suâ & doctrinâ, & prædicatione mirabili, Indulgentiarum omnium valorem annihilavit, & prorsus in dubium vertit, populumque ab earundem redemptione avertit, eas minimè ad salutem fore necessarias affirmans, non remissionem peccatorum, sed pœnitentiæ neglectum, & aliorum pietatis operum relaxationem impedimentum, & vitium esse: Nec merita Christi & Sanctorum indulgentiarum Thesaurum esse eum in primitivâ Ecclesiâ & longè post, penè per mille & ultra annos, nihil de eis scriptum per sanctos reperiatur Ecclesiæ Orthodoxæ Doctores, nec quippiam magnificè, ut nunc auri amore fit, de eis creditum aut æstimatum fuerit. Asserens insuper & probans Romanam Ecclesiam, non esse jure divino, primam & caput omnium, &c.* Quapropter, inquit rursum, *in præsens usque, modis omnibus ceu alterum Athanasium per-*

Philippus Melanthõ in Apologiâ c. de votis Monasticis.

Paulus Langius, Cyticensis Monachus in Chron.

persequuntur potissimùm, quod disputaverit Romanam Ecclesiam non esse divino jure primam & caput Ecclesiarum orbis, & alia quædam ejus rara & ardua dogmata, quæ non modò Romanenses, sed complures alij doctissimi, præcipuè tamen Thomistæ impugnâre non cessant. Veruntamen Martinus ille, Theologorum nostrâ ætate omnium facilè sapientissimus princeps, doctrinam suam Euangelicis testimoniis & Divi Apostoli Pauli, necnon priscorum Orthodoxorum Patrum originalibus dictis roborans & comprobans, eatenus perstitit invictus; habens & ipse nihilominus adhærentes & consentientes etiam aliarum regionum consummatissimos Theosophiæ doctôres ut eruditissimum illum & eloquentissimum divinarum Scripturarum interpretem novum, Erasmum de Roterodamo, Iohannem Reuschlin, Iacobum Stapulensem, Iodocum Clithoveum & plures alios. Et hæc quidem Monachus, *non assertivè*, inquit, *sed admirativè, more multorum suspensus, quousque per Oecumenicum Concilium, quid in tam arduâ re tenendum sit, decretum fuerit.* Sed in Galliâ nostrâ, quid inter hæc temporum intervalla gereretur, adpendamus.

Pragmaticam sanctionem, uti vidimus, sub Rege Ludovico XI. quassaverat Pius 2. sed quam partim eo adhuc superstite Curia Parisiensis sustinuerat, partim sub Paulo 2. successore, Universitatis interventu, in integrum restituerat: Iam Sixto quarto eam rursus impugnare visum: is enim illis perpetuò scopus, jam tum fortè ruituram ni Ludovicus XI. quasi sui juris factus, adde & Sixti facinoribus offensus, ejus defensionem seriò suscepisset, ut (quod Pragmaticæ glossa nos docet) non Sixtus, non successores Innocentius VIII. & Alexander VI. pacta, quæ in illius præjudicium moliti erant, ad effectum perducere potuerint: qualia memorantur in Extravagante *de treuga & pace* capite primo, sed Constitutiones Ludovici XI. Sixto Pontifice alias sibi satis indulgente, notatu in primis dignæ. Una octavo Ianuarij data anno 1475. in quâ ostendit in vim Constantiensis & Basiliensis Conciliorum Universalium, quæ Pontifex & Cardinales approbarint, (advertantur hæc verba) sibi ratum Sixtum rogare, ut primo quoque die Concilium habeat, in quo adversus Turcæ invasionem, schismatum pericula, & Simoniæ abusus Orbi Christiano prospiciatur: Quare omnes regni antistites & alios insigniores Clericos ei interfuturos in procinctu esse jubet: quæ sanctio vigesimâ quintâ Ianuarij eodem anno in Senatu lecta: Non alio potentiori fræno furorem ejus cohibere potuisset. Eodem verò die alia evulgatur, quâ, qui Romæ hærebant intra quinque menses in Galliam redire jubebantur, in suis quique Sacerdotijs, beneficijsque juxta sacros Canones sessuri, ni paruissent, *temporalis sui amissione mulctandi:* Ut caput simul & membra eadem authoritate coerceri intelligas. Itidem & alia eodem die, quâ admonentur omnes urbium Præsides, Regijque Magistratus, accuratè scrutari & excutere omnes cujusque generis & conditionis *à Curiâ Romanâ redeuntes*; Advertere etiam ut omnes literas, Bullas, expeditiones Romanas ipsis exhibeant: unde si res postulet Regem illicò admoneant. Hodie si quid simile, quis hæresim inclamaturos dubitet? Sequitur alia anno 1476. tertiâ Septembris data, septimâ Senatui exhibita, ne quis Abbas, Prior, Religiosus, aut alius cujuscumque status, nationis aut conditionis capitula Cistertiensium, Cluniacensium, Chartusiensium, aliave seu generalia seu provincialia extra regnum, Regisve obedientiam accedere præsumat audeatve, Religiosis, si secus fecerint, nullum unquam beneficium aut possessuris aut obtenturis, Mendicantibus ipsis præter exilium extirpandis, ejiciendis, toto regno profligandis, nempe ne quid in Reipublicæ fraudem cum exteris agitent. Rogo jam qui

Pragmat. Tit. de collat. paragr. Quod si cuiuscumque status in verbo quatuor & ibi Glossa.

qui nullos nisi Generales exteros habent, conventus suos extra regnum habere tenentur, quo jam loco illi fuissent: Alia demum 16. Augusti anno 1478. quo tempore Comes Hieronymus jussu Sixti Florentiam frustrà tentaverat, unde Florentini quod proditores supplicio affecissent, interdicto subjecti: *noster sanctus Pater*, inquit, *in Rempublicam Florentinam Venetamque odium suum nimis prodit: Sic verò Turcæ animum & vires addit, portam invadendis Christianis aperit, opes, pecuniasque divino cultui, fidei defensioni, pauperum subventioni destinatas intervertit, ad conspirationes suas convertit, quæque ei in orbe Christiano exigere conceditur in vilium personarum augmentum prodit*, &c. Attende verò quid proinde statuat, quare *interdicimus*, inquit, *omnibus personis, secularibus, aut quibuscunque aliis, ne beneficia captaturi Curiam Romanam adeant, eove mittant, pecunias etiam ne seu in specie, seu per literas collybisticas, aliave quavis ratione eò destinent, si quid contra faciant pœnâ capitis bonorumque privatione luituri, &c.* Et porro *mobilia, supellectilem, equosque eorum denuntiatori jam addicimus*: Curiæ igitur nostræ, quæ tam alacriter has constitutiones publicabant, Sorbona ipsa quæ comprobare solita num tum hæretica, num à fide devia? Ab eadem mente Carolo octavo Ludovici filio Cæsaroduni Turonum Regni Comitia habente, M. Iohannes Rhelius Theologiæ Doctor & Ecclesiæ Parisiensis Canonicus, Cleri Gallicani nomine verba faciens, Regem obsecrat, Pragmaticam juxta Constantiense & Basiliense Decretum in omnibus suis Capitibus tueatur, nihil in ejus fraudem fieri patiatur, seu *per reservationes, provisiones Apostolicas, gratias expectativas, in electionum & ordinariorum præjudicium, annatas, minuta servitia, &c.* seu *per citationes ad Curiam Romanam, Censuras Ecclesiasticas, quæ subditos distrahunt & vagari compellunt & cætera hujusmodi*: quod nemine reclamante obtinuit, sed quod à Monstreleto refertur, de authoritate, quam Carolus ipse Romæ in os Alexandri sexti exercuit, Palmarij loco esse debeat: *ostendit ille*, inquit, *tum se in urbe Româ tam efficacem & magnificam potestatem habere, ut tria quatuorve patibula ibi erexerit, nonnullos latrones, sicarios, aliosque nefarios laqueo strangulari capiteque truncari in campo florum jusserit, alios similiter pro delictorum ratione virgis cædi, mergi, auribus mulctari, ostensurus nimirum se Ecclesiæ filium & Regem Christianissimum Romæ mixtum merumque habere imperium, non minus quam Lutetiæ aut in cæteris urbibus Galliæ.* Hæc Monstreletus author coætaneus.

Mõstrelet. Vol. 3. in novis Chronic.

PROGRESSUS.

ALexandro mortuo quærendus erat successor. Borgia, morbo licet languidus, arbiter electionis fieri volebat, nec, Cardinalium Hispanorum ope fretus, desperabat: Sed ex alterâ parte, Cardinalis Ambosianus Cardinalium Gallorum gratiâ, exercitusque potentiâ subnixus, obstabat: *Cardinales licet*, inquit Guicciadinus, *pro suo more utilitatem propriam tantum intuerentur*. Is quippe Spiritus Conclavis sui animos jam pridem regit: Utrique igitur, quia, partim cupiditatibus suis abrepti, partim præpediente illâ æmulatione, in factionis suæ hominem consentire plerique non possunt, Franciscum Picoluominum Pium nomine tertium eligunt, senio confectum & jam ægrotum: potius ut tempus aliquod extrahant, quàm ut de suo Papatu quidquam sperent: Et vero vigesimo sexto post die moritur: Post cujus obitum præter & contra ordinem de successore extra Conclave constitutum; quia Cardinalis S. Petri ad vincula amicis, famâ & opibus præpotens, tot

tot Cardinalium suffragia sibi conciliaverat, ut, qui contra sentirent, mutire nihil auderent. Quare novo exemplo Conclave ingreditur, de Papatu certus, eoque ne quidem clauso primâ nocte eligitur: qui, quàm magna spiraret in ipso Papatus vestibulo significaturus, Iulius (secundus) nominari voluit: *Inde verò*, inquit Guicciardinus, *non leviter quisque animo consternâri, quod in talem Pontificem consensissent, quem omnes morosissimum, intolerabilem, truculentum & quietis impatientem nossent, quique in eximios quosque viros immanes jam inimicitias exercuisset.* Ejus porro præcipuas dotes postquàm exposuit: *Ad dignitatem illam*, inquit, *ut perveniret ex eo præcipuum illi adjumentum, quòd Cardinalibus, Principibus, Baronibus, & cæteris, qui id negotij promovere poterant, ingentia promiserat, quicquid peterent nihil denegare ratus. Adde & pecuniam & beneficia dignitatesque Ecclesiasticas profusè elargitum, tum suas, tum alienas: quia, quæ erat de ejus liberalitate opinio, multi spontè ad eum accurrebant, quæ possidebant oblaturi: ut suis nummis, nominibus, officijs, beneficiis pro libitu uteretur, nec advertebat quisquam, plura ipsum pollicitum, quam, Papatum adeptus, præstare aut posset aut deberet, quippe tam integer & veridicus pridem habitus ut Alexander, infestissimus licet ejus adversarius, cætera in eo vituperare solitus, hanc in eo virtutem agnosceret. At, sanè qui optimè nôrat neminem faciliùs fallere, quam qui nunquam fefellisse creditur, eam laudem, ut Papatum consequeretur, contaminare nequaquam verebatur.* Et hæc de electionis ritu. Erat ei filia Felix nomine: hanc continuò Iordani Ursino despondet, Lucretiam etiam ex Lucinâ sorore neptem Antonio Columnæ: sicque sedem suam Romæ firmat: Inde de subigendâ armis Romandiolâ cogitat & recuperandis quæ Borgia aliique in eâ occupârant: si quis illicò parere detrectâret, protinus fulminandus. Tunc igitur excussa moderatio illa, quam in Cardinalatu retinuisse, *in omnibus dictis & factis*, Onuphrius dicit: *adeò ut non satis haberet talem se præstare, sed familiares quoque quoad posset modestos deligeret.* Onuphr. in Iulio 2. Nempe ut Papaturientis mores cognoscere difficile est, & semper fuit. Primo ille impetu Bentivolios cum uxoribus & liberis Bononiâ expellit, eorumque domos & familias plebis furori exponit, Inde in Venetorum excidium animum convertit, quos & excommunicat & prædam primi occupantis facit. Ludovicus XII. noster, qui cum primum fœdus contraxerat & Venetos ad Abduam devicit, ei suspectus fit: licet ex hac victoriâ fructum ipse præcipuum perceperat: Nihil non tentat ut eum Italiâ expellat, nullam non technam, aut machinam adhibet: Ludovicum is & Maximilianum Imperatorem in Venetos incitârat: Iam viceversa cum Venetis in utrumque conspirat: Quin Alfonso Ferrariæ Duci sacris interdicit, bellumque apertè infert, quod Gallorum partes amplecteretur, admonitusque ab eorum amicitiâ discedere recusarat: Ludovicus ipse cum auxiliares copias Duce Calvimontio Alfonso misisset, Calvimontium Iulius & primores exercitus anathemate percutit: Itaque Maximilianus & Ludovicus, ut ejus insolentiam reprimant, rationem inire coguntur, quâ ad Concilium citari adducique posit. Christoph. Massæus l. 20. chronic. Guicciard. l. 9. Unde anno 1510. ineunte Septembri apud Turones Nationale Ludovicus indicit, in quo quæsitum: *Num liceret Papæ absque causâ Principi bellum inferre*: responsumque Non licere. An. 1510. Item, *Numnon tali Principi, pro suâ defensione fas sit eum invadere, seseque ejus obedientiæ subducere.* Definitumque *Fas esse.* Quin, & Pragmaticam Sanctionem in Galliâ retinere placuit, censurasque ejus in omnem eventum negligere: Rex modò, antequam ejus obedientiæ se substraheret, Iulium per Legatos de articulis illis apud Clerum constitutis, certiorem faceret, ut eos si minus observaret, ad Concilium se citandum Generale intelligeret. Et porrò convenit, ut Rex idoneam pecu-

niæ summam Gallicano Clero imponeret, contra Iulium, si in instituto pergeret, impendendam. Advenit inter hæc Episcopus Gurcensis à Maximiliano Legatus, qui in celeberrimo illo cœtu auditur, quo & puncto nuntius de Iulij pervicaciâ opportunè affertur: itaque vicesimâ septimâ Septembris, Concilium generale Lugduni, ineunte Martio celebrandum, unanimi consensu, indicitur. Hæc, ex quinque Primariorum Cardinalium consilio, S. Crucis & Cosentiæ Hispanorum, Baiocensis & S. Maclovij Gallorum, & Federici de S. Severino Itali cum Imperatore & Rege in id conspirantium, ut Iulius ad Concilium adigeretur: Quo & fine ab eo secessionem fecerant: quamquam, si Guicciardino fides, non ipsis melior
Guicciard. l. 9. aut animus, aut mens: adeò Sedem universalis corruptio quasi gangræna pervaserat: Rex licet bono desiderio moveretur.

Interim non otiatur Iulius, licet nihil minùs, quam quæ Papam decebant, cogitans: Interventu enim Medicæi Cardinalis cum Marco Antonio Columna & adolescentibus quibusdam Florentinis paciscitur: ut Petrum Soderinum Reipublicæ vexillarium interimant: odio ex eo concepto quòd Florentinis author fuisse diceretur, ut Gallorum partes amplecterentur, *quod ei in summam infamiam versum.* Ferrariam etiam aggressurus, Mirandulam sibi primum invadendam statuit, lentiorisque obsidionis, nec ex voto succedentis pertæsus, *quod anteà inauditum & vix,* inquam, expectandum, ipse obsidioni adest, Christi in terrâ *Vicarius*, inquit Guicciardinus, *urbem Christianam invadit, senex licet & æger bellum in Principes Christianos à se concitatum, præsentiâ suâ urget:* Obtirmatus adeò simul & pręceps, ut nihil satis pro libitu acceleretur: Ductoribus, idcircò irâ & furore accensus, perpetuò immineat, apud ipsa tormenta hospitium sibi deligat: ita ut, in ipsius adeò coquinâ, duo famuli tormenti ictu interimantur: quicquid contra moneant Cardinales: & personam ejus & Sedem ipsam scandalo & ludibrio eâ ratione exponi. Monstreletus appositè: *Sedem Petri deseruit, ut Martis titulum assumeret, bellorum Dei, triplicem coronam apertis campis exponeret, & in excubiis noctem transigeret;* Et *Mitrás*, *Cruces*, *Lituos in castris volitantes, quam pulchrum esset videre*, *Deus novit; Diabolus saltem minimè adfuisse verisimile, ubi tam vili pretio benedictiones prostabant.* Mirandulâ captâ Ferrariam exercitum promovet, & neglectis quas Imperator offerebat conditionibus, consilijs etiam Ferdinandi Hispani, cum quo ei fœdus, in instituto perstat. Tum itaque ad Pisanum Concilium eum citâre visum, hinc urgentibus quinque illis Cardinalibus, & Galliæ Germaniæque Prælatis, tanquam *notoriè scandalosum*, incorrigibilem, bellorum incentorem, regendo Papatui minimè idoneum, unde ad ipsos convocandi Concilij authoritas devoluta sit; Illinc Ludovico XII. Rege per vim eum in ordinem cogere parato, in exercitum etiam si opus, protinus advolaturo; Maximilianus licet, à scriptoribus coævis ideò inconstantiæ notatus, fœderi inter eos inito desit. Dignum notatu, Ludovici jussu, cusam tùm in Galliâ monetam, quæ adhuc à nonnullis asservatur, in cujus alterâ facie: *Perdam Babylonem*; aliâs, *Perdam Babylonis nomen,* ut novum jam nemini esse debeat, si tanto Authore, Populi Gallici patre, Roma Babylon nobis. Iulius igitur octo novos Cardinales creat, ut alios Principes sibi conciliet, contrà quàm, cum eligeretur, pollicitus erat; Cum etiam Trivultius, qui copijs Gallicis præerat, Ferrariam metu liberasset, Bononiam cepisset, programmata publicè affixisset, quibus Iulius Pisas citabatur, Romam præ desperatione, victus regreditur: nec minus animo saucius, quod Urbini Dux ejus nepos Cardinalem Papiensem Legatum & intimum suum, in ejus quasi oculis, pugione confixisset, *ob immania & innumera scelera,*

ra, inquit Guicciardinus, *quovis licet immani supplicio dignissimum*. Ibi verò animum recolligens, fœdera firmat, Imperatorem emollitum, Gallorum fœderi substrahit; jamque omnes difficultates sibi superasse visus, unum Ludovicum cogitat, in eum Anathematum suorum fulmina vibrat, regnum etiam interdicto subjicit: At Clerus noster minimè parendum ratus, in promovendo Pisano Concilio perpetuò pergit, quod Mediolanum demùm transferre & tutius & commodius visum; Et ibi sanè rursum boni isti Cardinales non meliorem existimationem, quam Romæ Iulius, adepti. Tandem exercitum Iulius cum fœderatis educit, haud dubiè in dies incrementum sumpturum, adeò cæteris Principibus, Hispano præsertim, propter regnum Neapolitanum sibi cum Gallis controversum, Ludovici potentia suspecta fiebat. Sed Ludovicus, cum tot hostibus sibi soli dimicandum cogitans, aut apertis, aut mox aperiundis, revertendum sibi ratus, Gastoni Foxio, Ducatus Mediolanensis Legato, mandat, occasionem pugnæ cum exercitu Papali nullam omittat, in quâ si superior evadat, Romam festinatis itineribus contendat, ibique Papam, nullâ ejus reverentiâ, invadat: Nihilominus tamen, ut id jure fecisse existimetur, Concilij authoritate omnia gerat, cujus vice Legatus exercitui præsit, partasque eo bello urbes accipiat. Is fuit Cardinalis de S. Severino, à Cardinalibus Bononiensis Legatus institutus, *belli*, inquit Author noster, *studiosior quàm religionis*. Itaque Gasto post nonnulla bellica facinora, Papales ad certamen illecturus, Ravennam obsidione cingit. Comparet Iulij exercitus subsidium laturus Duce Iohanne Medicæo, Florentiâ pulso (is post Leo X.) quem, in Florentinorum maximè odium evexerat: At Gasto aciem in eos vertit, ipsaque Paschatis die prælio commisso, Ravennatem victoriam tantopere decantatam obtinet. Captus Legatus exercitus, Proceres etiam plerique, ad que ejus primum nuntium Iulius, tanquam rebus desperatis de Româ deserendâ anxius cogitabat: sed cursum victoriæ Gastonis mors interrupit: unde ei respirare & sedem suam firmâre datum, eò magis quod Palissa Marescallus cum copijs Gallicis, quibus Gastone sublato præerat, in Galliam revocatur, Helvetijs opponendus, qui partim in favorem Iulij, partim propriâ utilitate impulsi, in Burgundiam sese effuderant.

Guicciard. l. 10.

Iàm, nostram victoriam apud omnes Principes ad suum commodum inflexurus, Gallorum potentiam reprimere quanti sit momenti ob oculos ponit; Apud Italos præsertim Ferrariensem, Florentinos, alios, ut eos à fœdere Gallico distrahat: imprudentiam Regis exagitat, qui felicitate suâ uti nesciens socios, subductis suis auxilijs, potestati suæ jam permittat; Quin & de Aragonensibus excutiundis, pellendoque ex Italiâ Hispano milite aut profligando jam ovabundus, sermonem injicit, cujus interim ope adversam fortunam sustinuerat; regnum nempe Neapolitanum ut sibi asserat: in Helvetiorum denique amicitiâ & fœdere satis sibi jam præsidij esse putat. Pisanum porrò Concilium quod Mediolanum translatum fuerat & jam apertè aspernatur, Gallicis quippe viribus tantùm subnixum, quæ in proprijs tuendis abundè occupentur, & resumpto animo aliud ei Laterani opponit, excommunicatis omnibus, qui Pisano adhæreant, Ludovico adeò Rege ipso, quem editâ Bullâ Christianissimi titulo, ad Regem Angliæ transferendo, privat, huncque ad bellum Galliæ inferendum extimulat, cujus regnum Lateranensis Concilij Decreto, Bullâ etiam in eam rem expressâ, primo occupanti exponit: *Verùm, inter tam arduas cogitationes*, inquit Guicciardinus, *& alias fortè majores & secretiores, nihil enim tam immane, tam supra opinionem ac fidem, quod truculento illi* in-

ingenio impar, post aliquot dierum ægritudinem morte corripitur, &c. Magnâ laude dignus, si secularis Princeps talia ausus esset, aut quam bello in rebus temporalibus conabatur, Ecclesiam in spiritualibus pacis artibus exaltâre maluisset: desideratus tamen præ cæteris: Sed nota à quibus: *ab ijs, qui veris rerùm nominibus amissis, confusaque illarum distinctione, Pontifices in eo plus laudandos judicant, quod armis & sanguine Christiano sedis Apostolicæ dominatum extendunt, quam si bonis vitæ exemplis corruptorum morum correctioni incumbentes, saluti animarum prospicerent, quarum causâ à Christo Domino se Vicarios in terrâ constitutos gloriantur.* Et ad petulantiam hujus Pontificis annon meritò sublatis in cœlum oculis Maximilianus exclamabat: *Deus æterne, nisi vigilares quàm malè esset mundo, quem regamus nos, miser ego venator, & ebriosus ille sceleratus Iulius.*

Ioakimus Cureus Freistadiēsis in Annalib. Gentis Silesiæ. Arnold. Ferronius in vitâ Ludovici. Gilberti Ducerii Epigrāma.

Legitur etiam, cum paulò post electionem Româ, bellum Maximiliano & Ludovico illaturus, discederet, claves de Ponte in Tiberim projecisse, strictoque ense altâ & sonorâ voce inclamasse: *Claves Petri quandoquidem non sufficerent, Pauli ensem non defuturum esse:* Quod facinus pluribus Epigrammatis occasionem dedit, his inter alia:

Hic gladius Pauli nos nunc defendit ab hoste.
Quandoquidem clavis nil juvat ista Petri.

Et,

In Gallum, ut fama est, bellum gesturus acerbum, &c.

Unde & Wicelius, Paparum licet defensor, ingenuè, *Marti quàm Christo propiorem* dicit; quippe qui novem annorum spatio ducentis hominum millibus mortis occasionem dederit. Itaque, quæ Mendicantibus privilegia decessores concedere solebant, hic fœderatis Helvetiorum Pagis, consiliorum suorum executoribus præcipuis: quibus, *perpetuum libertatis Ecclesiasticæ defensorum titulum, cum multis Bullis, vexillis, ense & pileo aureo,* alijsque muneribus, attribuit, ut eos ad omnia sua jussa promptos haberet. Nec interim indulgentias, unde pecuniam corraderet, segnius curabat, teste vel Epigrammate.

Fraude capit totum Mercator Iulius orbem
Vendit enim cœlos, non habet ipse tamen, &c.

At quod ex ejus Bullis constet abundè, illâ præsertim anno 1505. quâ novus adhuc Pontifex statuit: *ut decimoquinto quoque anno Beneficiorum Annatæ solvantur.* Ut verò adversus omnes monitiones, quæ diversis ex partibus adhibebantur, merâ suâ authoritate tutus esset, Pij II. Bullam renovat, in eos qui à Papa ad Concilium futurum appellant, ita, ut appellantes quidem excommunicati, appellationes verò ipsæ irritæ censeantur; Et hæc quidem magnificè præfatus, *ex debito officij Pastoralis, suscepti regiminis curâ nos sollicitat, &c.* Quâ fronte an fide, tu Lector judica, nisi illâ sane de quâ Epigramma,

Bulla cujus initium ex debito Pastoral. officij. alia cujus initium. suscepti regiminis cura sollicitat. Conradus Grebelius in Epigra.

Genua cui patrem, genitricem Græcia, partum
Pontus & unda dedit, num bonus esse potest?
Fallaces Ligures, mendax est Græcia, Ponto
Nulla fides, in te hæc singula Iule tenes.

Quod sanè toto vitæ tempore reipsâ comprobavit. Omitterem verò lubens ejusdem authoris alios versus, nisi turpitudo omnis ipsis ludus.

Venit in Italiam spectatus indole rarâ
Germanus, redijt de puero mulier.

Quod de Iulio dictum voluit. Idem autem à Parisiensibus Theologis scriptum de

de duobus nobilibus adolescentibus quibus vim intulit, quos Anna Regina Ludovici XII. uxor, in Italiam secum ducendos Cardinali Nannerensi commendaverat. Addamus coronidis loco; cum Bononiæ à Calvimontio Ludovici XII. Legato obsidione premeretur, Turcarum cohortes aliquot Chapino Vitellio duce, dum tempori extrahendo pacis sermones miscet, in urbem induxisse: Qui interim unicuique Gallum interfecturo, Christianum utique, largas Indulgentias, Bullâ in eam rem editâ, pollicebatur: Ut non immeritò Gallicana Ecclesia ejus temporis, *plenam* illam Pontificum *potestatem*, *plenam tempestatem & verbum diabolicum* appellitet. Et nos jam annum 1513. adfecimus. An. 1513.

Barbarus & imperiosus fuerat Iulij Papatus. Cardinales ejus truculentiam experti, antequam electionem aggrediantur, præscriptis Papæ futuro conditionibus, frœnum injiciendum putant: *Sed quas*, inquit Guicciardinus, *ipsi prope omnes abrogant*, ut alij metu, alij gratiâ ducuntur, neutri melioris Reipublicæ capaces. Is fuit Iohannes Medicæus, exercitus Papalis Legatus, quem in prælio Ravennati captum diximus, unde contrà fidem datam elapsus in Florentinos mox dux belli creatur; annos septem & triginta vix natus, novo exemplo, sed Iuniorum Cardinalium astu, in Pontificem evectus. Guicciard. l. 2.

In primo Actu, quid eo præside de reformatione Ecclesiæ sperandum esset palàm fecit, quandoquidem is fuit in ejus coronatione fastus, tum familiæ & Curiæ, tùm cæterorum ex Clero, ut nemo non fateretur, *à Barbarorum inde inundatione, nihil superbius conspectum*; Cùm certò constet eum illâ die decies centena aureorum millia expendisse; *Et judicabant prudentiores*, inquit, *talem pompam Pontificibus non convenire*. Demùm Concilium Lateranense continuare statuit, Pisanumque extinguere, quod restitutis quinque Cardinalibus, quos Iulius destituerat, ei facile fuit, sedato etiam Ludovici XII. animo, quem cæteri Principes, potentiam ejus suspectam habentes, deseruerant: quamquam Gallicanus Clerus reluctabatur, propositionum suarum tenax, Pragmaticæ in primis sanctionis: ut ex ipsius Concilij Actis liquet, donec Rege Francisco primo Ludovici successore, anno 1516. nequicquam appellante Clero, Pragmaticam, quod vocant Concordatum, extinxit. Nec porrò Concilij hujus, à quo reformatio expectabatur, alius fructus, quâm, ut decima totâ Europâ imponeretur; Turcarum perpetuò invadendorum prætextu, de quibus ne per somnium quidem cogitabatur. Quare multi Prælati in suffragio ferendo clausulam apposuêre: *Placuit quo ad Turcas, expeditione primùm inchoatâ; Episcopi nominatim Dyrrachinus, Salamantinus, Tarvisinus, Grassenus, Chienus, Montis viridis, Montis Marani, Cervienus, Licienus, Ferentinus, Perusinus, Soranus, Maceratenus, Nubienus, Algarenus, alij.* Et sic clauditur dimittiturque Concilium; nonnulli licet Episcopi Populum Christianum ita deludi ægrè ferentes, altâ voce pronuntiarent: *Non placuit clausura Concilij*; Tranensis, Salmanticensis, Dominicanorum Generalis, alij. Dimittendi prætextus, quod Concilium in quintum annum extractum esset, (& eò magis pudere debuit, quòd suis tantùm commodis inservijssent;) *ut Prælati Ecclesias visitare & consolari possint*: At enim, inquit Leo, *ut ad propria aliquibus spiritualibus muneribus refecti, cumulatiori gaudio remeare possint, illis eorumque familiaribus plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam semel in vitâ & in mortis articulo elargimur.* Interim notet Lector impietatis & blasphemiæ fastigium. In hoc Concilio Antonius Puccius sessione nonâ orationem habens, verba illa, quæ de Christo Domino nostro Psaltes pronuntiarat, ei tribuere non verêtur: Psalm. 72. Guicciard. l. 2. Concil. Lateranens. sessione. 12.

omnes Reges terræ adorabunt eum & ei servient : unde & subjicit, *omnes Reges terræ sciunt, quænam potestas tibi data sit in cœlo & in terrâ*, quod utique Dominus de seipso dixerat Matth. xj. *Iube*, inquit, impera, manda, *quicquid libuerit quacumque hora* : Eadem venâ Archiepiscopus Stephanus Sessione decimâ : *omnis potestas tibi data est, &c. Qui omne dicit, nihil excipit* : Sin rogas quo intuitu? Sessio 6. tibi interpres: quia Christus ipsemet ille, *Leo de tribu Iuda, radix Davidis, Salvator & liberator* : Quæ nomina Iohannes Apostolus uni Iesu Christo in Apocalypsi tribuerat, uni & soli tribuenda. Adde phrases huic Concilio passim familiares: Regia proles *Pontificum Romanorum : imperium vestræ Sanctitatis* : Sessione 9. *Papa Princeps* est *Apostolorum*. Sessione 4. *Princeps est & Rex* : Sessione 3. *Princeps totius mundi*, Cum Satana ipso blasphemijs certans. Sessione 1. imò Deus ipse : *respectus vestræ divinæ majestatis*. Sessione nonâ: *Simillimus Deo, & qui à populis adorari debet*: Sessione 3. & 10. & eadem porrò quâ Christus adoratione; quippe cui Davidicum illud Psalmo 72. *Omnes Reges terræ adorabunt eum*, accommodent; æternum filium Dei. Cæterùm, Ecclesiæ sponsus, quod illi Epitheton in illo Concilio frequens, quantus in hac præsertim functione Vicarij istius quamque immanis ausus? Amabo verò Lector, ut Antichristum revelandum existimes numquid atrocius expectas? Et sic in Lateranensi Concilio orbem Christianum ludificantur. At Leo sanè in suis rebus promovendis seriò diligens: Hetruriæ enim preficit Laurentium ex Petro fratre nepotem, & Rempublicam Florentinam ita disponit, ut à se solo tota pendeat, unde supremæ potentiæ Medicæis in urbe fundamentum; Alfonsina etiam Laurentij mater gente Ursina instabat perpetuò, ut quid amplius in filij gratiam faceret: Quare, levibus quibusdam *occasionibus*, inquit Onuphrius, *quæsitis, Franciscum Mariam Feltrium Ruvereum Urbini Ducem sibi suspectum & invisum armis aggressus*, toto Ducatu spoliat, & Laurentium nepotem ei substituit: familiares licet ingratum erga Principem illum animum ei exprobrent, qui exulanti ejus familiæ tutum hospitium præbuerat. *Sed*, inquit Guicciardinus, *ubi nullâ fidei & existimationis ratione habitâ eum offendere cœpisset, non dissimulabat sibi ratum & necessarium esse, ipsum funditus evertere* : Ab eodem genio Alfonsum Petrucci Cardinalem cũ fratre Senis pellit: quare Alfonsus aliquanto post doloris impatiens in eum aliquot Cardinalibus conjurat, Adriano Cornetano, Raphaele Riario, Bandinello, Saule, aliis: Quâ detectâ conspiratione, galero privantur quidem illi: At Alfonsus, quippe consilij Princeps, in arce S. Angeli per Æthiopem strangulatur, Bandinellus carceri perpetuo addictus, persolutâ grandi pecuniâ postmodum liberatur; non sine suspicione lentum ante venenum propinatum: Complures alij vitã pecuniâ redimunt, in quibus Cardinalis Cornetanus post reconciliationem furtim Româ dilapsus, *quacumque ratione id acciderit, nunquam posteà ullo loco conspectus*,
Guicciard. l. 13. Notat sigillatim Guicciardinus suspicione ex literis interceptis conceptâ, Leonem, Alfonsum *dato salvo commeatu, fideque suâ Hispaniarum Regis Legato obstrictâ, Romam evocasse* : Verùm, & datam violasse, & reposcenti Legato periuriumque objicienti respondisse: *crimen in vitam Pontificis non ullo salvo commeatu, quæcumque clausulæ aut formulæ adhibeantur, comprehendi, etiamsi id nominatim & in individuo expressum fuerit*. At benè an malè in hoc negotio se gesisset, agnovit saltem universum Cardinalium Collegium à se idcircò alienum factum: Itaque novos amicos sibi parandos arbitratus, eodem mane, *Collegio ex metu, non sponte consentiente*. Cardinales unum & triginta creat, in quibus duos ex sororibus nepotes & nonnullos ex iis, qui ante & post Papatum ei inservierant: *Qui diversis de causis tum ipsi, tum*

Car-

Cardinali Medicæo grati & obnoxii: cæterùm non ullo alio respectu tantæ dignitatis capaces: multos etiam numerata pecunia, quam à se exhaustam refundebant. Ut jure dixit Langius Citicensis: *omne æs & aurum pedetentim hoc malo è Germaniâ corrasum & haustum, Romam velut in sacculum pertusum & inexplebilem voraginem portatum, Ecclesiarum quoque regimina non magis merenti, sed magis offerenti commisisse: Creasse denique triginta Cardinales à quibus ex pacto quingenta millia aureorum suscepit.* Et hæc perpetuò legitima illa vocatio, quam tantopere venditant. Addit explendæ, tum suæ, tum Cardinalium suorum siti magnam pecuniæ vim totâ Europâ per Legatos belli Turcici prætextu contraxisse: obtentu etiam exædificandæ ædis Divi Petri per Missos suos non mediocrem; sed, inquit, *lapides secti in die, noctu ad Palatium grande Florentinorum clàm deferuntur, & ipsa pecunia collecta non in usum fabricæ, non contrà infideles, sed inter amicos Papæ Cardinalesque distribuitur.*

Etenim prodigalitas illa cum inopiâ conjuncta, nihil pensi habebat, nec quidquam execrabile adeò, quod, comparandæ pecuniæ, non excogitaret, aut ab alijs excogitatum non probaret: Guicciardinus idcircò: *licentiosius sedis Apostolicæ authoritate usus, dum Laurentij Puccij Cardinalis Tituli sanctorum quatuor Consilium sequitur, toto orbe, nullo temporum & locorum discrimine amplissimas indulgentias disseminat, non tantum ut viventibus succurrat, sed etiam ut defunctorum animas pœnis Purgatorij eximat: quia verò notum erat tales indulgentias emungendæ pecuniæ tantum concedi, quam emissarij illi sui impudenter flagitabant, qui mandata illa ab officiarijs Papæ emerant, malevolentiam ipse hominum plerisque in locis sibi conflarat, multaque scandala, in Germaniâ præsertim pepererat, ubi ejus ministri exiguo lucello merces illas suas addicebant, inque popinis ipsis facultatem liberandi animas ex Purgatorio aleæ exponebant. Sed auxit in primis indignationem, quod Leo, qui pro innatâ facilitate, Pontificatum præter tanti officij majestatem minus graviter administrabat, Magdalenæ sorori pecuniam in plerisque Germaniæ regionibus, ex Indulgentijs proventuram dono dederat: quæ in eam rem Episcopum Arenbaldum delegarat, eo munere nimis quam dignum, quippe qui ad avaritiam suam explendam nihil reliquum faciebat.* Ut ejus emissarij de suggestu declamitare non verentur ad tinnitum nummuli, in pelvim projiciendi animas præ gaudio inter flammas exultare, actutum ex Purgatorio in cœlum evolaturas. Quin & nonnulli pronuntiare, taxâ illâ persolutâ omne scelus exolvi: abominanda quæque sigillatim exprimere non veriti, quæ horret calamus referre.

Non illi modestius in Franciâ, Angliâ, Poloniâ, aliis regionibus, ubi Commissarij illi populo fidem obstringere soliti, qui decem asses daret animam à Purgatoriis pœnis liberâre, cujus gratia id tantulum daretur. Intrepidè afferentes Deum, quod ipsis colliberet, illicò facere, juxta illud: *Quicquid solveris super terram, &c.* Christophor. Massæus in Chronico. An. 1515.
Quod si vel jota minus fuisset, quam decem solidi, nihil profuturos. Et Displicebat, inquit Langius, *hic quæstus sanctis Ecclesiæ filiis, cum cœpit quæstio ventilari de potestate Vicarij & unde hæc novissimis Prælatis doctrina nova, quam prisci Pontifices ignorassent.* Et Monachus tamen hîc loquitur. Martinus igitur Lutherus inter alios exoritur, in quem Leo, quam procul ut resipiscat, fulmina sua vibrat: sed de eo pluribus suo loco. Tandem cùm accenso denuò inter Imperatorem Carolum V. & Franciscum I. Galliarum Regem, bello, de Gallis ex Italiâ eliminandis cogitâret, nuntius ei affertur Maliagni, qui locus ei in delicijs, de Mediolano, Parmaque Gallo ereptis, unde in eam lætitiam sese effundit, ut eadem nocte febriculâ correptus, paucis post diebus extingueretur. Pasquillus Leonem Iulio conferens, differentiam ex nominibus eruit, hisque versibus Epigramma concludit.

Iulius est hominis, bruti Leo, Iulius egit,
Quę suasit ratio, quod libet iste facit.

Sannazarus verò rationem reddens cur sacramenta morti propinquus non accepisset.

Sacra sub extremâ, si forte requiritis, horâ
Cur Leo non poterat sumere, vendiderat.

Rectius si à religione prorsus alienum dixisset: quandoquidem Bembo Cardinali ejus Secretario aliquid ex Euangelio proferenti regessisse sunt qui scribant: *Quantum nobis nostrisque ea de Christo fabula profuerit, satis est omnibus seculis notum.* Homo ille peccati, filius perditionis, cujus tanto ante tempore præmonita Ecclesia, quid superaddere potuisse censeamus? Sed Index Expurgatorius versus illos ex Sannazaro eradi jubet. Notant scriptores Coætanei nonnulla signa quæ propinquum ejus casum portenderent: Angelum, qui in summo Arcis S. Angeli fastigio, sub Alexandro VI. fulmine proturbatum: Romæ etiam quo die unum & triginta illos Cardinales Leo creavit, inopinam tempestatem in ipso Templo, in quo congregati erant, claves è manibus Imaginis S. Petri excussisse. Hæc anno 1517. quo proprie puncto Lutherus, in Papam Iovem illum Fulminatorem detonare & fulminâre ausus.

Index Hispanicus fol. 139.

Ann. 1517

OPPOSITIO.

ERat Concilium Pisanum in tyrannidem Papalem manifesta Oppositio, quamquam Pisani illi in meliori causâ, quod à Guicciardino notâtum, non aliis meliores: nempe Satanæ Angelis familiare, ut se mutuò destruant. Et hac interim occasione in temporalem Papę potestatem plures egregij Tractatus evulgati. Philippus Decius inter alios celeberrimus Mediolani Iureconsultus scriptis publicè editis Pisanorum causam tuebâtur. Quòd Papa in Simoniâ obdurato moribusque perditis infami, convocandi Concilij potestas ad Cardinales revolvitur, quæ sola in tam urgentibus malis idonea medicina; cum præsertim electi Imperatoris authoritas Christianissimi Regis consensus, & Germanici Gallicique Cleri concursus eo accedunt: idque juxta Decretum Constantiensis & Basiliensis Conciliorum. Sed Pius quintus Pontifex ejus omnia opera per Thomam Manricum pluries interpolari mutilarique curavit, uti apud Possevinum Iesuitam in Bibliothecâ videre licet, qui notas illas recensuit. At certè ut in gravissimo & universalissimo malo in diversis nationibus prodibant in apertum, & insignes viri, qui tyrannidem illam agnoscerent, & integra corpora, quæ adversus eam ritè recteque intercedere non dubitârent.

Guicciard. l. 9.

In Germaniâ Bernardus Lublinensis, Simoni Cracoviensi sub annum 1515. scribens contra Primatum Papæ, asserit fieri non posse, ut unus quisquam toti orbi imperet: Sufficere ad salutem unîus Christi fidem amplecti: Qui de Papa nihil unquam audiverint, non idcircò minus salvos esse: Euangelio standum esse, Traditionibus humanis neglectis, sine quibus salus constare posfit: miseram verò Christianorum conditionem, quibus propter hominum Decreta manifestæ veritati assensum præbere non liceat, adulatoribus Pontificum persuadentibus non ferendum esse, ut quidquam de ijs dicatur, optimo licet zelo: dum interim ipsi, contra Deum, quicquid libet liberè effutiunt. In Universitate Erfordiensi Sebastianus Brand Theologiæ Doctor & Ecclesiæ Cathedralis concionator

anno 1508. in Indulgentias Romanas his verbis publicè invectus: *Amici chari explicandæ nobis erunt hac Dominicâ alba merces nostræ, sed est hic mercator extraneus, qui meliores se habere venditat: ubi discesserit nostras nos exponemus;* doctrinam utique Euangelicam postquam indulgentiarum proxenetæ abierint. Idem verò in satisfactiones, quæ alienis operibus præstantur: *habemus qui vadat ad Ecclesiam, qui precetur, qui cantet, qui horas demurmuret, qui Missam pro nobis celebret: sed quis vice nostrâ infernum adibit?* Hæc in Sermone qui nobis ex pluribus superest: mirum enim quod ullum nobis reliquum fecerint: sed ea propter expulsus, Magdeburgum petit, præsertim, quod auditoribus dicere solêret: *veniet tempus cum vobis legetur Euangelium ex libro ipso, videbunt nonnulli ex vobis, sed non ego eo usque superstes ero.* Iacobus Almanus Theologiæ Doctor in libro Coloniæ edito, *de potestate Pontificis*, contra Thomam de Vio, Cardinalem mox Cajetanum, Leonis in decimis colligendis Legatum; De Indulgentijs nominatim: *Non videtur mihi potestas ligandi & solvendi ad eos qui sunt in Purgatorio extendenda, cum ubicumque in Euangelio fierent promissa aut collata dictum sit: Quodcumque ligaveris super terram, aut quodcumque solveris super terram: quæcumque ligaveritis super terram, & quæcumque solveritis super terram, & nunquam de ijs, qui è vitâ decesserunt, facta est mentio; Et ex hoc sequitur quod non possunt animæ in Purgatorio existentes à pœnâ solvi per Indulgentiarum largitionem, sed benè per suffragia.* Iubileis igitur omnibus quid fiet, quibus per tot annorum millenaria vera remissio promittitur pro defunctis. Ut & Ludolfus Castrik decurio S. Michaelis Magdeburgi contrà Indulgentias concionem habens, populum admonebat, remissionem peccatorum à Deo per Christum solum postularet, spem reformationis faciens, quâ illę propediem tollerentur; Nec non Conradus Celtes Viennæ, vir suo tempore doctissimus, cujus plura scripta supersunt: qui, quod Hierarchiam doctrinamque Romanam damnâret, excommunicatus: præsidio tamen Maximiliani Cæsaris fultus, brutum illud fulmem parvi fecit; Quin & legitur exortus eâ tempestate in Germaniâ quidam Propheta habitus, qui per Ecclesias cursitabat, Christianis pœnitentiam prædicans, nî parêrent & resipiscerent, funditus ruituris: Erant verò hæc ejus verba: *Expergiscimini, ô viri Christiani è gravi scelerum somno, atraque mortis caligine, auriumque & omnium sensuum vestrorum corda rescindentes, verba mea intentissimè percipite, quia legem Domini in latrinam & omnes ejus divinos sermones in oblivionis & contemptus cloacas abjecistis, &c. Coepistis patrimonium Christi scortorum deliciis dissipare, ac etiam efferatam libidinem vestram stupris, adulterijs, incestu & omni illicito concubitu, inexplebilem vero habendi voracitatem furtis & sacrilegiis explere: denique Dei Templum per scelus & summam iniquitatem vestram, constitutum est lupanar, & domus furum atque latronum, in quo non celebres hymni, sed blasphemiæ cœlestis Principis resonant, &c.*

Ioh. Alman. de dominio naturali Civili & Ecclesiastico.

Ioseph. Grüdperg. in speculo Visionis impresso Norimbergæ. An. 1508.

In Galliâ, ineunte seculo paulo post annum 1500. floret Iacobus Faber Stapulensis, tum in omnibus disciplinis, tum præsertim in Theologiâ eruditissimus. Testatur Aventinus sexcenties eum audivisse, unaque Iodocum Clithoveum Theologiæ Doctorem Præceptores suos dicentes, *Lombardum sacrosanctæ Philosophiæ veritatem, fontemque purissimum cœno quæstionum, rivulis opinionum conturbasse.* Sed Psalterium Fabri anno 1508. editum, Commentarij etiam in Euangelia & Epistolas Pauli, quid in plerisque præcipuis Religionis Christianæ Capitibus sentîret, fidem faciunt, quorum nomine à Sorbonâ vexatus, senio jam confectus, eo redactus fuit, ut Rex Franciscus in Hispaniâ captivus, quò eum illorum furori eriperet, in eruditionis suæ favorem rescribere cogeretur. Quod

verò

verò nobis ad plenam probationem sufficiat, Theologi Hispani in suo Indice Expurgatorio, nostro tempore plures locos paginasque integras in futuris editionibus expungi jusserunt; In primis *Commentarium in Iohannem omnino abolêri, quia commodè emendari non posset*; Nempe corruptelis suis, traditionibus, inventionibus, præsumptionibus humanis, imaginarijs authoritatibus repugnabat totus. Eodem tempore caput exerebat Gulielmus Budæus Parisiensis, supplicum libellorum in Regiâ Francisci I. Magister, qui in celebri illo libro *de Asse*, pluribus locis Ecclesiæ statum describit: Clerum in omni vitiorum, scelerum, lasciviarum genere, pejoribus quibusque in plebe pejorem, Antistites ignaros, literarum hostes, salutis Christianorum nullam curam habentes: quos contrà pæcipites in infernum dant, seu dum eos malè docent, seu dum ad omne scelus exemplo suo præeunt; Epicuros porrò & Libertinos & si quid pejus. Videbat ille suo tempore, Pragmatica sanctio quanto impetu quateretur: Itaque postquam edisseruit, opes nostri seculi ad antiquas nihil esse: *excepto uno tantùm hominum genere, quod minimè esse exceptum oportebat: Hi sunt*, inquit, *Sacerdotes, quos nunc fermè solos secundum Reges & Principes opulentos esse cernimus & plurimum opibus tribuere. Hic mihi, quæ memini undique reputanti exclamare subit: Miseram te simul & fortunatam Franciam: Tu ut majorum placita Senatusconsultis sacrosanctis confirmata, tot annorum usu comprobata, ambitione nunc sceleratâ antiquare contendas? Et singularem prærogativam Pontificatui summo non eblanditam, non expreßam, non emendicatam, sed majorum nostrorum merito postulatam, exoratam, repensam: ut tibi uni jure prisco, à majorum gentium Pontificibus prodito, in rerum sacrarum constitutione uti liceret, nunc indultæ legis abusu festines ire perditum? Unde igitur tibi frontem peculiarem illam sanctionem citandi, quâ tu tantopere gloriâre, velut decore quodam religionis? Unde aut libertatem aut fiduciam Christianissimam te vocandi, si non, quâ religione eximium nomen, legemque pietatis tuis testem comparasti, eadem religione tu ipsa retinere vis? O plaudendum erratum hostibus tuis illis, qui hoc tibi fœlicitatis, regnique fortasse Palladium, velut cœlo delapsum munus invident, quo vel ablato, vel intercidente, tu perinde utique fortunata esse non potes. Vide quæso, ne te nimium terrigenis illis credas, quos ob id Gigantes appellavit antiquitas, qui titulosas amplitudines architectantes, Aloidarum exemplo, Theomachiam meditari videntur, & in cœlum tandem scandere & superis vim afferre cogitant.* Quem verò designet, non est quod divinemus: *Harum enim rerum*, inquit, *culpam à capite & vertice Christiani nominis publicus consensus arcessit, qui nisi rectè constitutus sit, inferiora ab eo membra morborum causas trahunt: Quare in votis esse hominum piorum identidem videmus, statim atque illa indignitas oculis obversatur, ut aut columen Ecclesiæ componat providentia, aut certè aliquid commodius & congruentius fastigium reponat. Neque verò*, inquit, *me latet ipsa domus fundamenta in petram firmissimam artifici manu jacta, nullâ vi posse convelli vel subrui, non aeriâ, non terrenâ, &c. Nunc autem pietas & religio hujus ædis æditue, magno vociferatu queruntur eam proportionem asservatam non esse, quam architectonicæ manus primum modulatæ sunt: id quod caput esse constat dedecoris luculenti. Hujus inconcinnitatis causam homines ad Mercurium referunt institorem, qui jam inde ex quo lumen mundi regere & auriga summi currus esse cœpit, non ut olim Phaeton, cum se in currum luminosum sustulißet, conflagrationem orbi intulisse, sed tenebras potius teterrimas offudiße dictitatur: At inde factum eße constat, ut in castris sacrosanctis*, (id est Ecclesia) *plerumque nihil rectè nec ordine constitutum eße videatur.*

Index Expurgat. Hispanic. fol. 110. usq ad 111.&120.

Hicque in abusus Ecclesiæ expatiatur, eos nominatim, qui à venalitate proce-

cedunt, unde ostendat regimen hodiernum ab institutione Christi planè alienum esse: si quis in universam Cleri faciem oculos conjiciat, in totum suum apparatum & suggestum, cogi protinus dicere, sponsam sponso nuntium renuntiasse, res suas ut sibi habeat, denuntiasse: Et ibi rursum Christi & Apostolorum cum Papa & Curiâ Romanâ collationem instituit: Inde verò ad disciplinam Ecclesiæ digressus, ab ijs violatam à quibus maximè exigi oportuit: *Hosce, inquit, homines quis credat, quum hoc faciant, fidem bonam rectamque agnoscere? Quis autem nescit haud ita pridem selectos lapides Sanctuarij, ita vel dispersos vel dejectos fuisse, ut collapsâ Ecclesiæ majestate, ipsa jam Dei Sponsa veluti fidei conjugalis oblita, non modò à Sponso divertisse, sed etiam nullo pudoris respectu, per trivia, per plateas evagari licenter videretur, merereque provinciatim? Quis Pastores ipsos veluti fugitivos, non dico gregis desertores, sed etiam factos abactores non meminit? Quid? ipsos Præsulum coryphæos, nonne ita præposterè se atque impurè gessisse vidimus, ut quos ad compositi decorique status habitum & speciem formare chorum decebat, & eam saltationem docêre, quæ Emmelia dicta est, ab emendati motus & pacati compositique concinnitate, pyrricham illi ipsi præire, id est, armatam, non dubitarent: à sanctitate prorsus ordinis abhorrentem.* (Iulium innuit.) *Itane verò qui ad sacra & spiritualia certamina prodeuntium summi unctores erant, & qui tum ij fortasse belli authores esse debuerant, pro aris & finibus sacris in profanos & impios populos decernendi, ijdem ipsi lanistæ Christianarum virium vidêri maluerunt, ut ad internecionem nominis sacrosancti inter se confligerent?* Et ibi iram Dei in utrumque effusam edisserens. *Quam spem tandem,* inquit, *salutis habêre possunt, qui cum sint Principes Sacerdotes, & in puppe gubernacula tenentes, meridie in scopulos impietatis impingunt? Et cum splendore vitæ prælucere familiæ dominicæ debeant, erroris illi nobis & hallucinationis caliginem tetram ob oculos offundunt? &c. Egone credam fidem eos bonam agnoscere, qui sub exuviis Domini nostri aram & sacra tenentes & ipsum denique Dominum exosculantes* (ut Iudas) *ejusdem ipsius placita & instituta floccipendant, eisque è diametro opposita pugnantiaque amplectantur? &c. Et quis est autem, obsecro, qui si statum Ecclesiæ, motum, flexum, habitum, affectiones denique corporis & animi, & sessiones ipsas æstimet, quales non pridem vidimus, ullam rationem haberi oraculorum, aut omninò sacrorum monumentorum judicet?* nempe sacrarum Scripturarum. *Non Pontificiam jurisdictionem ita degenerasse cernimus ex charitate priscâ, ut ubi æqui bonique & benignitatis sinus solebat esse, ibi litium officina capturarumque improbiorum nunc esse videatur? Inde illa formularum aucupia & rituum Pontificiorũ cautiones, ad circunscribendam familiam Domini concinnatæ. Inde mulctarum compendia Præsulibus enata, acceptorum paginas luculenter augentia. Inde itidem sacrilegæ nundinæ earum rerum, quæ in commercio humano sine piaculo esse non possunt. Mitto nunc tesseras, non modo veniales sed etiam venales, impunitatem scelerum & solutionem sacrarum legum sordidâ benignitate largientes: Itaque sacrosanctos Canones melioribus annis factos, ut iis velut regulis Clericorum dirigeretur, & velut patrum præscriptis posteri formarentur, jam in amusseis plũbeas evasisse quis non videt? quales olim fuisse Canones Lesbiæ structuræ tradit Aristoteles? Nam ut Canones plumbei & molles non structuram operum tenore æquabili dirigunt, sed ex structorum commodo & libidine flexiles structuræ accommodantur: sic Canones Pontificij ex usu Ecclesiæ Antistitum flexibiles plumbei & cerei facti sunt: ut jam diu instituta majorum & sanctiones Pontificiæ, non moribus regendis usui esse, sed argentariæ factitandæ auctoritatem accommodare videantur.* Sed Iesuitæ remedium se idoneum invenisse putarunt, cum Indice Expurgatorio Hispanico omnes illos locos tolli jusserunt. Nos verò corollarium ex alio Tractatu apponamus; *Canonum canities vel caries potius nulli jam usui est, sed ve-*

Index Expurgat. Hispan. fol. 97.

Budæus de transflatu Hellenismi l. 2.

velut anus delira è foro explosa est, & ad scrinia bibliothecarum rejecta : de ponte enim jam diu comitiorum Paracleti dejecta est disciplina Canonica, (ad proverbium Latinum alludit) *ut annis sexaginta major, atque etiam sexcentis, &c. Utinam autem reliquias saltem & cineres funere prope elatæ jam fidei teneremus, à quâ fide fideles suos Dominus dispensatores quosdam vocavit, qui enthei animi, qui æmulationis piæ, qui Spiritus, qui Dei pleni, Ecclesiæ quondam columen, decus & ornamentum erant : Nunc vix atque etiam jam diu tectorium inane Ecclesia, colorem & simulachrum retinet conditæ & demonstratæ à Christo religionis : siquidem universitatis judicium è parte multo maximâ facimus.* Rationem autem præmiserat : *Navis nobis disciplinæ socialis ac civilis à Servatore relicta est Ecclesiæ conditore, quæ nautico ministerio, instrumento, gubernaculisque instructa fuit ab ipso, aut ejus auspiciis. Flatum etiam à puppi pollicitus est, ad exoptatum locum vectores perlaturum, si clavum rectum tenere, sinusque spiritui afflaturo pandere Ecclesia perrexisset;* sacras utique Scripturas à Spiritu sancto profectas contulisset.

Inter Italos admirabilis tum Iohannes Picus Mirandulanus Comes, cujus opera anno 1504. excudi cœpta : Inter nongentas Theses, quas Romæ publicè disputavit, hæ leguntur : *Verum corpus Christi est in cœlo localiter, in altari sacramentaliter. Non potest per Dei potentiam idem corpus esse simul in diversis locis*, nempe, quia induceretur implicatio contradictionis : quod ex Thoma Aquinate tuêtur. Item secundum Scotum : *per hæc verba præcisè : Hoc est corpus meum non expressis verbis præcedentibus, scilicet, pridie quam pateretur, non potest consecrari ;* Utique, quia non pendet consecratio à certis verbis, sed à Christi instituto : Cum verò Doctores Parisienses Thesim hanc suam reprehendissent: *Nec crux, nec ulla imago adoranda est adoratione latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas;* illam Catholicam esse in Apologia asserit & contrariam falsam, Cumque Theses suas de Eucharistiâ damnassent, tuendum suscipit, absque conversione panis in corpus Christi ejusq; annihilatione, corpus Christi præsens esse secundum veritatem sacramenti : perpetuò tamen, ut sibi caveat *de possibili* locutus, non *de facto*, Haud dubiè si liberum fuisset, liberius loquuturus. In Epistolâ quadam ad Maximilianum Imperatorem anno 1500. Alexandro sedente datam, reipsâ ostendit quanto ardore ad Ecclesiæ reformationem fertur. *Quâ te fide, & pietate possum deprecor*, inquit, *ut sanctissimum illud propositum tuum vindicandæ in pristinam libertatem Christianæ Reipublicæ, quam citius fieri posit, adimpleas : Concutitur ab externis hostibus, ab internis laceratur, & Iesu Christi sanguine circumseptum & consecratum ovile, pejus multò perpessum est, indiesque patitur à lupis sub ovinâ, quam sub propriâ pelle grassantibus. Age igitur jam Cæsar optime, & excitis quâ ratione potes, Christianis regibus, te Christo Regum omnium Regi oves suas tam ab hostibus, quam à perfidis pastoribus jamjam liberaturo, fidum ministrum exhibe :* Sed ejus prædictioni eventus non respondit. Iohannes Franciscus etiam ejus ex fratre nepos, minimè degener, In illo Pisani & Lateranensis Concilij conflictu quæstionem tractans : *An in causâ fidei decernendâ Pontifex Concilio, vel Concilium Pontifici præponi debeat : ex Decreto ipso respondet ; Scribitur in Decretorum Glossis distinct.* 19. *Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum ubi de fide agitur, & tunc Synodus major est Papa : quamobrem Archidiaconus Bononiensis Glossam ipsam probans, inquit, periculosum esset fidem nostram unius hominis arbitrio committere ; Ad hanc fermè sententiam Bernardus loquitur inquiens : Quæ major superbia, quàm quòd unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam solus habeat Spiritum Sanctum ?* Et postquam dixit majorem numerum minorem vincere debere, *cæteris paribus : At*, inquit, *si major contra divinas literas contraque ea quæ violare nefas est,* decer-

Ann 1504.

Ioh. Picus in Conclus. secund. Thom. 14. & 20. Secund. Scotum 15. Picus in Apologiâ, cap. 3.

Ioh. Franc. de fide & ordine credenti.

decernere quidquam vellet, reliquis, qui pauciores essent contrà nitentibus, numero minori adhærendum esset, quemadmodum accidit in Ariminensi Concilio & in Ephesino secundo; Quinimò, inquit, potiùs simplici rustico & infanti & aniculæ, quam & Pontifici Maximo & mille Episcopis credendum, si contra Evangelium isti, illi pro Evangelio verba facerent; Pertractans etiam quæstionem, utrum Concilia aut Papæ errare possint, ex eo ipso facile decidendam, quod à sacris Scripturis aberrare illos posse præmiserat, exponit: ut multa Concilia erraverint, multi Pontifices in hæresim inciderint; sæpe acciderit, ut qui Ecclesiæ præses habebatur, aut jure non præsideret, aut omnino præsidere non posset, quandoquidem inquit: prodit olim memoria fœminam Pontificem creditam, & nostro seculo memini hominem quendam doctum & moribus probatum, suâ etiam in religione honores consecutum, qui consuleret, quamquam non omnino publicè, eum, qui Pontifex creabatur, Pontificem non esse, ob id quod priusquam à duobus Cardinalium partibus eligeretur, Pontificis officium exercuerat, cautum autem Ecclesiæ legibus est, hujusmodi hominem tantum abesse ut Pontifex sit, ut etiam ad Pontificatum ineptus & impotens habeatur, ut qui irrogato scilicet anathemati subjaceat. Et quò igitur abeunt ordinationes illæ suæ, Episcoporum suorum missiones? quod de Iulio II. dixisse videtur: Sed & alium meminimus, inquit, Pontificem creditum & adoratum, quem præstantes viri putarent, nec Pontificem eum esse, nec esse posse, utpote qui nullum Deum credens, omnem infidelitatis culmen excederet: pessimaque ejus opera in coemendo Pontificatu, in omnigenis sceleribus exercendis id ipsum testabantur: sed & pessima quoque dicta confirmabant, namque fassum eum affirmabatur domesticis quibusdam nullum se Deum aliquando, etiam dum Pontificiam sedem teneret, credidisse. Quibus verbis Leonem X. ex eo innuere verisimile, quod tanquam oculatus testis loquitur. Addit, Alium audivi summum Pontificem, qui vivens familiari cuidam aperuerat, apud se immortalitatem animarum non creditam: Mortuus verò eidem per vigiliam apparuit, divino judicio manifestans se quam mortalem crediderat animam, immortalem tum maximo cum damno & perpetuis ignibus experiri. Et hîc objectionem antevertit: Quid igitur illis verbis fiet? Oravi pro te Petre: Et cum melioribus interpretibus, ad fidem quam Petrus confessus erat, referenda statuit: Tu es Christus Filius Dei vivi: Non successorum, non ipsius Ecclesiæ Romanæ secundum Cardinalem de Alliaco, Abbatem Panormitanum, Nicolaum de Lyra, alios. Eò reformationi Ecclesiæ propior, proinde & regno Dei, quò ejus aut infirmitatem, aut errores propiùs noverat.

Theorem. 4.

Cardinal. de Alliaco in quæst. Vesperiar. Abbas Panormit. extra de sent. excomm. Nicolaus de Lyra in Matt. c. 16.

In oratione, quam habuit ad Leonem decimum & in Concilo Lateranensi pro reformatione nihil eos celatos voluit: non mores omni ex parte corruptos, non leges & Canones adulteratos, non religionem, non pudorem inter primos quosque extinctam. Ad rem verò: pietas in superstitionem penè procubuit, &c. Hi tibi morbi, hæc vulnera tibi sananda sunt, Pontifex Maxime: alioqui si medêri recusaveris, vereor ne non fomentis jam, sed igne ferroque is, cujus vices geris in terris, membra ipsa affecta dissecet atque disperdat. Signa jam dedisse illum ejus futuræ medicinæ plane crediderim, &c. An puellæ Deo dicatæ in Brixianâ direptione à religiosissimis abstractæ templis cesserunt militibus loco prædæ? An in Ravennati excidio Sacerdotes trucidati? An in Pratensi clade sanctimoniâ olim celebratæ virgines prostitutæ? Quidnam aliud nobis intelligi debere? quàm sacras ædes & Templa Lenonibus, Catamitis antea commissa, quam nefariis lupis optimi Pastoris ovilia demandata, quàm virginibus olim dicata plerisque in urbibus septa, in meretricios fornices & obscœna latibula fuisse conversa? &c. Quid plurimarum feci mentionem & scortorum præterij catervas & greges exoletorum, & coemp-

Orat. Ioh. Francisci Pici ad Leonem in Concil. Lateran.

coempta & divendita ſacerdotia; &c. In illa verò poſtquam tam vehementer invectus eſt: *Nec ſanè mirum*, inquit, *quoniam malum omne de Templo Iohannes Chryſoſtomus cenſet, & Hieronymus ſcribit ſe inveniſſe neminem, qui ſeduxerit papulos præterquàm Sacerdotes, &c. Succurrat quæſo tibi vetuſtus ille ſacerdos, in quem filiorum non vindicata ſcelera magnâ ex parte reciderunt. Etenim qui præſunt alijs non modo eſt opus ut ſint innocentes ipſi, ſed ut reſiſtant nocentibus, eorumque mala facinora compeſcant; & tum quidem ex lebete carnes tridenti fuſcinula trahebant ab illis, quod peccatum ſacra Regum teſtatur hiſtoria nimis grande fuiſſe, cum homines à Dei ſacrificio retraheret; Nunc autem malorum catervis exemplorum plebs ignara & à divino cultu & a pietate omni deterretur: Illi cum mulieribus eâ tempeſtate dormiebant ad oſtium Tabernaculi, noſtrâ verò & in ſacras ædes fit irruptio & ab illis etiam fœminæ adiguntur ad eorum libidines explendas, & meritorij pueri à parentibus commodantur, & condonantur his, qui ab omni etiam corporis conceſſâ voluptate ſeſe immaculatos cuſtodire deberent: Et hi poſteà ad ſacerdotiorum gradus promoventur, ætatis flore tranſacto jam exoleti, &c. Moſes ille Legiſlator, quamquam mitiſſimus, terrificâ tamen percitus eſt irâ, quùm poſthaberi Deum agnovit, & ſeveram in deſertores pœnam exercuit. Deus & homo Chriſtus Ieſus, omnium virtutum exemplar, irrogatas in ſe contumelias patientiſſime tulit: non tulit paterni honoris notam, quùm ſacrilegos venditores emptoreſque ex Templo expulit & flagello diſcuſſit. Et ille quidem vituli unîus aurei cultores maximâ eſt cæde perſecutus: Et hic venales columbas & turtures è Templo voluit ejectas. Tu verò earum cultores vitularum, quæ maximo numero in urbe non ſtabulantur modò, ſed dominantur, & auro, purpurâ, margaritis, more Regio incedunt ornatæ, ut ad earum aſpectum nedum congreſſum plurimi & obbruteſcant & pereant, exilio ſaltem & honorum omnium mulctâ non compeſces: Tu ſacras ædes ſceleribus omnifariam prophanari & eis tot monſtra Circæa grunire permiſeris? tot Syrenas & veriùs tot Syrenum millia patieris, naviculæ tibi divinitus commiſſæ, quantum in ipſis eſt procurare naufragium. Tu Chriſti ſanguinis mercatum ſuſtinueris.* Et tandem vidimus bonus iſte Papa quam id parum curaret, ſeu ejus ſtatuta, ſeu exemplum attendamus. Sed quia eximius ille vir, non mores tantùm, ſed & doctrinam reformatione indigêre nôrat: *Sacræ literæ*, inquit, *utriuſque Teſtamenti recognoſcendæ & cum antiquis & caſtigatis primæ originis exemplaribus conferendæ, ut ab erratis, quæ vitio temporum & librariorum incuriâ in illas irrepſerunt, omnino purgentur: Solennes ceremoniæ, de quibus olim fuêre quæpiam difficultates, prioribus oblatæ Synodis ſtatuendæ firmandæque ſunt: quotidianæ preces redigendæ in ſtatutum, & probatum ordinem, & veræ hiſtoriæ ab Apocryphis nugis ſegregandæ; præſcribenda Principibus viris officia, ut ſcelerata illa & noſtræ Reipublicæ deletrix opinino, licere, quæ placeant, & à vulgi animis omninò amoveatur, & penitus exulet.* Quam procul ab illis, qui vulgatam tantùm Bibliorum verſionem authenticam eſſe volunt: Et præpoſterê Autographa ad eam exigunt; ab illis etiam qui non modò libros cum Apocryphis confundunt, ſed etiam quotidie miſero popello novas revelationes, novas legendas cudunt: Quam rem in quinto libro tam fusè tractat, ut Lectorem inviſere compendioſius ſit. Verùm, in eo hallucinabatur vir alioqui magnus, quòd de Leone decimo meliùs quàm de alijs ſperâre vellet, qui ab alijs eò tantùm differebat, quòd ejus venenum, quò ſuavius, eò perniciosius in viſcera Eccleſiæ ſæviebat.

De Baptiſta Mantuano Carmelita ſuperius loquuti, eum denuò huc adducimus quia ad annum 1516. pertigit: Ea fama, ut antiquioribus poëtis etiam ſub Auguſto à nonnullis æquaretur; Et quidem non diſſimulat ſibi multa in Eccleſiâ Roma-

manâ displicere, frigida sacrificia & officia, sordida altaria, nugatoria & curiosa multa: de quibus ipse,

Et licet his olim nugis juveniliter aures Baptista Mantuan. Fastor. 12.
Præbuerim, tamen ut melius cum tempore factum
Iudicium, lis hæc mihi perniciosa vidêri
Cœpit, & ex gravium cuneis abigenda virorum.

Senex detestatus, quod juvenis amplectebatur. Sed in Ecloga IX. ingenuè: nullam esse tam immanem bestiam, cui suum non sit lustrum, nullum tam vitiosum hominem, cui honor non deferatur in Romanâ Curiâ ubi aer pestilens simul & mirificus adeò, ut homines in lupos & vulpes subitò transformâri videas: terra malignis influxibus obnoxia adeò, ut subinde nova monstra pariat; Quod elegantius & significantius versibus suis expressum.

Mille lupi, totidem vulpes in vallibus istis Egloga 9.
Lustra tenent, & quod dirum ac mirabile dictu.
Ipse homines (hujus tanta est violentia cœli)
Sæpe lupi effigiem, moresque assumere vidi
Inque suum sævire gregem, multaque madêre
Cæde sui pecoris: factum vicinia ridet.
Nec scelus exhorret, nec talibus obviat ausis
Sæpe etiam miris: apparent monstra figuris,
Quæ tellus affecta malis influxibus edit,
Sæpe canes tantam in rabiem vertuntur, ut ipsos
Vincant cæde lupos, & qui tutela fuerunt.
Hostiles ineunt animos, & ovilia mactant.

De avaritiâ & imposturâ. Egloga V.

Si quid Roma dabit, nugas dabit, accipit aurum
Verba dat, heu Romæ sola nunc pecunia regnat,
Exilium virtus patitur, &c.

De crudelitate, & tyrannide: Ex primo libro Sylvarum.

Roma quid insanis toties, quid sanguine gaudes?
Quid geris imbelli, spicula tanta manu, &c.
Tu similis colubro, quoties gravis ira venenum
Suscitat, & mota lumina bile rubent.
Sic fremis ut frendens cum ferrea vincula mandit
Cerberus & stygias murmure turbat aquas,
Tu fratres in bella vocas, in pignora patres
Nec jovis imperium, nec Phlegetonta times, &c.

Item, Fastor. l. 2.

Vivere qui sanctè cupitis descedite Româ
Omnia cum liceant, non licet esse bonum.

& alibi,

I pudor in villas, si non patiuntur easdem
Et villæ vomicas: Urbs est jam tota lupanar.

Usque adeò, ut monstrum illud describens, quod mulieris in Apocalypsi infantem devorare satagit, in desertum fugere coactæ, sedem Papalem indicare voluisse videatur. l. 2. Fastor.

Monstrum immane, potens, hominum tot millia, apertâ
Absorbere gulâ, quot sanguinolenta volebat
Sęvities, monstrum illud erat seu bellua partum
Virginis extento cupiens extinguere collo.
Cujus ab aspectu, sumptis divinitus alis
Ut sacer Ægeæ vates canit incola Patmi
Fugit ad extrema loca, virgo incognita, terrę,
Virgo fuit primo, fruticans Ecclesiæ seclo
Christigenę soboles ejus, quos bellua adegit
Quærere desertis aliena penatibus arva.

Ut Roma utique hæc bellua sit, quæ absorptis innumeris Christianis Ecclesiam ipsam puriorem deglutire conatur, quæ derelictis sedibus avia petere cogatur. Et Leonem porro, in hac profundissimâ abysso suspiria ducens, hortabatur tria potissimum attenderet, pacem Italiæ, Curiæ Romanæ disciplinam, fidei moribundæ reformationem, quæ his versibus luculenter expressa.

Fastor. l. 4.

Sed tria præsertim restant, curâ atque labore
Digna tuo, bellum est primum, quo fessa laborat
Italia, & pleni humano jam sanguine campi:
Est aliud Romana gravi maculata veneno
Curia, quæ spargit terras contagia in omnes:
Postremum est oppressa fides, exposta rapinis
Undique & in prædam populis projecta cruentis
A te hæc subsidium magnis clamoribus orant
Sancte Pater, succurre Leo, Respublica Christi
Labitur ægrotatque fides jam proxima morti.

Et in his omnibus Leonem adversa prorsus vestigia secutum vidimus: Ut proinde magnorum tum virorum de Papatu non nos lateat judicium.

Gravamina nationis Germanicæ.

Sed universi quid hîc facerent expiscâri juvat. Non ulla sanè sub Leone natio, quæ nefarijs Romanæ Curiæ ausis gravamina sua non opponat, quæ *Concordata* omnia violet, ejectiones repudiet, præcipuas dignitates Cardinalibus reservet, in gratijs expectativis dispensandis effrænis, in annatis exigendis immisericors, quæ Indulgentias luxui suo, exque luxu inopiæ admetiatur, decimas belli Turcici prætextu conduplicet, beneficia & sacerdotia promiscuè indignis quibusque, etiam mulionibus prostituat, omnes causas indiscriminatim Romam pertrahat: de quibus libri integri extant, Imperatoribus & Regibus sæpiùs exhibiti, adjunctis remedijs necessarijs; anno præsertim 1516. & 1517., quæ epocha præ cæteris nobis. Quo & temporis puncto florebat Lutetiæ Iohannes Majoris Theologiæ Professor eximius, cujus de Regali & Pontificiâ potestate habentur hæ Theses, fusius tractatæ Dist. 24. q. 3. Primò, *Maximus Pontifex non habet Dominium temporale super Reges, &c.* 2. *Si enim dicas, succedit Christo, & Christus est Dominus omnium; Contrà, probare non potes, quod Christus secundum humanitatem est Dominus omnium, cum dixerit Pilato, Regnum meum non est de hoc mundo. Et illo dato consequentia est invalida, & impossibile est eam probâre: Crebro enim Vicarius non est tantæ authoritatis, quantæ est superior, cujus est Vicarius. Nam Christus instituit Sacramenta, dedit Legem Gratiæ & potest revocare omne jus divinum positivum: hoc tamen non potest Pontifex.* 3. *Dato opposito, sequitur hæc conclusio. Constantinus nihil dedit Sylvestro, sed solum restituit ei debitum: Cujus contrarium, dicitur,* 96. D. C. *Constantinus, &* 12. Q. 1. C. Fu-

Remedium contra gravamina nationis Germanicæ Ioh. Majoris Dist. 24. q. 3.

Futurum.4. *Ipsi Pontifices fatentur ad se non pertinere jurisdictionem temporalem, nec velle juri Regio detrahere.* Innoc. III. *in* C. *Novit de judiciis, & Alexander in* C.*Causam. Qui filij sint legitimi & illo famoso cap. Per venerabilem eod. titulo* Innocentius III. *dicit, quod Rex Francorum superiorem in temporalibus minimè recognoscit, propterea cum filio tanquam cum inferiore dispensare poterat,* sed dicis, *cum Glossa; Non recognoscit de facto, debet tamen de jure: Hanc Glossam puto esse Aurelianensem, & textus corruptivam: quia si sic, Romanus Pontifex non respondißet sufficienter illi nobili de monte Pessulano, petenti dispensationem pro suo spurio, quomodo Rex cum suo illegitimo filio dispensarit. Nam dixit Romanus Pontifex, Rex Francorum est supremus in suo regno in temporalibus. Si locutus fuisset de facto, responsio fuisset nulla: Poterat enim sic ille nobilis respondere ego non cognosco vel non cognoscam a modò superiorem de facto.*5.*Multi devoti Reges à Pontificibus maximis canonizati nunquam Romanos Pontifices supra se in temporalibus admiserunt, & in hoc mortui sunt. Ergo signum est quod Romani Pontifices non habent Dominium omnium in temporalibus.* Item, *Reges non habent suas potestates immediatè a Pontifice Romano, nec influentiam ab eo ullam in temporalibus suscipiunt, sed consensu populi, successione, emptione, donatione, vel alio titulo habent regna. Potestas enim terrena non sic dependet à potestate spirituali maximi Pontificis, ut Centurio à Principe militiæ, sed sicut duæ potestates non subordinatæ, quarum neutra dependet ab altera. Nam regnum poßidens, non est vasallus Romani Pontificis, nec Imperator ullo modo est ei subjectus.* Quæ Ecclesiæ Gallicanę tum firmissima Dogmata.

At ejusdem temporis duo nobis præsertim instrumenta ad manum; Germanicum unum, Gallicanum alterum. Et ad primum quidem, Leo Legatos in Germaniam miserat decimas exacturos, unde bellum Turcis inferretur: Et egregiam illi orationem meditati erant, quâ Principes ludificarentur. Consultus eâ de re vir quidam insignis graviter exponit: Germaniæ satis jam superque impositum: pace inter Principes Christianos constitutâ, ijsque ad sacrum hoc bellum probè compositis, tum demùm de decimis cogitandum fore: Ex quo Pontifices sacra profanis miscuerunt, sacris imò abdicatis civilia tantùm sategerunt, miserijs & calamitatibus nullum aut modum, aut finem fuisse: nullam exeinde gregis Christi curam habuisse, rerumque divinarum contemptum affatim ingruisse: vendi Christum, religionis prætextu contaminari orbem, hac tanquam lue & contagione infectum ad extremam perniciem adductum: *Turcam profligare vultis,* inquit, *laudo propositum: sed vehementer vereor, ne erretis in nomine, in Italiâ quærite, non in Asiâ: contra Asiaticum quisque nostrorum Regum pro finibus suis defendendis per se satis est: Ad alterum verò domandum totus orbis Christianus non sufficit. Ille, cum finitimis quoque tumultuans nobis nondum nocuit. Hic ubique grassatur & sanguinem miserorum sitit. Hunc Cerberum nullo modo sedare poteştis, nisi aureo fluvio: Nihil armis, nihil exercitu opus est: Plus valebunt decimæ quam equitum turmæ & militum copiæ. Duplex mihi videtur via proposita, dum rem diligentius considero; una quæ jubente superstitione aurum petit; altera, quæ renuentibus Pontificis fulmem minatur. Utram vultis ingredimini: Sed ô stultam & superstitiosam opinionem credentium cœleste numen, omnia æquis oculis intuens, ad nutum Florentinorum flecti & reflecti, irasci non danti, & rursum largienti placari. Non est Christi Uicarij fulmen contemnendum, sed non semper ab illius jactu pertimescendum; præsertim cum res agitur pro humanis affectibus. Christi indignationem vereor, Florentinorum non vereor. Iam verò Florentiæ negotium agitur, non Christi. Superiori æstate, sumptu non debili, bellum gestum est contra Franciscum Ducem Urbinâtem, quo regno ejecto, sed prius placato aurea gratia, Laurentius Medices in* lo-

Exhortatio viri cujusd. doctissimi ad Princip. ne in decimæ præstationem consentiant.

locum successit: Ibi non satis providus fuit Iulius II. qui non plus auri reliquit: Ergo inventa fuit quædam fraus nova, quicumque plura dare potuerint Cardinalium, hi inventi sunt conspirasse in necem Pontificis. Horum bona fisco adscribebantur. Non licet narrare erectas cruces Salvatoris per cuncta oppida, ad mensuram dantis propitias. Prætereo Scenam de æde Petri & risus & indignationis plenam: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini clamat Prepheta: sed non est Templum Domini: Laurentius ædificat non Petrus: lapides noctu migrant. Nihil hic fingo Electissimi Principes Romani imperij: Orbis quid sollicitatur pro æde Petri, in quâ duo tantùm opifices operantur, & alter claudus: nisi quod nuper in frequentiâ peregrinorum concitabatur tumultus artificum, currebatur, clamabatur, videbantur stulti & picti Angeli excipientes munera largientium ferentesque in sublime, &c. Animadvertite modò: quisque modò dies novam pariet curam. Fugato Urbinate Duce, similem fortunam minatur Principi Ferrariensi, quo pariter ejecto regnum constituemus & Regem Thusciæ salutabimus, Laurentium Medicem sive Florentinum. Habetis jam breviter caput decimarum & insidias Turcæ, (Pontificis nempe,) *duce superstitione, in viscera vestra latrocinantis.* Et hoc tum Germaniæ judicium.

Alterum sequitur: Solennis Uuiversitatis Parisiensis Appellatio congregatæ XXVII. Martij anno 1517. in quâ protestata se contrà Ecclesiam Catholicam Pontificisque *bene consulti*, potestatem nihil aggredi, declarat. *Quod per hanc potestatem non impeccabilis efficitur;* (Pontifex) *Ita, ut si quid quod injustum est faciendum esse præceperit, patienter sustinere debeat, si non fiat, quod ei pravâ fuerit insinuatione suggestum, eique parendum non sit, siquid contra divina præcepta statuendum esse decreverit; Imò ei resisti jure potest. Quod si illi potentum auxilio, falsâ forsan suggestione, vel minus sano consilio deceptorum adjuto, resisti non potest, sublataque sint resistendi remedia, unum tamen jure naturali proditum est, quod nullus Princeps tollere potest: Appellationis remedium, cum sit quædam defensio, quæ jure divino, naturali, & humano, cuique competit: quæ non potest auferri à Principe.* Ibi verò Constantiense & Basiliense Concilium approbant, reformationesque ibi constitutas urgent, quas singulatim explicant, remedia adversus Simoniam, Annatarum seu imponendarum seu solvendarum interdictionem, aliaque statuta, in Concilio Nationali Galliæ Biturigibus habito confirmata: & consequenter perpetuo Caroli VII. edicto roborata: In quorum tamen præjudicium, ajunt, Leo decimus *in quodam cœtu in Romanâ civitate, quæ contra nos est, nescimus qualiter, non tamen in spiritu Domini congregato, cum quo nihil contrà legem divinam & sacra Concilia decerni, aut ordinari potest propriis cupiditatibus & commoditatibus inhians, attendens his mediis aurum & argentum ex Regno & Delphinatu ad se pro suo voto non deferri, hujusmodi statutis invidens, ea abrogari facere studuit.* Argumentum autem, quod hoc Concilium (Lateranense scilicet) sit illegitimum, proferunt: Quod contra fidem Catholicam Concilium Basiliense damnaverit: speciatim verò Pragmaticam Sanctionem, eoque facto Regem Franciscum, qui tunc in Italiâ, in medio armorum strepitu per obreptionem deceperit, idque quorumdam Concordatorum prætextu, quæ publicari jusserit: non satis attendens regno suo quantam perniciem hæc illatura sint: *Ex quibus* concludunt: *Nos Rector & Universitas, gravatos, læsosque & oppressos esse sentientes, idcircò à Domino nostro Papa non rectè consulto, jam dicti sacri Basiliensis Concilij & ei adhærentis Pragmaticæ Sanctionis statutorum abrogatione, novorum statutorum editione, consensus præstatione, ad futurum Concilium legitimè congregatum provocamus & appellamus, &c. instanter, instantius & instantissime protestantes hanc appellationem prosequi per viam nullitatis, abusus, ini-*

qui-

quitatis, vel injustitiæ, & alias prout melius poterimus, optione nobis reservatâ, &c. Et subsignant porrò præcipui quique solenni more, formulis omnibus ritè observatis.

At enim præter has intercessiones, perseverabant in regno Bohemiæ, Provincijs Moraviæ, Silesiæ, alijs, numerosæ Ecclesiæ, quæ frontem Papatui opponebant, publicisque concionibus Ecclesiæ Romanæ abusus impugnabant. Hæ anno 1508. fidei suæ professionem Vladislao Regi Hungariæ rursus exhibent, adjunctâ Apologiâ, quâ calumnias suæ doctrinæ impingi solitas acriter revellunt rationesque perspicuè exponunt, propter quas ab Ecclesiâ Romanâ justè & legitimè discesserint; prolixiores illas quidem, quam ut hîc inserantur, Tales tamen, quas Lector legisse operæpretium putet, in quibus & eandem doctrinam & eadem argumenta, quibus eam hodie tuemur, agniturus sit: Hoc unum interest, quod Dei beneficio & illi & nos in ejus cognitione temporis tractu profecimus, ex vexationibus & certaminibus eam clarius exprimere edocti. In montibus quoque Narbonensis Galliæ Provinciæ & Allobrogum sub Alpinis vallibus alijsque locis, in eadem fide, puritate & simplicitate pergebant veterum Waldensium Ecclesiæ, quarum 300. jam & amplius annos vestigia conspicua exhibuimus. Hæ apud Ludovicum XII. Regem optimum, à quibusdam Cardinalibus & Prælatis accusantur, tùm turpissimorum vitiorum, tum deterrimarum opinionum: quo nomine uti maleficos, incestuosos, & hæreticos indictâ causâ, nullâ juris formulâ, eos exterminari postulabant. Qui quidem ejusce rei certiores facti, Regiam Majestatem per delegatos ex suis nonnullos, supplices adeunt, suam ei innocentiam humiliter exposituros. Et Prælati calumniæ sibi conscij apud Regem instabant ne eos ad aurem suam admitteret: At respondet Rex optimus: *Si mihi Turcæ bello petendi essent, eos priùs audire vellem:* Iis igitur âuditis, M. Adamum Fumæum libellorum supplicum Magistrum, cum M. N. Parvi Dominicano Theologiæ Doctore Confessore suo, in ea loca mittit, Caprarias nominatim & Merindolium, de eorum tum religione, tum vitâ quæstionem habituros: Relatum, quod ex ipsis Actis suis palam fecerunt, in toto illo tractu, baptizari infantes, docêri Articulos fidei, Orationem Domini, præcepta Decalogi: Dominicam diem observâri, divinum verbum exponi, nullum maleficij, nullum fornicationis vestigium conspici: tantùm in suis Templis non imagines, non ornamenta ad Missam habêri: Quo intellecto jurat Rex, *illos se cæterisque subditis meliores esse*; Et idem innocentiæ testimonium eodem tempore eis perhibet Claudius Seissellius Taurinensis Archiepiscopus, eorum doctrinam licet oppugnet. Denique non deerant ubique, qui in hac professione flammas constanter adirent; In Angliâ ipsâ Thomas de Bongay, N. de Eccles, Iohannes Frith, Gulielmus Tyndal, viri à doctrinâ & vitæ sanctimoniâ commendati, alijque quorum mentio fit in libris in eam rem conscriptis; Et hæc ad prædicationem usque Martini Lutheri nos deducunt, quo præcone, uti dicemus, spiritu Dei verè impulso, vox Euangelij per universam Europam hoc propriè tempore personuit.

Professio fidei fratrũ Waldensium Regi Vladislao in Hungariam missa An. 1508.

Responsio excusatoria fratrum Waldens. contra binas literas, R. P. Augustani sacræ Theologiæ doctoris ad Eundem data. An. 1508.

Carolus Molinæus de Monarchiâ Francorum.

CONCLUSIO.

Hi sunt igitur *mysterij iniquitatis* progressus, mysterij illius ab Apostolo Paulo prænuntiati, quod suo jam tempore ἐνεργεῖται operabâtur, in actu erat, per cuniculos & anfractus, fraudibus & malis artibus Ecclesiæ obrepebat: Donec tandem in *frontale* ei fieret, frontem obvelaret, omnem ei verecundiam tolleret: donec

2. Thess. 2. Apo. 17. 5.

nec tandem ad faſtigium illud faſtus perduceretur, in quo Apoſtolus Iohannes in 2.Theſſ. 2. Apocalypſi Romanam Eccleſiam repræſentat, cujus in fronte ſcriptum, *Myſterium, Babylon magna, mater fornicationum terræ:* Et id totum quidem juxta Paulum κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ *ſecundum efficaciam Satanæ*, agentis, potentiamque ſuam exercentis in ejus miniſtris in ſignis & prodigijs mendacij. Adde etiam prout Deus immittebat τὴν ἐνέργειαν τῆς πλάνης, *efficaciam erroris*, ſeu, *ſeductionis iis qui rejiciebant veritatem*, & ſibi complacebant in iniquitate, non obtemperabant admonitionibus, & oppoſitionibus, quæ identidem iterabantur à ſervis ſuis, ad credendum mendacio; Quia nempe prædictum erat, venturum Antichriſtum, magnam Apoca. 17. *Apoſtaſiam* ſeu *defectionem* futuram: Reges terræ habituros μίαν γνώμην, idem conſilium, unâ voce ſuum ſuffragium collaturos *ad dandam potentiam ſuam Beſtiæ:* ſic enim eam vocat Apoſtolus; Quin potius, inquit, quia *Dei conſilium* (qui omnia ad gloriam ſuam revocat) ejuſmodi, ut conſpirent, *dentque regnum ſuum Beſtiæ donec compleantur verba Dei:* Ut univerſus orbis eo magis agnoſcat conamina & conſilia ſeu mundi ipſius, ſeu Principis mundi, nihil contra Deum poſſe: ut ab ejus providentiâ evagari videantur, velint, nolint, ipſius juriſdictionem ſubire, ad ejus honorem retrahi: cum viderit conſpirationem filij perditionis cum his Regibus, ut olim perditiſſimi Iudæ cum Phariſæis in victoriam Agni in ſalutem ſuorum deſinere, & quaſi recapitulari, ſupremi utique illius conſilij virtute, & ductu, de quo Act. 2. v. 23 B. Petrus apud Iudæos, *Accepiſtis Ieſum manibuſque ſceleratorum cruci affixum interemiſtis:* ſed *definito Dei conſilio & providentiâ deditum*, τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ θεοῦ: Non ſecus ac hîc Iohannes de Antichriſto ſeu *homine* peccati: *Deus dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum eſt ei*, γνώμην αὐτοῦ; Quale id verò? *ut dent regnum ſuum Beſtiæ*, ad ejus exaltationem conſpirent adverſus Agnum: Ne cuiquam mirum aut alienum videatur, quod calcatis omnibus obſtaculis, quæ identidem ei objiciuntur, viam ſibi fecerit; Utique, inquit Paulus, quia eo initi tandem eum oportuit: ita decretum: quia, inquit, Iohannes *verba Dei impleri neceſſe*, Deus verò eadem illâ potentiâ, & facilitate quâ omnes obices perfringit, quod operis ſui ſupereſt, ſuo tempore complebit.

Ejus igitur nos *progreſſus* ediſſeruimus, tum per gradus qui in Hiſtoriâ connotantur, tum ex libris inſtrumentiſque inter nos communibus, tum ex ipſis Authorum ſuorum, Monachorum præſertim ſcriptis; Eorum ut plurimum, qui huic myſterio miniſterium ſuum accommodabant; Monachi, quandoquidem pluribus retrò ſeculis ſoli ſcripſiſſe noſcuntur: *Oppoſitiones* ſubinde indigitavimus, prout Deo viſum, aut è medio ipſorum aut aliunde excitâre, qui Eccleſiam aut opprimentibus aut corrumpentibus capita ſua objicerent; Perfractos interim illos & abreptos plerumque ſeu torrentis impetu, ſeu adverſariorum & molimine & mole; Quia nimirum ſic prædictum: quia hæc victoria ſoli Agno 2. Theſſ. 2. v. 8. reſervata, *ſpiritui oris ejus*, *adventus claritati.* Quæ tamen eò ponderanda veniunt magis, quod pars adverſa, Antichriſti cohors rerum potita, in inſtrumentis & documentis abolendis, ſubducendis, corrumpendis, piorum inquam ſcriptis, ſingulis ætatibus ſedula perpetuò & ſubdola, ut noſtras probationes extinguerent, ad ſummam *diligentiam &* induſtriam nihil reliqui fecit: Quo factum ut ex ſuo ipſorum litis inſtrumento, cauſam noſtram diſceptâre & tueri neceſſe habeamus, ex ſuis documentis jus quærere, ex ſuo ſinu teſtes, ex ſuo ore teſtimonia producere, Aſinam Balaam, ſic Deo viſum, interrogare, adjurare cogamur, jumentum quo vehitur ipſum; Hiſtorias ſuas, Concilia, Decreta, in ſuam ipſorum redar-

ↄdargutionem, at eò graviorem, eò efficaciorem adhibêre, admovêre. Sed supe-ↄst, recapitulationis instar, ut ante oculos nobis reponamus, quo loco, seu Ro-ↄanam sedem, seu Episcopum Romanum invenerimus primùm, inde in quem ↄemum statum eum gradatim perduxerimus, perductum jam videamus.

Ergò ad spiritualem functionem quod attinet, Episcopi Romani primis ↄlis seculis, uti vidimus, *Episcopi & Presbyteri* indiscriminatim vocabantur, erga ↄæteros fratrum more se gerebant, viciniores etiam quosque *Fratres & Collegas* ↄuncupabant: de rebus Ecclesiæ consulti pariter & consulentes: Non alia fulge-ↄant purpurâ, non alio ostro, unus illis sanguis suus coccus, una crux, gloria. ↄt non multo post, exerit sese in quibusdam spiritus ille, qui inde à tempore Pauli ↄperabatur, qui Regiæ urbis prætextu vicinorum causas ad se trahit, consilia sua ↄro Decretis habêri vult, sponte oblatum honorem in jus hominij, decorum in ↄrvitutem vertit: Repercussus tamen subinde ambitionis ille aculeus, ingruente ↄersecutione; Priscorum etiam Patrum virtute non rarò retusus: Verùm, cum ↄdditâ per Constantinum Ecclesijs pace, faventibus Principibus, honoribus & ↄpibus aucti essent, en spiritus iste operi perpetuo invigilans, reique gerendæ mo-ↄenta observans, gradatim animos & sumit & facit. Quia igitur primariæ urbi ↄrima Sedes ultro conceditur, suam illi Ecclesiam cæteris Ecclesijs dominari ↄebere contendunt: Non secus ac Romam, Rempublicam inquam, cæteris urbi-ↄus & Provincijs, Episcopum itidem Romanum Monarchæ instar, cæteris Epis-ↄopis; Ad hunc proinde ex omnibus orbis finibus adpellandum, ab eo mandata ↄxpectanda, quibus omnes omninò absolutè parére teneantur. Cum is contrà ↄ nullo pendere debeat, à nemine judicari possit, ne ab omnibus quidem simul. ↄt huc pertinebant adulterata, quæ vidimus, Concilia, & Decreta acta suppo-ↄita, falsatæ Historiæ, profanatæ, & nullo pudore detortæ in alienum sensum ↄacræ Scripturæ; contestationes etiam & protestationes eximiorum quorumque ↄirorum in omnibus seculis: contra eam, quam sibi arrogabant in cæteras Eccle-ↄias Episcoposve dominationem: quam hi vicissim præter & contra omne jus seu ↄivinum, seu humanum, aut nullo, aut falso titulo usurpari quiritabantur; pro-ↄuntiare ausi, eam non ab alio proficisci, non ad alium pertinêre quàm præcurso-ↄem Antichristi, Antichristum ipsum: Nec tamen ab instituto idcirco retrahi ↄsquam existimes: à Phoca Mauritij Imperatoris, heri sui parricida, Pontifex Romanus, universalis Episcopus declaratur, declarari expetit, non modò ↄon erubescit. Exinde jam plenis velis invectus, nihil non audet: ut Imperatores & Reges rebus seculi conturbatis, ejus ope operave indigent, in eorum ditionibus ↄuthoritatem acquirit, inter Archiepiscopos partes facit, delegatâ potestate am-ↄitiosiores inescat, ad se pertractos, *Pallio sibi* devincit: Et id quidem liberum ↄrimò & arctioris benevolentiæ tantùm signum, demùm ex statuto necessarium, & subjectionis symbolum: gradatim tandem divenditum, taxatum, exactum, ↄuicquid carius in dies redditum, Archiepiscopi subinde conquerantur. Postmo-dum à Principibus obtinet ut Clerus, *Domini*, inquit, *sors & hæreditas*, omni juris-dictioni temporali eximatur, omnium proinde vitiorum licentiam, omnium crimi-num impunitatem consequâtur, sicque legitimis & naturalibus dominis quos-cumque suo charactere consignâvit, sensim subducit, sibi voluntariâ servitute, ne-dum hominio ligio devincit: Eorum ministerio & interventu, (nec sine myste-rio) in Consilijs Principum sedet & præsidet, regnum suum in eorum regnis exer-cet; in Regnum Populorumque conscientijs tyrannidem adeò suam, dum censuris

& anathematis suis suæ illos libidini adstringit, quovis officio & obsequio pro libito solvit: Principes inter se, proceres & populos cum Principibus collidit, nonnullos & in sua ipsorum viscera ensem stringere cogit: Quibus tandem & similibus artibus toto Occidente supremum in spiritualibus imperium adipiscitur. Quia verò Oriens minus obsequebatur, Ecclesias illas excommunicat, exque suis, Patriarchas Orientalium Ecclesiarum sibi deligit; imaginarios quidem illos, sed ejus, quam sibi arrogat, Monarchiæ Universalis imagines futuros: qui apud eum resideant Orientalis Ecclesiæ personam an larvam sustineant. Missam imò celebrans, Euangelium & Epistolam Latinè & Græcè, utramque Ecclesiam significans, legi jubet: sed latinè primùm & septem quidem candelis accensis, Græcè secundariò, duabus tantùm, ut Ecclesiæ Latinæ supereminentiam designet: Græcum interim Testamentum cum authenticum esse nemo nesciat: Latinum translatitium & ex Græco desumptum. Omnium denique peccatorum ex potestatis plenitudine veniam facit: In eo Dei majestatem affectans, qui solus condonat, Christi Agni Dei, qui solus peccata tollit. At sanè non illa donat, sed cauponatur, sed nundinatur, sed eo prætextu universum orbem populatur & expilat; Iubileos quippe qui statis temporibus instituit, quos gradatim coarctat, Panægyris & Nundinas verè suas, in quibus Indulgentias suas venum exponat, distribuat, prostituat: Pro arbitrio porrò an libidine cœlum aperit, terræ maledicit, Purgatorium, infernum obstruit, sanctos Deorum potestate Deus ipse creat, Dæmones ligat, Angelis imperat, Oecumenicis Concilijs superior, Ecclesiæ Catholicæ Princeps, imò Sponsus, qui titulus uni & soli Christo convenit, nulli creaturę communicandus, in terrâ Deus, ex terrâ cœlo imperitans, Deo adeò ipsi venerandus, sed Deo utique suo: quem Deum & credi & credere videri vult, quem ante se equo vectum circumferri jubet, ut majorem ipse sibi reverentiã conciliet, inter viliora plerumque impedimenta, lixas ipsos & calones. Hæc omnia Christi obtentu, vicariatus illius prætextu, nempe cui post gloriosam resurrectionem *Omnis potestas data à Patre in cœlo, & in terrâ*: adeò ut in Missâ, quæ sede vacante ad impetrandum novum Papam celebratur, Tractus ille ex Propheta canatur: *Erit Dux ejus ex eo* (Israele nempe) *& Princeps de medio ejus producetur*: Quod de Iesu Christo Domino nostro dictum: Accommodetur etiam illud Iohannis in Euangelio ad futuram electionem: *Non relinquam vos Orphanos: rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis*: quod rursum de Spiritu sancto: ut jam nihil sit tam blasphemum quod erubescant, quod non ausint. Quin statim ubi electus est & rubras caligas calceosque induit, sublatus & impositus super altare, sedem Dei sui, ipse adoratur: adoratione proinde religiosâ, Deo debitâ. Quid plura? in Scholis ipsis Leone X. Pontifice, disputare non sunt veriti, (nota Lector) vicariatum suum quousque porrigerent, *an Papa possit abrogare quod scriptis Apostolicis decretum est: an possit aliquid statuere, quod pugnet cum doctrinâ Euangelicâ: an possit novum articulum condere in symbolo fidei: utrum majorem habeat potestatem quam Petrus, an parem: an posit præcipere Angelis, an possit purgatorium tollere: utrum simplex homo sit, an quasi Deus, an participet utramque naturam cum Christo*: in singulis verbis, imò apicibus quot felonias committunt? quàm multipliciter divinam majestatem lædunt? Nos ergò cum hæc omnia recolimus Propheticum illum Pauli locũ, quî aliter aut applicare aut explicare possimus? *sese efferet adversus quicquid dicitur Deus*, ἢ σέβασμα *aut quod colitur*. Detur enim nobis totis his sedecim seculis quisquam alius: *adeò ut in Templo Dei tanquã Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum*: In Ecclesiâ ipsâ: Ut nobis apud

Cerem. Romanum l. 3. chart. 8. & 7.

Cerem. Roman. l. 1. sect. 15. de officio Missæ Apost. sede vacante.

Cerem. Rom. l. 1. sect. 1. c. 6. Erasm. in 1. ad Tim. c. 1.

2. Thess. 2. v. 4.

pud Turcas in Assyriâ minimè sit quærendus; Quin & ipse Ecclesia tota, quam n suam personã coarctat & contrahit, caput simul & corpus, sponsus ipse & spon-a, si ei fides: Eccui verò rursum alteri D. Iohannis revelationem accommodemus: e *Bestiâ ascendente* è terrâ, quæ habebat *duo cornua similia Agni sed loquebatur ut Draco. De Muliere*, Item, *illâ, plenâ nominibus blasphemiæ*. Etenim ubinam crebrior e Christo sermo, rarior fides? crebriores inter oscula alapę, inter alapas oscula? Sub acrosancto illo nomine, tam immanes, tam atroces blasphemię? Annon id propriè esum purpurâ induere, arundinem in manum tradere, per ludibrium ei dicere, uasi in hominum rebus, in Ecclesiæ præsertim regimine nihil videat: *Quis nostrũ è percussit?* Et hæc de dominatione spirituali plus jam satis. Apocal. c. 11. v. 11. & 17. v. 13.

Iàm de temporali: Episcopos Romanos sub pesecutione invenimus Servatoris Testamento edoctos, mundanam potentiam non affectare, à terrenis Principibus ontrà dira passuros; Ex Epistolis etiam Pauli & Petri necnon eorundum exem-plis admonitos, Reges & Potestates seculi honorare, & discolis morosisque obe-dire, non dominari, ne quidem *in Domini cleros*, unde illis Cleri nomen: Et verò d Constantinum usque & aliquanto post, nulla eis temporalis jurisdictio, nullam psi aut obtinent, aut obtendunt; Quin & ex quo Principum Christianorum do-nis dotati, per multa secula vasallorum, clientum, subditorum cæterorum mo-re & loquuntur & vivunt: Concilia tum generalia, tùm Provincialia absque contradictione Imperatoribus Principibusque Christianis permittunt, ab ijs in-dici, regi etiam patiuntur & indicta subeunt, ad eorum mandata, sine, querelâ, eunt, redeunt, nec de suis illis documentis vel mussitant, si ad honorem Christi, si ad salutem Ecclesiæ, intererat, Vicarium hunc Christi toto orbe agnosci, utro-que gladio accinctum, instructum: quo jam zelo, quâ non socordiâ, sua jura, tanti momenti & perire & perimi sinunt, manifesto Petri damno usu capi, præscri-bi, usurpari, Monarchiam utique universi: nullâ interpellatione, nullâ operis novi nuntiatione? At imperium jam Romanum ad ruinam vergit, seu intestinis morbis urgentibus, seu Septentrione in Italiam identidem sese effundente: tum ruderibus ejus Episcopis Romanis inædificâre visum, Imperatorum absentiâ & imbecillitate abuti, quos in Græciam retrusos Longobardorum armis Italiâ ex-cludunt; Imaginum prætextu, quas in Templa admitti nolebant, Ecclesiæ ipsius liminibus arcent, subditos fidei vinculo solvunt, solutos obsequio Principum subducunt, suo tandem devinciunt: In Italia demùm invalescentes nimium Longobardos advocatis Francis supplantant: Francis inde Germanos objiciunt, propioribus perpetuo remotiores opponunt: Ut quis fidem & authoritatem apud populum adeptus est, eum alio intruso, qui ab eorum gratiâ pendêre necesse habeat, dejiciunt. Germanis denique imperium suum in Italiâ firmare satagen-tibus, factiones in ipsâ Germaniâ serunt, filios divino & humano vinculo, civili pariter & naturali perrupto, in patres concitant: Hæc perpetuò hæreseωs præ-textu. Quod Episcopatus plenæ eorum potestati non permittant, disciplinæ gnaviter invigilent, canonicas electiones tueantur, exactionibus & rapinis suis modum ponant, saltem ponere desiderent: Tetra hæresis, *Simonia*, si fides illis. Usque dùm per multiplices conjurationes, quarum ipsi incentores præcipui, id gradatim consequuntnr, ut sacramento fidelitatis, quod Cæsaribus præstare so-lebant, absolvantur: Primùm demùm Cæsares ipsos antequam Romæ suscipian-tur, in domum utique suam, & antiquam Imperij sedem, *sibi jurare quamcumque fi-delitatem*, verbis conceptis cogant; Et verè apertè declarare, se nihil in Romam

Cerem. Roman. charta 21. ad quæcúque fidelitatis juramenta. Cerem. Roman. charta 21. 1.5.

juris habere, nec plures quàm Pontifici placuerit dies ibi Romæ commoraturis: omnes licet illas donationes quamvis frivolas, & merè nugatorias ratas & firmas ante omnia habeant. Quin porrò his peccatis compellunt supplices postulare, *cum omni humilitate* coronam sibi à Pontificibus imponi: Quippe qui & Decretorum suorum authoritate & aperto Marte tueantur & asserant: Imperatoribus superiores esse se, vasallis utique Seniores, qui Imperium suo beneficio, hominij ligij conditione possideant: Monarchas etiam totius orbis, & directos mundi dominos: Quo jure, ut novus orbis detectus, eum quasi in Emphyteusim dare non erubescunt; Interque Reges, quasi patrimonium Petri dividunt: Quod etiam verba, in Paparum investiturâ usurpari solita, testantur: *Ego investio te de Papatu, ut præsis urbi & orbi*; Sui denique juris esse Reges & Imperatores pro arbitrio baltheo accingere & solvere, constituere & destituere, de Imperio vacante statuere Electoribus fortè discordibus Imperatorem eligere: Quæ omnia ab illis usurpata, in omnium legitimarum Politeiarum fraudem, in Dei adeo ipsius, per quem Reges regnant, contumeliam, qui imperia aut confert, aut transfert solus, quod præter unum Satanam, sibi in orbe arrogare nemo unquam aut ausus, aut ausurus. Et hoc interim nomine ab Imperatoribus adoratur, & stratores eos sibi adhibet, nedum patitur, qui equum conscensuro, descensurove strepam teneant, equo impositum aliquot passus fræno ducant, & vix perfunctorio aliquo verbo delatum hoc ipsi servitij genus, deprecari dignatur. Sin minus dextrè exhibetur, atrox crimen nullis sacrificiis piandum, quod in nonnullis vidimus: Iàm Cæsarem designatum, imò creatum, coronam Imperij submissè à se petere jubet, qui in signum tributi massam auri ad ejus pedes projicit: Quidni, quod Christo Magi, Thus præterea & myrrham? In omnibus porrò Actibus seu Ecclesiasticis, seu etiam civilibus eminentiori gradu collocatur: & definitâ quidem altitudine: ita ut Imperatoris *locus non altior sit, quàm ubi Pontifex tenet pedes: Cathedra etiam minus alta & larga, & scabellum parvum*: seu in Ecclesiâ, seu in Capellâ aut Cocilio; *Et aquam lavandis manibus ei præbet*; Et in officio *caudam ejus trahit*, & in collatione *mantile ei offert*: Axioma quandoquidem generale hoc obtinet, *nemini omnino mortalium Papam reverentiam facere, assurgendo manifestè aut caput inclinando, seu detegendo*; Tantùm *Romanorum Imperatori, postquam illum sedens ad osculum pedis, & manus suscepit, aliquantulum assurgere adque osculum mutuo charitatis amplexu illum benignè recipere*; Tenentur imò maximi Reges ex suis statutis, cum suarum urbium aliquam ingrediuntur, *ducere equum Pontificis fræno, vel si Pontifex vehitur sellâ, subire sellam*, colla postea in eorum locum submittentibus alijs, regni Proceribus. Cardinales ei occurrentes, ut eum eminus conspiciunt *descendere ex equis suis remotè*, ad pedis manusq; oscula advolvi, mox *admotâ scalâ in eam rem paratâ ad osculum oris admitti*: quid idolum, aut idololatria, si hoc non est? Et tamen ex his regulis ars constituta, legum quasi Codex digestus, quas sine majestatis divinæ & humanæ crimine aut omittere aut præterire sit nefas. Cum verò Christus Dominus noster, cujus se vicarium dicit: *cùm esset in formâ Dei semetipsum exinaniverit formâ servi acceptâ, &c. Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulerit sublimitatem*: Qualis tandem iste servus, qui Magistri, & Principis titulum sibi arrogat: & quid expectamus, nisi ut eum constituto tempore ex illo fastus fastigio præcipitem det? Et cum Christus, ut nos in cœlum ad se trahat, *factus sit obediens usque ad mortem crucis*, iste homuncio ὑπεραιρόμενος, *qui se extollit supra Deum*, quò nos secum aut sequentes, aut obsequentes, nisi in infernum rapiat? Nos verò cum eum ex imperij Roma-

Cerem. Rom. l. 1. c. 2.

Cerem. Rom. l. 1. charta. 21. 22. 26. 65. 59. 87.

Cerem. Rom. l. 1. charta. 21. 22. 26. 54. 59. 87. Cerem. Rom. l. 3. sect. 1. fol. 120.

Philip. 2. v. 6. 7. 8. 9.

mani corruptione generatum, ex ruinis ad hanc altitudinem perductum vidêmus, 2. Thess. 2. v. 6. 7.
numnon in mentem subeunt verba Apostoli, vel patribus ipsis interpretibus, *& nunc*
quid detineat scitis, quod ejus adventum præcedere debuit; *μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως* Apoc. 13. v. 12. 15.
ἐκ μέσου γένηται, tantum, ut qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat. Imperium nempe antequam reveletur, aboleri necesse: Illa etiam Euangelistæ, *secunda Bestia*, Papatus, *omnem potestatem*, nempe primæ Bestiæ, Romani status, *exercebat in conspectu ejus*, quasi dicat in os ejus, in oculis ejus, *& faciebat ut terra & ipsius incolæ adorarent bestiam*, (Romam) *cujus curata fuerat plaga lethalis*, Papalis authoritatis substitutione restauratâ: *Ita ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ occidantur*, gloriam hujus imperij in eo renovatam: Et hæc interim, ait Paulus, *κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, ἐνεργείαν*
τῆς πλάνης ἐν ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας, non tàm apertâ vi, quàm *secundum operationem Sata-* 2. Thess. 2. v. 9. 10. 11.
næ, & cum omni seductione iniquitatis: aut juxta Iohannem Meretricis hujus incantatione & poculo: Romanæ hujusce Laidis, quæ Reges & Principes suis blanditijs & illecebris ita inebriavit, ut ejus amore incensi in ejus complexus certatim ruant, in ejus gratiam sese mutuò evertant: *Ejus adeò scortationis vino inebriati sunt incolæ terræ*, miseri populi, quibus Principes ejus gratiam sibi conciliaturi, suas omnes adinventiones deglutiendas propinant, abusus, indulgentias, Iubileos, Cruciatas, quas vocant abominationes cæteras, quarum non numerus, non modus, ut vertiginem verè passi, omnem sensuum usum amittant.

Iam cognominatur etiam Antichristus hic *ὁ ἀντικείμενος*, *Homo peccati*, nec sine mysterio, sine eximiâ emphasi; Et in hac quidem sede, magis quàm in ullo alio imperio indicare nobis facile, Nerones, Caligulas, Heliogabalos complures, omnigenæ injustitiæ, tyrannidis, impietatis portenta, profanos, magos, necromantas, atheos, & si quid pejus; & attestantibus passim suis ipsorum historicis: Quare creditum à multis eam esse hujus Cathedræ pestilentiam, ut insidentem eo ipso momento, lue suâ inficiat. Ut, quòd impietas in summo gradu hanc sedem implêre solita, occasionem dederit ut eum Paulus *Hominem peccati*, Iohannes *Meretricem πόρνην* per excellentiam appellarent: Quo & sensu Euangelistæ prostitutam mulierem *peccatricem* appellitant, peccato utique incumbentem perpetuo & immersam. Verùm, ulterius penetrare juvat: *Homo peccati*, propriè Antichristus, non solùm quia in peccato assiduus, sed quia ex peccato lucrum quærit, peccatum serit, pastinat, stercorat, propagat, artibus innumeris multiplicat: In summa, si ei fides, omnia peccata abolet, in omittendo, in committendo, atriora, atrociora quęque. Quin, ut grandiorem pecuniam ad se convertat, quod apud Deum peccatum non est, quod promiscuum, quod adiaphorum, suis legibus & prohibitionibus, peccatum facit, supra id quod verè peccatum longè exaggerat. Cujus rei Libri illi sui *Taxarum Cancellariæ Apostolicæ & sacræ Pœnitentiariæ* fidem abundè faciunt, qui etiamnum Romæ prostant, sub hoc ipsum temporis punctum Lutetiæ viâ Iacobæâ sub sole aureo excusi: Inter Curiæ Romanę caupones & proxenetas non secùs triti, quàm inter agricolas Calendarium, Tariffa inter Mercatores; In quibus nempe divenduntur & addicuntur pretio omnium generum dispensationes & absolutiones: à consanguinitate carnali, spirituali: pro ratione graduum, defectuve ætatis: pro ratione ordinum & annorum deficientium: imperfectione membrorum, naturali, accidentali, prout membra magis aut minus nobilia, utilia: irregularitate, vitiosâ promotione, ministerio sine promotione, & (quænã consecratio, ex suis ipsorum regulis inde consequi possit?) defectu nataliũ, ex illicito concubitu, bigamiâ, mutilatione omnimodâ, homicidio omnis generis in Clericum, in Laicũ commisso

in patrem, in matrem, in filium, in fratrem, in sororem, in uxorem, &c. Et hæc tamen minoris redimenda, quam cujusquam Presbyteri: Item, à veneficio, incantatione, sortilegio, sacrilegio, Simoniâ, eorumque speciebus & ramis, lapsu carnis, fornicatione, adulterio, incestu, nullâ exceptione, acceptione, distinctione; (quod horrendum) præpostero concubitu, brutalitate: sic illas singulatim exprimunt: quorum immanium seu flagitiorum, seu scelerum absolutio minoris constat, quam minimà quælibet dispensatio, pro carnis, butyri, lactis aut casei esu, diebus à Papa prohibitis: Nec addere erubescunt disertis verbis: *hujusmodi gratiæ non dantur pauperibus, quia bonis & facultatibus destituti sunt & ideò illis nullum solamen*; Imò nostris diebus censurâ notâsse, in indicibus suis Expurgatorijs jussu Pontificum & Concilij Tridentini confectis, insignem illum inter suos Claudium Espensæum, quòd in Epistolam ad Titum scribens, magno Ecclesiæ probro hosce libellos manibus hominum versari, quin & quotidie executioni mandari dixisset: in quo plus impietatis & sceleris uno quasi momento disceretur, quàm ex omnibus simul Summistis: Et locum ipsum Lector invisere ne gravetur, advertat modo, editione utatur, quæ ab illis falsarijs corrupta non fuerit. Persequamur, quandoquidem ita res postulat, & mercimonia & mercatores: Prostant ibidem dispensationes de juramento, de commutatione votorum, de officijs, de breviarijs, de orationibus, de Horis alio usu quàm in suâ diœcesi, aut Romano, aut etiam præpostere dicendis, (rarum corradendæ pecuniæ commentum). Item: de reducendis Missis ad proportionem fructuum: ut eas dicere liceat, & ante solis ortum & bis in die: Dispensationes etiam de cibis in personam, in familiam, in cognationem, in collegium, in urbem, in Diœcesim, in Provinciam: quæ singulæ servatâ proportione taxantur. Indultum de corpore Domini circunferendo, semel, bis, ter in anno aut sæpiùs, de nomine mutando, cognomine, Chirographo: Cui bono? de transeundo ab uno Monasterio ad aliud, de sancto sepulchro visitando, de commercio cũ infidelibus excercendo, mercibus ad eos transvehendis, licitis, illicitis: ut liceat Iudæis synagogam habêre publicam, privatam, Christianis de animali comedere à Sarraceno mactato: Cum interim, uti vidimus, bonis istis Antistitibus annuum à Turca stipendium capere religio non fuerit: Ut in adiaphoris quibusque religionem pro libidine constituunt, in frivolis quàm in solidis scrupulosiores, suarum adinventionum rigidiores longè quàm divinorum præceptorum exactores. Simonia verò quàm latè, quam multipliciter inter eos extenditur, expanditur? per eos toto orbe grassatur? Hæresis illa, quam à Simone Mago derivant, omnium illorum profana venditio, quæ aut sacra verè, aut saltem illis; à Simone Petro utique quam procul? Indulgentiæ certo pretio, generales, particulares: Sepulturæ coram altari, in Choro, in Templo, ad sinistram, ad dextram, excommunicatis, desperatis concedendæ: beneficiorum indefessa nundinatio, cum curâ, sine curâ: compatibilium, incompatibilium, vacantiæ, præventiones, resignationes, Commendæ, Expectativæ, Casus reservati, expeditiones secundum certam clausulam & infinitorum generum; tot talesque, ut juris antiqui formulas longè exuperent: ut nominibus tantùm comprehendendis vix Calepini volumen sufficiat: Ut verò dædaleos hos anfractus nosse possis, tam multiplices strophas, quàm operosum! Plus sanè temporis impendas necesse est, quàm in ipsam disciplinarum Encyclopediam, in Philosophiam, in jurisprudentiam universam decurrendam. Hic autem occupantur perpetuò totâ Europâ omnes Collybistarum mensæ: His cursitationibus fatigantur dispositi passim equi: Hinc tot officiarij, tot

Claud. Espensæus in Epist. ad Tit. c. 1.

ot proxenetæ & in Curiâ & toto orbe, sparsi: plures & plurium generum quam
n Imperiorum notitiâ Occidentali, Orientali: Quibus tamen ex solâ Simoniâ,
on tam victus, quàm luxus, quàm fastus. In ipsam adeò Curiam Papalem *Ma-*
meluccos Ianizaros induxêre, Romanos omnes titulos ad se contraxisse non fuit
atis: à Soldanis, ab infidelibus, & officia & officiorum notas mutuari oportuit:
Et nos igitur cum hanc peccati nundinationem advertimus, quantam ex dispen-
sationibus & absolutionibus suis, peccandi facilitatem an facultatem Papa intu-
erit, seu quid commissum aut committendum, quantumvis execrabile, pretium
pactus, annon dixerimus, *Hominem peccati* illum verè esse, cui peccatum quodvis
tam vile, tam leve, cui tam proclive cuivis crimini contrà legem Dei, contrà na-
turam, nullo discrimine veniam indulgere. Quandoquidem ex Emporij sui Ta-
bulis, cuique constat, quanti quodque flagitium constet, unde se pœnæ eximen-
dum sciat: Quippe cum mundo persuasum velit, qui mensæ huic satisfecerit,
Deo abundè satisfecisse, de ejus tribunali non esse amplius quod laboret. Satan,
amabò te Lector, si coram adsit, ut peccati cataractas aperiat, peccatum toto orbe
diluvij instar effundat, nunqnid aptius comminisci possit? Non hoc sane Paulus
voluit cum dixit *peccatum abundare ut gratia superabundet:* qui in justitiâ Dei, in
sanctitate legis, peccati turpitudinem nobis repræsentat: iram Dei in peccatum
accensam, in ea quæ nobis leviora, nullo humano merito, nullo pretio, solo uni-
geniti Dei Filij sanguine pro peccatoribus effuso, extinguendam, placandam: ad
quem unum rectâ fide, seriâ pœnitentiâ, nobis sit recurrendum: Ab eadem verò
scaturigine, num contrariæ adeò profluunt doctrinæ? cumque altera verè sit
Christi, altera ejus nomen obtendat, hæc cujus tandem nisi Antichristi? dequo le-
gitur, *os loquens grandia, &c. Os in blasphemias apertum contra altissimum.* In turpi Daniel 7. v. 20.
unquam hoc commercio, infami hac peccati cauponatione, quâ Meretrix ista sub
omni arbore frondosâ prostituta, omne hominum genus involvit, non verba illa Apocal. 13. v. 6.
Iohannis agnoscimus? *parvi & magni, divites & pauperes, liberi & servi accipiebant*
characterem in manu suâ, nec quis poterat emere aut vendere. Quænã enim inde hominũ Apocal. 13. v. 16. 17.
conditio sese eximat, dispensatione, absolutione, beneficio, officio, militiâ, frater-
nitate, in nobilioribus, in vilioribus quibusq; opificijs, pro malefactis aut faciendis,
his mercimonijs carêre possit? Annon igitur hi ipsi mercatores, de quibus Iohan-
nes: *Mercatores terræ opibus deliciarum ejus divites facti sunt:* Quæ ex abysso luxus Apoc. 18. 3.
sui, ex ipsius sacrilegijs destillabant? Cum verò penitius ingressi, Babyloni huic,
tantæ moli, tam supercilioso ædificio, non aliud fundamentum conspicamur,
quam in absurditate, non aliam materiam, quam in iniquitate, cæmentum quàm
in impietate, annon cum Apostolo concludamus necesse est, Deum *verè efficaciam*
erroris hominibus immisisse, ut *Hominem illum peccati*, Antichristum istum recipe-
rent, *mendacio crederent*, quia *dilectionem veritatis accipere noluerunt, ut salvi fierent?*
Dum Homo ille *peccati* eis adblanditur, ijs quasi narcotica suggerit, unde con-
scientiæ sensum & peccati morsum, illecebris suis immersi consopiant, obstupefa-
ciant.

Omitto alia ejus dogmata hominum meritum, quo ad nihilum redigitur meri-
tum passionis Christi, quotidianum altaris Sacrificium, quo semel inolitò unicum
& perpetuum illud in cruce peractum aboletur, Religionem Christianam in cere-
monias, in superstitionem, in Idolomaniam, stationes, reliquias, Agnos Dei, ima-
gunculas, grana benedicta, conversam, absorptam: novas leges, nova Sacramen-
ta, novum Euangelium, novum, ni Deus obstitisset, Christum, Alcoranum me-

rum Euangelij loco obstrusum: de his enim nos suo jam loco fusiùs. At sanè Se-
dem ejus & apparatum connotare si lubet: sedet Romæ in civitate septicolli: ur-
bem solenniter obequitat, equo albo magnificè phalerato vectus: equum manu
ducit Imperator aut Rex si adsit, si minus, dignior quisque: Ipse purpurâ & coc-
co conspicuus, Tiaram in capite gerit, triplici coronâ insignem, *regnum* vulgo ap-
pellitant, *in signum*, aiunt, *supremæ dignitatis tum Sacerdotalis tum Imperialis*, rarissimis
quibusque gemmis adornatam. Sequitur Purpuratorum Grex, Cardinalium uti-
Cerem. Romanum chart. 140. 141. & 5. que, cocco etiam ut ille splendidus; Quin & si urbe egrediundum, *valisiæ Scala
panno rubro cooperta, duodecim vexilla rubra, inde vexilliferi viri nobiles cum vexillis ci-
vitatis, Tonsor & sartor ornati sequuntur: deinde quatuor nobiles portantes quatuor pileos
ex eramesino supra baculos quosdam ad mensuram trium vel quatuor palmorum, qui scuti-
feri honoris vocantur.* Apparatus nempe coccineus totus. Cum igitur Iohan-
Apocal. 17. v. 1. 2. 3. 4. 5. &c. nes in Apocalypsi: *veni, ostendam tibi damnationem Meretricis magnę, cum quâ scortati
sunt Reges terræ*, Ostendit verò tibi continuò *mulierem* ἐπὶ θηρίον κόκκινον *insidentem
bestiæ coccinæ*, imperio impositam, cujus suggestus ornatus purè coccus; illa ipsa,
περιβεβλημένη *amicta purpurâ & cocco, & inaurata auro & lapidibus pretiosis, & in fron-
te ejus* in titulo (quæ sua verba) *nomen scriptum mysterium, magna Babylon*, non re
ipsâ antiqua illa Bobylon, sed in mysterio, *mater fornicationum & abominationum ter-
ræ*, carnalium supra omnem licentiam, spiritualium ultra omnem pudorem: Quid
nominari jam opus, cum & illa sese prodat, & hic eloquatur satis? Numnon verò
videtur Satan opus hoc quasi per lasciviam redemisse: Ut artis suæ speciem mun-
do exhiberet, cæcitatem nobis nostram ut quasi exprobraret, istum *Hominem* quasi
in Theatrum produxisse? Tanto enim ante tempore tam disertè, tam clarè à spiritu
omnipotentis Dei, Prophetarum & Apostolorum ore, de Antichristi adventu
præmonitos, de ejus conditionibus, factis, gestis, sede, vestitu, apparatu: eodem
jam planè habitu ab eo inductum, eodem positu, ut nobis quasi oppederet, quis
susceptum, quis adoratum iri unquam credidisset? Et tot seculis & Satanam in
eo ipsum? Et porrò describuntur hæ omnes circunstantiæ in Ceremonialium
Papalium libro, Venetijs, mense Novembri, anno 1516. excuso, qui Leoni X. de-
dicatus.

Quo igitur propriè tempore, Martinus Lutherus, post multos alios, blasphe-
miarum totâ Europâ exundantium impatiens, in Germaniâ contrà Papam erum-
pit: Augustinianus ille Monachus, Theologiæ Doctor, humili loco natus, nulli-
ūs authoritatis, in extremis mundi oris, paucis ejusdem conditionis sodalibus, eo-
dem zelo percitis, eodem spiritu impulsis ad quam vocem, vocem utique Dei
Omnipotentis, per eos detonantis, excitantur totâ Europâ innumeri, qui, aut ine-
briati somnum illum mortis dormiebant, aut semisomnes adhuc his organis ex-
pergefieri, animari opus habebant: Audent illi inter tantum fastus Babylonici
splendorem, tantum meretricij stibij nitorem, *Belluam* proprio nomine compellare:
in medijs gladijs, gurgitibus, flammis, magistratuum sævitie, plebis furore, satel-
litum rabie: Inde & in omnibus gentibus, juvenes, senes, fœminæ, infantes, his
auspicijs, id coram asserere, palàm profiteri: In infirmitate illi suâ potentiam, in
simplicitate solertiam, in humilitate superbiam, in patientiâ crudelitatem, edo-
mant, contundunt, confundunt; In puritate præsertim dogmatum, summo Dei
beneficio, Euangelium luci restituunt: in martyrij constantiâ primitivæ Ecclesiæ
fidem quasi redivivam exhibent: Adeò, ut exiguo tempore solidæ nationes à sede
Romanâ deficiant, multi Reges & Principes, ex ijs ipsis, qui in portentosam il-
lam

lam molem plus contulerant, ejus jam spolijs onusti glorientur: prodeant omni ex parte pij & docti viri, qui zelo Dei accensi, molem hanc suis laboribus prope diem succubituram strenuè subruant: Annon juxta illud Pauli: *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet spiritu oris sui?* Iohannis etiam: *Reges isti odio persequentur Meretricem, desolatam facient illam & nudam & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Meretrix utique hæc, quanquam frontem suam commasculare nititur, in corde suo dicit: *Sedeo Regina, nec sum vidua, & luctum non videbo.* Errare non potui, non possum: quicquid hi dicant, turpitudo mihi elegantia, & quæ efflorescunt ex impudicitate pustulæ, margaritæ & gemmæ: blasphemias in Christum Dei filium eo acriùs ingeminat, in sacrum ejus verbum debacchatur: diem ei dicit, reum, si auditur, peractura *insufficientiæ, imperfectionis*, ambiguitatis periculosæ, insidiosæ, & si quid pejus, infra Ecclesiam Romanam mirum quam dejicitur, quàm subsidet: Ecclesiam interim illam, quâ se superiorem Papa facit, in Concilijs generalibus repræsentata: unus potior universa: sacra proinde scriptura ipso Dei verbo, Deo consequenter & ipso quanto superior, sublimior? Et eo ipso, is ille evidentiùs quem quærimus, Antichristus ab Apostolis designatus: Ergò postquam *opobalsamum contra dolorem adhibêre voluimus, si fortè posset curari*, quod ipsa pervicaciter repudiat: sanctam in Ecclesiæ reformationem procurare conati sumus: in quam contrà Papatus effertur, efferâtur, ejus odio deteriores nobis Pontifices consulto ingerens: Assertiones absurdiores identidem proferens: *Traditionis infallibilitatem, verbi scripti inutilitatem*, quod digito Dei sculptum, Prophetis & Apostolis inspiratum: Annon jam fas nobis effari cum Propheta: *Curavimus Babylonem, tamen non est curata, derelinquite eam, abeamus quisque in terram suam:* manus jàm abluamus, & expectemus, dum Deus de eâ statuat: cum præsertim, *pervenerit judicium ejus usque ad cœlos:* Iehova contra *protulerit nostram justitiam.* Et quid igitur ab eodem consilio, eadem prophetiâ, eadem protinus & certitudine præstolemur? nisi ut hi Reges, hæc ipsa imperia, quæ eam adorârunt, opus Dei perficiant: *daturi utique in corda eorum ut faciant, quod placitum est ei*, sententiam ejus exequantur. Nec verò nos præsens rerum status commoveat: *in die unâ, in horâ unâ, in momento adeò uno* opera ejus perficiuntur: perficiundum haud dubiè hoc ipsum opus. Et jam pridem sanè quasi de re gestâ, propinquâ, certissimâ, Angelus vociferatur, & ingeminat: *Cecidit, cecidit Babylon:* Sed absit etiam ut nos alterum, quod sequitur præconium, negligamus, *exite ex eâ popule mi:* Nos quibus eam cognoscere divinitus datum: vos, qui nimis fortè eam cognoscitis: cavete ne vestro damno: Ecquis enim jam excusationem causari possit? *ne participes sitis delictorum & ex plagis ejus accipiatis*, ab Idololatriæ & incantationum ejus contagio luem contrahentes, sententiæ pridem in eam latæ ignis æterni, qui eam manet, participes fiatis. At, quia nos plurimùm increduli & stupidi, rogemus Deum, nos ex hac Sodomâ spirituali (sic eam Iohannes appellat) non secus ac Loth purâ suâ misericordiâ retrahat, Angelorum suorum manu correptos secum trahat: det nobis post terga non retrospicere, montem sanctum attingere, parvam illam Segar, Ecclesiâ suam pusillam licet & oculis mundi contemptam, antequam fulmina sua in Babylonem depluat: *Nonne per exigua*, dicebat Loth, *& vivam?* Et ei Patri, Filio & Spiritui sancto, ob abyssos judiciorum & gratiarum suarum, laus & gloria in secula seculorum,

A M E N.

2. Thess. 2 v. 8.
Apocal. 17. v. 16.
Apoc. 18. v. 7.
Ierem. 51. v. 9. 10. 11.
Apocal. 27. 17.
Apocal. 18. 2. 4.
Genes. 19.

INDEX RERUM

In hoc opere memorabilium.

 Albi-

ca-

cœ-

Vid. Donatio.

con-

D

E

Eccle-

Coli martyres 78.

F

Flavi-

G

gre-

Her-

I

Im-

Ius Canonicū. 285.

ejus

·285.

Ordi-

Petrus

R

S

Schisma

INDEX.

T

INDEX.

Ur-

FINIS.